F. MAURITIJ CENTINI ... DE INCARNATIONE DOMINICA DISPUTATIONES...

Maurizio Centini, Cornelio Francescucci, Francesco Vitelli



AVCTORVM IN HOC

OPERE CITATORVM

INDEX



A

ADrianus.
Albertinus.
Albertus Pighus.
Albertus Magnus.
Alcuinus.
Aldisiodorensis.
Alexander Achillinus.
Alexander Afrodiseus.
Alexander Alensis Min.
Alexander Papa primus.
Alexander Papa tertius.
Alfonsus de Castro Min.
Alfonsus Tostatus.
Aluarus Pelagius Min.
Amalarius Fortunatus.
Ambrosius Catherinus.
S. Ambrosius Episcopus.
Amicus.
Anaxagoras.
Andreas Vega Min.
Angelus.
Angelus Vulpes Min.
Annibal.
S. Anselmus.
Antoninus Diana.
S. Antoninus Florentinus.
Antonius Aretinus min.
Antonius Demochares.
Antonius Fernandez.
Aristoteles.
Augustinus Barbosa.
Azorius.

B

BArtholomæus Carranza.
Bartholomæus Gauantus.
Bartholomæus Ledesma.
Bartholomæus Mastrius min.
Basilius Legionensis.
S. Basilius Magnus.
Basilius Pontius.
Beda.
S. Bernardus Abbas.
Bonauentura Bellutus min.
S. Bonauentura Cardinalis min.
Brucardus.
Burleus.

C

CAto.
Cæsar Baronius Cardin.
Cælius Rodiginus.
Claudius Sainctes.
Clemens Alexandrinus.
Clemens Monelianus Cardinalis Min.
Clemens Papa primus.
Clemens Papa quintus.
Colummella.
Conimbricenses.
S. Cyprianus Martyr.
S. Cyrillus Alexandrinus.
S. Cyrillus Hierosolymitanus.

D

DAmianus Goes.
Didacus Nugnus.
Diegus Alarcon.
Diodorus.
S. Dionisius Areopagita.
Dominicus Sotus.
Donatus.
Durandus.

E

EGidius Columna Cardin.
Egidius Coninch.
Egidius Lusitanus.
S. Epiphanius.
Erice.
Eusebius.
Euthimius.

F

FAbianus Papa.
Ferrariensis.
Felix Papa quartus.
Franciscus Herrera Min.
Franciscus Lichetus Min.
Franciscus Maironus Min.
Franciscus mendozza.
Franciscus Piccolomineus.
Franciscus Pitigianus Min.
Franciscus Suarez.
Franciscus Syluius.
Franciscus Victoria.
S. Fulgentius.

G

GAbriel Biel.
Gabriel Sionita.
Gabriel Vasquez.
Galenus.
Gaspar Sghemma Min.
Gelasius Papa.
Gotfredus Pictauiensis.
Granadus.
Gratianus.
Gregorius Ariminensis.
S. Gregorius Magnus.
S. Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Valentia.
Gulielmus Alanus.
Gulielmus Durandus.
Gulielmus Estius.
Gulielmus Ocham min.
Gulielmus Parisiensis.
Gulielmus Rubion min.

H

HEnricus Gandauensis.
Henricus Henriquez.
Henriquez Villalobos.
Hieronymus Fasolus.
Hieronymus Musitanus.
S. Hieronymus Presbiter.
Horatius Tursellinus.
Hugo Victorinus.
Hyacinthus Petronius.

† Iac-

INDEX

I

Iacobus Pamelius.
Iacobus Zabarella.
Innocentius Primus.
Innocentius tertius.
Innocentius quartus.
Ioannes Andreæ.
Ioannes Antonius Delphinus Min.
Ioannes Baptista Scortia.
Ioannes Bassolus Min.
Ioannes Capreolus.
S. Ioannes Chrisostomus.
S. Ioannes Damascenus.
Ioannes de la Cruz.
Ioannes Geretius.
Ioannes Grammaticus.
Ioannes Gerson.
Ioannes Hesronita.
Ioannes Iribarnes Min.
Ioannes Lorinus.
Ioannes Lugo.
Ioannes Maior Min.
Ioannes Maldonatus.
Ioannes Martinez.
Ioannes Paulus Nazarius.
Ioannes Præpositus.
Ioannes Rada Min.
Ioannes Salas.
Ioannes Scotus Min.
Ioseph Angles Min.
Ioseph Iudæus.
Isidorus.
Iulius Primus.
S. Iustinus Martyr.

K

Krantius.

L

Laurentius Surius.
Leo Primus.
Leo Nonus.
Luisius Legionensis.
Luisius Turrianus.

M

Macrobius.
Magister Historiarum.
Magister Sententiarum.
Marcus Tullius Cicero.
Marianus Scotus.
Marsilius.
Martinus Becanus.
Martinus Bonacina.
Martinus Ledesma.
Martinus Nauarrus.
Martinus Viualdus.
Melchiades Papa.
Melchior Canus.
Melchior Zambranus.
Michael Zanardus.

N

S. Nemesius.
Nicephorus Calistus.
Nicetas.
Nicolaus Lyranus Min.
Nonius.

O

Oleaster.
Onuphrius Panuinus.
Origenes.
Orosius.
Osius Cardinalis.
Ouandus.

P

Paulus Aresius.
Paulus Comitolus.
Paulus Grisaldus.
Paulus Laiman.
Paulus de Palatio.
Petrus Aureolus Cardin. min.
Petrus Cabrera.
Petrus Damianus Cardinalis.
Petrus Lorcha.
Petrus Lopez.
Petrus Matthæus.
Petrus Paludanus.
Petrus Tataretus Scotista.
Philippus Faber min.
Philo Iudæus.
Pineda.
Plinius.
Prateolus.
S. Prosper Aquitanus.

R

Rabanus.
Raimundus Lullius.
Rafael Volaterranus.
Rebellius.
Ribera.
Richardus Armacanus.
Richardus mediauillanus min.
Richardus Victorinus.
Robertus Bellarminus Cardinalis.
Rupertus Abbas.

S

Sebastianus Barradius.
Seruius.
Simon Maiolus.
Siricius Papa.
Stephanus Facundez.
Syluester Prieras.

T

Themistius.
S. Theodoretus.
Theophilactus.
Theophilus Antiochenus.
S. Thomas Aquinas.
Thomas Caietanus Cardinalis
Thomas Sanchez.
Thomas Valdensis.

V

Valerius Maximus.
Vincentius Fernandez de Heredia.
Vincentius Filliuccius.
Virgilius maro.
Vrbanus Papa.

Z

Zaccharias Papa.



INDEX DISPVTATIONVM

ET CAPITVM, QVÆ IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.



De Sacramentis in Genere.

Prælusio dicendorum, & operis partitio pagina 1

Disputatio 1. De existentia sacramenti.

Caput 1. An sacramenta simpliciter institui conueniens, & necessarium fuerit. 3
Caput 2. An fuerint sacramenta in statu innocentiæ, & qui si permansisset. 4
Cap. 3. An in statu legis naturæ sacramenta fuerint, & quænam. 10
Cap. 4. De necessitate sacramentorum in lege scripta
Art. 1. An circumcisio verum fuerit sacramentum 16
Art. 2. An circumcisio valuerit ex opere operato 26
Art. 3. An alia sacramenta fuerint in eo statu pagina 30
Cap. 5. An pro statu legis gratiæ necessaria sint sacramenta. 31

Disp. 2. De quidditate sacramenti methaphisica.

Cap. 1. An sacramentum diffiniri queat. 32
Cap. 2. Quomodo finiatur sacramentum 36
Cap. 3. An vniuocè diffinitio sacramentis nouæ, & veteris legis conueniat. 39

Disp. 3. De quidditate phisica sacramenti.

Cap. 1. An omnia sacramenta consistent ex materia, & forma. 41
Cap. 2. An forma, & materia æquali modo sacramentum struant. 50
Cap. 3. An forma, & materia determinata sint à Christo. 53

Disp. 4. De causa effectrici.

Cap. 1. An Christus Dominus solum sacramenta instituerit. 68
Cap. 2. Quænam fuerit causa meritoria sacramentorum. 77
Cap. 3. De ministro. An soli homines sint sacramentorum ministri. 79
Cap. 4. De conditionibus ministrorum.
Art. 1. An fides, & probitas ministri faciant ad valorem sacramenti. 84
Art. 2. An intentio expetatur in ministro, & cuiusnam sit 95
Art. 3. An requiratur intentio in actu, an in habitu. 99

Disp. 5. De communi effectu sacramentorum, qui est gratia.

Cap. 1. An sacramenta omnia nouæ legis gratiam causent. 105
Cap. 2. An omnia sacramenta æqualem gratiam conferent. 108
Cap. 3. De modo, quo sacramenta gratiam causant.
Art. 1. Aliorum placita. 113
Art. 2. Scoti sententia aperitur 114
Art. 3. Aduersariorum obiecta diluuntur. 120
Art. 4. Censura aduersariorum opinionum. 122
Art. 5. Digressio de potentia obedientiali actiua 130
Art. 6. Quid Aduersarij pro Phisica causalitate propugnent. 136
Cap. 4. De tempore, quo sacramenta gratiam causant. 139

Disp. 6. De charactere.

De characteris nomine 144
Cap. 1. An aliqua sacramenta characterem imprimant 145
Cap. 2. De quidditate characteris 150
Cap. 3. De proximo characteris subiecto. 158

Disp. 7. De numero, & ordine sacramentorum nouæ legis.

Cap. 1. De numero 163
Cap. 2. De ordine. 166

Tractatus de Sacramento Baptismi.

Disp. de Baptismo Ioannis.

Cap. 1. An Baptismus Ioannis fuerit necessarius ad salutem 169
Cap. 2. De materia, & forma Baptismi Ioannis. 172
Cap. 3. De institutore baptismi Ioannis 176

De

INDEX

De Baptismo Christi.
Disp. prima.

Cap. 1. An à Christo, & quando Baptismus fuerit institutus. 181
Cap. 2. Quo tempore baptismus cæperit esse sub præcepto. 188
Cap. 3. Qua necessitate sit necessarius Baptismus. 199
Cap. 4. Obiecta contra dicta soluuntur 212

Disp. 2. De quidditate methaphisica Baptismi.

Cap. 1. an Baptismus finiri queat. 216
Cap. 2. De vera Baptismatis diffinitione 218

Disp. 3. de quidditate Phisica

Cap. 1. an aqua naturalis elementalis sit remota materia baptismi. 222
Cap. 2. an ablutio sit proxima materia, quæ, qualis, quanta. 227

Disp. 4. De forma.

Cap. 1 an hæc sit forma baptismi. Ego te baptizo. 237
Cap. 2. Quæ mutatio formam irritet. 240
Cap. 3. an baptismus in Christi nomine datus sit ratus 241
Cap. 4. an Baptismus datus in nomine genitoris, geniti, &c. sit ratus 250

Disp. 5. De causis externis.

Cap. 1. an soli homines Baptismum ministrare queant. 257
Cap. 2. De vnitate ministri
art. 1. An sic debeat minister esse vnus, vt plures baptizare nequeant 265
Art. 2. an vno abluente, & altero dicente formam baptismus sit validus 270
Art. 3. an plures baptizantes, ac dicentes *nos te baptizamus, &c.* sacramentum irritent. 274
Appendix De Vnitate ministri, vt indiuisi a se. 278
Cap. 3. de iterante baptismũ eiusq; pœna 279
Cap. 4. an Minister possit simul baptizare plures 284

Disp. 6. de suscipientibus Baptismum.

Cap 1. De pueris.
art. 1. an possit infantes baptizare in ea ætate. 288
Art. 2. an liceat baptizare infantes parentum infidelium iis inuitis. 291
Cap. 2. De adultis.
Art. 1. an adulti iustificati in vtero sint baptizandi. 298
art. 2. An infideles adulti cogi possint ad baptisma 302
art. 3. De dispositionibus necessarijs ad recipiendum baptisma 308

Art. 4. Solutio Dubitationis propositæ in alio sensu 312

Disp. 7. De effectibus Baptismi

Cap. 1. an Baptismus conferat gratiam, soluat pœnas, largiatur virtutes 324
Cap. 2. an æqualem in omnibus pariat effectum 337
Cap. 3. an baptismus gratiam conferat ficte accedenti 340

Tractatus de Sacramento Confirmationis.
Disp. 1. de eius existentia

Cap. vn. an confirmatio sit sacramentum nouæ legis à Christo institutum 346

Disp. 2. De quidditate conf.

cap. 1. De diffinitionibus confir. 349
cap. 2. De materia, & forma 350
cap. 3. an oleum balsamo admixtum sit sacramenti huius materia 355
Cap. 4. an chrisma debeat esse benedictum ab Episcopo 357
Cap. 5. De forma huius sacramenti. 361

Disp. tertia.

cap. 1. De effect. confirmationis. 369
cap. 2. De suscipientibus 364
cap. 3. an fideles omnes teneantur suscipere hoc sacramentum 370
cap. 4. De Ministro 372

Tractatus de Sacramento Eucharistiæ. 377
De nomine, & diffinitione huius sacram. 379

Disp. 1. De existentia Eucharistiæ.

cap. 1. an Eucharistia sit sacram. à Christo Domino institutum. 384
Cap. 2. De temp. institut. huius sacram. 386
cap. 3. an hoc sacramentum potuerit institui ante incarnationem. 391
cap. 4. an hoc sacramentum sit vnum 397
cap. 5. an hoc sacramentum sit necessarium 401

Disp. 3. De materia huius sacramenti

cap. 1. an sit necessarium in duplici consecrare materia 409
cap. 2. an materia consecrabilis debeat esse præsens, & quanta præsentia 413
cap. 3. Vtrum materiæ consecrabilis quantitas determinata requiratur. 416
cap. 4. Quæ sit Eucharistiæ sacramenti materia. 419
art. 1. De pane materia consecrationis corporis. 420
Art. 2. De vino materia calicis. 423

Disp. 3: De forma sacramenti Eucharistiæ

cap. 1. an sacramenti huius sit aliqua forma. pagina 434
cap. 2. Qua forma cõsecrauerit Christus. 437

DE SACRAMENTIS

IN GENERE,

ET IN SPECIE

DE BAPTISMO

CONFIRMATIONE, ET EVCHARISTIA.

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ:

AD MENTEM SCOTI

AVCTORE

P. MAVRITIO CENTINO ASCVLANO VIRO PATRITIO

S. Miletensis Ecclesiæ Episcopo, Barone Galatri, &c.

Trælusio dicendorum, & Operis vniuersi Partitio:

QVONIAM nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset; quemadmodum ex Ambrosio, referente *Honorio Augustodunense in Gemma Animæ lib. 3 cap. 102.* vel ex Augustino, vt habetur in Gotico Missali, *tom. 5. Bibliot. P. P.* concinit Ecclesia; non est, cur in harum disputationum vestibulo institutũ nostrum cuipiam aperiamus; siquidem, si eo consilio priorem de Verbi Incarnatione Tomum in lucem prodire curauimus, quia ex ea nostræ sumpsit reparatæ salutis initium, vt nos ibi Lectorem monendo rogauimus; satis etiam consequenter actum putabitur, vt potiora media, quæ & remedia, quibus Redemptionis nostræ fructus applicantur nobis, hoc secundo Tomo discuterentur, quæ tamen quarto sententiarum libro prosequuntur Scolastici, cuius partitionem secundum genus, ac species tradidit tam dilucide Scotus in ipso eius initio, vt vlteriorem in ea laborem disputatori sigillet; cum enim opus Theologiæ vniuersum Dei, à quo nomenclaturã trahit, naturam, & attributa; & quæ de eo ad intra, & ad extra enunciantur perscrutando rimetur, in ijsque interna, vt ita loquar, vt par est, principem sibi locum vendicent, quod primo sententiarum libro percurrunt Theologi, externa autem, vel ad hominis creationem, cuius gratia creata sunt cætera referantur, vel ad reparandum genus humanum è charitate delapsum; vel ad curandum medicina salubri sauciatum hominem, vt suo fini iungeretur; hinc fit, vt exactum in secundo libro creationis mysterium, subsecutumque in tertio restauratæ salutis arcanum medicinalis curatio insequatur, quam vt postremam postremo libro prosequuntur Scolastici.

Auctoris institutum

Quoniam autem Dei perfecta sunt opera, neque in sola curatione quiescũt, quin etiam ad imaginem suam conditum hominem, quem sibi charitatis vinculo nectum in terris, arctiori nexu beatitatis iungent in cœlis; indè factum, vt bipartita sit quarti huius postremi libri diuisio, & altera quidem priori loco posita curationem per sacramenta inse-

Operis diuisio

quatur ad 43. vsque distinctionem, à qua rursus auspicando sermonem altera resurrectionem hominum genericam & æternæ gloriæ praemium, quod in cœlis præstatur, edisserat. Cum verò sacramenta spectari bifariam queant, nempe, secundum genus, & species, inde deducito priorem partem in duas secari, quarum prima sacramentorum naturam genericè, altera specificè nos doceat. Hactenus vno verbo partitio.

DE NOMINE SACRAMENTI.

ETSI Doctore Scoto hæc eodem in *libro dist. quest. 1. lit. M* genericè in ijs, quæ diffinitionem habere possunt; eadem est ratio exprimens, quod dicitur per nomen (vtar enim Scoti verbis) & vera diffinitio; tum secundum Philosophum *4 Meth. Cont.* 28. Ratio, quam significat nomen, est diffinitio; nihilo tamen minus; quia ex eiusdem doctrina *ibi littera* A. generatim ratio nominis in sola quadam confusa rei, ac indistincta notitia sistit; quidditatis verò ratio entis distinctam, ac explicatam designat essentiam, seiunctim de vtraque ratione agemus, et primo nominis Energiam ex *A*ristotelis monitis, nostraque perpetim in ijsce Theologicis methodo declarabimus; quod quidem fiet multitudine significatorum vocis sacramenti producta.

Variæ sacramēti nominis acceptiones

Et quidem sacramenti vocabulum latè funditur. Cum enim à sacro, & mentis nomine originem trahat, quasi mentem sacrans vel, vt mauis, dicere cum Isidoro *lib. 6. ethimol. cap.* 19. Sacramentum a secretis virtutibus dictum, secundum suæ originis amplitudinem in diuersa significanda vagatur. Referam sin minus singulas, aliquas saltem eius significationum latitudines.

Sunt primo, qui sacramenti nomen pro iuramento sumant, vt se habent pleraque Tertulliani loca, tum *in lib. de præscriptionibus aduersus Hereticos*, tum alibi, quorum meminit Pamelius à Vasquezio citatus 3. *p. disp.* 128. *cap.* 1. licet apud me non ita sentiat Tertullianus. Sunt, qui sacramentum pro mysterio usurpent, quo sensu *Apocal.* 17. mysterium illud meretricis mulieris super bestiam sedentis sacramentum nuncupatur; quod primo mysterium dictum est, ibi enim *num.* 5. scriptum legimus in mulieris fronte *mysterium*; & *num.* 7. exponens Angelus mysterij uocem, *ego (inquit) dicam tibi Sacramentum mulieris*. Sunt qui sacramentum pro arcano usurpent iuxta illud, *Thobiæ* 12. *sacramentum Regis abscondere bonum est, &c.* sunt qui sacramenti uocem ad sacra pignora apud Sacerdotes deposita significanda deriuent, iuxta ueterem Romanorum consuetudinem; quâ lite certantes, pignus sacerdoti seruabant, ut qui lite caderet, & pignore caderet. Quod proinde à loco, et sponsione sacramentum dicebatur teste Marco Varrone *lib.* 4 *de lingua latina*. Sed hæ hisque similes sacramenti uocabuli acceptiones nimium ad methaphoram, ac Tropum diuertentes omittuntur.

Tertull. Pamell. Vasquezius Apocalypsis 17

Varro de lingua latina

Propria sacramēti acceptio

Propriè igitur magis, ac iuxta receptiorem loquentium usum id sacramentum significat, quod est rei sacræ signū, quam significationem; etsi toto stomacho à scholis ablegare contendunt Sacramentarij, de quibus uideatur Cardinalis Bellarminus *lib.* 1 *de sacramentis*, quippe quam nullum è scripturis habere locum proclament; recipiunt tamen communiter Patres, et Concilia, quorum receptioni standum magis, quam ineptæ Hæreticorum perfidiæ nemo non uidet, porrò in hunc sensum sacramenti sumpsisse uocem Concilia, et Patres, tum ex Tertulliano *locis cit.* tum ex Florentino, ac Tridentino Concilijs patet, secundum quam significationem, et nos in hoc opere loquemur.

DISPVTATIO I.

De Sacramenti Existentia.

AN SACRAMENTA SINT ad salutem necessaria.

1 EXistentiam rei ex necessitate venamur, secus frustratorio labore certaremus de re, quam esse institutam fides docet, & hunc eundem ordinem in 3. *lib.* de inhumanatione Verbi agentes sumus prosecuti, ad idem disputationis de existentia caput possibilitatem, ac necessitatem disceptandæ rei reuocantes, vt quid autem in alium locum quidditate rei dilata ab existentia nostrum auspicemur sermonem, toties in nostris operibus dictum est; quia nempe Aristotele magistro *in posterioribus analiticis*, quæsitum nominis, siue prænotationem eius quæstio, an sit necessario insequitur ne de re ignota quidditatem aucupari videamur.

AN SIMPLICITER *Sacramenta institui conueniens, ac necessarium fuerit.*

CAPVT I.

Scotus 4. dist. 1. q. 3. & 7 2 PRæsentem difficultatem attingit Scotus *distin. 1. quæst. 3.* & rursum *quæst. 7.* quam vtpote difficultate vacantem rudi transigemus Minerua prænotando hic necessitatem non ad sacramenta instituta referri, quo pacto loquentes Scholastici quædam, aiunt, sacramenta necessaria simpliciter, quædam negant; sed ad institutionem, quæ cum fiat à Deo, itque ad extra liberè, & contingenter agat, planè omnis ablegatur in eo instituendorum sacramentorum necessitas, quam si ex fine etiam metiri velis, nullam censebis; etenim sacramentorum præcipuus finis est gratiæ collatio, & si qui sunt alij referetur inferius; at ijs, cæterique alij contingentes sunt, Deus enim, qui potestatem suam hisce visibilibus signis non alligauit etiam sine ijs, & gratiam conferre, & quoscunque alios sacramentorum possimus effectus absque sacramentorum opere largiri; quocunque igitur te vertas, rationem tum à priore, tum ab effectu desiderabis, ob quam necessitatem instituendorum sacramentorum possis inuehere. Quod si necessitatem pro congruitate, siue commoditate, quam & vtilitatem dicimus, sumas. Asserendum vtique necessarium fuisse hoc sensu sacramenta institui.

Explicatur intentio capitis.

Assertio firmans necessitatem sacramentorum probatur

3 Hæc assertio apud fideles difficultatem non habet, & probatur primo. Congruit inuisibilem effectum, nempe gratiam ordinantem hominem viatorem ad gloriam aliquo sensibili signo efficaci practico signari; at sacramentum est signum hoc practicum efficax inuisibilis effectus ordinantis hominem ad gloriam; quare congruit, siue secundum expositum sensum, necessarium fuit sacramentum institui; minorem probabimus, cum sacramentorum quidditatem propria disputatione quæremus. Maiorem interim secundum singulas probamus particulas; est autem eius particula triplex; prima, signum debere esse sensibile; secunda, debere esse practicum; tertia, debere esse certum, siue efficax. Prima suadetur, tum auctoritate Pauli docentis Dei inuisibilia per ea, quæ facta sunt intelligi, tum auctoritate philosophi monentis pro hoc statu nostram omnem notitiam ortum à sensibus habere; si homo igitur inuisibilem illum effectum dignoscere quoquo modo voluerit, planè non nisi ex sensibilibus hisce, quæ videmus. Secunda suadetur, nam homo non solum petit habere conceptum de gratia, quæ est signata per sensibile signum, sed quærit cognoscere gratiam inesse animæ, vel infundi; hoc autem signo practico dumtaxat scire potest, non signo speculatiuo; quia speculatiuum signum in sola signatione intellectuali sistit; practicum verò extenditur ad opus. Tertia particula etiam probatur; nam si æquiuocum esset signum, non autem certum, neque intellectus causari effectum per illud certò sciret, quod est contra scientiæ rationem, neque voluntas effectum ex tali signo inhiaret, & propterea vtraque humanæ mentis facultas signum illud negligeret.

Probatur primo.

4 Obseruandum est tamen; certitudinem hanc signi appellari certitudinem, vt in pluribus, non autem certitudinem demonstratiuam, ratio huius est; quia in indisposito non causatur effectus, non equidem ex defectu signi, sed ex defectu subiecti, at si demonstratiua certitudine causaret effectum in singulis, etiam non dispositis effectum causaret, quod falsum esse dicetur suis in locis. Hæc est prima Scoti ratio per modum doctrinæ ab ipso tradita, & à nostratibus obumbrata potius, quam disposita.

Notatio obseruabilis de certitudine signi

Aliud argumentum ex Scoto.

5 Altera ratio ad assertionem hanc firmandam esse potest. Eiusdem religionis, ac fidei homines aliquo signo practico communicare necessarium est, quod sit assimilatiuum ijs, ac distinctiuum ab alijs: at sacramenta sunt signa huiusmodi distinctiua, & assimilatiua, quare sacramenta institui necessarium est, necessitate, de qua loquimur. Minorem, cum de charactere loquemur, probabimus abunde. Maior autem videtur dilucida, ex his enim signis nedum homines ad inuicem eiusdem se esse religionis agnoscunt, sed & in nostræ fidei cultu mutuò se iuuant; & externos dissimili signo signatos vitant, ne ad suæ fidei cultum impedimenta ferant: porrò quod signum assimilans, & distinguens practicum esse debeat, inde liquet, quod ad religionis natiuæ seruandos ritus peculiari communicantes fideles egent auxilio.

Coniecturæ S. Thomæ

6 Hæ sunt Scoti rationes, licet neque in hunc modum ab eo propositæ, neque secundum hunc sensum à scholæ ipsius asseclis explicatæ. A Sancto Thoma ad hoc asscitum tres feruntur in medium coniecturæ, sed prima à prima Scoti verbo tenus distat; duæ aliæ metiuntur congruentiam stante lapsu, idcircò minus probant; quoniam hoc loco præcisiuè loquimur, siue post, siue ante lapsum coniecturas congruentes instituendorum sacramentorum sciscitantes.

NVMQVID PRO INNOCENTIÆ statu sacramenta fuerint, an saltem si permansisset, futura fuissent;

CAPVT II.

7 SVperius caput sicco vestigio transegimus difficultate vacantes, at caput hoc nō tā leui transigetur labore cōcertantibus ad inuicem Theologis. Sunt qui putent, neque fuisse in innocentiæ statu sacramenta aliqua, neque vllo modo futura fuisse si diu permansisset. Sunt qui contra putent cōgrua illi statui Sacramenta fuisse, & priorem quidem sententiam apertè tradunt Sanctus Thomas 3. *p. quæst.* 61. *art.* 2. & asseclæ; qui tamen in explicanda præceptoris opinione decertant, non nullis opinantibus loqutum Sanctum Thomam de statu innocentiæ primorum parentum dumtaxat, non autem de eorum posteris, qui futuri fuissent; alijs è contra; tum de eo, qui fuit, tum de eo, qui futurus fuisset statu

Difficilium Thomistarū inexplicanda sententia S. Thomæ

loqui Sanctum Thomam contendentibus, & de vtroque negasse.

Vasquezij placitum

8 De qua lite Vasquezius etiam opinionem suam hisce assertis aperit. Primū, hanc vtramque propositionem esse falsam, nempe, *si status innocentiæ perseuerasset, futura fuissent sacramenta, &, si status innocentiæ perseuerasset, non fuissent futura sacramenta*, cum nulla sit connexio illius status causalis ad sacramenta. Secūdum, sensum illum explicari posse, vel si Christus concedatur venturus, durante innocentiæ statu, vel si negetur, perseuerante statu illo, venturus Christus, aitque, quod cum sacramenta omnia ex Christi passionis merito instituta sint, profectò, non adueniente in carne passibili Christo, nulla fuissent tunc temporis sacramenta futura.

Explicatio Ioannis à Lugo

9 Contra decertat Ioannes à Lugo *disp.* 3. *de sacramentis sect.* 1. *num.* 17. *& seq.* contendens, quod Adamo non peccante, si aduenisset Christus, futura sacramenta fuissent; sin autem aduenturus fuisset Christus, ex vi quidem præsentis decreti non futura fuissent sacramenta, sed nec etiam ex vi alterius decreti, itaut per hunc Auctorem, non aduenturo Christo, sacramenta in illo statu absolutè non fuissent futura eo fundamento solum, quod cum probabile sit, Deum iuxta id, quod nunc facit, tunc fuisse facturum, cum de facto ex passionis merito instituta sint sacramenta, deficiente tunc passione Christi meritoria sacramentorum causa, desiderata fuissent sacramenta. An autem daretur tunc pro lapsis contritio in remedium dubitat Lugo.

Opinio Durandi, & Suarezij

10 Posteriorem sententiam propugnat Durandus *dist.* 1. *quæst.* 2. & nonnulli Recentes cum Suarezio 3. *p. disp.* 3. *sect.* 2. *q.* 61. Quid in hac difficultate senserit Scotus non audebis decernere, si Vasquezio, & Suarezio standum est tibi præfatis locis; contendit enim Suarez, Scotum in affirmantem propendere sententiam; quippè qui *quæst.* 1. 3. *litt.* G. non videtur simpliciter negasse congruentiam instituendorum sacramentorum pro illo statu; ait enim pro statu innocentiæ non fuisse congrua sacramenta institui, sicut post lapsum, &c. Contendit è contra Vasquezius verbis hisce apertissimè Scotum negasse futura, vel futura fuisse sacramenta in statu illo, & Vasquezium imitatur Faber Fauentinus *disp.* 4. *in* 4. *sentent. cap.* 3.

Certamē scolasticorum circa Scoti sensum

11 Si tamen Scotico instemus discursui paulò consideratius, in Suarezij senten-

Explicatur Scoti sententia ab Auctore.

tiam nobis eundum erit; etenim Scotus non absolute negat congruentiam instituendorum sacramentorum pro statu innocentiæ, sed collatiuè cum statu post lapsum; ait autem non fuisse congruũ sacramenta institui in innocentiæ statu, sicut post lapsum, &c. at illa particula *sicut*, est particula collatiua, vt patet, non excludens congruentiam pro illo statu; sed dumtaxat excludens congruentiam tantam, quanta est in statu post lapsum; & hoc patet ex rigore vocis; nam si quis asserit Franciscum non currere, sicut Petrus currit; is planè non negaret in Francisco cursum; sed cursum tantum, quantum asserit in Petro: similiter hæc assertio vera est. *Beatus Antonius non est celebris sanctitatis; sicut Beatus Franciscus*; sed hæc falsa est; *Beatus Antonius non est celebris sanctitatis* absolutè; quia à comparatiuis ad absoluta consequentia non tenet apud Logicos; inde, si Scotus ait non esse tantam congruentiam, vel non esse congruentiam, sicut post lapsum, &c. non ob inde ait nullam esse congruentiam instituendorum sacramentorum pro illo statu; & Scotum comparatiuè locutum ex eius ratione liquet; ait enim, quod etsi homo tunc non potuit intelligibilia cogitare, nisi ex sensibilibus; tamen nullum sensibile fuit necessarium ad remouendum impedimenta salutis; vt posset dici propriè medicina.

Dilucidatur magis opinio Scoti

12 Quibus duo dicit Scotus, vnum affirmando, alterum negando; affirmat cognitionem tunc fuisse ex sensibilibus, & in hoc congruitas par est in eo statu, & in statu post lapsum; negat sensibile illud potuisse dici medicinam, & in hoc dispar est congruitas pro illo, & isto statu; quia pro illo nulla, pro hoc maxima. Ecquis autem ex doctrina Scoti in hunc modum cribrata inficias ire poterit Scotum aliquam pro instituendis sacramentis in innocentiæ statu congruentiam innuisse, aliquam verò abnuisse?

Rationes Doctoris

13 Præterea duplici ratione persuadebat Scotus in superiori capite congruum fuisse sacramenta institui; prima ex cognitione desumebatur, & hæc pro innocentiæ statu; saltem si futurus fuisset diutinus, locum habet; quia ex sensibilibus adiuuari debuissent homines illi ad insensibilia; altera verò ex communione fidelium in aliquo signo. & hæc partim locum habet in illo statu, partim non habet; nam quã signo illo segregandi fuissent fideles ab infidelibus, congruentia nulla; quia tunc nulli fuissent infideles; alioquin corruisse intelligeretur status ab innocentia in nocentiam; quà verò signo illo incendi magis ad Dei amorem, & mutuo iuuandi sese occasionem petere poterant fideles, congruentia aliquem in illo statu locum habet; nam tepor, ac langor aliquis in colendo Deum non necessario est sine gratia; vel sine originali iustitia.

14 Hisce igitur coniecturis non tam Scoticam, quam meam mentem expressi; quam ut distinctius tradam, hæc statuo asserta prænotando aliqua, quorum

Sacramentũ bifariã sumitur

15 Primum est sacramenti vocem bifariam secundum communem scholasticorum vsum sumi: quandoque latius quidem, quandoque pressius; & latius quidem quodcunque signum sacræ rei denotat, siue rem illam, quam significat sacramentum suaptè natura conferat, & causet; siue non conferat, quod est dictu, siue sit practicum signum verum, siue non; pressius verò designat signum practicum rei sacræ efficax, & certum: & secundum priorem vsurpationem sacramentum, ac sacrificium voce tenus diuersa sunt; hæc, inquam, est partitio communis vocabuli sacramenti, rectius tamen, me iudice, facta fuisset diuisio sacrificij in sacramentum, & non sacramentum hoc modo. Sacrificium aliud sacramentum, aliud verò non sacramentum, & sacramentum quidem id est, quod est signum efficax gratiæ ex opere operato, sacrificium verò signum quidem est gratiæ, at non efficax, neque ex opere operato: & huius diuisionis ratio ex sacrificij nomine patet; sacrificium namque idem sonat, ac sacrum faciens, cumque aliquod sacrum fieri bifariam contingat, nimirum ex ipsa signi efficacitate dantis gratiam; & ex bono sacrificantis arbitrio, seu arbitrij motu; hinc illud sacramentum dictum est, hoc verò specifico destitutum nomine, nomine sui generis appellatur sacrificium, & hoc rursum cum dupliciter accidat quidpiam sacrum fieri ex bono motu operantis, scilicet, exteriori aliquo actu diuinum protestante cultum, & interno dumtaxat, inde factum, vt aliquando sacrificium de interiori actu dicatur, quale est illud *Psalm. 50. sacrificium Deo spiritus contribulatus*; quãdoq; verò de externo: cumq; actus externus multiplex sit, nimirum oris, vel manus, laudis, & oblationis; de his etiam actibus rectè sacrificium enunciatur, vnde de sacrificio laudis, & oris *Psalm. 46. sacrificium laudis honorificabit me*

Partitio Sacrificij in sacramentũ & non sacramentũ ex Authore

Sacrificij nominis energia

Psal. 50

Psal. 46

Psal. 50

me, & de sacrificio oblationis *Psalm. 50. Quoniam si voluisses sacrificium dedissem vtique, &c.* appropriatè autem sin minus propriè sacrificium dicitur, quo Deo victima aliqua immolatur; & secundum hunc sensum in lege veteri frequentissimus erat sacrificiorum vsus, omnium Arietum, Bouum, &c. vt in noua lege solum Eucharistiæ ter maximum mysterium sacrificium dicitur, quo Patri immolatur Filius, immolatione incruenta, repræsentante cruentam crucis immolationem; hæc de sacrificio præaccipienda sunt, cuius consideratio cum ea de sacramenti in genere permixta est, vt ex decursu patebit.

Præno tatio secunda singularis

16 Secundum quod præaccipi necessarium est ad dicendorũ intellectum est, quod nomine status innocentiæ intelligimus statum illum, in quo primus Parens conditus est in originali iustitia; & in quo si permansisset, nati fuissent filij cum eadem originali iustitia; hinc qui cum Fabio petunt, numquid si filij Adam peccassent, fuisset futurum, vt instituerentur sacramenta, decipiuntur, quoniam implicat statum innocentiæ permansurum, & peccatores futuros Adæ filios; esset enim status nocentiæ, & innocentiæ, quod si præfati Auctores postulare velint, numquid si Adam permansisset innocens, filij verò peccassent, futura fuissent sacramenta: postulatio in primis ex falso procedit supposito; nam nisi peccasset Adam, nec filij peccasent, in Adamo siquidem hominum omnium voluntatem Deus apposuit, vt eo peccante, peccare, eo innocente, innocentes intelligerentur: & rursum si postulatio locum haberet, præfatorum Auctorum responsio negis se scire, quod futurum fuisset, vana est; etenim si ad medelam præcipuè post lapsum sacramenta dantur, tunc temporis succedente lapsu, successura fuisse sacramenta certum est, ex illo Scoti celeberrimo enunciato, *quæst. 7. litt. A.* Deus nullo tempore famulos suos sine remedio reliquit. Hisce præaccept s.

In statu innocẽtiæ nul la sacri- ficia sa- cramẽta

17 Assero primum in innocentiæ statu nulla fuisse sacramenta, nullaque sacrificia, si appropriatè sacrificium sumas: Hæc assertio duplici parte constituta, quæ citra controuersiam est, vno verbo probatur, quoad vtramque partem. Quia status ille breuissimus fuit, seno namque horarum spatio, vt multi renitur Beatis Paradisi teneri delicijs vti licuit homini; vix proinde vsui sacramentorum locus esse potuisset in breuissimo temporis interuallo.

Proba tur de sacra- mentis

18 Specificè verò de sacramentis probatur, quia neque ad distinguendum fideles ab infidelibus, qui nulli fuerunt, neque ad medelam, quia nullus morbus neque ad cognoscendum diuina, quia Deus hominem creauit cum perfecta rerum supernaturalium cognitione possibili; recentibus ergo instituendorum Sacramentorum congruentijs, & sacramenta fuisse instituta, nulla conuincitur coniectura.

Proba tur de sacrifi cijs

19 De sacrificijs autem secundum præfatum sensum, idem taliter cõiectamus, nedum quia primus sacerdotis officio functus legitur Abel, qui lapsui successit, & sacrificiorum secundum hunc sensum oblatio solius erat sacerdotis propria: vnde Paulus *Hebreorum 5. Omnis (inquit) Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis;* sed etiam quia si ex eadem Pauli sententia sacrificia pro peccatis offerri debent, planè cum breui illo temporis spatio peccata non fuerint, nec fuisse sacrificia credendum est.

De sacrificijs mẽtis, & oris an ctor videbatur dubius

20 Cæterum si de sacrificijs mentis, vel oris loquamur, non audeo negare fuisse nunc temporis sacrificia. Etenim ex quo Deus Adamum perfectum cognitione creauit, ac scientia; verò neutiquam simile est, ijs licet breuibus temporum spatijs grati animi virtutem nullã exercuisse Adamum erga Deum; puta, vel internæ oblationis, vel externæ gratiarum actionis, alioquin ingratus censeri posset; & proinde vitio laborantes excidisse dicendus esset à iustitia prius, quã excidit.

Noua diuisio sacrifi cij

21 Ad hæc autem, quæ dicta sunt, faciliori methodo capienda, ad perfectum Paulini testimonij citati intellectum, aliam subtexere debemus sacrificiorum diuisionis notitiam, ea autem est ex parte oblatæ rei; etenim id sacrificijs externis interdum offerebantur Deo animalia, in Dei honorem mactanda qualia erant Arietes, vituli, columbæ; interdum offerebantur fructus, interdum liquores: & primi generis sacrificia quandoque hostiæ dicebantur, quia fortasse in ostio tabernaculi mactabantur, vt legitur Leuit. *stare faciet Sacerdos duos hircos in ostio tabernaculi, & ponat super vtrumquè sortem, &c.* quandoque dicebantur victimæ, fortè quia in spem futuræ victoriæ, vel in gratiarum actione habitæ victoriæ ferebantur. Sacrificia secundi generis immolationes dicebantur,

tur. Hortasse nomen deriuando à mola, sub qua conduntur fructus terræ. Sacrificia tertij generis dicebantur libamina; generatim autem si quæ sacrificata igne consumebantur omnia, eorum sacrificium dicebatur holocaustum, quasi in formam incensi deuolutum, si quæ consumebantur secundum partem, secundum aliam autem partem comedebantur à sacerdotibus, horum sacrificium dicebatur hostia; si quæ denique partim igne, partim sacerdotibus, partim sacrificantibus diuidebantur, sacrificium illorum hostia pacifica dicebatur, & hæc sacrificiorum genera diuerso fine distincta sunt; non holocaustum ad diuinam dumtaxat excellentiam protestandam, atque ei debitum exhibendum latriæ cultum institutum videtur; totum namque sacrificium cremebatur, vt quod est totum in creatura Dei esse demonstraretur. Hostia pro peccato ad expiationem instituta est, vnde Paulus *sine sanguinis effusione* (inquit) *non fit remissio*. Hostia pacifica ad gratias Deo agendas.

Immolationes vnde dicta

Libamina, quæ essent, similiter Holocaustum, & Hostia

22 Ex hac sacrificiorũ notitia habes ad assertum quid dicas, hostiam, scilicet, pro peccato certissimè nullam fuisse tunc temporis; quia peccatum nullum, neque holocaustum, neque hostiam pacificam, quia sacerdos nullus, Princeps enim sacerdotum fuit *Abel*.

23 *Assero* secundum, si status innocentiæ permansisset futura vtique fuisse in eo sacrificia, & sacramenta. Hæc assertio difficultatem habet circa vtramque partem; & qua sacrificia, & qua sacramenta futura in eo statu fuisse censemus: etenim sacrificia possibilia, & futura in eo statu negligit Sotus *dist.* 1 4. *q.* 2. & dubitat Fauentinus *loco citato*; sacramenta autem toto spiritu refellunt ab eo statu præcitati *Auctores*. Vtramque tamen, quamuis nihil certi de eo statu conuectare possimus, quis enim nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? probabili ratione suademus, & de sacrificijs quidem ijs, quæ in interno cultu posita sunt non disceptamus, sed neque de ijs, quæ in solatoris oblatione sunt posita, quæ nedum futura, si permansisset; sed fuisse in *Adamo* diximus; de sacrificijs autem superiori assertione prolatis probatur; quia illa omnia (excipe hostiam, quæ pro peccatis offerebatur) congruentem habent vsus rationem pro illo statu, si quidem potuisset, ac fortè debuisset esse gratiarum actio à fidelibus, qui in vna futuri erant religione coniuncti; vna certè politia coniuncti fuissent, ne belluarum more censeantur erratici fuisse per campestria, & agros; societas enim naturalis est homini; vnanimes igitur Deo sacrificassent. Insuper nulla ratio holocausti necessitatem respuere potest, holocausta siquidem ad protestandum diuinum cultum, adque patefaciendum eius dominium exhibentur; atqui tunc temporis colendus vtique fuisset Deus, insuper, & dominationem eius agnouissent homines, & vtpotè recti patefecissent actu aliquo externo; quare hisce coniecturis non modicã assertio de sacrificijs fidem facit, neque officit Fauentini responsio potuisse fuisse satis internam cordis subiectionem, & recognitionem, non officit, inquam, nam decens maximè fuisset, vt qui beneficia de foris sibi à Deo manare sensissent, de foris etiam per externum cultum gratias agerent Deo. Adde, homines tunc temporis æquè, ac nunc naturaliter habituros, vt in suis actionibus animo, & corpore vterentur; quænam igitur ratio conuincit in præstantissimo opere, quale profectò est Dei cultus, solo animo vsuros? Adde externos istos actus à beata illa Patria non refelli; nam sancti cum corporibus beatis laudabũt, & orabunt Deum, cultumque Deo tribuent, iuxta *Apochalypsim* Ioannis, *& ceciderunt in conspectu troni in facies suas, & adorauerunt eum, &c.* vt quid igitur negabimus hoc idem de innocentiæ statu, de quo videtur magis; quoniam hominum corpora incorruptibilia resurgent; in innocentiæ autem statu solum ab externo incorruptibilitatem habuissent? insuper indiguissent, si ita loqui per grammaticos licet, magis in terrestri, quam egeant in cœlesti paradiso. Sacrificia igitur, hisce omnibus coniecturis statui illa futura consentanea censentur.

Assertio secunda contra Sotum, & Fabrum

Probatur

Responsio Fabri negligitur

Apocalypsis 7

24 *Altera* pars de sacramentis maiori difficultate vexatur. Probatur tamen illæ eedem coniecturæ, sin minus omnes, quibus necessitatem instituendorum sacramentorum generatim induximus, locũ habuissent in innocentiæ statu, si permansisset; ergo consentanea illi statui diiudicanda sunt sacramenta. Antecedens probatur; nam sin minus ad medelam, quoniam nullum tunc fuisset peccatum, & sin minus ad fideles distinguendos ab infidelibus, quoniam infideles tunc futuri fuissent nulli, saltem ad hoc, vt homines ex hisce sensibilibus ad inuisibilia capessenda subleuarentur,

Secunda pars assertionis probatur

quod

quod prima congruentia ferebatur, non fuisset futurum, vt sacramenta ab illo statu abhorruerint.

Aliud argumentum

25 Adde sacramentorũ effectum esse gratiam in animo gignere, siue, vt appositè loquar magis, gratiam conferre, at qui potuissent tunc gratiam conferre, ergo sacramenta institui non decet in illo statu. Subsumptum pro minori patet, nam etsi homines in gratia futuri omnes fuissent, & Deo accepti, vel per gratiam, vel per originalem iustitiam, ex hoc dumtaxat elicitur sacramenta primam gratiam conferentia nulli futura in illo statu fuisse, at sacramenta augentia gratiam potuisse institui nullo modo negare conuincimur, imo [illegible] augmentum gratiæ maximè decet in perfecto illo statu (quatenus perfectus de illo dici potest) conferri, vt semper augentes homines meritum ex [illegible] gratiæ translationem illam in vitæ æternæ periodo auctiorem meritis [illegible].

Petitur an sacramenta illa [illegible] præcessissent [illegible] Opinio Suarez

26 At autem sacramenta quæ potuissent institui in illo statu præcessissent, vel præcessura fuissent Christi inhumanationem? Suarez æstimat simpliciter nulla possibilia sacramenta in illo statu, sin [illegible] inhumanatio facienda fuisset, inhumanatione autem facienda, etsi non peccasset Adamus, adhuc retur credibilius nullum instituendum sacramentum, antequam Christus in carne venisset.

Authoris opinio probatur primò

27 Ego tamen verius putarim, si quæ futura fuissent sacramenta, futurum, vt illa præcederent Christi inhumanationem, vtque etiam si Christus aduenturus non fuisset, instituerentur. Ratio est in primis, quia primis illis temporibus non aduenisset Christus, sed post aliqua tempora, in quibus vero simile non est defuturum hominibus externum Dei cultum, per quem gratiam cogere sibi [illegible] & efficacius mereri.

Probatur secundo

Secundo [illegible] Christi aduentus nihil ad sacramentorum institutionem facit etiam, vt [illegible] in statu legis naturæ, & in scriptæ legis statu sacramenta fuerunt, quæ tamen Christi inhumanationem præcesserunt.

Probatur tertio

28 [illegible] loquendum de [illegible] institutis, deque instituendis, [illegible] à Passione Christi efficaciam habent, siue exhibita, siue præuisa, [illegible] à Deo constituente passibilem, vel [illegible], non vt patiente; quia non tantum ex futura passione, sed vt glorificature, atque adeo ex præuisis Christi meritis æque bene efficaciam habere potuissent, ac ex exhibitis.

Quænam sacramenta futura in eo statu? Recensentur opiniones Suarez Vasquez Lugo

Quęnam autem fuissent futura sacramenta? Suarez exploso Baptismo, Matrimonium admittit, confirmationem, & ordinem, & omnium præstantissimam Eucharistiam. Vasquez vero, atsi nullum in eo statu sacramentum agnoscat, si tamen ibi sacramenta ponenda essent, certè eiusdem ordinis essent cum sacramentis, quæ de facto instituta sunt; ac proinde explodit solum baptismum, sed pœnitentiam pro ijs, qui peccarent, & extremam vnctionem admittit; Suarez autem loco pœnitentiæ contritionem probat; Lugo nihil audet de hac re decernere. Mihi autem, quo ad hanc partem neutrius sententia probatur: etenim; quod eadem tūc cum nostris sacramenta fuissent futura, voluntarium est omnino; ista siquidem sacramēta omnia instituta sunt in remedium;

Reprobantur

tunc vero non ita, ista meritoriam habēt causam Christi passionem tūc autem nō item; ista ad multiplicitatem languorum tollendam septeno dilatata sunt numero; tunc autem nullo languore tanta tot sacramentorum inanis censeretur necessitas, non est ergo pariformiter de hoc, & illo statu philosophandum.

Vrgetur Vasquez

29 Neque audiendus est Vasquez autumans, institutionem sacramentorum pro illo statu ex Decreto Dei pēdere, quod non mutatur, & proinde ad eadem sacramenta se se tetendit; nam quomodo de Christi Incarnatione futura in illo statu (licet enim eiusdem Vasquezij exemplo vti, vt proprijs eum confodiamus iaculis) loquentes dicimus, decretum primum de Christi aduentu præcessisse præuisionem lapsus; at in illo decreto non fuisse inclusum modum de aduentu in carne passibili ab æterno, hoc enim decretum subsecutum intelligitur lapsum, ita de sacramentis loquentes putamus, antecedenti ad lapsum decreto, postquam Deus decreuit hominem fieri, & Christum venturum, & sacramenta generatim decreuisse, sub his autem, aut illis materijs sensibilibus, & ad medendi finem decreuisse post lapsum, sicut præuiso lapsu decretum dicimus Christi aduentum fore in carne passibili ab æterno, & pro restauranda hominum salute; quare sicuti aduentus idem Christi factus, & faciendus pro illo statu, quo ad modum diuersus fuisset, ita in proposito, eadem igitur futura sacramenta, voluntarium est vtriusque authoris assertum. Et quod de pœnitentia,

tentia, & conditione dicitur superat, fateor, mentis nostræ aciem, nam isti authores, futuros aliquos peccatores in illo statu pro certo statuunt, mihi vero peccatum cum statu innocentiæ cohærere simul, tam impossibile videtur, quam duo cōtradictoria esse simul vera; omnis enim peccator nocens est, non innocens, quomodo igitur innocentiæ status nocentium hominum pateretur vitam?

Conclusio dictorum

30 Assero igitur sacramēta futura in illo statu; quæ nam vero, difficile est coniectare: de matrimonio certè affertiua pars probabilis est; id enim quoad contractum institutum fuit de facto in illo statu *Genesis 1. crescite, & multiplicamini*, & rursum *Genesis 2. hoc nunc os de ossibus meis &c.* Deus igitur adiunxisset contractui rationem sacramenti, sicuti Christus de facto illam adiunxit; qua de re videndus est Scotus *4. dist. 26. q. 1. littera D. & K.* de cæteris silere malim, quam temere aliquid conijcere, constituendo hoc vnum probabiliter, aliquod futurum sacrificium, quod & sacramentum esset, quo scilicet augeretur ex opere operato gratia, & diuinus exhiberetur cultus, vt simul sacramenti, ac sacrificij rationem obire posset. Iam ad aliorum cribrandas coniecturas descendamus Recentium presertim.

Gen. 1 & 2

Scotus in 4 d. 26

Argumēta Fabri. Primum

31 Faber dupliciter arguit sacramentorum instituendorum congruitatem in illo statu euellens. Primo, de sacramentis loquendum est in eo sensu, quo loquuntur communiter homines, at sacramenta communiter sumuntur pro signis sensibilibus ordinarijs ad salutem hominis viatoris; & Cathechismus ad Parochos diffiniens sacramenta ait, *ea esse ad nostram iustificationem instituta*; iustificare autem est facere de iniusto iustum, ergo sacramentum necessario supponit peccatum, & in eius remedium institutum est: & propterea sacramenta, si quæ effinguntur in illo statu, essent alterius rationis.

Secundum

32 Secundo. Scopus sacramentorum est sanctificare, non augere gratiam; at sacramenta si fuissent in illo statu non sanctificassent, sed gratiam auxissent; ergo fuissent frustra. Maior probatur; quia in diffinitione sacramenti ponitur, quod sit causa efficax gratiæ sanctificantis homines: minor autem probatur; quia omnes tunc fuissent iusti.

33 Vasquez autem *disp. 130. cap. 3.* post longam verborum seriem vnico argumento fit oppositæ sententiæ propugnator. Nam si permansisset ille status petere possumus, an Christus veniret, nec ne? si veniret certè non in carne mortali; ergo quod habuimus ex Christi passione, tunc non habuissemus; at omnia sacramenta ex Christi passione decreta sunt; deficiente ergo causa eorum, ipsa pariter deficere dicenda sunt; sin autem veniret Christus eadem ratione nec sacramenta forent, quippe quæ ex Christi passione decreta sunt. Hæc Vasquez non sub his verbis, ad euellendam sacramentorum instituendorum congruentiā pro innocentiæ statu, si permansisset.

Vasquezij argumentatio

Refellitur Faber. & Vasquez

34 Verum ex eodem capite vterque auctor hallucinatur, dū eodē modo de sacramētis, quæ futura fuissent, ac de ijs, quæ facta sunt loquuntur; instituta enim sunt in facto, illa vero quasi in possibili, hæc ad medelam, illa ad alium fuissent finem, vt abundè diximus; pariformiter igitur de vtrisque loqui, est difficultatem effugere, non cribrare: quis etenim modicæ mentis iret inficias medelā dumtaxat morbo morbo existente necessariam esse? Non igitur in hoc medicamentorum sensu de sacramentis possibilibus in illo statu loquendum est; sed alio diuerso modo, sicuti, si non peccasset Adamus, alio esset philosophandum modo de Christi aduentu, vt supra dictum est.

Diluitur primum Fabri dilemma

35 Ratio igitur prior Fabri corruit; nam Concilia, & Patres, & Cathechismus de sacramentis institutis loquuntur, non de instituendis; de sacramentis nostris loquuntur, non de sacramentis alterius status; porrò nostra sacramenta ad salutem nostram instituta sunt; illa autem ad salutem vtique instituta fuissent, non ita tamen vt peccatum delerent, sed vt gratiam augerent, nec nostra sacramenta omnia ad iustificationem primam instituta sunt, cum id muneris baptismus dumtaxat, & pænitentia obtineant; cætera verò gratiam augeant: vnde ad argumentum Fabri, quo ait, iustificare esse facere de iniusto iustum: hæc assertio in primis falsa est; nam ex rigore iustificare est facere iustum absolutè; ex Aristotele autem *primo naturalium* non omne, quod fit album, fit ex nigro, sed ex non albo; quare iustificare erit facere iustum, vel ex iniusto, vel ex non iusto, iniustum autem, & non iustum differunt, quod iniustitia dicit habitum oppositum iustitiæ; non iustitia verò dicit solam iustitiæ carentiam; quare cum omne, quod fit, ex priuatione

Aristotel. 1 Phys.

fiat, iustificare erit potius facere ex non iusto iustum, quam iniustum ex iniusto.

36 Hoc dixisse volui non equidem, vt iustificationem ad alia sacramenta diuertam; sed vt argumentationis in oppositum falsitatem ostendam; singula igitur sacramenta iustum facere hominem ex iniusto, vel ex non iusto falsum est; nam hæc sunt baptismi, & pœnitentiæ munera; aliquando vero iustificationis vocabulum latius patens sumitur pro augmento præhabitæ iustificationis; quomodo etiam dicimus sacramenta omnia causare gratiam, cum tamen aliqua augeant, non dent primam gratiam, ita iustificare sumitur aliquando pro maiori iustificationis incremento, seu pro auctiori gratia, & hoc sensu singula sacramenta iustificant, & ita loqui dicendi sunt Patres, si de singulis loquuntur sacramentis, secundum quem sensum iustificatio à statu innocentiæ non abhorreret.

Quomodo sacramenta omnia faciāt iustum.

37 Ad secundum peccat maior, nisi sanctificationem in sensu præ exposito iustificationis sumat; quoniam quinque alia sacramenta à baptismo, & pœnitentia non sanctificant, causando primam, sed augendo gratiam, neque in diffinitione sacramentorum à Scoto tradita particula illa *sanctificans* habetur, vt infra dicendum est. Vel dicito sanctificationem pro auctiori sanctificatione, non autem absolutè sumi. Vasquezij rationem in superioribus diluimus; adueniset enim Christus, & sacramenta aliunde, quam à Passione habuissent efficaciam, & ex his facilè dilues Soti rationes sacrificia in statu illo negligentes &c.

Secunda ratio in̄ni.

38 Ad Vasquezij autem discursum occurrimus, nihil officere sio minus innocentiæ status, & sacramenta ita connectantur causaliter, quin altera illarum propositionum sit vera, altera existente falsa cum ad instar contradictoriarum logicè regulentur, de quibus certum est pronunciatum, altera existente vera alteram fore falsam. Porrò has contradicere nemo non diuerit. *Non fuissent futura sacramenta, illo statu durante; futura fuissent sacramenta, illo statu durante*, neque connexio causalis in conditionatis propositionibus necessaria est; cum sufficiat, non esse disparatas. Longo autem nihil suppetit opponendum; nam nos, qui venturum fuisse Christum, etiam Adamo non peccante, fatemur; nihil ex eius opinione vexamur.

Vasquezij argumētio leuis.

DE HOMINVM STATV post lapsum,

39 Innocentem legis naturæ status subsecutus est, qui obinde naturæ status dicitur, quod scripta nondum hominibus præcepta manarint: hunc autem secuta lex præcepta inedit; & is quidem à lapsu Adami ad Moysis vsque tempora, quibus à Deo in Synai monte legem accepit protensus est; hic verò à Moyse vsque ad Christum: quare difficultas præsens, quæ quatenus necessitatem sacramentorum petit cap. 1. discussa est; siquidem rationes, quæ generatim necessitatem inuehunt sacramentorum maiorem inuehunt necessitatem post lapsum, quoniam communi scolasticorum calculo firmatur, sacramenta esse in remedium instituta quasi contra peccatum medicinas, ad solum factum redigenda duo petit; alterum, an in statu naturæ lapsæ ante legem aliquod sacramentum fuerit: alterum verò, an sacramenta instituta fuerint in lege scripta; & postulationem priorem hoc tertio, posteriorem sequenti capite prosequemur.

AN IN STATV LEGIS NATVRAE sacramenta fuerint, & quæ nam.

CAP. III.

40 Deum optimū maximū, cuius natura bonitas, cuius misericordia propriū nullo tépore famulos suos sine remedio reliquisse, tā disertè explicat August. lib. 5. contra Iulianum cap. 9. vt vix superesse possit difficultati locus, at quoniam remedia hæc non ab omnibus concedantur Scolasticis veram sacramentorum rationem induere, hinc postulatio præsens difficultatem patitur non leuem ansam præcipuè dubitandi præstolante Magni Gregorij 4. moral. cap. 3. celebri enunciato, quod est, *quod vero apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro ijs, qui ex Abrahæ stirpe prodierant mysterium circumcisionis*. Hæc ille, quæ tantum auctoribus facessunt negotium, vt diuersos in diuersa traxerit pronunciata. Non pauci Theologi hac auctoritate conuicti nullum tam pro paruulis, quā pro adultis in eo statu sacramentum agnoscunt; sed quemadmodum Gregoriana sonat auctoritas, totam vim pro peccatis originalibus auferendis ad so-

August. contra Iulianum.

Gregorius 4. moral.

lam

lam referunt parentum fidem: pro actualibus vero delendis ad sacrificia, quæ cum ex opere operato gratiam nõ causent, sacramenti rationem exuunt.

Varia sententia de fide expetita in parentibus.

An vero fides illa aliquo externo signo palam debuisset fieri non consentiunt; quidam enim aiunt; ita Scolastici quam plures; & ex iunioribus Suarez *sect. 2. Comneb. 3. p. q. 41. art. 3.* Lugo, & alij: quidam vero negant. Hæc sententia procul dubio est S. Thomæ, & Thomistarum *in 4. dist. 1. quæst. 2.* vbi Sotus *dist. 2. quæst. 1.* & S. Bonauentura *dist. 1. part. 2. art. 1. quest. 2.* Richardus, & alij præcipue Durandus, Paludanus, & ex recentibus Vasquez *disp. 165. cap. 3.* qui mordicus illi sententiæ adhæret, quæ in fide nullum exposcit signum externum protestatiuum, quam tradiderat Sotus *loco citato*, & Petrus de Palude *quest. 5.* licet ad inuicem differant, nam Sotus contra Durandum putat fidem illam non necessario debuisse esse formatam, hoc est, iunctam charitati in offerente; sed nec in tota Ecclesia fidelium; cum satis fuisset intentio faciendi id, quod facit Ecclesia; proinde si infidelis puerum obtulisset Deo, ille fuisset ab originali purgatus; quemadmodum nunc, si ab infideli baptizentur infantes cum intentione sufficiente, recte censentur baptizati. Durandus vero, etsi charitatem fidem formantem in offerente non necessario requirat. Fidem tamẽ formatam in corpore Ecclesiæ exposcit.

Dissidium Soti & Durandi.

41. Vasquez vero contra Sotum. & Paludanum fidem necessario in offerente exposcit: necessitatem autem fidei formatæ in tota Ecclesia reijcit; quoniam rationem meriti in illo actu non ex tota Ecclesia, cuius membrum esset offerens, sed ex ipsa persona offerente desumenda esset; an autem fides offerentis formata debuerit esse, nõ explicat Vasquez, tenetur tamen illam formatam confiteri; si purgationem à peccato originis ad meritum operantis redigit; etenim fides sine charitate nullum elicere potest actum meritorium bonum.

Opinio Vasquezij.

42 Soto, ac Paludano subscribit Suarez *disp. 10. sect. 1.* constituens in ministro applicante sacramentum non expetitam fuisse formatam fidem, sed nec fidem absolute. Lugo *disp. 3. sect. 2.* media incedens via statuit in primis veram actualem fidem expetitam, quod auctoritatibus probat August. *lib. 2. de nup. & concup. cap. 11.* Gregorij *lib. 4. moral. cap.* S. Bernardi *epist. 77.* & aliorum, mox decernit non necessario debuisse fidem illam esse formatam:

Suarez, Paludano, & Soto subscribit.

43 Alij vero fidem illam necessario protestandam putant aliquo signo externo; ita Alexander Alensis *4. p. q. 2. memb. 5. art. 1.* Durandus *loco citato* Armacanus *lib. 8. de quæst. Armenorum cap. 37.* sed & isti discrepant; quidam enim certum illud signum aliquod debuisse esse, ac determinatum putant; quidam autem id negant, sed indeterminato sacrificio potuisse protestari fidem credunt: & priorem huius placiti partem Alensis, posteriorem vero Durandus insecutus est. Scilicet tanti vnicum Gregorij assertum fecere prædicti auctores, vt diuersas illius merito ineant controuersias.

Sententia Alensis, Durandi, & Armacani.

44 Contra vero alij verum aliquod pro paruulis sacramentum in eo statu agnoscunt, quæ sententia est Scoti, & Scotistarum *in 4. dist. 1. quest. 7.* quod generatim expresserat *quest. 3.* docens in omni statu destitutæ naturæ sacramentum aliquod fuisse institutum.

Opinio Scoti, & Suarezij.

Hanc eandem sententiam sequitur Franciscus Suarez *disp. 4. 3. p. citata*, sed & isti auctores ad inuicem concertant; nam Scotistæ sacramentum illud sub certo, ac determinato aliquo signo constituũt, Suarez autem sub indeterminato, & sub incerto. Hactenus de sacramẽto pro paruulis, an autem aliquod esset pro adultis sacramentum parem habet difficultatem disceptatio proposita. Melchior Canus *relect. de sacramentis in genere p. 3.* plura in eo statu sacramenta admittit, suppresso tamen numero: Vasquez nullum absolute sacramentũm approbat in eo statu, Suarez alicui familiæ proprium tribuit sacramentum, vt oblationẽ vini, & panis in Melchisedechi familia; generatim verò sacramenta alia ab eo, quod est contra originale institutum negationes. Faber *disp. 7. in fine* post quam plura potuisse esse sacramẽta in illo statu probat, Suarezij placitum improbat de sacramento peculiaris alicuius familiæ, ratio autem, ob quam plura sacramenta probat sumitur ex oblatione Melchisedechi, quam verum putat fuisse sacramentum: sed dum hæc ait Faber eundem Suarezium, quem improbarat inscius probat; nam certe si statuatur oblatio Melchisedechi verum sacramentum, cũ illud in solo viguerit Melchisedecho, non vniuersale censendum est, sed peculiare illius Regis, eiusque familiæ sacramentum, quod senserat Suarez, à quo non admodum distat Lugo num. 62.

Dissidium Scoti, & Suarezij.

Dubitatio de adultis

Recensentur opiniones Cani, Vasquezij, & Suarezij.

Faber sibi ipsi contrarius.

Notabile primum de legis naturæ statu.

45 Ego in hisce tot, tantisque difficultatum ambagibus, in quibus certi nihil, probabilis aliquid coniectare fas est, mentem Scoti, & meam aperiam nonnullis assertis, quæ statuam prænotando primum legis naturæ statum, de quo sacramenta sciscitamur propriè, ad Mosaicam vsque legem fuisse protensam; ex illa siquidem status vterq; seiungebatur, nihilo tamen minus, quoniam circumcisio, quam inferius sacramentum statuemus scriptæ legis, ante datam Moisi legem à Deo manauit Abrahæ *Genesis* 17. de legis naturæ statu in hoc sensu loquimur, vt scilicet ad v qi institutam circumcisionem postulemus, an aliquod fuerit à Deo sacramentum pro paruulis institutum, necnon & pro adultis, & quoniam pro fœminis circumcisionem neutiquam valuisse certum est, cum etiam applicari illis non posse confiteantur omnes, quo fit, vt sub hoc statu legis naturæ comprehendantur etiam fœminæ à lapsu Adami ad Christum vsque, qui per baptismi institutionem cætera aliorum temporum euacuauit remedia pro peccato originali. Vno verbo; legis naturæ status nomine hoc loco comprehenduntur gentes omnes, post lapsum vsque ad legem, cuius erant capaces, & proinde viri vsque ad Abraham, vel vsque ad Moysen.: vsque ad Abraham quidem viri illius familiæ, cui peculiari gratia primo præceptum de circumcisione datum est, vsque ad Moysen vero cæteri Hebræi, quibus præceptum circumcisionis, inter cætera, mediatore Moise tradidit Deus, comprehenduntur, & fœminæ, vsque ad Christum, ante quem circumcisio illis inepta fuit: hyperbolicè namque dictum à Cypriano credimus *lib. de baptismo*, sub circumcisionis præcepto non inclusas fœminas, quoniam nulla earum habetur ratio in scripturis, hyperbolicè, inquam, quoniam Deus, qui nullum recipit, nec est personarum acceptor, auctore Paulo, neminem à suæ bonitatis, ac miserationis gremio reijcit.

Genesis 17

Cyprianus lib. de baptismo.

Notabile secundum de sacramentis.

46 Secundo prænotandum, non esse hoc loco sermonem de sacramentis, tam latè sumptis, vt quodcunque rei sacræ signum comprehendant, etenim sacrificia in illo statu, oblationesque fuisse liquido patet, tum *Genesis* 4. de sacrificio Abel, & Cain; & *cap.* 8. de sacrificio Noe, tum *cap.* 12. de altari erecto nomini Dei ab Abrahamo, & alibi passim, immo sacrificia illa Deo accepta fuisse, patet de Abel, de quo ait auctor Geneseos *respexit Deus ad Abel, &c.* & de Noe; *odoratus est Dominus odorem suauitatis*, sed sacramentum hoc loco pressius sumi quatenus vnivocè conuenit nomen eius cum sacramentis nouæ legis pro eo, scilicet, rei sacræ signo, quod à Deo institutum est ad salutem hominis viatoris, efficaciter ex diuina institutione gratiam causans, quod supra dictum est debere esse signum certum, & efficax: porrò in alium sensum præsentem difficultatem diuertere; est difficultatem vitare, non tollere.

Genesis 4. 8. & 12.

47 Hisce vtcumque prælibatis, assero primum, verum aliquod pro paruulorum originali peccato delendo in eo statu sacramentum fuisse. Hæc assertio traditur à Scoto *quæst.* 7. & *quæst.* 3. & militat contra præfatos Thomistas, & probatur in primis auctoritate *Augustini*, *lib.* 5. *contra Iulianum citato*, vbi, *non est* (inquit Augustinus) *credendum, ante datam circumcisionem famulis Dei quandoquidem illis inerat mediatoris fides, nullo sacramento opitulatos paruulis suis, quamuis, quid illud esset aliqua necessaria causa scriptura tacere voluerit.* Hæc Augustinus, cui non facile responsum aptabis de sacramento impropriè sumpto; cum eo modo de sacramento illo loquatur, quo de circumcisione loquitur, alioquin satis æquiuocè nomen idem simul, ac semel Augustinus accepisset, quod falsum est; at circumcisionem verum fuisse legis scriptæ sacramentum, infra dicemus, & ego quidem miror Vasquezium, qui cum oppositam pro viribus tueatur sententiam, tum *in com. art.* 3. *quæst.* 61. tum in *disputatione citata* 165. & hanc Augustini auctoritatem in medium ferat; illi tamen nullam aptat interpretationem, forte, quia omnem talem viderat violentam, & iterum miror virum pro voluntate sanctorum Patrum auctoritates parui semper pendentem, tantam in illo Gregorij pronunciato vim facere, vt cum singulis illius merito scolasticis certamen ineat, quasi vero non esset tanti ponderis allatum Augustini testimonium, qui hec rursum habet *lib.* 19 *contra Faustum* hisce verbis, *in nullum religionis nomen possunt homines colligari, nisi aliquorum signorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur, &c.* quibus non auctoritatem magis, quam rationem congruentiæ sacramentorum pro illo statu commodat *Augustinus*; siquidem inficiari nequimus, verum Dei cultum, ac religionem in illo statu fuisse, & insuper prophanum Idolorum cul-

Statuitur aliquod fuisse verum sacramentum in statu legis naturæ

Probatur ex Augustino

Reÿcitur Vasquez.

August. contra Faustum.

cultum viguisse, siquidem Nilum Beli filium (quem, & Nembrotum putant) Idolorum originem extitisse, dum parentis sui simulacrum coli iussit pro Deo, testatur Diod. lib. 3. & Iustinus lib. 1. & Augustinus lib. 3. de Ciuitate Dei, & Iouem, Apollinem, & catera Gracorum numina superstitionum Patriarchas in uerorum Patriarcharum ætatem incidisse; testes sunt prafati Auctores, pracipue Diodorus lib. 6. cap. 15. Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 8. Orosius lib. 1. vt igitur fidelis ab infideli segregaretur populo sacramentorum necessitatem colligere possumus ex Augustini citato contra Faustum testimonio pro legis naturæ statu; quemadmodum ex priori eius authoritate alteram elicimus coniecturã.

Iuppiter, Apollo & his similes ceciderunt in tempora Patriarcharum.

Probatur assertum ratione

48 Pro quocunque statu morbus incidit, remedium Deus instituit: at in illum statum lapsus incidit; successit his enim lapsui Adami; ergo, & remedium Deus instituit. Maior, quæ est Augustini loco citato, etiam probatur, nam, & si sine iniustitia potuerit Deus omnium puerorum illorum damnationem permittere, quippequi nulli est debitor; quia tamen vult omnes homines saluos fieri, saltem antecedẽti voluntate, sufficientia omnibus ad salutem impertitur auxilia; omnibus, in quam, salutis capacibus; quales erant infantes legis illius.

Dubium de paruulis in vtero decedentibus.

49 Et hoc dictum volui ad euellendã tacitã nonnullorum obiectionem de paruulis in materno vtero decedentibus, quos certẽ sine auxilio Deus relinquere videtur; sunt enim illi salutis, seu remediorum incapaces externorum, quamuis, ex ijs etiam aliquos adiuuerit, vel præseruando, vt Beatam Mariam semper Virginem, vel mundando, vt Ieremiam, & Ioannem Baptistam; qui tamen in vtero non decesserunt, quod videtur satis ad veritatem illius asserti; non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, vt Logici aiunt; reuertendo igitur ad nostra, vtique maxime dedecet Diuinam prouidentiam toto illo temporis interuallo, quod pro maribus fluxit ab Adamo ad Moysen, vel Abrahamum, pro fæminis autem infantibus vsque ad Christum, fidelium filios sine remedio fuisse relictos.

Occurritur Vasquezio

50 At fortasse hæc nõ iret Vasquez inficias; verum remedium illud verum fuisse sacramentum negaret. Contra: eo modo philosophandum de maribus, ac fæminis; quia nõ est distinctio personarum apud Deum, teste Paulo; at pro maribus tẽpore scriptæ legis verum fuit sacramentum, quale censetur circumcisio; vt quid igitur fæminæ ab hoc remedio æquipollente seclusæ dictæ sunt? cæterum pro fæminis vsque ad Christũ, pro maribus etiã tẽpore toto naturalis legis, idem viguisse sacramẽtũ, argumento est, nullum tale in tota lege Moysis pro fæminis institutum; quia scilicet illud idẽ, quod pro singulis ante circumcisionem traditum fuerat, pro fæminis quidem permansit, pro maribus autem Hæbreis circumcisio illud euacuauit. Scio Vasquezium flocci hæc omnia facturum ex eo principio, quo sibi constituit neque circumcisionem valorem aliunde habuisse, quam ex offerentium meritis: sed hoc in sequentibus agitandum est.

Iterum refellitur Vasquez.

Rursus probatur assertum.

51 Præterea: paruuli nullo interno actu, vtpotè ratione carentes peccatum originale sibi delere poterant, ergo sacramenti vim expetebant: probo consequẽtiam, etenim peccata, vel ex operantis, vel ex operato opere delentur; & illud à bono operantis opere, hoc à sacramẽto manat; ergo bono interno motu deficiente in iis solum superfuit sacramentũ. Si dixeris satis fuisse bonum motum offerentium. Contra: primam gratiam solus singulis meritus est Christus, de quo omnes effantur, hoc præcipuum fuisse eius meritum, vt non coniuncti coniungerentur Deo, qui ergo in bonum opus offerentis paruulorum primam gratiam referunt, vilificant Christi meritum, signo igitur aliquo externo efficaciam à Christi præuisis meritis habente delebatur originale paruulorum peccatum tũc temporis.

Consolidantur rationes prædicta

52 Adde: quod nullus offerens rectè scire poterat satis fuisse ad paruulum ab ipso oblatum actum suum, sed parentes debebant de salute paruulorum non hæsitare, ergo non per actum suum sanctificari eos sciebant. Patet assumptum, pro maiori, quoniam nemo certo scire potest per aliquid se salutem attingere, nisi illud sit à Deo institutum, vel nisi certo sciat Deum opus illud ad retributionem acceptasse; sed cum actus internus offerentium non à Deo institutus nesciatur; an à Deo acceptatus fuerit, profectò incerti semper de remedio filiorum parentes fuissent: præstat igitur dicere externo aliquo sacramento adiutos paruulos illius ætatis, ac temporis. Ex hac assertione habes parentum fidem non fuisse satis, multo minus informem; fides enim sine charitate non in habente, neque in oblato meritum gignit; quod ex

volun

voluntate formata gratia oritur, & ob eandem rationem non fuisse satis informem Ecclesiæ fidem, quid est enim fides Ecclesiæ, nisi fidelium fides? nisi igitur aliquis fidelis gratiam habuisset, fides apud fideles informis fuisset, redijtque proinde ratio adducta; de fide autem iuncta gratiæ diximus nullum alteri mereri ratiam primam nisi Christum: adde satis incertam tunc fuisse paruulorum salutem futuram, cũ nemo sciat se esse Deo acceptum iuxta illud. *Nemo scit, an odio, an amore sit dignus &c.*

Assertio secunda statuit pro adultis aliquod etiã fuisse sacramentum determinatum.

53 Assero secundum. Aliquod etiam pro adultis sanctificandis tunc temporis sacramentum fuisse, certo aliquo signo determinatum. Propendet in hanc assertionem Scotus *in calce quest. 7. citatæ*, & duplici parte consita vndique habet aduersarios; nam qui pro paruulis sacramenta negant, multo magis hoc eunt inficias pro adultis, in quibus bona opera poterant cooperari ad salutem. Suarez autem, qui pro vtrisque sacramenta agnouit sub indeterminato signo illa constituit. Vtraque probatur: primo prima ijsdẽ fere cõiecturis, quib. superiorem conclusionem persuadebamus, etenim singulæ congruunt illi statui rationes congruentiæ instituendorũ sacramentorũ; debebant enim ex sensibilibus ad inuisibilia contemplanda rudes homines eleuari; debebant, & à non fidelibus, quorum maximus fuit in illo statu numerus, tota fere humani generis massa in idolatriam propendente, distingui; debebant, & gratiam sibi pacisci, quam per peccatum amiserant: quę munera si quispiam contendat, obiri à sacrificijs potuisse. Contra: sacrificium ex operantis dumtaxat motu bono valebat, non autem ex opere operato; sed ecquis tantæ perfectionis fuisse censendus est in illo statu, vt his medijs, quibus ex opere operato gratia confertur, non indigeret. Sed ecquis rursum de sua remissione probabilem habere potuisset certitudinem, cum operis valorem nesciret? Concludendum igitur si Deus nullo tempore famulos suos sine remedio dereliquit, neque in illo statu derelinquisse, in quo indigentia par erat, & morbus idem; immò indigentia maior, cum minima de Deo haberetur notitia, nondum præstita, aut confirmata lege. Aestimo igitur sacramentum aliquod pro paruulis iustificandis in illo statu fuisse, quod nam autẽ illud fuerit temere affirmare non ausim: hoc vnum liquet, vt Scotus monet *quest. 7. lit. C*, multa in eo statu fuisse sacrificia, quæ cum Deo placuerint, ab ipsomet censenda sunt instituta, valde autem rationi consonat, aliquod illorum fuisse sacramentum.

Probatur pars prima asserti.

Tollitur obiectio.

Probatur secunda pars cõtra Suarez.

54 Pars altera contra Suarezium facilior est ex ratione sacramenti, nam sacramẽtum debet esse signum certum, vt superius diximus, & contra morbum in medicinam institutum; at morbo generico, generica apponitur medicina, & Deus, si vni familiæ, & non alteri præstolatus remedium fuisset, nescio quonam pacto ab acceptione personarum iuxta Pauli doctrinam immunis esset; nec referet asserere Deum nulli esse debitorem; nam & si nulli debet, cæterum ex consueta bonitate singulis sufficientia tribuit adiumenta ad salutem, neque de hoc vsquã à Theologis dubitatum est; tunc autem si cuipiam, & non omni familiæ sacramentum tribuisset, cuipiam, & non omni contra communem morbum remedia commodasset.

Vrgetur Suarez.

55 Adde maiori censura notari sententiam Suarezij asserentis indeterminatũ fuisse hoc sacramentum, determinari autem ab hominibus, hoc enim si concedamus duo sequentur incommoda, alterum, non à Deo, sed ab hominibus certitudinem habuisse illa signa, alterum vero innumerabilia sacramenta fuisse, vel esse potuisse, quorum vtrumque incommodum esse patet; quia quoad primum, sacramenta, vt infra probabitur, à solo Deo, qui solus certitudinem dare potest, institui possunt; quo ad secundum vero liquet, quia singula à singulis hominibus potuissent signa determinari, atque ita ad hominum libitum sacramenta multiplicata fuissent, quod est falsum, & risu non vacat, quemadmodum ægregiè monet Faber *in calce disp. citatæ*, sequela autem vtraque patet; nam si homines in sua potestate signorum determinationem habuissent, ipsi vtique certitudinem illis dedissent, & quot approbassẽt signa, tot sacramenta instituissent. Superest igitur, vt constitutum sacramẽtum illius status sub determinato signo fuisse à Deo traditum dicatur, & aliorum in oppositum argumenta diluamus.

Satisfit obiectis.

56 Assertionem primã conturbant primo auctores oppositæ sententiæ auctoritate Gregorij in vestibulo capitis citata; qua valuisse apud veteres solam fidem pro paruulis, & pro adultis sacrificij virtutem indubitanter asseuerat: sed illi obicem posuit Scotus *loco cit.* dicens nomine

so-

solius fidei non nudum habitum sumi, sed habitũ protestatum aliquo actu externo: nec valet replica Soti dicentis fore tunc, vt nullum esset discrimen inter remedium paruulorum, & adultorum, quod certè externo actu exhibebatur, quod est contra Gregorium absolutè distinguentem remedium paruulorum à remedio pro adultis; non valet, inquam, quoniam adhuc distinctio valida est, pro paruulis siquidem fides

Argumẽtum primum diluitur.

protestabatur vel ore, vel aliquo offerentis actu; pro adultis autem protestabatur sacrificio, verbum igitur illud, *sola fides*, dictum puta à Gregorio ad distinctionem fidei, & sacrificij simul; porrò in adultis & erat fides protestata externo actu, & erat sacrificium; pro paruulis autem sola fides protestata actu externo sine sacrificio, sed actus ille externus fuisse sacramentum potuit. Hanc nostram, quæ Scoti est, benignam verborum Gregorij interpretationem, sin minus benignè ferre volunt aduersarij, neque nos aliquam ipsorum feremus interpretationem ad *Augustini* verba aperto satis sensu sacramentum in illum statum inuehentia, quæ supra retulimus. Porrò in hunc sensum Gregorij sententia explicata maximopere nostram cõfirmat assertionem primam, si quidem si quod valet apud non baptismus, apud illos valuit fides externo signo protestata; certè cum apud nos baptismus ex opere operato gratiam causet, & peccatum originale deleat, & proinde verum sit sacramentum nouæ legis; & in illo statu protestata actu externo fides originale deleuisse ex opere operato peccatum, & sacramentum extitisse dicenda est, quod petimus, immò asserimus præfato prænunciato.

Argumẽtum secũdum.

57 Conturbat secundo ratione Vasquez assertionem nostram; quia quod neque ex scriptura, neque ex patribus elicitur, voluntariè profertur in hac disputatione, in qua tamen, nec vnum de eo sacramento apud scripturam, & Patres verbum quidem.

Nullius ponderis.

58 Respondetur tamen ex Patribus non obscurè sacramentum illius status ab *Augustino* cognitum, cuius authoritatem supra retulimus; qui & rationem accommodat, ob quam putandum est sacramentum illud à scientia silentio inuolutum; ait enim Augustinus, *quamuis quod illud esset aliqua necessaria causa scriptura latere voluerit*, quæ verba ab ipsomet Vasquezio citata adducendæ præfatæ rationis contra nostrum assertum laborẽ vtiq; suspendere debuissẽt. Adde apud Logicos argumentũ ab authoritate negatiua tã leue esse, quam leuius nihil.

Argumẽtum tertium Sotij.

59 Tertio. Conturbat Sotus improbabile censens potuisse hoc sacramentum inter dispersas in vniuersum orbem familias, ac gentes diuulgari, & proinde inanem eius institutionem esse.

Nullum omnino.

Respondetur tamen famam esse, qua non velocius aliquid ex Poetis, vt quid igitur fieri non poterat vt traditum Adamo remedium in succedentes ab eo propagines per parentum monita succederet in rei tanti ponderis, quanti erat animi salus?

Rationes contra secundum assertum. prima.

60 Assertum secundum hæ rationes vellicãt, prima quia sacramẽta illa nec futuram, nec præsentem significassent gratiam; non quidem futuram, quia hoc agunt sacramenta ex institutione diuina, quæ tunc temporis nullo tradito in scripturis mandato fieri non potuit, nec præsentem; quia gratiam ex opere operato conferre solius sacramenti nouæ legis est proprium.

Secunda.

61 Secundo, quia nulla sacramentorum pro illo statu necessitas appitet; non quidem pro paruulis, pro quibus aliud constitutum est sacramentum; neque pro adultis; quia ex opere operantis poterant sibi peccata dimitti merere.

Occurritur primæ.

62 Occurrendum primæ, vtramque potuisse significari gratiam à sacramentis ijs, præsentem quidem; quia cuiusque sacramenti proprium est gratiam ex opere operato conferre iuxta doctrinam inferius tradendam, futuram vero, quia etsi lex nulla apparebat scriptis, mandata tamen per reuelationem Dei dari, vel data fuisse nulla ratio negare potest.

Satisfit secundæ.

63 Secundæ vero occurrendum; quia pro adultis, qui quamuis alio modo saluari potuissent, non obinde congruentiam sacramentorum tollere debemus è medio: nam in hoc statu alio modo saluari possemus; Deus enim nulli signo suam potestatem alligauit, ita tunc temporis, vt tutior esset salus tutioribus ex opere operato gratiam causantibus vti remediis necessarium fuit.

Argumẽta Fabri, & Suarezij.

64 Quicunque cum Fabro, & Suarezio alicui familiæ peculiare sacramentum tribuebant, pro scuto oblationem habebant Melchisedechi, quam passim patres sacramentum vocant, vt Augustinus *Epist. 91. ad Innocentium*, vbi panem illum vocat Dominicæ cenæ sacramentum, &c. *Ambrosius lib 4. de sacramentis capite vlt.* & Clemens Alessandrinus *lib. 4 strom in fine*, dicens Melchisedech dedisse

Oblatio Melchisedech fuit sacrificiũ non sacramentum.

disse in nutrimentum panem, & vinum sanctificatum in typum Eucharistiæ, &c. Sed quod pertinet ad Clementem, is certe panem illum dumtaxat vocat typum sacramenti, non sacramentum, & ceteros patres quotquot illam oblationem sacramentum dixerunt, quæ nam ratio cogit, fuisse de sacramento in pressa significatione locutos? Certè Scotus oblationem illam sacrificium vocat, non sacramentum, quod pariter intellexisse patres dicendum est, latius sacramenti nomen vsurpando, quatenus, & ad sacrificia significanda dilatatur, quo etiam sensu Ecclesia in Canone oblationem illam sacrificium vocat.

AN PRO LEGE SCRIPTA ALIquod verum sacramentum fuerit, & quodnam illud?

CAP. IV.

65 Argumenta, quæ generatim necessitatem inuehunt sacramentorum post lapsum, maiorem habent pro hoc statu efficaciam, quam pro statu legis naturæ; quoniam status hic, qui proximè euangelico accessit dilectum Dei populum Iudæorum, à gentibus segregatum comprehendit, qui, si minoribus, vel æqualibus donatus fuisset cũ antiquæ naturalis legis hominibus remedijs ad salutem, dilecti populi nomenclaturam inanem habuisset; probatio namq; amoris exhibitio est operis, veteri prouerbio; aliquod igitur sacramentum pro originali peccato fuisse in hoc statu extra controuersiam est; at numquid illud circumcisio fuerit, necne, postulandum est: insuper, an illa instar sacramentorum nouæ legis ex opere operato valuerit, maiorem habet difficultatem: demum, an sola circumcisio sacramentum illius temporis fuerit; dubitatione non caret; hasce difficultates sequentibus articulis ventilabimus.

AN CIRCVMCISIO SACRAmentum legis veteris fuerit ad hunc curandi originale finem instituta.

ARTIC. I.

66 Circumcisionem scriptæ legis sacramentum non fuisse facilè quispiam ex tempore institutionis eius dubitaret, quod 400. circiter annis legem à Deo in Synai monte antecessit, vtpotequam Deus primo Abrahæ illam dedisse in præceptum legitur *Gen.* 17. Verum difficultatem hanc è medio tollit Scotus, *d.1.q.6.littera A.* aiens, ex hoc dumtaxat deduci, circumcisionem non fuisse sacramentum præcisè legis scriptæ; sed etiam partis legis naturę, quam tamen lex scripta confirmauit, vt patet *exod.12.& leuit.etiam* 12. fortasse tamen; & aliquis citerior infra apparebit huic dubitationi faciendi satis locus; nunc verò ex eius institutionis fine, an sacramentum fuerit metiamur; est enim sacramentorum finis collatio gratiæ, & peccati remissio iuxta sacramentorum qualitatem, quędam enim originale, quædam actuale delent: hic de originali dumtaxat loquimur.

Gen. 17
Scotus
exod. 12
leuit. 12

67 Philo in primis Iudæorum disertissimus libro, quem peculiarem de circumcisione inscripsit quatruplicẽ instituẽdæ circumcisionis finem memorat. Primum, vt facilius carbunculi morbus curaretur, qui in præputiatis maiorem habet locum. Secundum, vt puriori corpore sacerdotale exequerentur officium. Tertium, quia pars circumcisa cordis similitudinem habet, nam vti cor est principium animalis, ita pars circũcidenda est principiũ generationis. Quartũ, vt maiori fœcunditate præditi essent Iudæi absque præputii impedimento.

Causæ instituta circumcisionis ex Philone

68 Hisce quatuor finibus, quos ab Hæbreorum Rabinis sese accepisse testatur Philo, duos ex cerebro addit. Primum, vt circumcisione carnis denotaretur amputatio voluptatum futura. Secundum, ad circumcidendum arrogantiam, exitialem animi morbum, quoniam hominis præputiati confidcrantes à se homines generari, Deum auctorem negligebant.

Hæbreorum aliqui, quos sequitur Abulensis *in cap. 17. Gen.* alium ferunt finem, nimirum, vt præcisione præputi

Opinio Hæbreorum, & Abulensis

cir-

concupiscentia debilitaretur. *Alij* hoc factum putant ad tollendam temporum

Cur in ea parte data circumcisio.

consuetudinem venerandi partem illam, cui consuetudini subscripsisse se Ægyptios notat Diodorus *lib.* 1. & in Italiam irrepsisse testis est Augustinus *lib* 8 *cap.* 21. *de Ciuit.* & locum etiam apud Hæbreos habuisse, elicitur *ex* 3. *Regum cap.* 15. vbi commendatur Rex Asa, quippe qui matrem suam amouit, ne esset Princeps in sacris Priapi, & Simulacrum turpissimum confregit.

Opinio Iosephi hæbrei.

70 Iosephus *lib.* 1. *Antiquitatum*; quem secuti sunt Chrisostomus *hom.* 39. *in Gen.* & Theodoretus *quæst.* 67. *in Genesim* ad distinguendum Hæbreum populum à gentibus potissimum circumcisionem institutam esse putant.

71 Inter Scolasticos etiam grande litigiū de hac re reperies; quamuis enim omnes consentiant, qua putant circumcisionem ad originale peccatum delendum fuisse

Varia Scolasticorum placita.

institutam, attamen aliqui hunc finem secundarium instituendæ, ac institutæ circumcisionis assignant; primum enim putant distinctionem populi Hæbreorum à gentibus. Praterea alij hunc secundum finem circumcisionis ventilantes æstimant non ad gratiam conferendam eundem referri debere; sed ad originale delendum dumtaxat; alij vero ad vtrumque simul; sed contra peccatum originis primario, secundario ad dādam gratiam, & hanc quidem non ex opere operato; sed ex opere operantis: alij autem ex opere operato dari gratiam per circumcisionem, & simul remissionem peccatorum originis credunt; ita diuersis in diuersa sententijs difficultatem præsentem augent Scolastici.

72 At nos vero nostram, & Scoti sententiā aperiemus statim; prænotando aliud

Obseruatio notabilis.

esse quærere, cur data fuerit circumcisio, aliud vero, cur data in ea parte; vt præputium amputaretur; & primum quidem præsentis est instituti, secundum vero nostra quærere non interest; hinc, qui vtramque quæstionem in vnam, eādemque redigentes confundunt hallucinantur; & si igitur finis aliquis instituendæ circumcisionis in parte illa esse queat fecunditas generandæ prolis, vel cautio à carbunculi morbo, qui frequens à Medicis extimatur in illa parte probabilis; quemadmodum de medicorum potius, quam de Rabbinorum consensu loquitur Philo, & si ad circumcisionem cordis denotandam, & simul ad amputandam superbiam in parte illa data queat dici circumcisio, vt idem methaphoricè loquens autumat; hi tamen fines nimiū tropū sapiunt, nec pri-

Præceptū circumcisionis bis datum.

marij sūt vllo modo; primarius autē eius institutæ finis à Deo instituente metiendus est; qua propter obseruandum, circumcisionis præceptum bis datum, semel quidem *Abrahamo* eiusque familiæ *Genesis* 17. iterum autem Hæbreis omnibus *Leuitici* 12. & vtroque loco statutam octauam ab ortu diem Circumcisioni præscribit Deus, in Genesi quidem aiens *Infans octo dierum circumcidetur in vobis &c.* & in Leuitico; *& die octauo circumcidetur infantulus*; quod dictum volui, vt nonnullorum euellam cauillum existimantium loco leuitici citato diem dumtaxat fuisse prescriptam; cum tamen vtrobiq; præscribatur dies; porro de fine eius Genesis dumtaxat memoratur, dum dicitur *Masculus, cuius caro præputij circumcisa non fuerit, delebitur anima eius de populo suo.* Verba hæc si aperiantur finem quoque circum-

Explicatur locus Genes. 17.

cisionis aperient; aperire autem valde difficile est concertantibus in eorum lectione Patribus: Augustinus quidem multis in locis, & præcipue *lib.* 5. *contra Iulianum citato cap.* 18. *sub initio*, ac sub fine *cap. & lib. de Nuptijs, & concup. cap.* 11. secundum præfatum sensum, quem vulgata lectio habet, verba præferens præceptum circumcisionis ad paruulos potissimum datum, pænamque inflictā non circumcisis esse æternam damnationem, verbis illis denotat, *peribit anima eius de populo suo*, & cum in eadē Genesis auctoritate subinfertur; *quia pactum meum irritum fecit*; pactum hoc citatis in locis Augustinus non ad pactum inter *Abrahamum*, & Deum cōstitutum intelligit referendum; sed ad pactum, quod primo Deus pepigit cum homine in principio creationis; quando Adamum alloquens dixit *de omni ligno*

Augustini intellectus

comedes &c. de ligno autem &c. non comedes, in quacunque enim hora comederis morte morieris &c. quod autem de hoc pacto pæna illa intelligatur, *Augustinus* probat; quia alioquin aliorum peccato puniretur infans, nimirum peccato parentum circumcisionem negligentiū, cum tamen à Deo dictum sit, Filium non portaturum iniquitatem parentum.

73 Adde tu quod *loco citato* dicitur; *quia pactum meum irritum fecit*; quæ verba cum sint indefinitè tradita in hunc modum scilicet, *quia pactum meum irritum factum est &c.* patentissime non ad adultos pro arbitrio, sed ad solos infātes in-

circumcisos referenda sunt: adde insuper in huius Augustini sententiæ firmamentum de facto ostendisse Deum, perniciem totam rituram in infantem, & proinde ex infantis peccato infligendā pœnam iuxta præfatum textum, *filius non portabit iniquitatem &c.* quoniam exodi 4. Angelus Dei occisurus erat Moysis filium, quem circumcisione à Matre præuentum non occidit, quod si pactum Dei irritum fecisset mater. quo iure plectendus erat morte natus, & non mater?

Quid pacti nomine intelligatur.

74 Hisce igitur coniecturis non leuibus nominē pacti in auctoritate præfata lex prima à Deo Adamo tradita intelligitur, cuius præuaricatores in vno præuaricatore Adamo facti sunt omnes, sitque loci Genesis sensus. *Damnabitur anima pueri incircumcisi, quia contra pactum ab omnibus initio à me constitutum originis suæ peccato irritum habet.* quo sensu finem circumcisionis indubitanter deletionē originalis esse concludit Augustinus. Iustinus autem martyr, aliique ex Patribus, quos imitatur Caietanus *in comm. Genesis cap. 17.* præceptum illud ad solos adultos reuocant, quibus pœnam deperit ex anima loco illo comminatur Deus dum dicit, *peribit anima eius de populo suo;* eius, inquam, *adulti,* qui vel propriam, vel infantium suorum neglexerit circumcisionem. Ansam autem ità opinandi tribuunt Græca, & Hæbrea lectio verborum illorum, quæ actiuè leguntur, nimirum, *Masculus, qui non circumciderit carnem præputij sui peribit anima eius; &c.* & ita verba illa legit Ambrosius cum paraphrasi Caldea: verba etiam subsequentia hanc opinionem confirmant, aiunt enim, *quia pactum meum irritum fecit, &c.* pactum, inquam, aliud idem; quod toties memoratur in illo capite; hoc est legem, violauit circumcisionis, quæ violatio ad solos refertur adultos, siquidem paruuli se circumcidere non poterant.

Augustini mens Iustini expositio.

Ambrosii ex pr... ratio.

75 Atque ita in intellectu illius comminationis à Deo traditæ concertant auctores, quorum dubitationi adde nonnullorum coniecturam, qui peritionem illam non ad æternam damnationem, sed vel ad pœnam corporeæ mortis, vel ad segregationem præputiati à circumcisis, quasi præputiato anathema diceretur, detruant; & ad pœnam quidem corporalis mortis deriuari posse patet in facto Angeli, qui *exodi 4.* occisurus erat Moysis filium, nisi mater statim accelerasset circumcisionem. Fateor imprimis locum illum Genesis maximis vrgeri dubiis, & obscuritate inuolutum.

Quorundam sensus.

76 Ego autem dicam quod sentio, salua sanctorum reuerentia, ac tutiori sensu, dnsiusculam interpretationem Augustini reor circa nomen *pactum,* quod de pacto primo inter Deum, & Adamum intelligit, & verbis illis, *quia pactum meum irritum fecit, &c,* intelligit infantem obuiam iuisse pacto de non comestione pomi in horto voluptatis, & perinde de peccato originali, etenim cum toties pactum illud à Deo memoretur ibi, semperque ad significandam circumcisionis legem feratur, vtpote cum dicitur, *ponam pactum meum tecum, &c.* & rursum. *Hoc est pactum meum, quod seruabitis, &c. Circumcidetur, &c.* quibus dilucide patet nomine pacti intellectam esse legem nouam, non antiquum pactum, certè si in illa comminatione pactum ad significandum præceptum Adamo traditum sumatur, nimis æquiuocè nomen idem auctor eodem in loco sumpsisset;

Auctoris sententia de nomine pacti.

77 Verum Augustinus veritus est nomen pacti vsurpare, eius igitur vice vtitur nomine testamenti, & legit hunc in modū; *quia testamentum meum irritum fecit, &c.* vnde *lib. 16. de Ciui. Dei cap. 27.* ex libr. Ecclesiastici testamenti vocabulum de primo præcepto interpretatur; sed nomen pacti, ac testamenti verbo tenus differunt in scripturis, si apposite sumatur; nam, & ipsa noua lex, & vetus testamentum dicitur nouum, vel vetus, quod idem est, ac pactum vetus, vel nouum; testamentum tamen dicitur, quia quasi mentem ad obseruantiam testatur: nec refert Augustini replica *loco citato* dicentis, quod quoniam non dicit, *quia pactum meum irritum fecit, &c.* sed absolutè dicit, *quia pactum irritum fecit, &c.* liberum est dicere, & intelligere de illo testamento, & pacto dictum, cuius irritatio pertinere possit ad paruulum, &c. non refert, inquam, quia etsi liberum, non tamen ad rationem liberum, dedecere autem videtur idem nomen ad plura significanda eodem in loco vsurpatum, neque priuatio particulæ *hoc,* ad rem facit, nam vna vice dempta, nusquam illo pronomine vsus est in illo capite; quia nimirum semper eodem modo loquens de pacto specificationem citeriorem abundare cognouerat. Præterea, vt quid impedit, quominus asseramus irritationem legis circūcisionis ad paruulum posse spectare? Certè ita irritum facit pactum non

August. pro eodē pactum & testamentum sumpsit.

Testamentum vnde dictū.

im-

implens illud; quam qui in se impletum non videt, vnde paruulus, qui non baptizatus hac tempestate decederet irritum fecisse diceretur pactum illud. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c,* irritum quidem fecisse, non quia se baptizari noluit, vel non permisit, sed quia baptizatus non est, irritum quidem fecisse, non agendo, vel actione, sed priuatione, quemadmodum irritum quis diceretur facere pactum de vnctione extrema, qui vel sua, vel aliena negligentia non vnctus decederet. Quod si quis dicat; ergo iniuste periturus tunc fuisset paruulus, quia non sua, sed aliena negligentia irritaret pactum.

Obiectio tollitur 78 Respondeo particulam illam, *quia* fin adducta Genesis auctoritate, quæ est redditiua causæ, non reddere totalem causam peritionis infantis, sed aliquam: porro duplici de causa non circumcisus infans periisset, & quia remedio caruisset quæ est potissima ratio, & quia legem nō obseruasset, quia circumcisio necessitate vtraque necessaria erat, præcepti videlicet, & medij, de quibus necessitatibus infra dicetur; Ast stat hæc potissima causa voluntaria est, quia nulla eius ibi mentio habetur.

Tollitur alia obiectio 79 Respondeo ex primis verbis præcepti de circumcisione haberi hanc causam, finem vtpote necessarium institutionis eius. Est enim lex ibi, & præceptum *Circumcidetur in vobis omne masculinum* (en præceptum passiuum pro paruulis) *& circumcidetis carnem præputij vestri* (en præceptum actiuum pro adultis) *vt sit* (nota verbum, *vt sit*, quod indicat finem, ob quem circumcisio datur) *vt sit* (inquit) *signum fœderis inter me, & vos, &c.* sed cuius fœderis, nempe pacis, nisi eius, quæ per circumcisionem habetur, pacis, inquam, quæ ex deletione peccati originalis habenda erat, carentes enim ab Abraham descendentes remedio ad salutem nusquam sub diuino fœdere futuri fuissent, hoc est, nusquam amici Dei, innodati vtpote originali culpa, futuri fuissent nisi circumcisione sumpta. En potissima causa circumcisionis instituendæ, quam non suscipientes adulti, & paruuli irritum finem fecissent, & de hoc fine pactum Deus iniuit cum Abrahamo, ita vt circumcisi fœderis habituri essent signum, incircumcisi verò non essent habituri fœdus illud, ac pacem cum Deo, & proinde cum dicit, *delebitur anima illa, &c. quia pactum meum irritum fecit, &c.* secundariam causam assignat; sub qua continetur primaria, nam quale pactum fecit irritum, nisi illud de quo supradixerat, *Hoc est pactum meum; circumcidetur, &c,* at illud pactum erat datum, vt fœdus iniretur; seu, vt deleto originali peccato amici Dei fierent ab Abramo descendentes; ergo ex vna causa peritionis altera infertur, & ex secundaria deducitur prima. Fateor secundo interpretationem Augustini de pernicie filij Moysis ob circumcisionem neglectam *exodi* 4., quam ipse Augustinus tradit *Epist.200. contra donatistas* scribens Maximino Episcopo, his verbis. *Quid signaculum iustitiæ fidei tantum in illo tempore valuit, antequam Domini euacuaretur aduentu, vt infantem filium Moysis Angelus præfocasset, nisi mater, accepto calculo circumcidisset puerum, &c.* *Augustini interpretatio videtur parumper dura* non satis contextui Exodi quadrare, vbi loquens auctor de Moyse verba Dei portare renuente Euaenisit, quod cum Moyses esset in itinere in diuersorio, *occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum, &c.* Sed quem *eum* (ego inquam) nisi Moysem, cuius meminerat? nam filij adhuc nulla fuerat facta mentio, nisi *num.20.* sub nomine plurium his verbis. *Tulit ergo Moyses vxorem suam, & filios suos; &c.* mentio autem vnius, vel alterius filij nulla ibi: porrò, si Moysis filios occidere voluisset Dominus, textus legeret, *volebat occidere eos,* non *eum:* quarè verba illa ad Moysem melius, quā ad filium referenda videntur: vnde ipsemet Augustinus *quæst.6. ex veteri testamento*, sententiam mutans retur Deum voluisse occidere Moysen ipsum, non autem filium Moysis; non quidem ob neglectam filij circumcisionem, sed quia in Ægyptum, vndè debebat cæteros educere, vxorem, & filios secum ducebat. *Alia interpretatio Augustini*

80 Hic reclamare audirem pro priori Augustini responso certantes Recentiores, Bellarminum *in expos. Psal. 131.* Pinedam *super illud Iob cap. primo Nudus egressus sum de vtero matris meæ nudus reuertar illuc*, Riberam super illud *Amos 4. hæc faciam tibi Israel.* Mendozam *in 1. lib Reg cap. 3. nu. 8.* Lorinum *in expos. Psal. 86.* Prophetas vt plurimū locutiones internas cū externis continuātes relatiuum consueuisse ponere sine antecedente. Sic *in psalm. 86.* dicitur *fundamenta eius in montibus sanctis* cum tamen non præcesserit aliquid, ad quod illa particula *eius* referretur. Sic in *psal. 137.* dicitur *Ecce audiuimus eam in ephrata* *Sensus Bellarm. Riberæ Pinedæ, & Mendozæ*

&c. idest, arcam Dei, de qua tamen nulla præcesserat mentio sic *Amos 4. hæc faciat tibi &c.* vbi quid sibi velit pronomen *hæc* non exponitur. Sic Iob 1. *Nudus reuertar illuc.* Idest, in sepulchrum, de quo tamen mentio nulla præcessit, sed potius vteri, in quem certè reuerti non poterat Iobbus. Ita in re nostra dum *exodi 4.* Dominus volebat occidere eum, pronomine illo, *eum*, nihil præterea intelligitur nisi Moysis filius de quo, & si nulla præcesserat memoria intelligendus est locus, quia de pueris non circumcisis *Genes.* 17. dicebatur. *Masculus, cuius caro præputij circumcisa non fuerit peribit anima eius &c.* peritionem scilicet ad corpoream mortem referendo. Obtundetem tamen reclamationes vt voluntariis nedum suppositа nostra circa locum illum exodi intelligentia, sed quia pæna hæc temporalis ab intellectu loci illius fuit satis explosa.

Amos 4. *Iob. 1.* *Exodi 4.* *Gen. 17.* *Obuiam itur Recentibus.*

81 Neque par est de loco illo, & alijs ab aduersantibus adductis coniectura; quia Iob, *Amos*, David Prophetæ Prophetarum more in auctoritatibus adductis loquentes potuerunt vtique relatiuum absque antecedente ponere, quod etiam fecit Ezechiel in principio suæ reuelationis. *Et factum est in trigesimo anno &c.* vbi particulam, & coniunctiuam vsurpauit, quamuis nihil adhuc dixisset, nimirum, Gregorio interprete *lib. 1. hom. 2. in Ezechielem,* quia hoc verbum, & quod foris protulit illi verbo, quod intus audierat coniunxit.

Ezech. 1.

82 Atqui Moyses quamuis prophetes *in cap. illo exodi* Historicum se gerens, Historico more progressus est, nec istis indiguit in enarrandis Israelitici populi itineribus loqui licentijs. *Adde*, quo iure plectendus erat morte corporea filius ob patris negligentiam? Demum loca illa adducta à Recentibus nec connexionem cum antecedente desiderant, nam quod spectat ad *psalm. 86.* patenter ibi Ciuitas Dei exponitur, dum Sionis fit mentio in eodem versu, quod non euenit *cap. exodi citato*, vbi post plura filij circumcidendi fit memoria: locus *psalm.* 131. explicatione non indiget, cum totus psalmus sit graduum ducentium ad sancta sanctorum ad venerandam Dei *Arcam*: locus item Iobbi explanationem pati posset de vtero matris, idest, de terrâ ipsa, vnde quasi ex vtero educimur; & è qua nudi idest inopes efficimur, & nudi, hoc est, egentes reuertemur. Demum locus *Amos* relatiuũ *hæc* nõ sine antecedente cõstruit, quoniam postquam innumeras calamitates recensuit, has, quidquid Ribera dicat, (est enim patentissimus locus) Israeli imprecatur. Quod si dixerint, vt de facto obijcit Mendoza *ibi*, hunc etiam esse historiæ morem, vt antecedens cum relatiuo desideret, nam *Ioan.* 20. Maria Magdalena hortulanum, vt putabat, allocuta; *Domine*, inquit, *si tu sustulisti eum dicito mihi &c.* vbi per pronomen, *eum*, Christum Dominum intellexit, cuius tamen adhuc nõ meminerat.

Explicantur loca à Recentibus adducta. *Ribera reijcitur.* *Obiectio Mendozæ.*

83 *At* pace Mendozæ dixerim, obiectio debilis est; nam non Magdalena historiam, sed Ioannes contexuit, is autem non ex historico more, sed ex dictis illius mulieris relata referens scripsit: porro mulier illa nimia amoris vi acta, quẽ ipsa semper cogitabat, nullum alium ignorare credens, Gregorio Magno teste, *hom. 25. in Ioan.* ita fuit effata, & perinde is loquendi Magdalenæ modus non ad Hæbream loquendi phrasim, sed ad amoris vim referendus. Constituamus igitur iuxta litteralem loci illius *exodi 4.* sensum, particulam illam, *eum*, non ad Moysis filium, sed ad Moysen ipsum referendam. Ex hoc exodi loco ansam arripuerunt alij asserendi pænam mortis indictam fuisse adultis non circumcidentibus paruulos suos, dum *Genesis* 17. dicitur, *delebitur anima eius de populo suo*, quia Angelus voluit Moysen occidere, quia pueros suos nondum circumciderat; ita loquuntur Lyranus, & Caietanus, & nouissime Barradius *in expos. 4. cap. exodi lib. Itinerarij filiorum Israel.* Horum tamen responsum triplex mihi videtur committere erratum: primum circa intellectum verborum illorum de morte corporali: Secundum solum adultis comminatum fuisse Deum: Tertium negligentiam circumcisionis filiorum in causa fuisse, vt Angelus mortem minaetur Moysi.

Responsio *Locus Ioan. 20. explanatur.* *Opinio Lyrani, Caietani, & Barradas.* *Tripliciter deficit.*

84 Et primum quidem erratum patet, quia morem gerentes scripturæ nouimus deletionem ad perditionem referri; vnde Moyses Dominum deprecatus aiebat, *aut parce Domine populo huic, aut dele me de libro vitæ &c.* & Regius psaltes in psalmis, *deleantur*, inquit, *de libro viuentium*, propterea vnanimi Hæbrei omnes, vt Glosa notauit, firmauere consensu, pænam illam de morte corporali non esse intelligendam; siquidem nusquam pæna illa punitos incircumcisos legimus; cum tamen multi sibi Hæbreorum fecerint præputia, vt patet in libris Ma-

Ostenditur primus defectus.

chab.

chabeorum.

85 Secundum erratum patet; nam nisi æquiuocè loquatur auctor Geneſis de paruulis etiam locutus dicendus est, postquam enim dixerat. *Infans octo dierum circumcidetur &c.* ſubdidit, *Masculus, cuius caro præputij &c.* Adde propoſitionem illam æquipollere huic. *Nisi quis renatus fuerit &c.* vtraque enim indefinitè traditur; quare ſicut nefas eſt de ſolis adultis baptiſmatis præceptum intelligere, ita & circumciſionis mandatum pro ſolis intelligere adultis voluntarium eſt.

Patefit secundus.

86 Tertium denique erratum oſtenditur, primo, quia circumciſionis neglectæ, vel præputij in illo capite exodi memoria nulla; quare minas Angeli intentatas ob neglectam circumciſionẽ Moyſi libere dicitur; præſertim dum aliæ ſuppetunt comminandi cauſæ; etenim in primis Tertullianus *lib. aduer. Iudeos non longè ab initio,* cenſet id factum, vt populus non aſpernaretur præceptũ circumciſionis videns exemplum in Ducis ſui filium celebratum; propterea Deum minatum Moyſi mortem, vt filij circumciſionem acceleraret. Secundo dubitabundus Moyſes de mente Pharaonis diuinum exequi renuebat mandatum; quo circa iratum illi Dominum legimus in illo capite: fieri igitur potuit, vt Deus illi timorem timore expelleret; nempe timorem hominum timore Dei, vt egregie locum illum interpretatus eſt Theodoretus. Quod ſi dicas; at Sephora cur ergo circumcidit puerum ſuum? reſpondeo, fortaſſe Sephora & Moyſes paciſci potuerunt, vt in Aegiptum ingreſſi filios circumciderent; Angelo autem comminante mortem arbitrata mulier ſecuturã mortem mariti dixit, *Sponſus ſanguinum tu mihi es,* hoc eſt, *duplici ſanguine tu me maritas, tuo, quem effundet Angelus; filiorum, quem effundo ego, vt tu antequam oculos claudas circumciſos videas filios.*

Enucleatur 3. dupliciter.

Tertull.

Obiectio, & reſponſio prima.

87 Vel ſecundo, & melius, præceperat ſingulariter Deus Moyſi, vt ingrederetur Aegiptum 3. *cap.* & præceptum repetit *cap. 4.* dicens *perge, & ego ero in ore tuo.* Nolens; vt ſecum filios, ac vxorem duceret; Moyſes autem, vel natorum, ac mulieris amore, vel timore ne exitus ex Aegypto nimium differri poſſet, tulit vxorem, & filios, & impoſuit ſuper Aſinum, & reuerſus eſt in Aegyptum &c. ita legitur *cap. 4. num. 20.* quamobrẽ iratus Dominus occurrit illi in itinere, & voluit eum occidere; quam Dei iram ſagax Sephora agnoſcens circumcidit in mariti faciem filium ſaltem vnum, vt & is Circumciſionis eſſet teſtis de filio ſuo, alterum forte alibi circumciſura, & dimiſit eum ad patrem ſuum regreſſa, interim quaſi filij ſtomacata cruorem dolori iunctum ob circumciſionem maritum alloquens dixit *Sponſus ſanguinũ tu mihi es &c.* quaſi diceret, en cogor tecum maritata ſanguinem filij mei effundere.

Reſponſio 2.

88 Secundo oſtenditur erratum tertium, quia ſi ob neglectam circumciſionem mors indicta fuiſſet Moyſi ab Angelo, vt quid Angelus mortem, quam minabatur, non impleuit, cum præceptum Circumciſionis in altero filio non fuerit impletum? Certè plures ſecum Moyſen duxiſſe filios habetur ibi, *tulit Moyſes vxorem ſuam, & filios ſuos &c.* Sephoram Moyſis vxorem alterum tantum circumcidiſſe natum docemur his ibi verbis. *Tulit ergo Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui &c.* filij ſui, inquit, non filiorum ſuorum. Quod ſi dixeris alterum fuiſſe circumciſum. Vtique inquam, ſed quando tibi eſt opus: vt quid enim altero incircumciſo abibat? Aies, prohibente ſocero circũcidi, ita enim poſt Targum reſpõdet Barradius: ſed inſtare licebit; cur ſocer alterum circumcidi permiſit homo, ethnicus, & Idolorum ſacerdos? Rurſum aies vxorem prohibuiſſe forte infirmo altero filio, ſed vt gratis loqueris gratis refunderis.

Enucleatur 2. 3. defectus.

89 Hæc igitur videtur mihi germana loci illius expoſitio, quam tradidimus, quia caſu quodam in illum locum incidimus, & ad intellectum auctoritatis Geneſis adduci neceſſarium fuit, quo pateret uerbis illis, *delebitur anima eius de populo ſuo, &c.* corporalis mortis pœnam non fuiſſe indictam.


Conſectaria ex dictis.

90 Qui autem uerbis illis inflictam fuiſſe anathematis pœnam putant, facilius corriguntur; quia ſeparationes iſtæ legales ſunt; hoc autem præceptum legem 400. circiter annis anteceſſit.

91 Hiſce igitur notatis non tam aliorum expoſitiones improbauimus, quam noſtram expoſitionem indicauimus. Arbitramur enim indefinitè præceptum datum, vt tam paruulos, quam adultos necteret: arbitramur inſuper pœnam de perditione æterna intelligendam: arbitramur pacti nomine legem circumciſionis, ſeu præceptum intelligi: arbitramur denique finem circumciſionis expreſſum illis verbis; vt ſit in ſignum

Dictorum epilogus.

fœderis



fœderis inter me, & vos, &c.

Statuitur circũcisioné fuisse verũ sacramẽtũ.

89 Hisce decursis asserendum. Circumcisionem verum sacramentum legis fuisse, ad originale peccatum delendum primario institutum. Assertio, qua parte circumcisionem sacramentum fuisse constituit non multum difficultatis habet, qua vero astruit primarium finem eius originalis culpæ deletionem fuisse, singulos scolasticos habet Aduersarios etiam è Scoti doctrina: pars igitur prima probatur ex illo loco Geneses, quem in superioribus abunde cribrauimus, cuius auctoritatem tanti facit Ambrosius *Epist.* 84. si eius est illa Epistola, vel saltem Prosper; cui adscribitur, vt propositionem illam, *Masculus, cuius caro præputij, &c.* æquipollere censeat huic, & eandem vim habere cum hac. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* & non obscure eam indicauit Innocentius 3 *in cap. Maiores*, dicens, quod: etsi originalis culpa remittebatur per circumcisionem, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perueniebatur ad regnum, &c. Estque hæc perpetua Beati Augustini sententia sexcentis in locis, at præcipuè in citatis supra *Epist.* 200. *contra donatistas*, qua non alio nomine, quam sacramenti circumcisionem memorat, & *lib.* 5. *contra Iulianum adductio*. Nec ratio deest. Hominibus sub legem degentibus remedia Deus omnia ad salutem necessaria credendus est accommodasse. at deletio originalis culpæ requirebatur necessario ad salutem; ergo quidpiam ad eam instituisse Deus dicendus est.

Ambrosius epist. 84

Augustin.

Probatur assertio quo ad primã partem.

90 Minor euidens est ex primo illo Adami errato, quod singuli perpetrantes sententiam subiuere æternę mortis. *Terra es, & in terram ibis*, & rursum *morte morieris, &c.* vnde Paulus, *per vnum hominem*, inquit, *peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*, peccatores autem absque peccati deletione salutem adipisci, nouum est omnino.

Scripturę loca

91 Maior probatur, quia nullo tempore Deus humanum genus sine necessario remedio ad salutem destituit ergo multo minus tempore scriptæ legis; etenim legem Deus dedit Hæbreis, vt eius obseruantiæ merito salutem adipiscerentur æternam; at sine originalis deletione peccati nusquam vitæ æternæ participes fuissent; ergo & deletionis illius remedium tribuit; hoc autem omnium consensu fuit circumcisio, iuxta illud Genesis, *Masculus cuius caro, &c.* quare censenda est circumcisio verum contra peccatum originis sacramentum.

Probatur secunda pars asserti.

92 Altera vero asserti particula suadetur; tantum siquidem sacramentum secundario ad gratiam conferendam institutum asserere, est planè primariam sacramenti rationem ab eo tollere; quinam est enim alius sacramenti præcipuus effectus, nisi gratiæ collatio? hic igitur si secundario ab ipsa circumcisione donabatur, fuisset ipsa, vt ita dicam, sacramentum ex accidente, & secundario, & hoc multo magis dimicat contra Suarezium, & alios, qui putant paruulis Masculis valuisse adhuc legis naturæ remedium, quo dato sacramentum aliquando dumtaxat, & non semper fuisset circumcisio; quod nihil ineptius dici potest; cum supra probatum sit esse de ratione sacramenti, vt sit certum, ac determinatum signum efficax, hoc est, vt semper secundum se gratiam conferat; dummodo obicem non ponat suscipiens.

Contra Suarez

93 Adde, eodem sensu ab Ambrosio, seu à Prospero intellecta verba illa Gen. 17 *Masculus &c.* ac illa verba *Ioan. 3. nisi quis renatus, &c.* si ergo per illa secundario institutam circumcisionem putes ad originalem culpam abluendam, & secundario putandum est tibi baptisma contra peccatum originis institutum, quod cum fide non bene olet; nec sequela improbe deducitur; sicuti namque circumcisione distinguebatur Iudæus à Gentili populo, sic baptismate fidelis Christianus à non Christiano distinguitur, neque enim ex quo in carne cicatricem habebant Iudæi dicendi sunt distincti à Gentibus magis per circumcisioné, quam per baptismum Christiani à non Christianis, qui externo nullo charactere diuersi sunt; neque enim ad sui distinctionem partem illam ostendere turpem necesse habebant Hæbrei.

Corollaria ex dictis.

94 Ex hoc asserto elicere potest sensatus quiuis, quod si primario ad deletioné culpæ instituta est circumcisio, & primario ad dandam gratiam instituta dicenda est, vnde indiscriminatim de vtroque effectu loquuti sumus; cuius ratio est; nam quidquid sit de Dei absoluta potestate, de ordinaria certe, ac de facto peccatum non tollitur sine gratiæ infusione. Elicere potest secundo memoratos in articuli initio fines, vel tropũ sapere, vel à longinquo sensu peti; nullus enim talis in ipsa Genesis narratione tangitur finis, sed ij, quos memorauimus, nempe, vt esset signum fœderis in-

ter

ter Deum, & Hæbreos, vtque nō periret anima masculi de populo, qui duo idem sunt; licet alter positione, alter negatione expressus sit; diximus enim signū illud fœderis nullum fuisse præterea, nisi iustificationis, vnde & Paulus Rom. 4. vocat circumcisionem signaculum iustitiæ fidei, hoc est, quod Genesis ait, signaculum fœderis, quod per iustifica-tionem cum Deo initur.

Auctoritates sanctorum in oppositum præcipue Pauli.

95 Verum assertionis propositæ veritatē conturbare videntur Sanctorum PP. placita, quæ Faber, ac Suarezius congerunt, quorum vna est confessio Circumcisionem ad distinctionem populi traditam Iudæi, non ad conferendam gratiam; eliciturque ex Paulo Rom. 3. vbi sciscitans vtilitatem Circumcisionis ait, *quæ vtilitas circumcisionis*? & Respondet, *multum per omnem modum: primum quidem quia credita sunt illis eloquia Dei, &c.* quibus nedum flocci circumcisionem facit, sed primo illam institutam retur Paulus in signum; quo cognosceretur populus a Deo dilectus accepisse diuina eloquia; & quod mirabilius est, ait Paulus hanc esse primam circumcisionis vtilitatem; sed nusquam secundam memorat; proinde factum puta; quia hæc prima, & vltima ab eo censetur circumcisionis vtilitas, vt scilicet per eam populus Dei dignosceretur.

Rationes Aduersariorum.

96 Adde rationem, quia sacramentum contra originis peccatum; summè necessariū est; at hoc circumcisionis sacramentum necessarium non fuit; ergo neque verum censendum est contra originis culpam remedium. Maior patet, nam peccatum illud in paruulis per internum motum bonum, qui nullus esse potest, deleri non potest, ne igitur decedentes pereant sacramentum necessario exquirunt. Minor probatur primo, quia nullum aliud de eo præceptum habemus nisi *Genes.* 17. quod tamen soli familiæ Abrahami datum est, vt patet. Adde quod per 40. annos in deserto vagātes Hæbreos circūcisionis vsū non habuisse legimus, toto ergo illo temporis circulo, qui decesserunt masculi perijssent, quod falsum est ex omnium sententia. Quod si dicas vsurpasse tunc sacramentum legis naturæ. Hoc ego improbans asseram; ergo circumcisio non fuit sacramentum necessarium currente cum ea alio sacramento. Adde insuper sacramentum necessarium cuique æstimari tale; sed fæminis necessaria non fuit circūcisio, absolutè igitur necessaria nō fuit.

Satisfit obiectis.

97 Hisce tamen conuictus à sententia neutiquā recedas, sed obsiste singulis; sanctorum quidem PP. placita venerando asseras vtique in signum circumcisionem institutam, sed non primo, nisi in signū fœderis præexplicato sensu: & si qui Patres gratiam ab illa conferri negant, responde, ac cense loquutos Patres collatiuè ad baptismū, qui maiorē, quā circūcisio gratiā cōfert. Pauli aūt auctoritas, quæ maximum Recentibus facessit laborem, nullum facessit mihi: Interpretes enim omnes ex prauo eius intellectu laborant arbitrantes Paulum verbis illis. *Multum per omnem modum; primum quidem quia &c.* primariā institutæ circumcisionis vtilitatem metiri; sed hallucinantur egregiè; duo enim in principio illius capitis postularat Paulus, alterum, quid Iudæus vltra Græcos haberet? alterum, quæ circumcisionis vtilitas? vtrique autem quæsito facturus satis occurrit primo dicens, *primum, quia credita sunt illis eloquia Dei &c.* Hoc est, primum, quod quæritur, multum est; etenim Iudæo credita sunt eloquia Dei, & data est lex; quomodo autem lex sine operibus non iustificet, longo sermone toto illo capite prosequitur; Paulus 4. vero capite alterum soluturus dubium habet; quod Abraham accepit circumcisionem signaculum iustitiæ fidei &c. quare illa particula *primum* apud Paulum non est redditiua causæ primariæ vtilitatis circumcisionis, sed ad primum, quod petebatur reuocanda est: primum autem quæsitū fuit: *Quid ergo amplius Iudæo est?* Alterum vero fuit, *Quæ vtilitas circumcisionis?* & primū diluit tertio, secundum verò quarto capite, & in hunc intellecta sensum Pauli auctoritas ad rem non facit.

Pauli auctoritatis robur exponitur.

Diluuntur argumēta

Circumcisio quando præcepta.

98 Ad rationem concessa maiori minorem negamus; etenim & circumcisio necessaria fuit instar baptismi, cuius extitit typus; vt egregiè *loco citato* docet Augustinus: & ad primam probationē occurrendum repetitum circumcisionis præceptum *leuit.* 12. his verbis, *& die octauo circumcidetur infantulus &c.* nec non *exodi* 12. dum præceptum Deus tradens; de Agni Paschalis esu iussit omnes vernaculos, & emptitios etiam seruos circumcidi, & quoscumque peregrinos in Iudæorum coloniam abire volentes circumcidi præcepit; reijciens incircumcisos ab esu agni: quæ igitur circumcisio prius soli Abrahami familiæ in mandatis est tradita *Genesis* 17. ad cæteros deinde fluxit Hæbreos *exodi* 12. & *leuit.* etiam 12. vbi octauus ad eā præscri-

scribitur dies. Scio nonnullos grande litigitium etiam gerere de familia *Abrahami*; an scilicet circumcisionis præceptum filios dumtaxat legitimos vxorum descendentes; an vero & filios ancillarum comprehenderit, & cum maxima coniectura putare exclusos filios ancillarum; vnde descendentes Ismaelis, & Esau à præcepto circumcisionis liberos fuisse putant; sed certè præceptum illud & seruos, & emptitios, & quoscumque descendentes comprehendisse Genesis locus aperte declarat, *circumcidetur ex vobis omne masculum in generationibus vestris, tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, & qui non fuerit de gente vestra &c.* porro quod non in Ismaele, neque in Esau semẽ Isaacci, & Abrahæ vocatum sit, vt Paulus ait *Rom. 8. & 9.* vnde coniecturam præfati auctores trahunt exclusos illorum descẽdentes à circumcisionis precepto; quia Genesis dicitur Abrahæ *statuã pactum meũ inter te, & me inter semen tuum post te, in generationibus suis fœdere sempiterno &c.* ad rem non facit, quia pro semine *Abrahami*, & Isaacci intellexit Paulus electionem descendentium illorum, è quibus originẽ traxit Beatissima Virgo Christi Mater, deque Christo ventoro pactum illud inierat Deus cum descendentibus ex Isaacco, & ex Iacobo; non tamen descẽndentibus ex Ismaele, & Esau: aliud ergo pactum cum ijs, & istis inijt Deus *loco Genesis citato*; nimirum pactum de benedictionibus; de venturo Messia, & habitatione terræ promissionis, quod pactum *Genesis 17.* traditur à *numero 3. vsque ad num. 9.* sub quo pacto non includebatur *Ismael*, neque Esau; aliud autem pactum, seu legem statuit circumcisionis *num. illo 9. vsque ad 15.* quod singulos comprehendit, vnde habetur ibi, *& tu ergo custodies pactum meum &c.* quasi diceret, tot, tantaque tibi promisi &c. hoc vnum seruare interim debes; *& semen tuum post te in generationibus suis &c.* hoc est, seruare debes tu, & filij tui omnes: aduerte particulam illam; *in generationibus, & generatione &c.* sed hæc ad rem non faciunt.

Circumcisio an data pro filijs Ancillarũ Abrahami

Pactum Dei cum Abrahamo duplex.

99 Ad aliã cõfirmationẽ de neglecto circũcisionis mãdato per 40. annos in deserto; nõ vno sensu respõdent omnes. Græci Patres cum Theodoreto *q. 2. in Iosue*, & Damasceno *lib. 4. de fide* censent Iudæos absque vllo peccato per id temporis circumcisionem omisisse, suspendente illius obseruantiam Deo pro illo tempore, pro quo adinuicem congregati Iudæi nullam necessitatem habebant gerendi signi distinctionis à gentibus. *Abulensis in cap. 5 Iosue* omissam sine peccato circumcisionem censet ob necessitatem itineris, & incertitudinem viæ: Deo enim ad nutum populum ducente non poterant circumcisi iter agere absque aperto vitæ discrimine, sequuntur hanc sententiam Faber, aliique Recentes, & ante eos tradiderat eam Alensis *quæst. 7. mem. 6. art. 1.* qui tertiam addit rationem, vt dilata ad terram promissionis circumcisio designaret genericam criminum circumcisionem necessariam esse ante cælicam beatitatem promissam; quæ ratio nimis mystica est.

Diluitur quæsitum, an in deserto peccarint Hæbrei non circumcidentes filios.

Opinio Abulensis, & Fabri.

100 Iudeorum aliqui relatore *Abulense* id factum rentur; quia per quatraginta annos Boraes non flauit, sed Australis ventus, sub cuius imperio vulnera circumcisionis periculosa erant. *Augustinus quæstionum super Iosue quæst. 6. quæ habetur in lib. 6. quæstionum veteris testamenti*, peccasse parentes non circumcidendo paruulos arbitratur pro illo tempore; ait enim contempsisse circumcidere, quod inobedientes erant legi *Dei*.

Insana Iudæorum speculatio

101 Vasquezius *disp. 164.* cui subscribit Lugo *disp. 5. num. 78. sect. 4.* censet ex præcepto *Dei* volentis in pœnam incredulitatis parentũ reliquisse incircũcisos filios. Et hæc ratio parum à S. *Augustini* ratione distat, nisi quod hæc non explicat, an peccarint Hæbrei illo tempore non circumcidentes paruulos suos, nec ne; Augustinus vero patenter eos peccasse ostendit; & videtur esse ratio in textu *lib. Iosue* vbi causa adducitur celebris illius circumcisionis in colle præputij; quia mortui erant omnes circumcisi egressi de Ægipto in deserto, populus autem in deserto natus per 40. annos incircumcisus fuit, donec consumerentur, qui non audierant vocem Domini, & illi, qui nati fuerãt in deserto in præputio manserunt omnes, nec eos in via aliquis circumciderat.

Opinio Vasquezij, & Lugo.

102 Ego me Augustino subscribo hac ratione, quia, vt certè conuincit Abulensis *loco citato*; lex tradita obligabat vbique Hæbreos; licet circa modum, ac ritum dispensationes aliquæ locum in deserto habuerint. Ratio autem Græcorum Patrum non placet; quia ij supponunt ad distinctionem Iudæi populi dumtaxat circumcisionem fuisse institutam, quod an verum sit paulo antè monstrauimus.

Auctor sequitur interpretationem Augustini.

103 Nec Abulensis explanatio arridet; nã

etiam

etiam in itinere Sephora infantem suum circumcidit *exodi* 4. Adde quod adultis quidem, qui proprijs gradiebantur pedibus, obesse vtique potuisset circũcisionis vulnus; nam propterea Iosue 5. legimus mansisse circumcisos in eodem castrorum loco donec sanarentur, at infantulis non ita, qui vel cunis, vel parentum deferebantur brachijs; non enim lethale vulnus per circumcisionem accipiebant. Quæ autem ab *Hæbreis* dicuntur fabulosa censeo.

Auctoris opinio.

104 Arbitror igitur lethaliter à parentibus filiorum circumcisionem omissam in pænam peccati murmurationis contra Deum; porro peccatum quandoque esse peccati pænam norunt Scolastici; verosimile autem putarim nullos paruulos incircumcisos occubuisse in deserto; quia nullo illi voluntario crimine obnoxij erant dempto peccato originali nisi asserere mauis in parentum etiam peccatorum penam aliquos è natis incircumcisos obijsse iusto Dei iudicio; quo etiam nunc multos permittit inbaptizatos decedere infantes, & permissionem alterius sacramenti voluntariam reor; quod per circumcisionem pro paruulis euacuatum crediderim; pro fæminis autem non ita; sed validum fuisse sacramentum legis naturæ: neque obstat quod pro maribus aliquod sacramentũ profuerit; pro fæminis non item, quia nunc etiam pro viris valet ordinatio; pro fæminis non item; quæ non sunt idoneæ ad recipiendum ordinationes personæ; per hoc patet ad vltimam confirmationem.

Tollitur instantia de necessitate octaui diei ad circumcisionem.

105 Demum si petas, erat ne ita decretus pro circumcisione octauus dies, vt præueniri, vel postponi nullo modo posset circumcisio? Et certè rationes ob quas octauus circumcisioni decretus fuerit dies assignant Patres Chrisostomus *hom. 39. in Genes.* & Augustinus *lib. de Nuptijs, & concup.* & *lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 19.* etenim octauus numerus perfectionis est iuxta numerum beatitudinum: vt ergo beatitatis tunc designaretur infans capax, octauus illi ad circumcidendum decernebatur dies, qui ob infantis nimiam teneritudinem præueniri non poterat, nec beatitatis præuentus significatiuus fuisset.

106 Sed ad huc superest dubiolũ, esset ne de eius essẽtia ille dies; ita vt nec differri, nec præueniri circũcisio posset? Cõmunis opinio est citra culpam præueniri non potuisse, nec differri; sed adhuc auctores concertant; an verum fuisset circumcisio sacramentum præuenta, vel dilata? sunt enim qui dilatam, & præuentam negent fuisse sacramentum, & ij proinde octauum diem ad eius essentiam reuocant. Sunt qui præuentam dumtaxat velint sacramentum non fuisse, ita Vasquez *3. part. quæst. 70. artic. 3. disput. 163. capit. 2.* Sunt qui sacramentum fuisse velint, licet illicite datum, ita Richardus *dist. 1.* Ouandus *proposit. 13.* & Palud. *q. 5. art. 3.* Et qui citra culpam hoc fieri non potuisse putant, conuincuntur hac coniectura; nam si præueniri potuisset circumcisio, hoc potissimum puta fuisse, ne infans male se habens, sine sacramento decederet; at hæc causa nulla; tum quia suppetebat aliud sacramentum; tum etiam, quia infantibus male se habentibus mortem circumcisionis vulnus præstolatum fuisset.

Vasquez, Richardus, Ouandus, Paludanus.

107 Vasquez autem hoc fundamẽto innititur. Eatenus circumcisio sacramentũ erat, quatenus pactum, & fœdus erat inter circũcisum, & Deũ sed non fuisset pactũ, neque fœdus ante octauum diẽ; ergo nec sacramentum. Minor est euidens; Maior habetur *Genesis 17. hoc est pactum meum, quod obseruabitis*. Ioannes à Lugo vtramque sententiam sibi statuit amplectendam, & quæ validum, & quæ inualidum; nam qua circumcisio sacramentum erat legis scriptæ, non erat ante octauum diem valida: qua poterat seruire pro materia sacramenti legis naturæ, scilicet pro signo expressiuo fidei parentum valida erat.

Argumẽtum Vasquij, & Ioannis à Lugo sensus.

108 Ego nullam opinionem propositã approbare possum, & contra communem quidem reor necessitate impellente differri, vel præueniri potuisse circumcisionem. Ratio est, quia temporis circumstantia est quid extrinsecum, & accidentarium legi cuicunque de sacramento circumcisionis, & quocunque alio, quod in sua essentia includere tempus decretum nouum est; quare si quam temporis circumstantiã postulat, ex præcepto postulat: necessitate autem impellente dispensatur positiuum præceptum, quod non obligat pro semper, vt norunt Scolastici; ergo & necessitate vrgente differri, vel præueniri ante octauum diem circumcisio poterat.

Iudicium Auctoris

109 Præterea multos legimus adulta ætate circumcisos, vt patet de familia Abrahæ, & de populo in deserto; ergo ex præcepto dumtaxat præscribebatur dies octauus, qui & de facto fuit dilatus, vt patet locis citatis; ergo commu-

Ratio Auctoris.

nis opinio falsa, quæ eatenus vera esse potest, quatenus sine causa quispiam voluisset circumcidere ante, vel post octauum diem infantes.

110 *Diluitur fundamentum aduersæ partis.* Nec ratio pro illa opinione cogit; nam non ita lethale vulnus circumcisionis erat, vt mortis esset celerius inductiuũ; adde quod si periclitabatur infans; satis erat seruare animum, quam corpus, quod immediatè non occidebatur; sed & nunc temporis videmus infantes morti proximos debere baptizari, quamuis aqua non satis ægroto infantis capiti salubris sit, sed humiditatis, ac frigoris inductiua obtundere caput queat, cuius rei rationẽ affert Scotus *d.5.q.3.* quia hæc præsumptio est leuis, & non certa, & magis vnusquisque tenetur diligere vitam æternam proximo, quam vitam temporalem, neque aliud, vt diximus supra tunc suppetebat remedium pro paruulis.

111 *Soluitur argumentũ Vasquij* Ad rationem Vasquezij *Maior* est falsa. Minor est incerta; incerta hæc quidẽ, quoniã fœdus illud, ac pactũ regulariter seruandum proponitur, & necessitate cogente, dispẽsatio dari potuit, vt datam legimus locis citatis. *Maior* autem falsa est; nam non eatenus erat sacramentum, quatenus erat pactum; nunquam enim circumcisio fuit pactum, sed ex pacto, seu lege data, vt iustificarentur infantes; seu vt cum Deo fœdus inirent per originalis peccati deletionem, quam etiam dilato, vel præuento die assecuta fuisset, vt diximus. Sed & Ioannis à Lugo sententia displicet; *Occurritur Lugo* quia supponit circumcisionem potuisse esse materiam sacramenti legis naturæ; cum tamen vt dictum est, instituta circumcisio, & lege sancita sacramentũ illud legis naturæ pro masculis Hæbreis euacuauerit; aliquin abundantius erga Hæbreos se Deus gessisset, quã erga Christianos quibus solum baptismũ pro deletione originalis culpæ constituit remedium; cum ex Lugo sententia duplex præstitisset remedium contra huiusmodi noxam apud Hebræos.

112 *Cur in ea parte circũcisio* Cur autem in ea parte data fuerit circumcisio? Vide Sanctum Thomam *3.p.q.70.art.3.* immo vero vide Bernardum *serm.2. de circumcisione Domini* cõstituentem in ea parte factum de circumcisione præceptum; quia sola illa pars contumax adeo est, vt contra omnem voluntatis deliberationem resiliat. Singulæ tamen rationes decidunt, cum à priori nulla sit ratio, nisi diuina Institutoris voluntas. Cauendus tamen est Magister sent. *disp.1. littera R.* arbitratus inter cæteras rationes in parte illa præceptum datum; quia in ea culpam inobedientiæ primus homo sensit; vnde decuit, vt ibi signum obedientiæ acciperet. Cauendus est, inquam; quia inobedientiæ culpam non in ea parte, sed in gutture sensit *Adamus*; nisi forte culpam pro pœna, effectum pro causa sumpsit Magister, quia reuera in parte illa inobedientiæ pœnam homo sensit; quæ est ratio Bernardi adducta. Ex ijs, quę sermone quã lõgissimo decucurrimus hoc vno articulo patet solutio ad aliorum argumenta, quæ studio breuitatis missa facimus.

AN CIRCUMCISIO EX
opere operato valuerit.

ARTIC. II.

113 *Triplex responsum ad quæsitum* MAgistri sententiarum, Varronis Scoti præceptoris, & aliorum, quos refert Faber *disp.3.cap. etiam 3.* opinionibus missis; Trifariam licet articulo proposito facere satis, vel affirmando, vel negando, vel partim vtrumque ponendo. Affirmant autem Scotistæ cum Magistro Scoto *in 4. d. 1. q. 6.* Negant Thomistæ cum *S. Thoma 3.p.q.62. art.6.* Inter vtrosque medium se statuit *Suarez Lugo* Suarez *disp 10. sect.2.* qui affirmandum quandoque, quandoque negandum autumat; & in adultis quidem negandum, quia gratiam in ijs ex opere operantis conferebat, in paruulis autem, in quibus tale operantium opus nullum erat, affirmandum statuit circumcisionem ex opere operato gratiam contulisse, & originale peccatum deleuisse.

114 Lugo etiã intermediũ se oppositæ opinionis cõstituẽs *d.5.sect.3.* duo statuit asserta; primũ, circumcisionẽ ex sui institutione nullam habuisse vim tollendi originale peccatum, sed solum datam in signum, & characterem Iudaici populi. Secundum est, regulariter paruulos per circumcisionem iustificatos. Duo hæc, quæ videntur pugnare ad inuicem asserta, explanatione conciliat; quia debebant parentes ex vno capite applicare paruulis suis remedium ad expiationem peccati originalis. Debebant ex alio præcepto *Abrahæ* intimato, & Moysis lege sancito paruulum octauo die circumcidere; vtrique obligationi satisfacic-

ciebant per vnicũ actũ circũcisionis parẽtes; quã assumebant, vt insignũ, & vt in remedium; vnde infert *sect. 4.* necessario expostulatam fuisse in parentibus circumcidentibus paruulos suos fidem; quod ante ipsum statuerat Palatius *q. 5.* Canus *relect. de sacr. parte. 5.* & Cardinalis Bellarminus *lib. 2. de sacramentis cap 13.* Henriquez, & alij. Infert secundo, circumcisionem non fuisse necessariam ad iustificationem paruulorum pro Abrahæ posteris. Infert tertio, pro adultis circumcisionem non habuisse valorem, quod ante dixerant Canus *loco citato*, & Suarez *disp. 10.*

Palatius, Canus, Bellarminus, Henriquez.

115 Disputatio præsens in vniuersum à superiore dependet; cum enim ratio sacramenti, vt infra dicendum est, in eo sit sita, vt gratiam suapte natura ex opere, scilicet, vt vocant, operato pariant, profectò si circumcisio sacramentum statuitur antiquæ legis verum, ex sua vi dicenda est gratiam causasse, & originale peccatum deleuisse, quod .n. originale delere potuerit; gratiam autem conferre non potuerit, vt perperam nonnulli sibi persuasum habuerunt; de facto impossibile est; quoniã inter filiũ Regni, & filiũ perditionis de facto mediũ nõ datur; vnde Lucæ 11. dicitur, *qui non est mecum contra me est*; at si circumcisio peccatum originale deleuisset, & gratiam non contulisset, homo ille simul filius perditionis fuisset, quia gratia Dei destitutus fuisset, & filius regni, quia nulli fuisset peccati obnoxius: immò è contra dicendum est primario à sacramento illo gratiam elargitam, quam peccatum remissum, quod ægregie probat Scotus *loco citato litt. H.* Quoniam agens perfectum ex intentione primo perfectionem intendit, quam imperfectionis remotionem, seu carentiam imperfectionis; at Deus perfectissime agens ex ratione agit; operatur enim omnia ex sua voluntate; ergo instituendo circumcisionem prius gratiæ collationem, quę perfectionem dicit, intendit, quam peccati remissionẽ, quę imperfectionis remissionẽ significat: hæc Scotus, cuius ratio fortasse difficultatem pati posset ab Aduersarijs; quia in Scoti sententia ordo intentionis est ordini executionis contrarius; quare si intendit primo gratiam, quam delere peccatum, sequi ex ratione videbitur, quod in executione prius peccatum abstulerit, quam gratiam contulerit; incolumis tamen ab hac censura redditur hæc ratio, obseruando pronunciatum illud Scoticum ordinem intentionis esse ordini executionis contrarium; locum habere in directione mediorum ad finem: in eius enim gratiam Scotus aiebat ordinatè volentem prius velle finem, quam media; quia scilicet in opere priorem locum habent media, quam finis; quæ difficultas in re nostra locum non habet, quia peccati remissio, & gratiæ collatio non se habent ad inuicem tamquam finis, & media ad finem. Reuertendo autem ad institutum ex superiori dilucidatione articuli solutio huius tota deriuatur.

Argumentum Scoti validum

Instantia contra Scotum tollitur.

116 Asserendum igitur, absolutè per circumcisionem gratiam fuisse collatam, & peccatum dimissum ex sua vi. Assertum probatur, quia hæc fuit verum sacramentum, de cuius ratione est gratiæ collatio ex sua natura; porrò si ex opere operantis illa valuisset dumtaxat, signum illud externũ tam stricto à Deo mandato traditum inane fuisset, quod falsum esse nemo non nouit. *Assertionem* hanc patentissime tradidit Magnus Gregorius *4. moralium cap. 3.* virtutem eandem tribuens mysterio circumcisionis, ac baptismo, illi quidem pro lege Moysis, huic autem pro lege Christi; at ex opere operato remittitur peccatũ originale per baptismum, ergo & per Circumcisionem pari pacto, alioquin collatio nulla. *Augustinus* etiam locis supra citatis, & præcipuè *lib. de nupt. & concup. in calce cap. 11.* habet. Ex *quo enim instituta est circumcisio in populo Dei, quod erat tunc signaculum iustitiæ fidei, ad significationem purgationis valebat, & paruulis originalis, veterisque peccati, sicut etiam baptismus ex illo valere cæpit, &c.* Hæc ille, quibus apertissime eundem vtrique sacramento Augustinus uim tribuit. Hoc etiam Innocentius tertius indicat *cap. Maiores*, cæterique Patres passim. Et confirmatur primo; quia da oppositum; ergo toto illo tempore nullus de remissione peccati originalis certus vel modicum fuisset; etenim si opus operantis spectandũ erat; sciscitor cuius nam operantis, numquid circumcidentis, an circumcisi? si circumcisi opus desideras operans; is inprimis non operari, sed pati dicebatur, infans præsertim; præterea adde væ infantibus, in quibus operatio nulla; si circumcidentis; ergo si qui infidelis circumcidisset, is circumcisus, ex quo sacramenti virtutem non recepisset desiderato opere operantis bono, si ad Hæbreos transijsset, ne periturus esset de populo iterum circumcidendus erat; quod

Assertio principalis.

Probatur ex Greg.

Ex Augustino

Ex Innocentio.

Et ratione

August. cōtra donat.

quod præterquā quod impossibile est; quoniam amputato semel præputio, quid amplius circumcidendum esset, non remanebat; est etiam contra Augustinum *cont. donat. Epistola* 200. vbi docet quod si voluisset Samaritanus, qui etiam circumcisionis mysterio vtebatur ad Hebreos transire, debuisset iterato circumcidi, quamuis prima illa circumcisio à Samaritano facta dicatur, qui erat Hæbreorum hæreticus, vel quasi infidelis iuxta illud Seruatoris Ioan. 4. alloquentis Samaritanam mulierem; *Vos adoratis, quod nescitis; Nos adoramus, quod scimus.* Immo hoc principio vtitur Augustinus ad improbandam rebaptizationem ab Hæreticis inuentam; ex qua doctrina elicitur multo minus requiri meritum bonum circumcidentis, vel alterius ministri; dum ab Augustino neque ipsorum requiritur fides; etenim fides absque operibus meritorijs esse potest; at opera meritoria fidem supponunt; eliciuntur enim à voluntate per gratiam; gratia autem fidem supponit.

An Samarita transiens ad Iudæos deberet iterum circumcidi

Responsio Vasquez

117 Hæc ratio validissima est; propterea aduersarios, nescio in quodnā diuerticulū reduceret. Vasquez quidē uim eius euitare satageret aiendo circumcisionē ab infideli nihil ualiturā; proinde circumcisū talem denuo circumcidendum; erat enim lex 12. *exodi* peregrinos omnes ad Hæbreos transire uolentés circumcidendos esse: Insuper Epiphanius, cui maior fides habenda est, quam Augustino, quia Epiphanius erat natione Iudæus; Augustinus non item; Epiphanius inquam *in lib. de mensuris, & ponderibus* docet Samaritas ad Hæbreos transeuntes rursum circumcisos, & è contra iterum circumcisot Hæbreos transeuntes ad Samaritas, & exemplum cuiusdam Symmachi, qui interpretatus est scripturam adducit, qui à Samaritanis, quorum se etiam profitebatur transiens ad Hæbreos iterum se se circumcisioni subiecit. Neque hoc impossibile est secundum Epiphanium, & Vasquezium; etenim præterquam quod instrumento aliquo hoc factum ab illis putant; arte etiam medica excrescere præputium posse putant; unde Machab. 1. *cap. etiam* 1. nequam plures Iudæi fecisse sibi præputia leguntur: sed hæc opinio Vasquezij, qua parte Augustini sententiā contēnit, censura non caret; quamuis enim Epiphanius aliquam auctoritatem, fidemque faciat, illum tamen Augustino præferre, non sine censura potest Vasquez,

Reijcitur Vasquezij responsio vti nimis licentiosa

cumque fuisse Iudæum non probat maiorem illi adhibendam, quam Augustino fidem; immo oppositum conuincit; ex quo enim Iudæus fuerat Epiphanius, vt circumcisionem suæ gentis multifaceret, ita potuit fuisse locutus, nisi mauis illum in Hæbreorum ludibrium ita sensisse; nec locus exodi Vasquezij sententiæ fauet; siquidem lex illa supponit aduenas Hæbreizare volentes circumcisos non fuisse; proinde circumcidendos præcepit, vt pascalis agni esum participarent. Locus etiam *Machab.* 1. perperam à Vasquezio interpretatur; auctor enim libri illius Hæbreorum à recto tramite decedentium errores patefaciens; quosdam illorum fecisse sibi præputia monet, hoc est non se circumcidisse, vel non circumcidisse infantes suos, vt gentium more illos educarent: interrogati namque à nobis medici, an arte preputium duci possit, & renouari? Responsi loco, & vice riserunt, vt de re quasi impossibili.

Epiphanius non præferendus August.

118 Si quispiā pro Vasquezio litem agens petat, quid ergo Phænicibus alijsq; gentibus, quæ se circūcidebant teste Epiphanio *heresi* 30, & Ambrosio *Epist.* 77. actū ne de illis erat, qui non Iudæorum more, sed ex quodam ie vsu circumcidebant? Respondemus, si gentes illæ intenderunt agere, quod Hæbrei gerebant erga paruulos suos, esse & nonnullorum opinionem, vt Suarezij, & Fabri, in fide illa iustificatos, seu in intentione illa Ecclesiæ, quæ tunc temporis apud Hæbreos vigebat, seruatos infantes illorum; si desiderata fuisset intentio, nihilum egisse. Ego tamen reor simpliciter; siue cum, siue sine intentione agendi, quod agebant Iudei, nisi & se se Iudæos facere vellent, nihilum egisse; ratio est, quia circumcisio data est Hebreis, non autem gentibus, data enim fuit primo Abrahami familiæ, postmodum Hæbreis omnibus, & quicunque eo charactere signabantur, Hæbreorum se legi subijciebant, iuxta Pauli effatum *Gal.* 5, *Testificor omni circumcidenti se; quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ*; proinde circumcisionem suscipientes, vt Hæbrei essent, iustificatos sentio, quia intentionem habuissent faciendi, quod faciebāt Iudæi, nimirum curandi a culpa, & subiiciendi se legi scriptæ, qui autem Iudæorum legem profiteri negligebant, frustra circumcisionem vsurpassent, quæ pro Hæbreis instituta est: neque satis est dicere, quod Deus non est Iudæorum Deus tantum, sed etiam gentium, dubio

Dubitatio de alijs Gentibus se circumcidentibus, & responsio

Galat. 5

enim

enim huic occurrit Paulus, Deum iustificasse etiam gentes, sed alio medio: neque enim lex naturalis vnquam cassa, & irrita facta est ante Christum pro gentibus, pro quibus sacramentum legis naturæ valere potuisset.

Duæ aliæ petitiones enervātur. 119 Sed quid si Hæbrei citrà intentionem circumcidissent paruulos suos? Respondeo, quod pariformiter in hac petitione philosophandum, ac in illa, de qua suo loco; quid, si præter intentionem baptizaret quis paruulum in lege nostra?

120 Postulabis denuo: quid, si Gentilis præter intentionem se circumcidens postea hæbreus fieri voluisset? plane, uel is Hæbreus fieri non potuisset, quod videtur durum; vel iterum circumcidendus fuisset, quod videtur impossibile. Respondeo, vel futurum tunc, vt illi aditus ad Hæbreos non pateret, non solum in pœnam illusæ circumcisionis, sed quia iterum circumcidi non poterat, & circumcisio erat ianua ad legem, qua clausa nemo se legi meritorie subijciebat: vel futurum vt alio medio illum Deus adiuuaret, nisi deletum illi peccatum originale fuisset per sacramentũ legis naturæ, quod si fuisset deletum, ex quo circumcisio suum præsupposuisset effectum, fortè is potuisset fieri Hæbreus habens signum circumcisionis, licet non ad hunc finem. Verum de hisce occultis, quæ à diuino pendent arbitrio quis temere iudicare præsumat? Tutius est asserere, se nihil certi asserere, præter hoc vnum, scilicet, quod per circumcisionem in lege scripta ex opere operato gratia conferebatur. Quod secundo confirmatur, quia sacramenta *Tutior sententia.* causare gratiam secundum Scoti sententiam est esse morales causas, ita vt ijs positis necessario Deus det gratiam, at hoc non repugnat circumcisioni, immo institutioni eius consentaneũ est, quia si incircumcisus periturus erat, à contrario sensu sequitur non periturum circumcisum, at quomodo non fuisset periturus circumcisus, nisi quia circumcisione accepta Deus illi gratiam conferebat? potuit ergo esse causa, qua posita necessario Deus daret effectum. Verum hæc ratio, & asserti huius probatio citerior ex modo causandi gratiã in sacramentis elucescet magis. Interim obsistendum obiectis.

Aduersariorum propugnacula Primum, 121 Coaceruant primo Aduersarij auctoritates scripturæ, quibus exinanitur circumcisionis vtilitas, vtpote apud Paulum *Gal.5.* & *Rom.3.* & *4* & passim: & ad *Gal.6.* quibus, vel sacramenta illa vocat egena, & infirma, uel patenter circumcisionem nihil valere ait, vt patet ad Gal.6. neq. *circũcisio aliquid valet,* &c.

122 Mox coaceruant auctoritates Patrũ, *Secundum* quarum seriem mitto apud Suarezium, & alios legendam, qua statui videtur sacramenta legis ueteris nullam habuisse efficaciam, & specifice circumcisionẽ inanem fuisse.

123 Tertio afferta Concilij Florentini sub Eugenio, & Tridentini adducunt, *Tertium.* quoniam illud statuit in hoc sacramenta nouæ ab antiquæ legis sacramentis distare, quod hæc causant, illa dumtaxat gratiam signabant; Tridentinum uero anathemate plectit asserentes nullam aliam ob causam distare sacramenta noua ab illis, nisi quia sunt diuersi ritus, ac ceremoniæ, &c.

124 Demum ratione lacessunt Nos, quasi *Quartum* uero Christi aduentum exinanire uideamur, eiusque institutionem sacramentorum: omnia tamen vno verbo lata, simiuerbo refelluntur, nam auctoritates Pauli nonnullæ de circumcisione post Christi aduentum loquuntur, vt patet Gal.6 *in Christo enim Iesu neque circumcisio aliquid valet,* &c. quod plane *Diruuntur singula* de fide est. Aliæ generatim de sacramentis loquuntur antiquæ legis, sicuti etiam Patres loquuti sunt, è quorum locutione subtiliores Scolastici circumcisionem eximunt, quæ non erat præcisè sacramentum legis scriptæ.

125 Adde Patres, & scripturas dici posse locutos comparatiuè ad sacramenta nouæ legis, ad quæ collata circumcisio tam modicam ferebat gratiam, vt videatur contulisse nullam; habebat enim certum gradum gratiæ, quem conferret & ita interpretari licet Concilia præfata, quidquid contra de more longissimè prosequatur Suarez *disp.10. sect.2.* Nec ratio valida est, quoniã & sacramenta illa valorẽ habuisse putamus ex Christi passione præuisa, sin minus exhibita, quẽadmodum suo loco dicendum est; non ergo aduentum eius exinanimus, sed pluris, quam Aduersarij faciunt, facimus, dum nedum exhibito, sed etiam præuiso illi virtutem adscribimus: qua autem ratione sacramentum nouæ legis nõ exinanire videamur patet, quia illa ueteris legis collatiuè ad hæc inania diximus.

126 Superesset dubiolum de apertione *Dubiolũ, & solutio ex Scoto.* Ianuæ regni cœlestis, quo munere destituta erat circumcisio. Sed hoc tollit Scotus aiendo non ex defectu circumcisionis hoc factum, sed quia nondum so-

luto

luto pretio ad baptismum hoc munus deuolucbatur; vnde cœli aperti leguntur, cum Christus in Iordane baptizatus est.

AN ALIA A CIRCVMCISIONE Sacramenta fuerint in lege Moysis?

ARTICVLVS III.

Recentiorum lapsus 127 EX prælacta in superioribus doctrina liquet, quam leuiter Recentiores bipartitam faciunt articuli huius difficultatem, velintque primo, an sacramenta alia pro Moysis lege fuerint; secundo, an ex opere operato gratiam contulerint; namque si sacramenta plura ibi fuisse dicas, & gratiam ex opere operato contulisse dicendum est; quia est hæc ratio sacramenti, vt suapte vi gratiam causet; proinde distinctio in hac difficultate de sacramentis propriè, & impropriè dictis superuacanea etiam est; multoque magis inepta partitio in sacrificia, & sacramenta; seu nominis sacramenti in sacramenta vera, & sacrificia; cum hæc sit analoga partitio de qua nihil ad præsens dum vniuoce de sacramento loquimur.

Opinio Magistri, & Scolasticorum 128 Nulla igitur fuisse sacramenta vera in illo statu sensisse videtur Magister sententiarum *in 4.disp.* 1. dum putat in vsu illorum sacramentorum nullam vim extitisse ad causandā gratiam nec ex opere operantis, nec ex operato opere. Subscribunt huic sententiæ cæteri ferè Scolastici longe diuerso principio, quod est, sacramenta debere ex sua vi gratiam largiri; quam vim desiderantia sacramenta illius temporis à vera sacramentorum serie omnino sunt abligenda.

Sententia Vgonis Victorini 129 E contra vera fuisse ibi plura sacramenta, præter Circumcisionem sensisse visus est Hugo Victorensis *lib. 1. de sacramentis p.* 9. cui subscripsisse Alensem, & Sanctum Bonauenturam ait Suarez *disp* 10. *sect.* 3. sed immerito quia is sanctus Doctor, etsi ex opere operato per illa gratiam largitam putet id tamen mutuus gratiæ largiendæ ad futuram fidem reuocat, non ad pactum diuinum, quo assistit signis istis sensibilibus in cau satione gratiæ. Cuiuscu nque tamen sit hæc opinio, illam ex instituto sequitur idem Suarez *disp.* 5. *sect.* 3. qui præter circumcisionem alia vera simpliciter, absolutè, & vniuoce sacramenta in illū statum reuocat; sed & seriem assignat. Quædam scilicet ad expiandum originale correspondentia baptismo; qualis ordinis fuit circumcisio: quædam ad cōseruandos sacerdotes correspondentia ordini nostro: quædam ad participationem rerum sacrarum, qualis erat modi agni pascalis esus correspondens nostræ Eucharistiæ: quædam denique ad expianda actualia peccata correspondentia nostræ pænitentiæ ponit.

130 Ita sensit Suarez; diuerso tamen fundamento ab Hugone; quia is sacramenta illa omnia gratiā ex opere operato dare credēs vera proinde constituit sacramēta: Suarez vero, & si neget illorum vi gratiam collatam, adhuc rationem sacramenti passus est in illis. *Suarezii placitum*

Non est recedendum à priori sententia negante, vera sacramenta alia à circumcisione fuisse in illo statu, quam tangit Scotus *q.6.littera D.* cum Magistro sententiarum, à quo tamen recedit in assignanda ratione; ille namque segregauit sacramenta ab illo statu nullam vim etiam ex virtute operantis gratiæ causandæ in illo agnoscens. Hoc Scotus arguit duplici ratione, primo, quia seruans diuina præcepta in gratia constitutos meretur; at sacramenta illa, seu præcepta illa ceremonialia, & id genus alia seruare in gratia poterant; ergo seruantes merebantur. Maior probatur; quia ratio meriti in eo sita est vt sit opus voluntarium bonum ex charitate elicitum à Deo acceptatum, quæ conditiones poterant non desiderari in actibus illis. *Opinio Scoti.* *Fundamentum primum*

131 Præterea non obseruando præcepta Iudæi peccabant; ergo seruando in gratia nedum non peccabant, sed merebantur; consecutio patet, nam actus ille obedientiæ ad præceptum est actus virtutis, non solum indifferens, sed bonus; propterea obseruantes, & actum illum elicientes ex gratia mereri dicendi sunt. Antecedens probatur, quia adsunt præcepta distinctè comminantia in obseruantibus peccatum, immo damnationem, vnde *Num.* 15. *qui prætererit lustra ri se de aqua prædicta, peribit anima illa de populo suo, &c.* & sic similia. *Alterum fundamentum*

132 Ratio igitur nostra, & Scoti pro parte negante, quam sequimur est, nedum ab auctoritatibus scripturarum, & Patrum, quos supra pro parte negante retulimus articulo secundo, quæ (dempta circumcisione) probant sacramenta illa

illa omnia egena fuisse, quod est dictu gratiam non fuisse largita, sed & ratione, quia Sacramenta antiquæ legis nulla (excipe circumcisioné) ex opere operato gratiã dabant, nulla ergo sacramenta uera: consecutio ex ratione sacramenti ducitur, quod suapte natura gratiam largiri debet ex pactione diuina; antecedens præterquamquod communiter affirmatur à singulis, probatur; quia externa signa gratiam conferre ex diuino pacto, ac beneplacito possunt; atquis diuinum nouit fuisse pactum in iis sacramentis, de quibus nihil scriptura, nihil fides, immo oppositum docere videtur Concilium Florentinum, ac Tridentinum in superiori articulo adductum? & planè hoc vnum censetur nouæ legis priuilegiũ præ cæteris legibus Excellentissimũ, vt sacramentorum præstantia, & numero cæteras antecellat, nec durius actum est cum antiquis Patribus, si Deus illis pro originali delenda culpa remedium præstolatus est; quia ex bono moru cætera delere peccata, adiuuantibus sacrificijs, poterant; non enim tantæ perfectionis legis scriptæ ætas, ac nostra censenda est; Nos enim meritum Christi exhibitum, illa ætas sperabat præuisum; Nos passione Christi oblata Patri potimur, illa futuram sperabat: at plus offert exhibitum, quam præuisum meritum; quare non est cur alia sacramenta vera in illo statu multiplicemus.

Non fuisse alia sacramenta in illo statu ostenditur.

133 Neque in hanc meam sententiam quidquam ponderis adducere aduersę partis sectatores possunt, præter aliquas scripturarum auctoritates; quibus virtus sacramentis illis ad causandam gratiam indicatur; secundum quem modum Patrum nonnulli sanctificationem illis tribuunt; sed his vno verbo obicem pone, aiendo sermonem in ijs non de virtute operis, sed operantis esse, & proinde nullo argumento conuinci rationẽ sacramenti ueram præceptis illis paciscendam, &c.

Quomodo occurrendum Aduersarij.

Quatruplex sacramentum necessitas



AN POST STATV LEGIS GRATIÆ *necessaria sint sacramenta.*

CAP. V.

134 REM cum scholasticis agentes difficultatem propositam; quæ solum Aduersarios habet Hereticos sũmo labio degustamus; sacramenta siquidem esse in hoc statu instituta, & necessaria esse, docet fides in utroque in superioribus citato Concilio. Hic tamen necessitatis vocem ampliando, ac partiendo in necessitatem simpliciter, & secundũ quid, quam & utilitatem aiũt cẽse singula sacramenta necessaria esse aliquo necessitatis gradu vel singulis, vel uniuersitati; uel simpliciter, uel secundumquid; uel præcepti necessitate, uel medij: & necessitatem quidem medij uocamus eam, qua absolutè necessarium quidpiam est ad salutem; præcepti uero necessitatem eam, qua quid non absolutè ad salutem, sed ex præcepto est necessarium, inde deduc, sacramentum baptismi esse simpliciter, & absolutè necessitate medii necessarium, iuxta illud Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in Regnum Dei, &c.* quibus uerbis absolutam medij necessitatem in baptismo reuocat Seruator, & post lapsum pari necessitate necessariam puta pœnitentiam: Eucharistiam autem necessariam puta necessitate præcepti, siquidem eius sũptio particulari Ecclesiæ præcepto saltem pro vna vice singulos in annos iubetur. Confirmationem autem, & vnctionem extremam cense necessaria secundumquid, nempe vtilia sacramenta esse ad roborandum fideles, uel ad concertandum cum peccatis, uel ad uincendum in morte diabolum.

135 Ordinationem necessariam puta, & Matrimonium non singulis, sed uniuersitati, hoc quidem ne pereat humana propago; de quo habetur præceptum, *Crescite, & multiplicamini, &c.* illã verò ad exhibendum Deo celebriori pompa externum cultum. Atqui hactenus de sacramentorũ institutione, ac necessitate, quę duo adamussim quæsitum an sit, quod cęteris præponitur quæsitis, de sacramentorum natura disceptant. Nunc ad cætera descendemus, iuxta præfatã Aristotelis Methodum 2. *de posteriori resolutione cap. 1.* summis verbis.

DE

DE QVIDDITATE SACRAmentorum Methaphysica.

DISPVTATIO II.



QVidddtatem rei duplicem ex duplici capite venantur Scolastici; Methaphisicam scilicet ex genere, & differentia; Phisicã vero per partes, & principia; à quo ordine nõ discedendum arbitrati in hoc opere disputationem presentem de Methaphysica sacramentorũ quidditate proponimus. ex eius genere, ac differẽtia metiendam, quod est dictu disputationi propositam diffinitionem sacramenti, phisicas eius partes in tertiam disputationem reijciendo.

AN SACRAMENTVM diffiniri queat.

CAPVT I.



Opinio Maioris, & Richardi.

1 SAcramentum quoquomodo diffiniri posse nusquam fuit inter Scolasticos dubitatum, cæterum cum diffinitio duplex, altera, quam quid nominis; altera, quam quid rei explicantem vocant, numquid vera præditum sit diffinitione explicante quid rei non vno sensu firmatum est; nam Ricardus *in 4. dist 1. art. 1. q. 2.* & Maior *q. 1.* veram à sacramento diffinitionem ademerunt; proptereaquod diffinibile quoduis vnum debet esse, non multiplex; in sacramento autem plura miscentur; tribus namque potissimum completur rebus nimirum, verbis, & intentione ministri. Alij è contra absolute verã sacramento diffinitionem absq. vlla diuersitatis, aut difficultatis ansa paciscuntur. Alij demum sin minus secundum omnes entis diffinibilis conditiones, saltem secundum aliquas, easdemque potissimas diffinitionem sacramento tribuunt.

2 Scoti sententia nonnullis præfatis aperietur; & primo ex sequenti capite accipiendum est, sacramentum finiri à Scoto, vt sit sensibile signum à Deo institutũ gratiam efficaciter significans ex virtute operis ad salutem hominis viatoris; quo circa ad eius conflandam essentiam plura conspirant, seu plura necessario requiruntur. Primo exposcitur, vt *sit signum*; hoc est, vt aliud in se, aliud præ se ferat; aliud namque ostendit ad extra signũ, aliud significat; quemadmodum digiti ad os positio positionem ipsam digiti ad os ostendit, silentium tamen indici significat; ita sacramentum rẽ vtique ipsam, super quam significatio fundatur ostendit, sed quidpiam aliud significat; signum namque ab Augustino *lib. de doctrina Christiana cap. 1.* finitur, vt sit res speciem ingerens sensibus aliquid aliud ex se faciens in cognitionem venire; hæc autem signi ratio sacramenti propria sacri signi rationem significat, ita vt sacramentum non quoduis, sed sacrum sit signum; nedum quia ad diuinum redigitur cultum ipsa sacramenti cuiusuis ceremonia, sed quia sacram rem significat; vnde communi diffinitione finitur sacramentum, vt sit sacræ rei signum, qua de re infra.

Sacramenti diffinitio ex Scoto.

Signi diffinitio ex Augustino.

3 Exposcitur secundo, vt *sit sensibile quippiam*; quoniam cum humanæ mentis captus imbecilius alio nequeat in hoc statu modo ad inuisibilia subleuari nisi sensuum adminiculari ope, iuxta illud Pauli, *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt &c.* optimo consilio ad insensibilia dignoscenda, quæ per hæc signa significantur, sensibilia sacramenta poposcit; hæc siquidem altera instituendorum sacramentorum necessitas erat, vt eorum adiumento mens imbecilla foueretur ad superna capienda. Noui Ochamum, & alios similis farinæ viros putasse fieri posse, vt sensibilitas non necessario sacramenti essentiam cõflaret; cum etiam mentalis oratio, si Deo placitum esset, gratiam suapte natura dare queat, & sacramenti proinde rationem induere: sed quidquid sit de absoluta Dei potestate, quæ nullis circumplexa legibus eo se, quo vult potest extendere, & factibile quoduis producere, facti tamen, & executi operis methodus aliud nos docet, ac fateri cogit, sensibiles res sacramenti integrare naturam docente Florentino Concilio in decreto pro Armenis, verba, & res addita ministri intentione sacramenti naturam perficere.

Ochami placitum reuerberatur.

4 Exposcitur tertio, vt *sit à Deo institutum*; siquidem cum sacramenti finis

sit ani-

fit animi infirmi salus; omnia namque tradita sunt in remedium, ac medelam, siue curantem, vt baptismus, & pænitentia se habent, siue præseruantem, vt cætera, salusque eadem æterna, non nisi Deo dante queat haberi; insuper cum efficaciam, quam sacramenta ad ferendam gratiam (in id enim muneris sunt instituta) habent ex humanis habere nequeant, diuinum profecto pactum postulant, neque proinde aliunde, quam à diuina institutione propendent. Hæc dixisse ad constitutionem sacramenti crassa quadam, sed necessaria Minerua necessarium fuit, vt aditum ad subtiliora patefaciant.

5 Accipiendum igitur secundo essentiā rei metiri nos posse vel per formalia, vel per materialia; norunt. n. logici, nomen quoduis, vel pro formali, vel pro cōnotato, seu materiali vsurpari posse, & materialiter quidē sacramentū, & formaliter proinde sumendum. Formalis sacramenti ratio in significatione sita est; eo namque sacramentum, quo signum est; Materialis autem elementa rerū, verborum, & effectus producti; exempli gratia, baptismi formalitas in significatione deletionis originalis culpæ, & elargitæ gratiæ collocatur; materialitas autem in ablutione, inque verbis, & aqua, & gratia, ipsa collata: Ex hac doctrina deducito formalitatem sacramenti in nullo positiuo absoluto positam; ratio est, quia cum sit formaliter signum, & signum relationem indicet, relatione consequenter complebitur sacramentum: Deducito secūdo, cum hæc signi relatio ad gratiam non ex positione termini, & fundamenti, sed aliunde consurgat, non esse de genere illorum respectuum, quos intrinsecus aduenire, hoc est, positis extremis consurgere suapte natura necessario Scotistæ arbitrantur; de quibus dictum est nonnihil in logicis, sed ad id relatiuorū spectare genus, quæ extrinsecus adueniunt, hoc est, quæ aliquid aliud præter fundamentum, ac terminum exposcunt, vt in lucem prodeant: vnico exemplo rem palam facimus.

Formalitas, & materialitas sacramenti quænam.

6 Positis parente, ac filio absque vllo adminiculo secundum suam naturam paternitatis respectus inter vtrumque intercessurus insurgit, qui interne aduenire censetur, hoc est, nullo alio indigere auxilio præter fundamentum, ac terminum, vt ortum habeat; positis autem stipula, & igne non statim insurgit incensio, & actio ignis in stipulam, debita propinquitate deficiente, cuius opere futura sequens ignis actio respectus dicitur externe aduenions, hoc est, alieno indigens ad insurgendum adiutorio. Ad rem autem nostram reuertentes dicimus relationem hanc in sacramento ad gratiam non interne insurgere; alioquin gratia posita necessario sacramentum secum perpetuum haberet socium, quod falsum est; quia sacramento transacto remanet gratia, quæ interdum ex interno motu habetur; neque proinde necessario per sacramentum datur. Adde, si sacramentum suscipiens obicem ad recipiendum gratiam ponat, sacramentum ipsum gratiam non conferre, vt suo dicendum est tempore; significatio igitur gratiæ in sacramento ad illorum respectuum genus attinet, qui extrinsecus dicuntur aduenire. Deduc præterea ex hac doctrina, cum audis formale, & materiale, non esse intelligendam materiam, aut formam Phisicam; quia sensus hic ambitum huius capitis excedit, secundum quem sensum verba dicuntur formalia, res autem verba, vt infra. Deduc quarto, relationem signi complentem formalitatē sacramenti non esse relationē realē; quamuis enim inter extrema intercedat realia, nempe inter res, verba & gratiā; quia tamen sensibilia suapte natura nexum illum non habent, sed ex Deo volente dumtaxat; fit vt ad genus realium relationum non queat reuocari; norunt enim Methaphisici ad complendam relationem realem non esse satis, vt extrema realia habeat; alioquin Dei ad Creaturas relatio esset realis, quod falsum est; sed inter cætera expostulari, vt relatio fundamentum consequatur ex natura rei; vnde actio ignis in stipulam ex natura rei competit illi; actio autem signi sensibilis ad gratiam non ita, sed ex Deo instituente dumtaxat.

Doctrina de relationibus.

Sacramento sunt relationes externe aduenientes.

Sunt quoque formaliter relationes rationis.

7 Accipiendum tertio; Rerum diffinitionem, quam præsentis instituti ratio postulat, duplicem esse, quandam propriam, quandam minus propriam; impropriam voco eam, quæ est oratio quācunque rem explicans, siue res illa vera sit, siue ficta; quo pacto, & quæ non sunt, nec esse possunt sub diffinitionem cadunt; vnde rogatus, quid sit Hircocerus? respondebo esse animal à capite quidem ad renes vsque cerui, inde autem

Diffinitio rei duplex propria, & impropria

tem ad pedes vſque hirci ſpeciem ferens, quæ diffinitio Hircoceruum quidem deſignabit; impropria autem diffinitione, quam alio nomine deſcriptionem appellant; cum Hircoceruus nullibi ſit, aut eſſe queat, animal vtpote fi&ctiicium, & Chimericum; Sicut & Chimera ipſa, quam finiunt, vt ſit animal leonino capite, equino dorſo, draconica cauda; quale tamen nullum eſt; niſi ex occaſione cuiuſdam montis huius appellationis, cuius vertex leone, media pars equis, extrema draconibus abundat. Magnæ chimerizandi materiæ.

Fictiones deſcribuntur non diffiniuntur

8 Propriam diffinitionem uoco, quæ veri entis quidditatem deſignat, quæue non vnam, aut alteram, ſed plures ad rem diffinitione donandam conditiones exquirit ſingulas ex Peripatetica doctrina manantes. Porro *Ariſtoteles* hęc pręcæteris de diffinitione eſſata nos docuit: 1. *ſup. cap. 4.* diffinitionē dixit eſse orationem verum eſſe ſignificātem: 7. *Meth. cont.* 11. docuit diffinitionem eſſe primo ſubſtantiæ, ſecundo accidentis, tertio entis per accidens, *& cont.* 16. diffinibile eſſe vnum decreuit, & 5. *Meth. tex.* 14; & rurſum 6. *Meth. cont.* 8. diffinitionem ab entitate rationis propellit. 8. *Meth. cont.* 9. diffinitionem ait eſſe orationem longam explicantem quid, & quale. 7. *Meth. cont.* 14. dixit ſolam ſpeciem diffiniri, denique 1. *Poſterior.* diffinitionem non ſecus, ac demonſtrationem æternorum eſſe voluit.

Conditiones diffinibilis ex Ariſtotele

9 Hęc *Ariſtotelis* ſparſim conflata doctrina methaphyſicos admonet, quodcunq; debet in diffinitionē venire hiſce fulciri debere conditionibus.

Prima conditio

Prima, vt ſit ens ſeu ut non ſit non ens: contingit autem aliquid eſſe non ens tripliciter; vel contradictoriè, vel negatiuè, vel priuatiuè: non ens contradictoriè eſt ens impoſſibile, ſeu quod nullo modo eſſe pōtinē ens negatiuè eſt negatio entis; non ens priuatiuè eſt entis priuatio, de quibus priuatione, ac negatione parta à rerum naturalium principiis occaſione in primo Phiſicorū differitur. *Hanc* primam diffinibilis rei conditionem tradidit *Ariſtoteles* 1. *Top. cap.* 4. *&* 7. *Meth. cont.* 11. quibus indicat diffinitionem rei entitatem ſequi, proinde niſi vera ſit entitas, quæ debet ſub finitionem venire, neque vera finitio. Secunda, vt ſit ens vnum per ſe, quam tradidit *Ariſtoteles* 6. *Meth. cont.* 16. eadem ratione, quia ſcilicet entitati comes eſt diffinitio, plurium igitur plures, vnius vna: Adde, quod cum de ente per accidens non ſit ſcientia, neque diffinitio eſſe poterit, quæ eſt ſcientiæ medium. Notanter dictum eſt debere diffinibile eſſe vnum per ſe, vt diffinitione etiam donemus Phiſica compoſita ex materia, & forma, ex actu, & poteſtate Methaphyſica, dummodo componentes partes vnum quid per ſe conſlent, nomine igitur entis per ſe vnius tum ens ſimplex, tum ens compoſitum compoſitione præfata intelligitur. Quod ſi dices, ſi tanta ad diffinitionem rei tribuendam poſtulatur vnitas in re diffinibili, ablegandam profectò eſſe diffinitionem ab accidente, quod ſubiectum includit à quo dependet, rurſumque ablegandam à relatiuo, quod ſuum correlatiuum includit: non officit (inquit Scotus) quia neque ſubiectum ad accidens, neque correlatiuum ad ſuum relatiuum ſe habent, ut partes ad totum, neque ut potentia ad actum, uel è contra; proinde à diffinitione ſeiungēda minime ſunt.

Secunda conditio

10 Tertia, vt ſit diffinibile ens reale, non rationis. Supponimus hoc loco entia rationis dari ex logicis, in quibus tota penes relationes rationis conſideratio ſita eſt, de que ijs diffinitionem negandam eſſe adſtruit conditio præſens, quam docuit nos Ariſtoteles *cont.* 8. 6. *Meth* eodem fundamento, quo ſupra; quia ſcilicet entitati proportionatur diffinitio.

Tertia conditio

11 Quarta, vt diffinibile non ſit ſimpliciter ſimplex, quid autem uelit ſibi eſſe ſimpliciter ſimplex: dictum eſt in Methaphyſicis, dum entis uniuocationē perquireremus; quæ namque ſuperiorem nullum habent conceptum, in quē reſoluantur, conceptum dicuntur habere ſimpliciter ſimplicem, quale eſt ens, quod propterea diffiniri non poteſt. *Hāc* cōditionē tradidit *Ariſtot.* 8. *Meth. cont.* 9. dum dixit diffinitionem debere eſſe orationem longam exprimentem quid, & quale, hoc eſt exprimentem rei diffinibilis quidditatem, & qualitatem, genus nimirum, ac differentiam; quia illud prædicatur per modum quidditatis, hæc per modum qualitatis, ut diximus in logicis.

Quarta conditio

12 Quinta, ut ſit diffinibile uniuerſale. Ratio eſt ab Ariſtotele tradita in 1. *de poſteriori reſolut.* ubi diffinitionem demonſtrationis inſtar æternorum eſſe docet, uniuerſalia autem ſunt huiuſmodi, ſingulare uero corruptibile eſt: quomodo autem hæc æternitas requiratur ad obiectum ſcientię, & diffinitionis uide noſtram interpretationem ibi: ex his condi-

Quinta conditio

ditionibus diffinibilis descriptione habes. Est enim ens verum positiuum per se vnum, reale, non simpliciter simplex, & vniuersale. Notatis hisce,

13 Afferendum, ex quo non omnes rei diffinibilis conditiones sacramento aptantur, simpliciter perfectissima diffinitione finiri non posse. Hoc assertum probatur ex singularum consideratione conditionum, vt cognitis, quæ ei conueniunt, quæue ab eo seiunguntur, asserti veritas elucescat. Prima ergo conditio non deficit sacramento, quia id negatio non est, neque priuatio simplex, vt idem nomen sonat, quod nihil priuat, vel negat, sed neque est ens impossibile, quia Deum creare gratiam ad salutem hominis possibile est; rursum possibile est effectum hunc aliquo signo medio Deum producere, cum & nos ita ad aliquod signandum signa etiam visu capiamus, vt oscula ad pacis traditionem cumque effecta signorum quædam sint præterita, quædam futura, quædam præsentia; hinc signum ipsum aliud rememoratiuum dicitur, quod respicit effecta præterita; aliud demonstratiuum respiciens effecta præsentia, aliud prognosticum respiciens effecta futura, quæ si nos instituere possumus, multo magis Deus: rursum possibile est Deum se se determinare ad cooperandum signo instituto ad hoc, vt infallibiliter effectum largiatur quia & nos possumus ita gerere, vt signo, exempli gratia, eleuationis digiti ad signandam pacem cooperemur; dummodo aliunde impedimentum non oriatur, nempe ex suscipiente: si ergo hæc omnia possibilia sunt, sacramentum erit ens possibile, quia ipsum nihil est aliud, nisi gratiæ signum efficax à Deo institutum ad hominis salutem.

Sacramentum perfectissimè diffiniri non posse; sed quoquomodo diffiniri posse probatur

Rursum probari potest sacramentum non esse ens impossibile; quia ens impossibile est, cuius ratio est in se falsa; sed ratio sacramenti non est in se falsa; ergo ipsum non est impossibile; Minor patet; quia sacramentum finitur, vt *est signum sensibile efficax à Deo institutum, gratiam, seu effectum gratuitum efficaciter significans ex diuina ordinatione ad salutem hominis viatoris*; huius autem diffinitionis particulæ ad inuicem minimè pugnant, pugnare autem deberent, vt esse falsa posset ratio tota.

Probatur iterum

14 Neque secunda conditio à sacramento desideratur, quoniam ens non vnum esse contingit bifariam, vel quia ex pluribus eiusdem rationis entibus coagmentatur, vel quia conflatur ex pluribus diuersæ rationis, quorum neutrum necesse est fateri; ens per se, & primo modo acerum [illegible] non dicitur habere vnitatem per se, quia ex pluribus constituitur [illegible], neque illi se habent ad inuicem, vt potentia, & actus; secundo modo multa diuersæ rationis ad inuicem conglomerata faciunt vnum non per se, quod propriè dicitur ens per accidens: at qui neutro modo vnitatem sacramentum amittit, quia formaliter sacramentum est relatio, quæ (etsi multiplex sit fundamentum, ac terminus) vna remanet: quod nedum in relationibus rationis verum est, sed etiã in ente reali; nam paternitas, quæ respectum denotat parentis ad filium, subiectum connotat, & terminum respicit; quæ duo plura sunt, nec vnum per se faciunt; ipsa tamen paternitatis relatio vnica est, & suaptè natura distinibilis: pari modo censeo à sacramento præseferri relationem vertentem inter res, & verba, ac gratiam, quarè, licet illa plura sint, vnica remanente relatione signi vna remanet formalis ratio sacramenti.

15 Sed reclamat in hunc locum Suarez *disp.6.citata* huiuscemodi loquendi genus reprehendens, & enitens non esse sic loquendum; nam (inquit Suarez) sacramentum non est sola significatio, sed essentialiter includit rem significatam, sicuti domus non est sola figura, sed res quædam artificialis constans ex tali materia, & figura: & nomen non dicit solam significationem, sed vocem sic significantem: sic sacramentum non dicit significationem solam, sed illam vt in tali materia. Quibus concludit Suarez Sacramentum non esse ita vnum, vt vnus est homo; sed ita, vt exercitus, & oratio per modum entis vnius artificialis dicitur vna.

Reclamatio Suarezij

16 At reclamationi huic nostras obturamus aures, quæ si paterent; displiceret reclamatio in multis. Displiceret primo, quia significationis relationem arbitratur essentialiter includere rem significatam, quod falsum est: quia relatio essentialiter est alia res à fundamento, ac termino, vt monent Methaphysici. Displiceret secundo transiens à re significata ad significantem: prius enim dixerat rem significatam in significatione includi, mox exemplificat de re significante, vt forsan verè q. essentialiter

Reflectitur.

fundamentum, scilicet, ac terminum
essentiales relationis fateatur esse partes,
sicque miseram relationem, quæ forma
est, compositam faciat. Tertio, quia
magis vna est relatio hæc, quam oratio,
& exercitus, quæ à Suárezio pro mate-
riali sumpta non possunt esse entia nisi
plura, & per accidens, qualis non est
relatio nostra. Adde demum transitum
ab eo fieri à simplicitate formali Metha-
physica ad Physicam, vtique enim
Physice sacramentum plura includit;
at Methaphisicè solam formalem rela-
tionem dicit, quæ licet fundamento
prædita sit, ac termino suaptè tamen
natura vnitatem non amittit; quia sub-
iectum, siue fundamentum, ac termi-
nus diffinitionem relationis tamquam
additaméta ingrediuntur, non tamquam
essentiales partes, vnde ex multiplici-
tate illorum multiplicitatem relationis
metiri, est contra Philosophiæ rectam
Methodum, qua docemur ad perfectã
relationis intelligentiam, vt quiescat in
eius diffinitione intellectus, vtique
assumi subiectum, ac terminus non ta-
men vt per se partes, sed vt additamen-
ta Quartam conditionem etiam habet,
quia relatio sacramenti resolubilis est in
alios citeriores conceptus, puta acci-
dentis, entis, & similium, quare non
est simpliciter simplex, eademque ra-
tione postrema conditione præditum
est; quia cum sacramenta sint plura,
illaque ad inuicem quasi specie diffe-
rant, sacramentum ad illa relatum vicẽ
gerebit generis, atque ideo vniuersa-
lis.

Conditiones singulas rei diffinibilis aptari Sacramento monstratur

17 Verum tertiæ conditionis defectu ri-
gorosa diffinitione destituitur; deside-
ratur enim tertia conditio; quoniam ex
dictis sacramenti relatio rationis est, pro
indeque vera diffinitione, quæ entibus
realibus aptatur, destitutum est, sed si
diffinitionem ad quamcunque rem
conceptum habentem in intellectu,
siue realis illa sit, siue rationis, exten
des; diffinitionem sacramento aptabis.
Atqui ex hac doctrina nedum patefa-
cta eluxerit assertionis nostræ veritas,
sed & oppugnantia, si quæ sunt, dilui
facile possunt argumentis, vt iure finem
liceat capiti imponere. Scio Ioannem
à Lugo *disp. 1. sect* 2. enti, pro Suarezio
persuadere sacramentum non esse ens ra
tionis, sed quia entia rationis cum enti-
bus fictis confundit, dum non conueni-
mus in nomine, non est cur ab eo vexe-
mur.

Sacramentum non rigorosè diffiniri posse concluditur.

QVOMODO FINIATVR
sacramentum.

CAP. II.

18 Sacramenti diffinitiones ad capitum
diffinientium numerum numerabis,
seu hæ sunt potiores. Prima. *Sacramẽtum*
est sacræ rei signum. Hanc diffinitionem
tradit Sanctus Thomas *q 60. art. 1. 3. p.*
ex Augustino *lib x de Ciuit. Dei* (vt ipse
ait) elicitam, & hæc in omnium ora po
tissimum vagatur. Secunda diffinitio.
Sacramentum est inuisibilis gratiæ forma vi
sibilis, eiusdem gratiæ similitudinem ge-
rens, & causa existens. Hanc tradidit
Senten. Magister *in hoc 4. d. 1.* qui supe-
riorem etiam ex Augustino indicauit.
Tertia diffinitio. *Sacramentum est ma-*
teriale elementum sensibiliter propositum
ex similitudine repræsentans, ex institu-
tione significans, & ex sanctificatione con-
tinens aliquam inuisibilem, & spiritualem
gratiam. Hanc præstitit Hugo Victori-
ensis *lib. 1. de sacram p 9. cap 1.* Quarta
diffinitio. *Sacramentum est, per quod*
sub tegumento rerum visibilium diuina
virtus secretius operatur salutem. Hæc
tribuitur Isidoro *lib. Ethimolog.* eandem-
que probat Gratianus *in decretis causa*
1. q. 1.

Prima diffinitio Sacramenti ex S. Thoma

Secunda ex Aug.

Tertia ex Hugone

Quarta ex Isidoro.

19 Quinta diffinitio. *Sacramentum est*
res sensibus subiecta, quæ ex Dei insti-
tutione sanctitatis, & iustitiæ tum signi-
ficandæ, tum efficiendæ vim habet. Ca-
thechismus ad Parochos ex decreto Pij
Quinti in lucem editus hanc commodat.

Quinta ex Cabechismo rom.

20 Sexta diffinitio. *Sacramentum est si-*
gnum sensibile ad sanctificationem ali-
quam conferendam, & veram animæ san
ctitatem significandam institutum. Hanc
docuit nos Suarez *loc. cit.* quam & in
hæc verba dilatauit. *Sacramentum est sa-*
cra, & sensibilis cæremonia homines ali-
quo modo sanctificans, & veram sanctita-
tem ex institutione significans.

Sexta & eius amplificatio ex Suarez [illegible]

21 Demum Scotus (mitto enim alias dif-
finitiones) *dist. 1. q. 2 ar. 3. sacramentum est,*
inquit, *signum sensibile gratiam, vel ef-*
fectum Dei gratuitum ex institutione diuina
efficaciter significans ordinatum ad salutem
hominis viatoris.

Septima ex Scoto

22 Huiusce autem Scoticæ diffinitionis per-
fectionem hoc argumento metire; quo- 22
niam perfecta diffinitio illa censetur,
quæ & per genus, ac differẽtiam datur,
nec diffinitum excedit, vel ab eo exce-

ditur

Diffinitionis Scoticæ veritas di lucidatur

ditur, neque vllam rei diffinitæ causam silentio inuoluit; at hæc diffinitio tanti est ponderis, vt præfatis prædita sit conditionibus singulis; quare ægregia censenda est.

23 Maiorem ex communi Philosophorum confessione habes; cum enim diffinitio debeat quodquid erat esse rei explicare, hoc est, rei diffiniendæ quidditatem patefacere, & ipsa rei quidditas, vel ex causis omnibus, vel ex internis potissimum, quæ materia, & forma sunt, coalescat; fit inde, vt ijs cognitis nihil præterea cognoscendum supersit. Minor probatur; quia genus in præfata diffinitione ponitur; quod est *ly signum*; cætera autem particulæ vices differentiarum habent; nempe *ly sensibile, & efficaciter*.

24 Adde, quod, cum sacramentum formaliter sit relatio signi huius genus ponitur *signum*, differentiæ autem sunt, quas diximus, cumque relatio inter fundamentum versetur; ac terminum, habes fundamentum per illam particulam *sensibile*: terminum vero per illam, *gratiæ. vel effectus gratuiti* vocem; denique si quatuor contempleris causas; has inspice; genus quidem loco materiæ; differētias autem loco formæ, efficientem causam per particulam, *ex institutione diuina*, finalem, per aliam particulam, *ordinatum ad salutem hominis viatoris* inspices; vt nullus ambigendi tibi superesse queat scrupulus. Sed nec vlli cordato viro subrepsit de ea dubium, deme Sotum, qui eam censet non sapere diffiniendi artem, quam Cicero tradit 4. *Reth.* aiens diffinitionem debere esse breuem, ac circumscriptam rei explicationem quandam, & multa continere, quæ adhuc sub iudice vertunt; puta, an Deus sit sacramentorum institutor; an gratiam causent; an sensibilia sint signa.

Soti reprahensio.

25 In hac tamen reprahensione minus cordatum se præ se Sotus tulit; nam in primis in Phisiologis ac etiam Theologicis, quibus Phisiologia ancillatur vniuersa Aristoteli circa diffinitionem standum, quam Ciceroni magis; at Aristoteles *loco citato* diffinitionem vocat orationem longam explicantem quid. & quale, Cicero breuem: valeat Cicero, dum secus ab Aristotele sensit in hoc potissimum genere; nisi fortasse mauis Ciceroni ancillatus breuitatem illam in eius verbis interpretari, non pro breuitate absolute, sed pro breuitate possibili, ita vt breuis illa dicatur oratio, quæ nec desiderat, nec superfluï respuit quidquam; quo sensu diffinitionem Scoti rere breuem: neque in caritate, neque in vbertate peccantem, sed cum diffinito vertibilē; Quod autem in ea quædam assumantur sub iudice; distinguo assertum, sub iudice, hoc est, dubia, & nondum certo scita, falsum, seu nego assertam, quod cum fide parum hæret; quia & sensibilia signa esse, & gratiam conferre, & à Deo instituta sacramenta Concilij Tridentini decreta sanxerunt *sess. 7.* subiudice, hoc est, sub scolastica concertatione, non tanquam de re dubia, sed tanquam de re; quam ventilando vberius probant; concedo; sed hæc posse in diffinitionem venire nemo ibit inficias.

Et eius vanitas

Aristoteli magis quam Ciceroni assentimur.

26 Cæteræ diffinitiones, vel ex parte peccant, vel ad bonam frugem reuocari possunt. Prima diffinitio latius, quam par est patet; nam & sacrificijs, quæ à sacramentis distincta sunt, conueniunt; immo solis sacrificijs ab Augustino accommodatur *lib. 10. de Ciuitate citato* dū ait. *Sacrificium ergo visibile inuisibilis sacrificij sacramentum, hoc est sacrum signum est*. Est autem hæc, vt optimè notauit Scotus nominis potius, quam rei sacramenti vera diffinitio. Secunda diffinitio si formam pro signo sumat, etsi aliquid desideret, puta effectricem, ac finalem causam, satis apta est; pariformiter de tertia philosophare, vbi elementum sumi pro signo posset, & visibile pro sensibili, similiter & pro sensibili materiale: sed hanc citra breuitatem peccantē in censuram suam incidisse reprehenderet Sotus. Isidori diffinitio ethimologiam vocis, quam quidditatem præfert potius rei; idcirco reprahensione non caret; vtpotè sacrificijs etiam communis; per quæ visibilia inuisibilem salutem Deus cum priscis patribus operabatur. Cathechismi etiam finitio rudi quadam mineruа traditur, non tamquam Aristotelis more perfecta, sed pro Parochorum captu idonea; vnde libri titulus est Cathechismus ad Parochos non ad Philosophos, aut Theologos; quorum est subtiliora callere, & veram diffiniendi artem rimari.

Aliorum diffinitiones, vel ad interpretationem, vel ad bonam frugem reuocātur

27 In diffinitione vtraque (nisi mauis vtramque eandem appellare) Suarezij sola effectrix desideratur causa, & finalis explicitè tradita. Lugo *disp. 1. sect. 2.* hunc in modum sacramentum diffiniuit. *Sacramentum, est cæremonia sensibilis, quæ suo vsu sanctificando subiectum significat gratiam internam, cuius est causa.* Verum & hæc deficiens est; siquidem

In quo deficiunt diffinitiones Suarezij, & Lugo.

effectri-

effectricem causam desiderans non censetur perfecta rei descriptio, quæ per singulas decurrere causas debet explicans quid, & quale, vt Aristoteles ait.

Adhuc urgetur Lugo

Præterea si ex eodem Lugo sacramentum *sect.* 3. collocatur sub genere causæ, & sub genere signi, & principalius sub genere signi, vnde fit, quod in diffinitione allata nec causa, nec signum ei datur pro genere; sed cæremonia dumtaxat? Certè hæc duo non cohærent, est sacramentum sub genere signi, vel causæ, & causa, vel signum non assignatur sacramento pro genere in diffinitione; homo namque, qui est sub genere Animalis, haud rectè finitur nisi dicendo, quod est animal, siquidem diffinitio danda est per genus proximum, non per remotum.

Petitur an sacramentum sit signum naturale.

28 Circa particulam illam pro genere in sacramenti diffinitione positam, signum petunt Recentes communiter an sacramentum sit signum naturale, an ad placitum? Videtur tamen petitio ipsa abundans, cum ex terminis liqueat signum illud ex diuina institutione vim significandi habere, & obinde non posse vllo modo dici signum naturale, sed ad placitum dumtaxat, inde egregiè Suarez, & Vasquez, ille *disp.* 1. *sect.* 3. Hic *cap.* 4. *num.* 47. supponunt, vt certum debere esse signum ad placitum, nec posse esse vllo modo naturale.

Responsio Suarezij & Vasquezij

29 Nihilo tamen minus Lugo *sect.* 3. quāuis id verum esse de facto concedat, non retur impossibile, immo possibile, vt sacramentum possit esse signum naturale gratiæ, ducitque exemplum à charactere Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, qui, cū sit qualitas, est tamen de sua natura ordinatus intrinsecè ad significandam gratiam sacramentalem; quare pari pacto poterit res alia sensibilis per suam entitatem, ac internam naturam habere talem cum gratia nexum, vt illā significare posset vel præsentem, vel futuram; adducitque pro suo sensu doctrinam Patris Herice 1. *p. tom.* 1. *disp.* 48.

Responsio Lugo, & Herice.

30 Est tamē doctrina penitus apud Scholasticos noua posse sensibilem rem ex interna natura sua significare sanctitatē hanc sacramentalem. Quid est enim hæc significatio, nisi efficax, vt patet, in diffinitione sacramenti? At quid materiale efficaciter gratiam significare naturaliter potest? Numquid naturaliter attingi potest gratiæ effectus? Certè Hæc significatio si daretur rei naturalis, naturaliter res posset assequi gratiam, quod falsissimum est. Porrò in via Scoti nihil esse præterea gratiam efficaciter significare, nisi ex opere operato infallibiliter gratiam causare in suscipiente, patet apud ipsum *d.* 1. *q.* 2. *littera M.* & ratione conuincitur; quia res sensibiles connexionem nullam habent naturaliter ad significandam insensibilia; cum inter signum, & signatum naturaliter debeat esse connexio, sed quam connexionem sacramenta habere intrinsecam possunt ad gratiam, quæ spiritualis est, & insensibilis, cum ipsa sensibilia sint, ac materialia? & quod de charactere fertur ab Aduersario gratis omninò fertur, cum nec character sit qualitas, sed relatio, nec nisi ex diuina institutione gratiam significet, vt suo loco dicetur, vnde Lugo ad comprobationem dubiæ rei rem magis assumit, vel æquè saltem dubiam. Si ergo perfectam, nec vngue tenus vberem, aut egentem diffinitionem postulas, hanc tibi, quam Scotus commodat, insere animo, quam supra expliccuimus; de qua superest dubiolum, num solis nouæ legis sacramentis sit propria, an verò ad sacramenta etiam vetera legis Moysis, & legis naturæ profundatur, discutiendum est capite sequenti.

Reijcitur à Scolis.

Sensibiliū ad insensibilia naturalis nexus nullus



AN VNIVOCE PRÆFATA

finitio noua, & veteris legis sacramentis conueniat.

CAP. III.

Triplex dicendimodus

31 PRopositum dubium duæ aduersantes sétentiæ augent, & vna media. Extrema vna sétentia affirmat finitioné allatam, qua parte significationem sacramentis tribuit respectu gratiæ singulis sacramentis singularum conuenire legum, siue sacramentum præsse, siue late sumas, nam etiam cæremoniæ antiquæ legis à Deo emanarunt ad gratiam significandā pro hominum acquirenda salute, in hanc sententiam veniunt plerique Recētes, quorum fere opinio ad sacramenti quidditatem nequaquam spectare collationem gratiæ secundum efficientiam ex vi operis, ita vt sacramenta ipsa gratiam debeant causare.

Primus Vasquezij & eius ratio

Porrò his socium se præstat Vasquez 3.*p.disp.*128.*cap extremo* hac vnica, quam multis inutilibus compaginat verbis perbreui ratione perductus: quia sacramenta omnia tam vera, quam cætera eiusdem rationis, sed rectius impropria, vniuoce in ratione signi sacræ rei, & gratiæ dicuntur, siue gratia per ea detur, siue aliunde; quo fit, vt vniuocè etiam de sacramentis omnibus ratio prædicta dicatur.

Secundus aliorum

32 Parte ex alia quicumque Circumcisionem in scripta lege, & sacramentum legis naturæ è serie verorum sacramentorum ablegant, nefas esse putant eis diffinitionem allatam accommodare; proindeque vniuocè aliquid de singulorum statuum sacramentis dici posse constantissimè negant; quoniam de quocunque diffinitum negatur, & diffinitionem ipsam negari necessarium est ex logicis; at sacramentum negatur de circumcisione, & de alio ritu legis naturæ per ipsos; quare sequela deducitur necessaria, vt & diffinitio sacramenti de ijsdem negetur, & hęc secunda sententia ex aduerso opponitur primæ, vt patet.

Et eius fundamentum

Tertius Auctoris

33 Media incedendum est via, ac dicendū (si Scoticæ diffinitioni in superiori capite allatæ sit subscribendum) scilicet sacramenti diffinitionem vniuocè aptari sacramentis nouæ, & veteris legis: si nomine sacramenti veteris legis circumcisionem dumtaxat, & sacramentum legis naturæ, cuius ignoratur vocabulum, intelligamus, seclusis alijs sacramentis impropriè sumptis; quæ si in numerum veniant, nullo modo eis cum cæteris sacramenti diffinitioné vniuocè prædicari dicendum est. Elicitur hæc sententia ex Scoti doctrina *in 4.d.1.q.7.lit.H.* vbi ægregiè monet diuisionem sacramenti in sacramentum propriè, & impropriè dictum esse diuisionem nominis, & vocis in significata diuersa, & proindè non dici de vtroque vniuocè, quemadmodum homo dictus de homine verò, & picto æquiuocè dicitur, & non vniuocè; cum sit diuisio nominis in diuersas voces.

Scoti doctrina

Porrò diuisionem sacramenti in ea, quæ alium, & alium habent effectum, vel in ea, quæ diuersa sunt signa sensibilia, vel in ea, quæ maiorem, vel minorem inducunt effectum (cuiusmodi esse censetur diuisio sacramentorum nouæ, ac veteris legis) appellat Scotus partitionem superioris in inferiora; quod est dictu, diuisionem esse generis in species; ex quo elicitur, quod cum vniuocè genus de speciebus dicatur, siue genus illud supremum sit, siue intermedium; & ipsa sacramenti generica finitio sacramentis nouæ, ac veteris legis, quæ species illius generis censentur vniuoce conueniat.

Series sacramentalis prædicationis

34 Vt hác sacramētj prædicamētalē lineā capias, aduerte sacramenti genus supremum esse vel signum, vel sacrum ritum; vnde series in hunc modum dirigatur. Cæremonia, siue ritus, alter sacer, alter prophanus; sacer ritus alius sacramentum, alius non sacramentum: sacramentum aliud (si ex fine diuisionem metiamur) delens originale, aliud mortale, aliud veniale; originale delens aliud pro lege naturæ suppresso nomine, aliud pro lege Moysis circumcisionis voce designatum, aliud pro Christi lege, quod est baptismus, quæ omnia sacramenta pro delendo originali species infimæ sunt sui generis: mortale delens pænitentia; veniale cætera sacramenta.

Fabri error

35 Ex partitione obserua deceptū fuisse Fabrum *disp.1.sui 4.cap. extremo*; dum pro minoris, vel maioris gratiæ collatione specifice sacramentum secat; cum tamen & vulgus ferat, magis, & minus speciem non variare: non ergo specifice sacramenta veteris, ac nouæ legis differunt, qua parte minorem illa, quam nostra effectum inducunt; sed qua alias sibi differentias pacifcuntur.

Aliud erratum

Insuper seipsum alterum Fabri adnota; æstimat enim diffinitionem illam vulgi, *sacramentum est sacræ rei signum* vocalem, ac nominalem esse; cum sit sacramentum sola vox communis ad vera, & im-

pro-

propriè ſacramenta, poſtmodum ait ſacramentum in communi per duas differentias ſecari, nimirum per cauſationē gratiæ ex opere operantis, & per cauſationem ex opere operato, & ſic vno, eodemque aſſerto generis rationem, quam abſtulit à ſacramento, quod ſola voce commune putarat, ſacramento intulit partitionem illi per differētias oppoſitas apponendo, quia ſolum genus oppoſitis contrahitur differentijs. Demum caue tertium eius in hac re erratum; arbitratur enim ſacramenti rationem vniuocam eſſe ad noſtra, & veteris legis ſacramenta, ſed ſolum analogice, non autē vniuocè prædicari; vniuocam ſiquidem prædicationem confitetur, at vniuocè prædicari negat; quia ſcilicet proprius de noſtris, quam de ſacramentis legis antiquæ dicitur; quaſi vero prædicari aliquid vniuoce nequeat, quamuis analogice prædicetur; hoc enim aſſerens Thomiſtarum fauet aſſerto prædicationem analogam ab vniuoco & æquiuoco ſecātiū tertium quid prædicationis genus conſtituentii. Hac autē Thomiſtarum doctrina euellitur adnotatis ijs, quæ in logicis ediſſeruimus, quorum hæc eſt compendioſa narratio.

Tertium Fabri erratum

36 Quod prædicatur, vel vniuocum eſt, vel æquiuocum, analogum enim vel cum vniuoco, uel cum æquiuoco conuenit; nam ſi ſit analogum proportionis perpetuo ad æquiuocum ſpectat, ſic riſus, qui per prius de homine dicitur, quam de prato virente analogicè dicitur, ſed æquiuoce; æquiuoce inquam; quia ſolo nomine communis eſt homini, & prato riſus; analogice autem, quia per prius homini, quam prato, cui ſola proportione aptatur riſus; ſi uero analogum ſit attributionis tunc ex diuerſitate formæ diuerſimodè analogum, vel æquiuoco, uel uniuoco copulatur, ſi.n. forma vtrique diuiſo conueniat verè, ſed per prius uni, quam alteri, uel perfectiori modo uni, quam alteri; analogia uniuocationis erit comes; ſi uero forma alteri tantum diuiſo verè conueniat, alijs autem minus verè, analogia coibit cum æquiuocatione: huius extremi exemplum eſt ſanitas, quæ de homine dicitur uerè, de vrina uero, & de dieta, uel effectiue, uel ſignificatiuè; analogia igitur inter hæc uerſans æquiuocationis eſt ſocia; alterius autem exemplum ſit animal, quod eſt genus ad hominem, plantam, & equum, ſed perfectiori modo in homine, quam in equo, & in equo perfectius eſt, quam in planta; en tibi analogia uniuocationi copulata. Diſſociatam ab altero prædicationis modo, ſcilicet, uel uniuoco, uel æquiuoco analogiam, qui fingit, arbitrariè loquitur.

Doctrina notabilis de uniuoco, æquiuoco, & analogo.

Analogia uniuocationis, uel æquiuocationis ſocia.

37 Aduerte inſuper, quod etſi per *Ariſtotelem in lib. cathegoriarum cap. de ſubſtantia*, proprium ſit ſubſtantiæ prædicari uniuoce, attamen & in aliis generibus ſimilitudine quadā, in quibus & ſuas inuenire ſpecies, & propria genera poſſumus, conſimiles prædicationes nanciſcimur. Dixi notanter, ſimilitudine quadam, quia uera prædicatio uniuoce, & in quid, quæ eſt eadem in ſola locum habet ſubſtantia, ut diximus *diſp. de communic. Idiomatum tomo de Incarnatione*.

Prædicari uniuoce quomodo ſolius ſubſtantiæ proprium

38 Hiſce decurſis pronuntiata noſtræ ſententiæ fundamētum eſt, quia tā ſingula noſtræ, quam ueteris legis ſacramenta propria allatæ diffinitionis particulas patiuntur, etenim & ſigna illa ſenſibilia fuerunt ad ſalutem hominis inſtituta à Deo, & gratiæ inductiua, ut in ſuperioribus dictum eſt, quonam ergo iure ratio ſacramenti ab eis ademenda eſt? Neque ex dictis difficile eſt oppoſitæ ſeſe ſententiæ utrique opponere. Hinc capiti & diſputationi ſatis, &c.





DE QVIDDITATE SACRAmentorum Phisica.

DISP. III.

1 Methaphysicam sacramenti quidditatem diuensi genus, ac differentias venati sumus in hucusque decursis: at nunc cum sacramenta sensibilia sint signa, & formam, materiamque suo modo patiantur, quæ voces Phisicam redolent; sub hac voce visum est alteram disputationem ad sacramentorum quidditatem spectantem cribrare, cuius disceptationis.

ERIT INQVIRENS

An sacramenta omnia ex materia constent, ac forma.

CAP. I.



Scotus in 4. d. 3.

2 AGIT hac de re Scotus *in 4. d. 3. q. 1. & 2. littera* E, loquendo specifice de baptismo, & de more subtili adeo tramite, vt Sotus *d. 3. q. 1.* dictum Scoti afferat non multũ Theologum; quod & si ob risum Aduersarius ferat, seriò tamen verum est, dum Methaphysicè locutus Doctor nouo modo de sacramentorum materia, ac forma philosophatus est; vt infra dicetur.

Subtilitas in Scotum.

Obseruatio prima.

3 Interim ex communi Theologorum confessione firmandum, peculiare esse sacramentorũ nouæ legis priuilegium, vt ex materia coalescant, & forma, vt patentiori ritu fides nostra Deo protestetur, & sensibilioribus auxilijs ad insensibilia capienda subleuemur; in veteri vero lege, quoniam adhuc fides sub vmbra latebat, & in figuris contingebant omnia, hæc simpliciter necessaria fuisse, vel non fuisse, nulla ratio, aut auctoritas cogit. De sacramentis autem legis nouæ Concilium Florentinum in decreto Eugenij pro vniendis Armenis dilucidè sacramenta nouæ legis omnia ex materia, & forma constare decreuit quomod autem id fiat, explicatu difficile est.

Centinus, de Sac. in Gen.

Obseruatio alia.

4 Ad eius autem captum obserua ex Scoto, materiam, & formam posse bifariam spectari; primo propriè; quatenus scilicet sunt Phisicæ componentes rem partes; quo sensu de vtroque principio Aristoteles *in 1. naturalium* disseruit; secundo per similitudinem, ac methaphorã, & tropum; in priori sensu nullam uerè sacramentum materiam patitur; cum sit enim eius essentia in ratione signi posita, & signi ratio relatiua sit, rursum cũ relatio sit simplex forma, uanum erit materiam in sacramento secundum hunc sensum effingere, quod nullam suffert in sua significatione materiam, ex qua fiat; uerum cum relatio quæuis materiam exposcat, in qua sita sit, materiam, quam & subiectum, siue fundamentum relationis appellamus secundum hunc sensum patietur sacramentũ aliquam; hæc autem erit totum illud sensibile, super quod signi relatio fundabitur: ipsa uero efficax significatio forma erit: an autem forma pro altera parte compositi sacramentum scilicet constans ex sensibili, & signo, tanquam homo constatur ex anima, & corpore; an uero alio modo, difficultas non leuis turbat animum. Et certè Scotus *littera* C, uidetur hoc sensu locutus, ut relationem formam uocet pro altera parte cõpositi; unde Faber *disp. 9 cap. 1.* absque difficultate cõcludit relationem signi in sacramento esse formam pro altera parte compositi, & sensibile totum esse materiam. E contra uero relationem esse formam pro altera parte compositi uerum constante cum materia compositum ineptissimè dicitur; primo quia relatio materiam ex qua negligit postulans solum materiam, in qua fundetur.

Materia, circa quã & in qua

Fabri doctrina reprehenditur primo

5 Secundo, quia ex rebus diuersorum generum unum phisicè per se non componitur; hinc philosophi materiam, & formam ad genus reduxere substantiæ, quippe quæ substantiam compositam gignunt; at aqua exempli gratia, & uerba in baptismo secundum genus differunt à significatione, quæ ad prædicamentum respectiuum trahitur, illa vero ad absoluta, aqua, scilicet, ad substantiam, verba autem ad quantitatem, ad quam reuocatur oratio: quare compositio phisica ex his inepta est.

Reijcitur secundo.

6 Dicendum ergo Scotum loqui vtique

de vera forma pro altera parte compositi, dum relationem formam ait. sed non loqui de composito Phisico, sed Methaphisico, ex quo enim relatio contrahit sensibile ad esse sacramenti, tanquam actus censetur illius sensibilis contractis rursumque cum sensibile contrahatur per signum respectu eius potestatis rationem obibit. Secundum igitur hunc sensum materiam, & formam proprie sacramenta sibi adsciscũt. Verum, si materia, ac forma per tropum, & similitudinem capiantur, alio modo philosophandum eit, & Theologice magis; quoniam in priori sensu difficultatem praesentem nec labio tenus Theologi delibant; licet perperam, me iudice, id agant; quoniam nec materiam similitudinarie possunt in sacramento reponere, nisi cognita ea, quã de fundamẽto, & relatione doctrinã tradidimus.

Forma, & materia bifariam spectantur.

7 Obseruandum ergo rursum, materiam, & formam per tropum, & similitudinem non ex parte relationis, de qua meminimus superiore adnotabili, sed ex parte fundamenti inuestigandam. Rationem autem huius superius tetigimus; quia scilicet relatio est forma simplex, & nullam materiae ex qua admixtionem patitur; in fundamento autem duo conueniunt, quae vnum integrant sensibile signum, nimirum verba, & res; exempli gratia, in baptismo confluunt verba illa *Ego te baptizo &c.* & aqua naturalis, siue ablutio, quae est res, & fundamentum proximum; horum igitur alterum forma, alterum materiae naturam induet.

Relatio non habet materiam ex qua

8 At quomodo res se se habeat, aduerte ex Scoto duplicem verti modum dicendi circa fundamentum huius relationis signi. Nonnulli enim arbitrantur ex aequo partes esse fundamenti materiam, & formam, siue res, & verba; alii autem autumant materiam esse vere fundamentum, formam vero quasi circumstantiã fundamenti. Secundum primum dicendi modum res semper obit rationem materiae, & verba rationem formae (de hoc loquemur infrà) ratio est, quia quandocumq; aliqua duo ad vnum conflandum ita conspirant; vt vnum sit quasi praeuium, ac determinabile, alterum quasi posterius, ac determinatiuum, illud prius habet rationem materiae, hoc autem formae: sed res, & verba ita se habent; vt res sint quasi determinabiles, ac praeuiae, verba vero determinantia, ac posteriora; ergo haec formae, illa materiae rationem induent. Maior ex philosophis euidens est, cum materia sit forma origine prior, ac contrahibilis, sitqi identidem formae munus contrahere, ac determinare. Minor etiam dilucida est, quoniam verba materiam ad hanc fundandam relationem contrahunt iuxta illud Augustini genericum effatum. *Accedit uerbum ad elementum, & fit sacramentum.* Secundum alterum dicendi modum pari modo philosophandum est; siquidem si uerba sunt circumstantiae determinantes materiam, ac fundamentum; cum de ratione formae sit esse determinatiuum, itque de ratione materiae determinari posse à forma, uerba ex consequenti forma, res erunt materies in fundamento.

Haec difficultas in sequentibus enodatur.

9 Ex his deduc Assertum pro uniuersa hac difficultate affirmans; Sacramenta nouae legis omnia ex materia, & forma cõstare, uel, ut rectius loquar, ex quasi materia, & quasi forma conflari. Probatur ex superiori doctrina; etenim res, & uerba ad unum quodque sacramentum perficiendum ueniunt; at res habet modum materiae, uerba formae; ergo unũquodque sacramentum ex quasi forma, & quasi materia constituetur. Minorem hucusq; decucurrimus. Maior traditur in Concilio Florentino in decreto Eugenij pro Armenis uniendis sub his uerbis. *Haec omnia sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia verbis tamquam forma, & intentione ministri &c. quorum si quid desit non conficitur sacramentum &c.* in qua auctoritate ad amussim habes similitudine sacramenta usurpare sibi nomen, ac rationem materiae, ac formae; quoniam res appellantur tamquam materia, uerba tamquam forma; quod est dictu, res, & uerba ad instar se se materiae, ac formae gerere. Neq; à priori, siue ostensiuo argumento probari potest maior, quae ex diuina uoluntate pendet; ex Deo igitur instituente metienda est eius probatio, licet conguentia suppetat aliqua, ea praesertim. Quoniam duo sensus maxime hominem ad cognoscendum iuuant, auditus uidelicet, & uisus; quo fit, ut de oculi, ac aurium praestantia lites gerant philosophi immortales, uterque autem sensus adiumento est homini ad se se euehendum ex istis uisibilibus ad inuisibilia capienda in hoc sacramenti fundamẽto; auditus circa uerba, uisus circa res; maximè igitur res, & uerba, quae sunt oculorũ, & auriũ obiecta debuerunt hoc sacramẽti fundamẽtũ integrare, quod presertim ad inducẽdã inuisibilium notitiam institutum est.

Statuitur omnia sacramenta conflare ex materia, & forma.

Conc. Florent.

Ratio a priori non dei

Notabilis conguentia.

Aduer-

Durandi singularis opinio.

10 *Aduersus* hoc assertum affirmans Scolasticorum vnus reclamat Durandus *in 4.d.1.q.1.* qui non omnia sacramenta ex rebus, & verbis tamquam ex materia, & forma constare indidit, quamuis enim de cæteris hoc sua sponte concedat; de sacramento tamen pœnitentiæ, & de sacramento matrimonij negat, hæc enim duo sacramenta solis perfici videntur verbis; pœnitentia nempe confessione peccatorum, & absolutione sacerdotis, matrimonium vero expressione consensus mutui: at expressio consensus per verba fit, perque verba pariter oris confessio, & absolutio: quare ab his duobus sacramentis res, tamquam materia videtur ablegandа. *Adde*, nec ipsa uerba ad sacramentum matrimonij integrandum uenire necessario; quia & lingua capti, quos mutos uulgo aiunt, signis, ac nutibus exprimendo consensum contrahere matrimonium dicuntur.

Conuincitur ex Concilio Florentino & Tridentino.

11 Non sunt autem hæc tanti, vt à vero Theologorum vnanimi consensu discedamus, & Florentini Concilij decretis occurramus, nec non & Tridentini, quorum vtrumque decernit actus pœnitentis esse quasi materiam sacramenti pœnitentiæ. Hæc enim sunt Tridentini Concilij expressa verba *sess.14. de sacramento poenitentiæ cap.3. sunt autem quasi materia huius sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio, satisfactio, confessio, &c.* & *can.4. eiusdem sessionis* sub pœna anathematis hæc asseruntur. *Si quis negauerit ad integram, & perfectam remissionem peccatorum requiri tres actus in poenitente quasi materiam sacramenti poenitentiæ, videlicet contritionem, &c.* anathema sit, &c. & de sacramento matrimonii generatim decernit Eugenius in Synodo Florētina, omnia sacramenta rebus vt materia, verbis vt forma perfici, nec est cur ab hac generica lege *Matrimonium* cruamus.

Obseruatio necessaria.

13 Sed vt *Aduersariorum* argumenta destruamus obseruare debemus, nomine rerum in assertione Concilij Florētini, qua statuitur omnia sacramenta rebus tanquā materia perfici, non intelligi solum substantiā sensibilem à verbis omnino diuersam, sed actiones sensibiles à verbis determinabiles, ac perfectibiles; hoc enim, vt supra monuimus, ad rationē materiæ attinet, scilicet determinari, de ratione formæ determinare; quare, etsi in sacramēto pœnitētiæ uerba circa confessionem misceantur, non obstat, quoniam actus ipsi subeunt rationem materiæ etiā sub verbis, quia ab absolutione Sacerdotis perficiuntur, ac determinantur: vel dicendum, estque idem omnino, sed dilucidè magis, in sacramento non spectari materiam rigorose, sed per tropum, & propterea Concilia res vocant tamquam materiam absolute; quatenus scilicet ab aliquo alio perfectibiles sunt, identidemque tu puta accipi res, siue rerum nomen à Concilijs latiori quadam significatione, quatenus nedum sensibiles substantias, sed actus quoscunque sensibiles à verbis determinabiles exprimunt, quæ ob hanc causam formæ vicem gerunt.

Responsio ad obiecta Durandi de matrimonio.

Et de sacramento pœnitentiæ.

14 Demum ad sacramentum pœnitentiæ adde; Illud ad quoddam Iudicij genus referri, quod ob id à Scoto *dist.19. huius 4.q.4. litt.B.* vocatur sacramentum Iudiciale, & iudicium sacramentale; cumq; ad perfectum iudicium accusatio rei, eiusque displicentia præcedere sententiam absolutionis debeat, quæ propterea totum dicitur complere iudicium, etiam in hoc sacramento actus accusationis spontaneæ pœnitentis, & de peccatis displicentia, qui sunt pœnitentis actus præcedere Sacerdotis absolutionē debent: & rursum, sicuti in humano iudicio per accidens verba in accusatione, ac pœnæ tenentia inuoluuntur; cæterum actus illi quia præuij, ac perfectibiles sunt à Iudice, quasi materia dicuntur Iudicij, ita in sacramenti Iudicio actus pœnitentis, etsi per accidens admixti verbis præuij, ac determinabiles à forma absolutionis vicem gerunt materiæ.

Reclamatio Durandi.

Sed hic reclamat Durandus *d.16.q.1. 4. sent.* hos pœnitentis actus ad solam Confessionem reuocari, si illi sensibiles esse debent; nam & absque satisfactione completur sacramentum pœnitentiæ, & contritio insensibilis est, est enim solius cordis confractio ex nominis energia, *contritio*, scilicet, *cordis tritio*, vel *scissio*.

Reijcitur


Hæc Durandi reclamatio solutionem difficultatis ter magnæ perquirit, an scilicet tres illi actus pœnitentis sint partes pœnitentiæ essentiales, an conditiones, de qua suo loco; interim vberiorē doctrinam ad sequentia capita remittentes dicimus, insensibilem contritionem satis per externa signa sensibilē ostendi, & satisfactionem saltem in voto necessariam esse, ut suo loco dicemus.

Vasquezij sensus.

15 Gabriel Vasquez primam Durandi difficultatem de sacramento pœnitentiæ alio modo nihil facit *disp.129. cap.1. num. 10.* ait enim, quod confessio non tan-

DE QVIDDITATE SACRAmentorum Methaphysica.

DISPVTATIO II.



Quidditatem rei duplicem ex duplici capite venantur Scolastici; Methaphisicam scilicet ex genere,& differentia; Phisicã vero per partes,& principia; à quo ordine nõ discedendum arbitrati in hoc opere disputationem præsentem de Methaphysica sacramentorũ quidditate proponimus. ex eius genere, ac differẽtia metiendam, quod est dictu disputationi propositam diffinitionem sacramenti, phisicas eius partes in tertiam disputationem reijciendo.

AN SACRAMENTVM diffiniri queat.

CAPVT I.



1 Sacramentum quoquomodo diffiniri posse nusquam fuit inter Scolasticos dubitatum, cæterum cum diffinitio duplex, altera, quam quid nominis altera, quam quid rei explicantem vocant, numquid vera prædictum sit diffinitione explicante quid rei non vno sensu firmatum est; nam Ricardus *in 4. dist* 1. *art*. 1. *q*. 2. & Maior *q*. 1. veram à sacramento diffinitionem ademerunt; propterea quod diffinibile quoduis vnum debet esse, non multiplex; in sacramento autem plura miscentur; tribus namque potissimum completur rebus nimirum, verbis, & intentione ministri. Alij è contra absolute verã sacramento diffinitionem absq. vlla diuersitatis,aut difficultatis ansa pacifcuntur. Alij demum sin minus secundum omnes entis diffinibilis conditiones, saltem secundum aliquas, easdemque potissimas diffinitionem sacramento tribuunt.

Opinio Maioris, & Richardi.

2 Scoti sententia nonnullis præstatis aperietur; & primo ex sequenti capite accipiendum est, sacramentum finiri à Scoto, vt sit sensibile signum à Deo institutũ gratiam efficaciter significans ex virtute operis ad salutem hominis viatoris; quo circa ad eius conflandam essentiam plura conspirant, seu plura necessario requiruntur. Primo exposcitur, vt *sit signum*; hoc est, vt aliud in se, aliud præ se ferat; aliud namque ostendit ad extra signũ, aliud significat; quemadmodum digiti ad os positio positionem ipsam digiti ad os ostendit, silentium tamen indici significat; ita sacramentum rẽ vtique ipsam, super quam significatio fundatur ostendit, sed quidpiam, aliud significat; signum nemque ab Augustino *lib. de doctrina Christiana cap.* 1. finitur, vt sit res speciem ingerens sensibus aliquid aliud ex se faciens in cognitionem venire; hæc autem signi ratio sacramenti propria sacri signi ratione significat, ita vt sacramentum non quoduis, sed sacrum sit signum; nedum quia ad diuinum redigitur cultum ipsa sacramenti cuiusuis ceremonia, sed quia sacram rem significat; vnde communi diffinitione finitur sacramentum, vt sit sacræ rei signum, qua de re infra.

Sacramenti diffinitio ex Scoto.

Signi diffinitio ex Augustino.

3 Exposcitur secundo, vt *sit sensibile quippiam*; quoniam cum humanæ mentis captus imbecillius alio nequeat in hoc statu modo ad inuisibilia subleuari nisi sensuum adminiculari ope, iuxta illud Pauli, *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt &c.* optimo consilio ad insensibilia dignoscenda, quæ per hæc signa significantur, sensibilia sacramenta poposcit; hæc siquidem altera instituendorum sacramentorum necessitas erat, vt eorum adiumento mens imbecilla foueretur ad superna capienda. Noui Ochamum, & alios similis farinæ viros putasse fieri posse, vt sensibilitas non necessario sacramenti essentiam cõflaret; cum etiam mentalis oratio, si Deo placitum esset, gratiam suapte natura dare queat,& sacramenti proinde rationem induere: sed quidquid sit de absoluta Dei potestate, quæ nullis circumplexa legibus eo se, quo vult potest extendere, & factibile quoduis producere, facti tamen, & executi operis methodus aliud nos docet, ac fateri cogit, sensibiles res sacramenti integrare naturam docente Florentino Concilio in decreto pro Armenis, verba, & res addita ministri intentione sacramenti maturam perficere.

Ochami placitum reuerberatur.

4 Exposcitur tertio, vt *sit à Deo institutum*; siquidem cum sacramenti finis fit ani-

sit animi infirmi salus; omnia namque tradita sunt in remedium, ac medelam, siue curantem, vt baptismus, & pænitentia se habent, siue præseruantem, vt cætera, salusque eadem æterna, non nisi Deo dante queat haberi; insuper cum efficaciam, quam sacramenta ad ferendam gratiam (in id enim muneris sunt instituta) habent ex humanis habere nequeant; diuinum profecto pactum postulant, neque proinde aliunde, quam à diuina institutione propendent. Hæc dixisse ad constitutionem sacramenti crassa quadam, sed necessaria Mineruа necessarium fuit, vt aditum ad subtiliora patefaciant.

5 Accipiendum igitur secundo essentiã rei metiri nos posse vel per formalia, vel per materialia; norunt. n. logici, nomen quoduis, vel pro formali, vel pro cõnotato, seu materiali vsurpari posse, & materialiter quidẽ sacramentũ, & formaliter proinde sumendum. Formalis sacramenti ratio in significatione sita est; eo namque sacramentum, quo signum est; Materialis autem elementa rerũ, verborum, & effectus producti; exempli gratia, baptismi formalitas in significatione deletionis originalis culpæ, & elargitæ gratiæ collocatur; materialitas autem in ablutione, inque verbis, & aqua, & gratia, ipsa collata. Ex hac doctrina deducito formalitatem sacramenti in nullo positiuo absoluto positam; ratio est, quia cum sit formaliter signum, & signum relationem indicet, relatione consequenter complebitur sacramentum: Deducito secũdo, cum hæc signi relatio ad gratiam non ex positione termini, & fundamenti, sed aliunde consurgat, non esse de genere illorum respectuum, quos intrinsecus aduenire, hoc est, positis extremis consurgere suapte natura necessario Scotistæ arbitrantur; de quibus dictum est nonnihil in logicis; sed ad id relatiuorũ spectare genus, quæ extrinsecus adueniunt, hoc est, quæ aliquid aliud præter fundamentum, ac terminum exposcunt, vt in lucem prodeant: vnico exemplo rem palam facimus.

Formalitas, & materialitas sacramenti quænam.

6 Positis parente, ac filio absque vllo adminiculo secundum suam naturam paternitatis respectus inter vtrumque intercessurus insurgit, qui interne aduenire censetur, hoc est, nullo alio indigere auxilio præter fundamentum, ac terminum, vt ortum habeat; positis autem stipula, & igne non statim inde surgit incensio, & actio ignis in stipulam, debita propinquitate deficiente, cuius opere futura sequens ignis actio respectus dicitur externe aduueniens, hoc est, alieno indigens ad insurgendum adiutorio. Ad rem autem nostram reuertentes dicimus relationem hanc in sacramento ad gratiam non interne insurgere; alioquin gratia posita necessario sacramentum secum perpetuum haberet socium, quod falsum est; quia sacramento transacto remanet gratia, quæ interdum ex interno motu habetur; neque proinde necessario per sacramentum datur. Adde, si sacramentum suscipiens obicem ad recipiendum gratiam ponat, sacramentum ipsum gratiam non conferre, vt suo dicendum est tempore; significatio igitur gratiæ in sacramento ad illorum respectuum genus attinet, qui extrinsecus dicuntur aduenire. Deduc præterea ex hac doctrina; cum audis formale, & materiale, non esse intelligendam materiam, aut formam Phisicam; quia sensus hic ambitum huius capitis excedit, secundum quem sensum verba dicuntur formalia, res autem verba, vt infra. Deduc quarto, relationem signi complentem formalitatẽ sacramenti non esse relationẽ realẽ; quamuis enim inter extrema intercedat realia, nempe inter res, verba & gratiã; quia tamen sensibilia suapte natura nexum illum non habent, sed ex Deo volente dumtaxat; fit vt ad genus realium relationum non queat reuocari; norunt enim Methaphisici ad complendam relationem realem non esse satis, vt extrema realia habeat; alioquin Dei ad Creaturas relatio esset realis, quod falsum est; sed inter cætera expostulari, vt relatio fundamentum consequatur ex natura rei; vnde actio ignis in stipulam ex natura rei competit illi; actio autem signi sensibilis ad gratiam non ita, sed ex Deo instituente dumtaxat.

Doctrina de relationibus.

Sacramenta sunt relationes externe aduenientes.

Sunt quoque formaliter relationes rationis.

7 Accipiendum tertio; Rerum diffinitionem, quam præsentis instituti ratio postulat, duplicem esse, quandam propriam, quandam minus propriam; impropriam voco eam, quæ est oratio quã cunque rem explicans, siue res illa vera sit, siue ficta; quo pacto, & quæ non sunt, nec esse possunt sub diffinitionem cadunt; vnde rogatus, quid sit Hircoceruus? respondebo esse animal à capite quidem ad renes vsque cerui, inde au-

Diffinitio rei duplex propria, & impropria.

tem ad pedes vsque hirci speciem ferens, qua diffinitio Hircocerum quidem designab.t; impropria autem diffinitione, quam alio nomine descriptionem appellant; cum Hircocerus nullibi sit, aut esse queat, animal vtpote ficticium, & Chimericum; Sicut & Chimera ipsa, quam finiunt, vt sit animal leonino capite, equino dorso, draconica cauda; quale tamen nullum est; nisi ex occasione cuiusdam montis huius appellationis, cuius vertex leone, media pars equis, extrema draconibus abundat. Magnâ chimerizandi materiâ.

Fictiones describuntur non diffiniuntur

8 Propriam diffinitionem voco, quæ veri entis quidditatem designat, quæue non vnam, aut alteram, sed plures ad rem diffinitione donandam conditiones exquirit singulas ex Peripatetica doctrina manantes. Porro *Aristoteles* hęc prę cæteris de diffinitione effata nos docuit: 1. *sup. cap.* 4. diffinitionē dixit esse orationem verum esse significātem: 7. *Meth. cont.* 11. docuit diffinitionem esse primo substantiæ, secundo accidentis, tertio entis per accidens, & *cont.* 16. diffinibile esse vnum decreuit, & 5. *Meth. tex.* 14; & rursum 6. *Meth. cont.* 8. diffinitionem ab entitate rationis propellit. 8. *Meth. cont.* 9. diffinitionem ait esse orationem longam explicantem quid, & quale. 7. *Meth. cont.* 14. dixit solam speciem diffiniri, denique 1. *Posterior.* diffinitionem non secus, ac demonstrationem æternorum esse voluit.

Conditiones diffinibilis ex Aristotele

9 Hęc *Aristotelis* sparsim conflata doctrina methaphysicos admonet, quodcunq; debet in diffinitionē venire hisce fulciri debere conditionibus.

Prima conditio

Prima, vt sit ens seu ut non sit non ens: contingit autem aliquid esse non ens tripliciter; vel contradictoriè, vel negatiuè, vel priuatiuè: non ens contradictoriè est ens impossibile, seu quod nullo modo esse pōtinō ens negatiuè est negatio entis; non ens priuatiuè est entis priuatio, de quibus priuatione, ac negatione parta à rerum naturalium principiis occasione in primo Phisicorū disseritur. *Hanc* primam diffinibilis rei conditionem tradidit *Aristoteles* 1. *Top. cap.* 4. & 7. *Meth. cont.* 11. quibus indicat diffinitionem rei entitatem sequi, proinde nisi vera sit entitas, quæ debet sub finitionem venire, neque vera finitio.

Secunda conditio

Secunda, vt sit ens vnum per se, quam tradidit *Aristoteles* 6. *Meth. cont.* 16. eadem ratione, quia scilicet entitati comes est diffinitio, plurium igitur plures, vnius vna: Adde, quod cum de ente per accidens non sit scientia, neque diffinitio esse poterit, quæ est scientiæ medium. Notanter dictum est debere diffinibile esse vnum per se, vt diffinitione etiam donemus Phisica composita ex materia, & forma, ex actu, & potestate Methaphysica, dummodo componentes partes vnum quid per se conflent, nomine igitur entis per se vnius tum ens simplex, tum ens compositum compositione præfata intelligitur. Quod si dices, si tanta ad diffinitionem rei tribuendam postulatur vnitas in re diffinibili, ablegandam profectò esse diffinitionem ab accidente, quod subiectum includit à quo dependet, rursumque ablegandam à relatiuo, quod suum correlatiuum includit: non officit (inquit Scotus) quia neque subiectum ad accidens, neque correlatiuum ad suum relatiuum se habent, ut partes ad totum, neque ut potentia ad actum, uel è contra, proinde à diffinitione seiungēda minime sunt.

Tertia conditio

10 Tertia, vt sit diffinibile ens reale, non rationis. Supponimus hoc loco entia rationis dari ex logicis, in quibus tota penes relationes rationis consideratio sita est, deque ijs diffinitionem negandam esse adstruit conditio præsens, quam docuit nos Aristoteles *cont.* 8. 6. *Meth* eodem fundamento, quo supra; quia scilicet entitati proportionatur diffinitio.

Quarta conditio

11 Quarta, vt diffinibile non sit simpliciter simplex, quid autem uelit sibi esse simpliciter simplex: dictum est in Methaphysicis, dum entis uniuocationē perquireremus; quæ namque superiorem nullum habent conceptum, in quē resoluantur, conceptum dicuntur habere simpliciter simplicem, quale est ens, quod propterea diffiniri non potest. Hāc cōditionē tradidit *Aristot.* 8. *Meth. cont.* 9. dum dixit diffinitionem debere esse orationem longam exprimentem quid, & quale, hoc est exprimentem rei diffinibilis quidditatem, & qualitatem, genus nimirum, ac differentiam; quia illud prædicatur per modum quidditatis, hæc per modum qualitatis, ut diximus in logicis.

Quinta conditio

12 Quinta, ut sit diffinibile uniuersale. Ratio est ab Aristotele tradita in 1. *de posteriori resolut.* ubi diffinitionem demonstrationis instar æternorum esse docet, uniuersalia autem sunt huiusmodi, singulare uero corruptibile est: quomodo autem hæc æternitas requiratur ad obiectum scientię, & diffinitionis uide nostram interpretationem ibi: ex his con-

di-

ditionibus diffinibilis descriptionem habes. Est enim ens verum positiuum per se vnum, reale, non simpliciter simplex, & vniuersale. Notatis hisce.

13 Asserendum, ex quo non omnes rei diffinibilis conditiones sacramento aptantur, simpliciter perfectissima diffinitione finiri non posse. Hoc assertum probatur ex singularum consideratione conditionum, vt cognitis, quæ ei conueniunt, quæue ab eo segreguntur, asserti veritas elucescat. Prima ergo conditio non deficit sacramento, quia id negatio non est, neque priuatio simplex, vt idem nomen sonat, quod nihil priuat, vel negat; sed neque est ens impossibile, quia Deum creare gratiam ad salutem hominis possibile est; rursum possibile est effectum hunc aliquo signo medio Deum producere, cum & nos ita ad aliquod signandum signa etiam visu capiamus, vt oscula ad pacis inditium; cumque effecta signorum quædam sint præterita, quædam futura, quædam præsentia; hinc signum ipsum aliud rememoratiuum dicitur, quod respicit effecta præterita; aliud demonstratiuum respiciens effecta præsentia, aliud prognosticum respiciens effecta futura, quæ si nos instituere possumus, multo magis Deus: rursum possibile est Deum se se determinare ad cooperandum signo instituto ad hoc, vt infallibiliter effectum largiatur; quia & nos possumus ita gerere, vt signo, exempli gratia, eleuationis digiti ad signandam pacem cooperemur; dummodo aliunde impedimentum non oriatur, nempe ex suscipiente: si ergo hæc omnia possibilia sunt, sacramentum erit ens possibile, quia ipsum nihil est aliud, nisi gratiæ signum efficax à Deo institutum ad hominis salutem.

Sacramentum perfectissimè diffiniri non posse; sed quoquomodo diffiniri posse probatur

Rursum probari potest sacramentum non esse ens impossibile; quia ens impossibile est, cuius ratio est in se falsa; sed ratio sacramenti non est in se falsa; ergo ipsum non est impossibile; Minor patet; quia sacramentum finitur, vt sit *signum sensibile efficax à Deo institutum, gratiam, seu effectum gratuitum efficaciter significans ex diuina ordinatione ad salutem hominis viatoris*; huius autem diffinitionis particulæ ad inuicem minimè pugnant, pugnare autem deberent, vt esse falsa posset ratio tota.

Probatur iterum

14 Neque secunda conditio à sacramento desideratur, quoniam ens non vnum esse contingit bifariam, vel quia ex pluribus eiusdem rationis entibus coagmentatur, vel quia constatur ex pluribus diuersæ rationis, quorum neutrum vnum est [illegible] per se [illegible] primo modo aceruus lapidum non dicitur habere vnitatem per se, quia ex pluribus constituitur lapidibus, neque illi se habent ad inuicem, vt pot. [illegible], & actu; secundo modo multa diuersæ rationis ad inuicem conglomerata faciunt vnum non per se, quod propriè dicitur ens per accidens: at qui neutro modo vnitatem sacramentum amittit, quia formaliter sacramentum est relatio, quæ (etsi multiplex sit fundamentum, ac terminus) vna remanet: quod nedum in relationibus rationis verum est, sed etiã in ente reali; nam paternitas, quæ respectum denotat parentis ad filium, subiectum connotat, & terminum respicit; quæ duo plura sunt, nec vnum per se faciunt; ipsa tamen paternitatis relatio vnica est, & suaptè natura diffinibilis: pari modo cense à sacramento præ se ferri relationem vertentem inter res, & verba, ac gratiam, quarè, licet illa plura sint, vnica remanente relatione signi vna remanet formalis ratio sacramenti.

15 Sed reclamat in hunc locum Suarez *disp. 6. citata* huiusmodi loquendi genus reprehendens, & enitens non esse sic loquendum; nam (inquit Suarez) sacramentum non est sola significatio, sed essentialiter includit rem significatam, sicuti domus non est sola figura, sed res quædam artificialis constans ex tali materia, & figura; & nomen non dicit solam significationem, sed vocem sic significantem: sic sacramentum non dicit significationem solam, sed illam vt in tali materia. Quibus concludit Suarez Sacramentum non esse ita vnum, vt vnus est homo; sed ita, vt exercitus, & oratio per modum entis vnius artificialis dicitur vna.

Reclamatio Suarezij

16 At reclamationi huic nostras obturamus aures, quæ si paterent; displiceret reclamatio in multis. Displiceret primo, quia significationis relationem arbitratur essentialiter includere rem significatam, quod falsum est: quia relatio essentialiter est alia res à fundamento, ac termino, vt monent Methaphysici. Displiceret secundo transiens à re significata ad significantem: prius enim dixerat rem significatam in significatione includi, mox exemplificat de re significante, vt forsan vtrũq; essentialiter

Reflectitur.

fundamentum, ſcilicet, ac terminum eſſentiales relationis fateatur eſſe partes, ſicque miſeram relationem, quæ forma eſt, compoſitam faciat. Tertio, quia magis vna eſt relatio hæc, quam oratio, & exercitus, quæ à Suárezio pro materiali ſumpta non poſſunt eſſe entia niſi plura, & per accidens, qualis non eſt relatio noſtra. Adde demum tranſitum ab eo fieri à ſimplicitate formali Methaphyſica ad Phyſicam, vtique enim Phyſice ſacramentum plura includit; at Methaphiſicè ſolam formalem relationem dicit, quæ licet fundamento prædita ſit, ac termino ſuaptè tamen natura vnitatem non amittit; quia ſubiectum, ſiue fundamentum, ac terminus diſfinitionem relationis tamquam additaměta ingrediuntur, non tamquam eſſentiales partes, vnde ex multiplicitate illorum multiplicitatem relationis metiri, eſt contra Philoſophiæ rectam Methodum, qua docemur ad perfectā relationis intelligentiam, vt quieſcat in eius diſfinitione intellectus, vtique aſſumi ſubiectum, ac terminus non tamen vt per ſe partes, ſed vt additamenta. Quartam conditionem etiam habet, quia relatio ſacramenti reſolubilis eſt in alios citeriores conceptus, puta accidentis, entis, & ſimilium, quare non eſt ſimpliciter ſimplex, eademque ratione poſtrema conditione præditum eſt; quia cum ſacramenta ſint plura, illaque ad inuicem quaſi ſpecie differant, ſacramentum ad illa relatum vicē gerebit generis, atque ideo vniuerſalis.

Conditiones ſingulas rei diſfinibilis aptari Sacramento monſtratur

17 Verum tertiæ conditionis defectu rigoroſa diſfinitione deſtituitur; deſideratur enim tertia conditio; quoniam ex dictis ſacramenti relatio rationis eſt, proindeque vera diſfinitione, quæ entibus realibus aptatur, deſtitutum eſt, ſed ſi diſfinitionem ad quamcunque rem conceptum habentem in intellectu, ſiue realis illa ſit, ſiue rationis, extendes; diſfinitionem ſacramento aptabis. Atqui ex hac doctrina nedum patefacta eluceſcit aſſertionis noſtræ veritas, ſed & oppugnantia, ſi quæ ſunt, dilui facile poſſunt argumenta, vt iure finem liceat capiti imponere. Scio Ioannem à Lugo *diſp. 1. ſect.* 2. eniti pro Suarezio perſuadere ſacramentum non eſſe ens rationis, ſed quia entia rationis cum entibus fictis confundit, dum non conuenimus in nomine, non eſt cur ab eo vexemur.

Sacramentum non rigoroſè diffiniri poſſe concluditur.

QVOMODO FINIATVR ſacramentum.

CAP. II.

18 SAcramenti diſfinitiones ad capitum diſſentientium numerum numerabis, ſed hæ ſunt potiores. Prima. *Sacramětum eſt ſacræ rei ſignum.* Hanc diſfinitionem tradit Sanctus Thomas *q. 60. art. 1. 3. p.* ex Auguſtino *lib. x. de Ciuit. Dei* (vt ipſe ait) elicitam, & hæc in omnium ora potiſſimum vagatur. Secunda diſfinitio. *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ forma viſibilis, eiuſdem gratiæ ſimilitudinem gerens, & cauſa exiſtens.* Hanc tradidit Senten. Magiſter in hoc 4. d. 1. qui ſuperiorem etiam ex Auguſtino indicauit. Tertia diſfinitio. *Sacramentum eſt materiale elementum ſenſibiliter propoſitum ex ſimilitudine repræſentans, ex inſtitutione ſignificans, & ex ſanctificatione continens aliquam inuiſibilem, & ſpiritualem gratiam.* Hanc præſtitit Hugo Victorienſis *lib. 1. de ſacram p. 9. cap. 1.* Quarta diſfinitio. *Sacramentum eſt, per quod ſub tegumento rerum viſibilium diuina virtus ſecretius operatur ſalutem.* Hæc tribuitur Iſidoro *lib. Ethimolog.* eandemque probat Gratianus *in decretis cauſa 1. q. 1.*

Prima diſfinitio Sacramenti ex S. Thoma

Secunda ex Aug.

Tertia ex Hugone

Quarta ex Iſidoro.

19 Quinta diſfinitio. *Sacramentum eſt res ſenſibus ſubiecta, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis, & Iuſtitiæ tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet.* Cathechiſmus ad Parochos ex decreto Pij Quinti in lucem editus hanc commodat.

Quinta ex Catechiſmo rom.

20 Sexta diſfinitio. *Sacramentum eſt ſignum ſenſibile ad ſanctificationem aliquam conferendam, & veram animæ ſanctitatem ſignificandam inſtitutum.* Hanc docuit nos Suarez *loc. cit.* quam & in hæc verba dilatauit. *Sacramentum eſt ſacra, & ſenſibilis cæremonia homines aliquo modo ſanctificans, & veram ſanctitatem ex inſtitutione ſignificans.*

Sexta & eius amplificatio ex Suar[illegible]

21 Demum Scotus (mitto enim alias diſfinitiones) *diſt. 1. q. 2. ar. 3. ſacramentum eſt,* inquit, *ſignum ſenſibile gratiam, vel effectum Dei gratuitum ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificans ordinatum ad ſalutem hominis viatoris.*

Septima ex Scoto

22 Huiuſce autem Scoticę diſfinitionis perfectionem hoc argumento metire; quoniam perfecta diſfinitio illa cenſetur, quæ & per genus, ac differētiam datur, nec diſfinitum excedit, vel ab eo exceditur

Diffinitionis Scoticæ veritas dilucidatur

ditur, neque vllam rei diffinitæ causam silentio inuoluit; at hæc diffinitio tanti est ponderis, vt præfatis prædita sit conditionibus singulis; quare ægregia censenda est.

23 Maiorem ex communi Philosophorum confessione habes; cum enim diffinitio debeat quodquid erat esse rei explicare, hoc est, rei diffiniendæ quidditatem patefacere, & ipsa rei quidditas, vel ex causis omnibus, vel ex internis potissimum, quæ materia, & forma sunt, coalescat; fit inde, vt ijs cognitis nihil præterea cognoscendum supersit. Minor probatur; quia genus in præfata diffinitione ponitur; quod est *ly signum*; cætera autem particulæ vices differentiarum habent; nempe *ly sensibile, & efficaciter*.

24 Adde, quod, cum sacramentum formaliter sit relatio signi huius genus ponitur *signum*, differentiæ autem sunt, quas diximus, cumque relatio inter fundamentum versetur; ac terminum, habet fundamentum per illam particulam *sensibile*: terminum vero per illam, *gratiæ, vel effectus gratuiti* vocem; denique si quatuor contempleris causas; has inspice; genus quidem loco materiæ; differentias autem loco formæ, efficientem causam per particulam, *ex institutione diuina*, finalem, per aliam particulam, *ordinatum ad salutem hominis viatoris* inspices; vt nullus ambigendi tibi superesse queat scrupulus. Sed nec vlli cordato viro subrepsit de ea dubium, deme Sotum, qui eam censet non sapere diffiniendi artem, quam Cicero tradit 4. *Rheb.* aiens diffinitionem debere esse breuem, ac circumscriptam rei explicationem quandam, & multa continere, quæ adhuc sub iudice vertuntur, puta, an Deus sit sacramentorum institutor; an gratiam causent; an sensibilia sint signa.

Soti reprehensio.

25 In hac tamen reprahensione minus corditum se præ se Sotus tulit; nam in primis in Phisiologis ac etiam Theologicis, quibus Phisiologia ancillatur vniuersa Aristoteli circa diffinitionem standum, quam Ciceroni magis; at Aristoteles *loco citato* diffinitionem vocat orationem longam explicantem quid, & quale, Cicero breuem: valeat Cicero, dum secus ab Aristotele sensit in hoc potissimum genere; nisi fortasse mauis Ciceroni ancillatus breuitatem illam in eius verbis interpretari, non pro breuitate absolute, sed pro breuitate possibili, ita vt breuis illa dicatur oratio, quæ nec desiderat, nec superflui respuit quidquam; quo sensu diffinitionem Scoti vere breuem neque in caritate, neque in vbertate peccantem, sed cum diffinito vertibilē; Quod autem in ea quædam assumantur sub iudice; distinguo assertum, sub iudice, hoc est, dubia, & nondum certo scita, falsum, seu nego assertum, quod cum fide parum hæret; quia & sensibilia signa esse, & gratiam conferre, & à Deo instituta sacramenta Concilij Tridentini decreta sanxerunt *sess. 7.* subiudice, hoc est, sub scolastica concertatione, non tanquam de re dubia, sed tanquam de re, quam ventilando vberius probant; concedo: sed hæc posse in diffinitionem venire nemo ibit inficias.

Etcius vanitas

Aristoteli magis quam Ciceroni assentimur.

26 Cæteræ diffinitiones, vel ex parte peccant, vel ad bonam frugem reuocari possunt. Prima diffinitio latius, quam par est patet, nam & sacrificijs, quæ à sacramentis distincta sunt, conueniunt; immo solis sacrificijs ab *Augustino* accommodatur *lib. 10. de Ciuitate citato* dū ait. *Sacrificium ergo visibile inuisibilis sacrificij sacramentum, hoc est sacrum signum est.* Est autem hæc, vt optimè notauit Scotus nominis potius, quam rei sacramenti vera diffinitio. Secunda diffinitio si formam pro signo sumat, etsi aliquid desideret, puta effectricem, ac finalem causam, satis apta est; pariformiter de tertia philosophare, vbi elementum sumi pro signo posset, & visibile pro sensibili, similiter & pro sensibili materiale: sed hanc citra breuitatem peccantē in censuram suam incidisse reprahenderet Sotus. Isidori diffinitio ethimologiam vocis, quam quidditatem præfert potius rei; idcirco reprahensione non caret; vtpotè sacrificijs etiam communis; per quæ visibilia inuisibilem salutem Deus cum priscis patribus operabatur. Cathechismi etiam finitio rudi quadam minerua traditur, non tamquam *Aristotelis* more perfecta, sed pro Parochorum captu idonea; vnde libri titulus est Cathechismus ad Parochos non ad Philosophos, aut Theologos; quorum est subtiliora callere, & veram diffiniendi artem rimari.

Aliorum diffinitiones, vel ad interpretationem, vel ad bonam frugem reuocātur

27 In diffinitione vtraque (nisi mauis vtramque eandem appellare) Suarezij sola effectrix desideratur causa, & finalis explicitè tradita. Lugo *disp. 1. sect. 2.* hunc in modum sacramentum diffiniuit. *Sacramentum, est cæremonia sensibilis, quæ suo vsu sanctificando subiectum significat gratiam internam, cuius est causa.* Verum & hæc deficiens est, siquidem effectri-

In quo deficiūt diffinitiones Suarezij, & Lugo.

effectricem causam desiderans non censetur perfecta rei descriptio, quæ per singulas decurrere causas debet explicans quid, & quale, vt Aristoteles ait.

Adhuc vrgetur Lugo

Præterea si ex eodem Lugo sacramentum *sect.* 3. collocatur sub genere causæ, & sub genere signi, & principalius sub genere signi, vnde fit, quod in diffinitione allata nec causa, nec signum ei datur pro genere; sed cæremonia dumtaxat? Certè hæc duo non cohærent, est sacramentum sub genere signi, vel causæ, & causa, vel signum non assignatur sacramento pro genere in diffinitione; homo namque, qui est sub genere Animalis, haud rectè finitur nisi dicendo, quod est animal, siquidem diffinitio danda est per genus proximum, non per remotum.

28 Circa particulam illam pro genere in sacramenti diffinitione positam, *signum* petunt Recentes communiter an sacramentum sit signum naturale, an ad placitum? Videtur tamen petitio ipsa abundans, cum ex terminis liqueat signum illud ex diuina institutione vim significandi habere, & obinde non posse vllo modo dici signum naturale, sed ad placitum dumtaxat, inde ægregiè Suarez, & Vasquez, ille *disp.* 1. *sect.* 3. Hic *cap.* 4. *num.* 47. supponunt. vt certum debere esse signum ad plâcitum, nec posse esse vllo modo naturale.

Petitur an sacramentum sit signum naturale.

Responsio Suarezij & Vasquezij

29 Nihilo tamen minus Lugo *sect.* 3. quamuis id verum esse de facto concedat, non retur impossibile, immo possibile, vt sacramentum possit esse signum naturale gratiæ, ducitquè exemplum à charactere Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, qui, cũ sit qualitas, est tamen de sua natura ordinatus intrinsecè ad significandam gratiam sacramentalem; quare pari pacto poterit res alia sensibilis per suam entitatem, ac internam naturam habere talem cum gratia nexum, vt illã significare posset vel præsentem, vel futuram; adducitque pro suo sensu doctrinam Patris Herlce 1. *p. tom.* 1. *disp.* 48.

Responsio Lugo, & Herice;

30 Est tamẽ doctrina penitus apud Scholasticos noua posse sensibilem rem ex interna natura sua significare sanctitatẽ hanc sacramentalem. Quid est enim hæc significatio, nisi efficax, vt patet, in diffinitione sacramenti? At quid materiale efficaciter gratiam significare naturaliter potest? Numquid naturaliter attingi potest gratiæ effectus? Certè Hæc significatio si daretur rei naturalis, naturaliter res posset assequi gratiam, quod falsissimum est. Porrò in via Scoti nihil esse præterea gratiam efficaciter significare, nisi ex opere operato infallibiliter gratiam causare in suscipiente, patet apud ipsum *d.* 1. *q.* 2. *littera M.* & ratione conuincitur; quia res sensibiles connexionem nullam habent naturaliter ad significandum insensibilia; cum inter signum, & signatum naturaliter debeat esse connexio, sed quam connexionem sacramenta habere intrinsecam possunt ad gratiam, quæ spiritualis est, & insensibilis, cum ipsa sensibilia sint, ac materialia? & quod de charactere fertur ab Aduersario gratis omninò fertur, cum nec character sit qualitas, sed relatio, nec nisi ex diuina institutione gratiam significet, vt suo loco dicetur, vnde Lugo ad comprobationem dubiæ rei rem magis assumit, vel æquè saltem dubiam. Si ergo perfectam, nec vngue tenus vberem, aut egentem diffinitionem postulas, hanc tibi, quam Scotus commodat, insere animo, quam supra explicuimus; de qua superest dubiolum, num solis nouæ legis sacramentis sit propria, an verò ad sacramenta etiam vetera legis Moysis, & legis naturæ profundatur, discutiendum est capite sequenti.

Reijcitur à Scotis.

Sensibiliũ ad insensibilia naturalis nexus nullus



AN

AN VNIVOCE PRÆFATA finitio noua, & veteris legis sacramentis conueniat.

CAP. III.

31 PRopositum dubium duæ aduersantes sententiæ augent, & vna media. Extrema vna sententia affirmat finitionē allatam, quā parte significationem sacramentis tribuit respectu gratiæ singulis sacramentis singularum conuenire legum, siue sacramentum præsse, siue late sumas, nam etiam cæremoniæ antiquæ legis à Deo emanarunt ad gratiam significandā pro hominum acquirenda salute; in hanc sententiam veniunt plerique Recētes, quorum fere opinio ad sacramenti quidditatem nequaquam spectare collationem gratiæ secundum efficientiam ex vi operis, ita vt sacramenta ipsa gratiam debeant causare. Porrò his socium se præstat Vasquez 3.p.disp.128.cap extremo hac vnica, quam multis inutilibus compaginat verbis perbreui ratione perductus: quia sacramenta omnia tam vera, quam cætera eiusdem rationis, sed rectius impropria, vniuoce in ratione signi sacræ rei, & gratiæ dicuntur, siue gratia, per ea detur, siue aliunde, quo fit, vt vniuocè etiam de sacramentis omnibus ratio prædicta dicatur.

Triplex dicendimodus

Primus Vasquezij & eius ratio

32 Parte ex alia quicumque Circumcisionem in scripta lege, & sacramentum legis naturæ è serie verorum sacramentorum ablegant, nefas esse putant eis diffinitionem allatam accommodare; proindeque vniuocè aliquid de singulorum statuum sacramentis dici posse constantissimè negant; quoniam de quocunque diffinitum negatur, & diffinitionem ipsam negari necessarium est ex logicis; at sacramentum negatur de circumcisione, & de alio ritu legis naturæ per ipsos; quare sequela deducitur necessaria, vt & diffinitio sacramenti de ijsdem negetur, & hęc secunda sententia ex aduerso opponitur primæ, vt patet.

Secundus aliorum

Et eiusfundamentum

33 Media incedendum est via, ac dicendū (si Scotica diffinitioni in superiori capite allatæ sit subscribendum) scilicet sacramenti diffinitionem vniuocè aptari sacramentis nouæ, & veteris legis: si nomine sacramenti veteris legis circumcisionem dumtaxat, & sacramentum legis naturæ, cuius ignoratur vocabulum, intelligamus, secludis alijs sacramentis improprie sumptis; quæ si in numerum veniant, nullo modo eis cum cæteris sacramenti diffinitione vniuocè prædicari dicendum est. Elicitur hæc sententia ex Scoti doctrina in 4.d.1.q.7.litt.H. vbi egregiè monet diuisionem sacramenti in sacramentum propriè, & impropriè dictum esse diuisionem nominis, & vocis in significata diuersa, & proindè non dici de vtroque vniuocè, quemadmodum homo dictus de homine verò, & picto æquiuocè dicitur, & non vniuocè; cum sit diuisio nominis in diuersas voces. Porrò diuisionem sacramenti in ea, quæ alium, & alium habent effectum, vel in ea, quæ diuersa sunt signa sensibilia, vel in ea, quæ maiorem, vel minorem inducunt effectum (cuiusmodi esse censetur diuisio sacramentorum nouæ, ac veteris legis) appellat Scotus partitionem superioris in inferiora; quod est dictu, diuisionem esse generis in species; ex quo elicitur, quod cum vniuocè genus de speciebus dicatur, siue genus illud supremum sit, siue intermedium, & ipsa sacramenti generica finitio sacramentis nouæ, ac veteris legis, quæ species illius generis censentur vniuoce conueniat.

Tertiae Auctoris

Scoti doctrina

34 Vt hęc sacramēti prædicamētalē lineā capias, aduerte sacramenti genus supremum esse vel signum, vel sacrum ritum; vnde series in hunc modum dirigatur. Cæremonia, siue ritus, alter sacer, alter prophanus; sacer ritus alius sacramentum, alius non sacramentum: sacramentum aliud (si ex fine diuisionem metiamur) delens originale, aliud mortale, aliud veniale; originale delens aliud pro lege naturæ suppresso nomine, aliud pro lege Moysis circumcisionis voce designatum, aliud pro Christi lege, quod est baptismus, quæ omnia sacramenta pro delendo originali species infimæ sunt sui generis: mortale delens pænitentia; veniale cætera sacramenta.

Series sacramentalis prædicationis

35 Ex partitione obserua deceptū fuisse Fabrum disp.1.sui 4.cap. extremo; dum pro minoris, vel maioris gratiæ collatione specificè sacramentum secat cum tamen & vulgus ferat, magis, & minus speciem non variare; non ergo specificè sacramenta veteris, ac nouæ legis differunt, qua parte minorem illa, quamnostra effectum inducunt sed, qua alias sibi differentias pacisfcuntur. Insuper seipsum alterum Fabri adnota; æstimat enim diffinitionem illam vulgi, sacramentum est sacræ rei signum vocalem, ac nominalem esse; cum sit sacramentum sola vox communis ad vera, & im-

Fabri error

Aliud error eius

pro-

propriâ ſacramenta, poſtmodum ſit ſacramentum in communi per duas differentias ſecari, nimirum per cauſationē gratiæ ex opere operantis, & per cauſationem ex opere operato, & ſic vno, eodemque aſſerto generis rationem, quam abſtulit à ſacramento, quod ſola voce commune putarat, ſacramento intulit partitionem illi per differētias oppoſitas apponendo, quia ſolum genus oppoſitis contrahitur differentijs. Demum caue tertium eius in hac re erratum; arbitratur enim ſacramenti rationem vniuocam eſſe ad noſtra, & veteris legis ſacramenta, ſed ſolum analogice, non autē vniuocè prædicari; vniuocam ſiquidem prædicationem confitetur, at vniuocè prædicari negat; quia ſcilicet proprius de noſtris, quam de ſacramentis legis antiquæ dicitur; quaſi vero prædicari aliquid vniuoce nequeat, quamuis analogice prædicetur; hoc enim aſſerens Thomiſtarum fauet aſſerto prædicationem analogam ab vniuoco & æquiuoco ſecātiū tertium quid prædicationis genus conſtituentiū. Hac autē Thomiſtarum doctrina euellitur adnotatis ijs, quæ in logicis edisseruimus, quorum hæc eſt compendioſa narratio.

Tertium Fabri erratum

56 Quod prædicatur, vel vniuocum eſt, vel æquiuocum; analogum enim vel cum uniuoco, uel cum æquiuoco conuenit; nam ſi ſit analogum proportionis perpetuo ad æquiuocum ſpectat, ſic riſus, qui per prius de homine dicitur, quam de prato virente analogicè dicitur, ſed æquiuoce; æquiuocè inquam; quia ſolo nomine communis eſt homini, & prato riſus; analogice autem, quia per prius homini, quam prato, cui ſola proportione aptatur riſus; ſi uero analogum ſit attributionis tunc ex diuerſitate formæ diuerſimodè analogum, vel æquiuoco, uel uniuoco copulatur, ſi.n. forma vtrique diuiſo conueniat verè, ſed per prius uni, quam alteri, uel perfectiori modo uni, quam alteri; analogia uniuocationis erit comes; ſi uero forma alteri tantum diuiſo verè conueniat, alijs autem minus verè, analogia coibit cum æquiuocatione: huius extremi exemplum eſt ſanitas, quæ de homine dicitur uerè, de vrina uero, & de dieta, uel effectiue, uel ſignificatiuè; analogia igitur inter hæc uerſans æquiuocationis eſt ſocia; alterius autem exemplum ſit animal, quod eſt genus ad hominem, plantam, & equum, ſed perfectiori modo in homine, quam in equo, & in equo perfectius eſt, quam in planta; en tibi analogia uniuocationi copulata. Diſſociatam ab altero prædicationis modo, ſcilicet, uel uniuoco, uel æquiuoco analogiam, qui fingit, arbitrarie loquitur.

Doctrina notabilis de uniuoco, æquiuoco, & analogo.

Analogia uniuocationis, uel æquiuocationis ſocia.

37 Aduerte inſuper, quod etſi per Ariſtotelem *in lib cathegoriarum cap. de ſubſtantia*, proprium ſit ſubſtantiæ prædicari uniuoce, attamen & in aliis generibus ſimilitudine quadā, in quibus & ſuas inuenire ſpecies, & propria genera poſſumus, conſimiles prædicationes nanciſcimur. Dixi notanter, ſimilitudine quadam, quia uera prædicatio uniuoce, & in quid, quæ eſt eadem in ſola locum habet ſubſtantia, ut diximus *diſp. de communic. Idiomatum tomo de Incarnatione*.

Prædicari uniuoce quomodo ſolius ſubſtantiæ proprium

38 Hiſce decurſis pronuntiata noſtræ ſententiæ fundamētum eſt, quia tā ſingula noſtræ, quam ueteris legis ſacramenta propria allatæ diffinitionis particulas patiuntur, etenim & ſigna illa ſenſibilia fuerunt ad ſalutem hominis inſtituta à Deo, & gratiæ inductiua, ut in ſuperioribus dictum eſt, quonam ergo iure ratio ſacramenti ab eis ademenda eſt? Neque ex dictis difficile eſt oppoſitæ ſeſe ſententiæ utrique opponere. Hinc capiti & diſputationi ſatis, &c.





DE QVIDDITATE SACRAmentorum Phisica.

DISP. III.

1 Methaphysicam sacramenti quidditatem dimensi genus, ac differentias venati sumus in hucusque decursis: at nunc cum sacramenta sensibilia sint signa, & formam, materiamque suo modo patiantur, quæ voces Phisicam redolent; sub hac voce visum est alteram disputationem ad sacramentorum quidditatem spectantem cribrare, cuius disceptationis.

ERIT INQVIRENS

An sacramenta omnia ex materia constent, ac forma.

CAP. I.



2 AGIT hac de re Scotus *in 4.d 3.q.1.& 2.littera* E, loquendo specifice de baptismo, & de more subtili adeo tramite, vt Sotus *d. 3 q. 1.* dictum Scoti afferat non multũ Theologum; quod & si ob risum Aduersarius ferat, seriò tamen verum est, dum Methaphysicè locutus Doctor nouo modo de sacramentorum materia, ac forma philosophatus est; vt infra dicetur.

Scotus in 4. d. 3.

Subtilitas in Scotum.

3 Interim ex communi Theologorum confessione firmandum, peculiare esse sacramentorũ nouæ legis priuilegium, vt ex materia coalescant, & forma, vt patentiori ritu fides nostra Deo protestetur, & sensibilioribus auxilijs ad insensibilia capienda subleuemur; in veteri vero lege, quoniam adhuc fides sub vmbra latebat, & in figuris contingebant omnia, hæc simpliciter necessaria fuisse, vel non fuisse, nulla ratio, aut auctoritas cogit. De sacramentis autem legis nouæ Concilium Florentinum in decreto Eugenij pro vniendis Armenis dilucidè sacramenta nouæ legis omnia ex materia, & forma constare decreuit quomodo autem id fiat, explicatu difficile est.

Obseruatio prima.

4 Ad eius autem captum obserua ex Scoto, materiam, & formam posse bifariam spectari primo propriè; quatenus scilicet sunt Phisicæ componentes rem partes; quo sensu de vtroque principio Aristoteles *in 1. naturalium* disseruit; secundo per similitudinem, ac methaphorã, & tropum; in priori sensu nullam uerè sacramentum materiam patitur; cum sit enim eius essentia in ratione signi posita, & signi ratio relatiua sit, rursum cũ relatio sit simplex forma, uanum erit materiam in sacramento secundum hunc sensum effingere, quod nullam suffert in sua significatione materiam, ex qua fiat; uerum cum relatio quæuis materiam exposcat, in qua sita sit, materiam, quam & subiectum, siue fundamentum relationis appellamus secundum hunc sensum patietur sacramentũ aliquam; hæc autem erit totum illud sensibile, super quod signi relatio fundabitur: ipsa uero efficax significatio forma erit: an autem forma pro altera parte compositi sacramentum scilicet constans ex sensibili, & signo, tanquam homo constatur ex anima, & corpore; an uero alio modo, difficultas non leuis turbat animum. Et certè Scotus *littera* C, uidetur hoc sensu locutus, ut relationem formam uocet pro altera parte cõpositi; unde Faber *disp.9 cap. 1.* absque difficultate cõcludit relationem signi in sacramento esse formam pro altera parte compositi, & sensibile totum esse materiam. E contra uero relationem esse formam pro altera parte compositi uerum constante cum materia compositum ineptissimè dicitur; primo quia relatio materiam ex qua negligit postulans solum materiam, in qua fundetur.

Obseruatio alia.

Materia, circa quã & in qua

Fabri doctrina reprehenditur primo

5 Secundo, quia ex rebus diuersorum generum unum phisicè per se non componitur; hinc philosophi materiam, & formam ad genus reduxere substantiæ, quippe quæ substantiam compositam gignunt; at aqua exempli gratia, & uerba in baptismo secundum genus differunt à significatione, quæ ad prædicamentum respectiuum trahitur, illa vero ad absoluta, aqua, scilicet, ad substantiam, verba autem ad quantitatem, ad quam reuocatur oratio: quare compositio phisica ex his inepta est.

Reficitur secundo.

6 Dicendum ergo Scotum loqui vtique de ve-

de vera forma pro altera parte compositi, dum relationem formam ait. sed non loqui de composito Phisico, sed Methaphisico, ex quo enim relatio contrahit sensibile ad esse sacramenti, tanquam actus censetur illius sensibilis contractis rursumque cum sensibile contrahatur per signum respectu eius potestatis rationem obibit. Secundum igitur hunc sensum materiam, & formam proprie sacramenta sibi adsciscunt. Verum, si materia, ac forma per tropum, & similitudinem capiantur, alio modo philosophandum est, & Theologice magis, quoniam in priori sensu difficultatem præsentem nec labio tenus Theologi delibant; licet perperam, me iudice, id agant; quoniam nec materiam similitudinarie possunt in sacramento reponere, nisi cognita ea, quã de fundamẽto, & relatione doctrinã tradidimus.

Forma, & materia bifariam spectantur.

7 Obseruandum ergo rursum, materiam, & formam per tropum, & similitudinem non ex parte relationis, de qua meminimus superiore adnotabili, sed ex parte fundamenti inuestigandam. Rationem autem huius superius tetigimus; quia scilicet relatio est forma simplex, & nullam materiæ ex qua admixtionem patitur; in fundamento autem duo conueniunt, quæ vnum integrant sensibile signum, nimirum verba, & res; exempli gratia, in baptismo confluunt verba illa *Ego te baptizo &c.* & aqua naturalis, siue ablutio, quæ est res, & fundamentum proximum; horum igitur alterum formæ, alterum materiæ naturam induet.

Relatio non habet materiam ex qua

8 At quomodo res se se habeat, aduerte ex Scoto duplicem verti modum dicendi circa fundamentum huius relationis signi. Nonnulli enim arbitrantur ex æquo partes esse fundamenti materiam, & formam, siue res, & verba; alii autem autumant materiam esse vere fundamentum, formam vero quasi circumstantiã fundamenti. Secundum primum dicendi modum res semper obit rationem materiæ, & verba rationem formæ (de hoc loquemur infrà) ratio est, quia quandocumq; aliqua duo ad vnum constandum ita conspirant; vt vnum sit quasi præuium, ac determinabile, alterum quasi posterius, ac determinatiuum, illud prius habet rationem materiæ, hoc autem formæ: sed res, & verba ita se habent: vt res sint quasi determinabiles, ac præuiæ, verba vero determinantia, ac posteriora; ergo hæc formæ, illa materiæ rationem induent. Maior ex philosophis euidens est, cum materia sit forma origine prior, ac contrahibilis, sitq; identidem formæ munus contrahere, ac determinare. Minor etiam dilucida est, quoniam verba materiam ad hanc fundandam relationem contrahunt iuxta illud Augustini genericum effatum. *Accedit uerbum ad elementum, & fit sacramentum.* Secundum alterum dicendi modum pari modo philosophandum est, siquidem si uerba sunt circumstantiæ determinantes materiam, ac fundamentum; cum de ratione formæ sit esse determinatiuum, itque de ratione materiæ determinari posse a forma, uerba ex consequenti forma, res erunt materies in fundamento.

Hæc difficultas in sequentibus enodatur.

9 Ex his deduc Assertum pro uniuersa hac difficultate affirmans; Sacramenta nouæ legis omnia ex materia, & forma cõstare, uel, ut rectius loquar, ex quasi materia, & quasi forma conflari. Probatur ex superiori doctrina: etenim res, & uerba ad unum quodque sacramentum perficiendum ueniunt; at res habet modum materiæ, uerba formæ; ergo unũquodque sacramentum ex quasi forma, & quasi materia constituetur. Minorem hucusq; decucurrimus. Maior traditur in Concilio Florentino in decreto Eugenij pro Armenis uniendis sub his uerbis. *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia verbis tamquam forma, & intentione ministri &c. quorum si quid desit non conficitur sacramentum &c.* in qua auctoritate adamussim habes similitudine sacramenta usurpare sibi nomen, ac rationem materiæ, ac formæ; quoniam res appellantur tamquam materia, uerba tamquam forma; quod est dictu, res, & uerba ad instar sese materiæ, ac formæ gerere. Neq; à priori, siue ostensiuo argumento probari potest maior, quæ ex diuina uoluntate pendet; ex Deo igitur instituente metienda est eius probatio, licet congruentia suppetat aliqua, ea præsertim. Quoniam duo sensus maxime hominem ad cognoscendum iuuant, auditus uidelicet, & uisus; quo fit, ut de oculi, ac aurium præstantia lites gerant philosophi immortales, uterque autem sensus adiumento est homini ad se se euehendum ex istis uisibilibus ad inuisibilia capienda in hoc sacramenti fundamẽto, auditus circa uerba, uisus circa res; maximè igitur res, & uerba, quæ sunt oculorũ, & auriũ obiecta debuerunt hoc sacramẽti fundamẽtũ integrare, quod presertim ad inducẽdã inuisibilium notitiam institutum est.

Statuitur omnia sacramenta constare ex materia, & forma.

Conc. Florent.

Ratio a priori nõ dat.

Notabilis congruentia.

Aduer-

Durandi singularis opinio.

10 Aduersus hoc assertum affirmans Scotisticorum vnus reclamat Durandus *in 4.d.1.q.1.* qui non omnia sacramenta ex rebus, & verbis tamquam ex materia, & forma constare indidit; quamuis enim de cæteris hoc sua sponte concedat; de sacramento tamen pœnitentiæ, & de sacramento matrimonij negat, hæc enim duo sacramenta solis perfici videntur verbis; pœnitentia nempe confessione peccatorum, & absolutione sacerdotis, matrimonium vero expressione consensus mutui: at expressio consensus per verba fit, perque verba pariter eris confessio, & absolutio: quare ab his duobus sacramentis res, tamquam materia videtur ableganda. Adde, nec ipsa uerba ad sacramentum matrimonij integrandum uenire necessario; quia & lingua capti, quos mutos uulgo aiunt, signis, ac nutibus exprimendo consensum contrahere matrimonium dicuntur.

Conuincitur ex Concilio Florentino & Tridentino.

11 Non sunt autem hæc tanti, vt à vero Theologorum vnanimi consensu discedamus, & Florentini Concilij decretis occurramus, nec non & Tridentini, quorum vtrumque decernit actus pœnitentis esse quasi materiam sacramenti pœnitentiæ. Hæc enim sunt Tridentini Concilij expressa verba *sess.14.de sacramento poenitentiæ cap.3. sunt autem quasi materia huius sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio, satisfactio, confessio, &c.* & *can.4.eiusdem sessionis* sub pœna anathematis hæc asseruntur. *Si quis negauerit ad integram, & perfectam remissionem peccatorum requiri tres actus in poenitente quasi materiam sacramenti poenitentiæ, uidelicet contritionem, &c* anathema sit, &c. & de sacramento matrimonii generatim decernit Eugenius in Synodo Florẽtina, omnia sacramenta rebus vt materia, verbis vt forma perfici, nec est cur ab hac generica lege Matrimonium eruamus.

Obseruatio necessaria.

13 Sed vt Aduersariorum argumenta destruamus obseruare debemus, nomine rerum in assertione Concilij Florẽtini, qua statuitur omnia sacramenta rebus tanquã materia perfici, non intelligi solum substantiã sensibilem à verbis omnino diuersam, sed actiones sensibiles à verbis determinabiles, ac perfectibiles; hoc enim, vt supra monuimus, ad rationẽ materiæ attinet, scilicet determinari, & ratione formæ determinare; quare, etsi in sacramẽto pœnitẽtiæ uerba circa confessionem misceantur, non obstat, quoniam actus ipsi subeunt rationem materiæ etiã sub verbis, quia ab absolutione Sacerdotis perficiuntur, ac determinantur: vel dicendum, estque idem omnino, sed dilucidè magis, in sacramento non spectari materiam rigorose, sed per tropum; & propterea Concilia res vocant tamquam materiam absolute; quatenus scilicet ab aliquo alio perfectibiles sunt, identidemque tu puta accipi res, siue rerum nomen à Concilijs latiori quadam significatione, quatenus nedum sensibiles substantias, sed actus quoscunque sensibiles à verbis determinabiles exprimunt, quæ ob hanc causam formæ vicem gerunt.

Responsio ad obiecta Durandi de matrimonio.

14 Demum ad sacramentum pœnitentiæ adde, Illud ad quoddam Iudicij genus referri, quod ob id à Scoto *dist.19.huius 4.q.4.lit.B.* vocatur sacramentum Iudiciale, & iudicium sacramentale; cumq; ad perfectum iudicium accusatio rei, eiusque displicentia præcedere sententiam absolutionis debeat, quæ propterea totum dicitur complere iudicium, etiam in hoc sacramento actus accusationis spontaneæ pœnitentis, & de peccatis displicentia, qui sunt pœnitentis actus præcedere Sacerdotis absolutionẽ debent: & rursum, sicuti in humano iudicio per accidens verba in accusatione, ac pœnæ sententia inuoluuntur; cæterum actus illi quia præuij, ac perfectibiles sunt à Iudice, quasi materia dicuntur Iudicij, ita in sacramenti Iudicio actus pœnitentis, etsi per accidens admixti verbis præuij, ac determinabiles à forma absolutionis vicem gerunt materiæ.

Et de sacramento pœnitentiæ.

Sed hic reclamat Durandus *d.16.q.1. 4.sent.* hos pœnitentis actus ad solam Confessionem reuocari, si illi sensibiles esse debent; nam & absque satisfactione completur sacramentum pœnitentiæ, & contritio insensibilis est, est enim solius cordis confractio ex nominis energia, *contritio*, scilicet, *cordis tritio*, vel *scissio*.

Reclamatio Durandi.

Hæc Durandi reclamatio solutionem difficultatis ter magnæ perquirit; an scilicet tres illi actus pœnitentis sint partes pœnitentiæ essentiales, an conditiones, de qua suo loco; interim vberiorẽ doctrinam ad sequentia capita remittentes dicimus, insensibilem contritionem satis per externa signa sensibilẽ ostendi, & satisfactionem saltem in voto necessariam esse, ut suo loco dicemus.

Reijcitur

15 Gabriel Vasquez primam Durandi difficultatem de sacramento pœnitentiæ alio modo nihil facit *disp.129.cap.1.num.10.* ait enim, quod confessio non tantum

Vasquezij sensus.

tum continet uerba, sed supponit res, quæ sunt peccata, quæ peccata, sunt materia remota huius sacramenti, ipsa vero confessio proxima; veluti materia remota sacramenti baptismi est aqua, proxima vero est ablutio. Quam solutionem indicauit etiam Faber *tomo de pœnitentia disp. 21. num. 16.* sed isti Auctores ægregie labuntur, dum peccata ad materiam sacramenti pœnitentiæ, quam quærimus, reuocant. Nos enim hoc loco non materiam circa quam versatur Confessio postulamus, sed materiam illam in fundamento relationis signi, quæ per verba perficitur, ac determinatur, hæc autem non possunt esse peccata, quia illa non sunt partes fundamenti contrahibiles, sed sunt per sacramentum demoliendæ, & auferendæ, porrò si hæc essent materia sacramenti pœnitentiæ remota, quam postulamus, & sacramenti baptismi remota materia esset originale peccatum, ad quod delendum institutum est lauacrum illud; quemadmodum ad actuale delendum pœnitentia, quæ omnia quam vt falsissima tam falsa sunt, in superiori ergo responsione persistendum.

Responsio Fabri redarguitur.

15 Ad aliud dubium de sacramento matrimonij negat *cit. loco* Vasquez præcise matrimonium per verba fieri, cum & per nutus fieri queat. Quod si illi Concilij Florentini decretum opponas statuentis omnia sacramenta rebus, & verbis perfici; respondet excepisse Concilium sacramentum matrimonij, de quo specifice habet hæc verba. *Causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti &c.* quibus aduertit apposite per Concilium aduerbiū illud *regulariter* addi, vt ostendat aliquando citra regulam fieri posse per nutus. Suarez autem *disp. 2. sect. 1.* ait verba non sumi in rigore à Concilio; quoniam & nutus verba sunt imperfecta; hoc etiam modo respondet Faber *in 4. sent. disp. 2. cap. 2. circa finem.*

An matrimonium fiat per sola uerba, an etiam per nutus placitum Vasquij, & Suarez, & Fabri.

16 At præterquam quod neutra responsio difficultatem eneruat, quæ non solum tangit motiunm verborum, sed & materiam in matrimonij sacramento negligere videtur; adhuc etiam vtraque peccat; quoniam si sacramenta omnia secundum hanc legem à Christo manarunt, vt rebus perficerentur, ac verbis, quam necessitatem in vno sacramento apponimus circa res, & verba, eandem & in singulis, quæ in generico illo pronunciato continentur, quo effatum est, Deum ad sacramenta omnia perficienda res, ac verba constituisse tamquam materiam, ac formam; à qua communi lege quo iure exemptum sit matrimoniū, non video, neque a Concilio Florentino particula illa, *regulariter* apposita est ad eximendum ab illa lege matrimonium; sed Concilium loquitur ibi de matrimonio, non autem de sacramento matrimonij; hoc autem, vel illud dicere multum refert; quoniam, vt ægregiè Scotus monet *in 4. d. 26. q. 1. littera O,* aliud est matrimonium, aliud contractus matrimonij, aliud sacramentum matrimonij: quod vero Concilium non de sacramento matrimonij, sed de matrimonio ipso loquatur patet, dum efficientem eius causam consensum expressum ait; sed certè secundum Theologos consēsus expressus in sacramento matrimonij non est causa efficiens, sed materia, quæ secundum philosophos nusquam cum efficiente coincidit; sacramenti autem matrimonij effectrix causa Deus est; instrumentales vero ipsi contrahentes; quare absolutè, ac simpliciter dicendum non locutum Concilium de sacramento matrimonii, sed de matrimonio ipso, cuius bona illa tria nimirū, fidē, prolē, ac sacramētum recenset, quæ sunt bona matrimonij, non sacramenti matrimonij, de quo nihil vltra ait Concilium, nisi quod sit signum coniunctionis Christi cum Ecclesia subticens materiam, & formam huius sacramenti.

Resselluntur præcitati Auctores.

Matrimonium contractus, & sacramentum differunt.

17 Occasione huius dubij celebris hoc loco de sacramento matrimonij difficultas cribranda assisi enim ipsum quoque ex rebus, & verbis constare debet, petendum superest, quæ nam sint res illæ; quæ verba? Nullus hac de re, & de hoc matrimonij sacramento fusius, quam Sanchez *duplici tomo* apposite autem de materia, ac forma matrimonij loquens *disp. 5. lib. 2.* varias recenset sententias.

Petitio notabilis quæ sint materia, & forma matrimonij.

Primam asserentium verba contrahentiū esse materiam, Sacerdotis autem verba formam: citatur pro ea Melchior Canus *lib. 8 de locis Theol.*

Opinio prima Cani.

Secundam asserentium verba exprimentia esse materiam, consensum autem formam: citatur pro ea Ioan. Maior *in 4. d. 26. q. 1.*

Secunda Ioan. Maior.

Tertiam dicentium contrahentes esse materiam, verba autem formam. Citatur in eam Petrus de Palude *in 4. d. 26. q. 4. art. 3.* Capreolus *q. unica,* & alij apud Sanchez &c. quibus adde Vasquezium *disp. 3. cap. 5. in tract. de sacramento matrimonij.*

Tertia Paludani Cabreoli, & Vasquez.

Quar-

Quarta sententia. Explicatur trifariam.

Quartam putantium verba vtriusque coniugis esse simul materiam, & formam, & hæc explicatur trifariam; primo si intelligatur verba prioris coniugis esse materiam, verba autem posterioris esse formam: hæc explicatio placuit Richardo *d.26.art.4. q.2.* Vegæ, & nonnullis alijs. Secundo si intelligatur verba coniugum esse materiam sub ratione traditionis corporum; sub ratione autem acceptationis esse formã; & hæc explicatio, quæ placuit Soto *in 4. dist. 1. q. 1.* arridet etiam Bellarmino *lib. 1. de matrimonio cap. 6.* Suarezio *disp. 2. sect. 1.* & ipsi Sanchezio *disp. 5. num. 6.* Tertio si dicantur sola verba significantia traditionem corporum perficere contractum, qui est materia, & esse formam; quia illa verba habent vtramque vim, obligandi scilicet, ac tradendi, quę obinde vt sunt traditio sunt materia, vt sunt obligatio sunt forma. Hæc est interpretatio Ioannis à Lugo *disp. 2. sect. 1. num. 29.* nec multum distat Antoninus Diana *tract. 4. de sacramentis resol. 251.* adducens pro se Coninchium, & Villalobos.

Explicatio Richardi, & Vegæ.

Soti, & Bellarmini.

Lugo, Dianæ, Coninch. & Villalobos

Quinta Nauarri, & aliorum

Quinta sententia est cõstituentium consensum contrahentium esse materiã; verba vero exprimentia consensum esse formam. In hanc citatur Nauarrus *in sua summa*, itidem etiam Syluester *in propria summa*, Capreolus *loco citato* & alij.

Sexta Fabri

Sexta sententia statuit traditionem corporum mutuam esse materiam, verba formam: hanc sequitur Faber *in 4. d. 9.*

Refellitur prima sententia

18 Res hæc accuratè discutienda esset loco suo; quoniam autem ad hoc caput redacta est licet incidenter breuibus enodabitur refellendo prius opiniones cæteras: & prima in primis ab apice scholarum exulare debet; cum verba non nisi à ministro proferenda sint, non sit autem vllo modo in hoc sacramento Minister Sacerdos, sed potius testis pro Ecclesia; cuius rei ratio potissima est; quia sacramentũ hoc super contractũ fundatur, atqui non sacerdos, sed cõiuges contractum ineunt; sunt igitur ipsi sibi ministri, qui cõtrahunt, non sacerdos: Nec refert, quod in Tridentino Concilio *sess. 24. de reformatione matrimonij* dicatur, quod Sacerdos habito coniugum consensu dicat, Ego *uos coniungo in matrimonium*: quoniam illa verba sonant; Ego *declaro uos contraxisse matrimonium*, vel *Ego probo uestram coniunctionem*; ita vt pro teste, vel pro præcone se habeat sacerdos, vnde ibi, & in Rituali Romano PAVLI V. de hoc matrimonio habetur, quod *Sacerdos his, uel alijs uerbis utatur pro consuetudine locorum*: porrò si verba illa sacramenti huius formam complerent, haud planè arbitrio sacerdotis, & locorum consuetudine variari possent, cum formam, & materiam sacramentorum inuariabilem constituant omnes.

Repræhenditur secunda a Suarezio, & Vasquez sed perperam

19 Secundam sententiam repræhendit Sanchez, quia consensus internus insensibilis est, forma autem debet esse sensibilis: sed & contra Sanchez dimicat Vasquez; quia etsi insensibilis sit consensus, fit tamen sensibilis, per uerba, quæ sunt materia, sicut in pœnitentia contritio est insensibilis, quæ fit per confessionem alteram partem sensibilis. Sed impugnatur Vasquez; quoniam materiam, quę est res, in sacramento posse esse insensibilem non pateretur Theologia, sicut insensibilem esse formam: cum enim ratio sacramenti sit ex dictis ratio signi sensibilis; hoc est, fundati super sensibiles res, ac sensibilia verba, quæ ob hanc causam materia vocantur, est planè contra fundamentum relationis signi in sacramento constituere res insensibiles, vel insensibilia verba; & paritas de contritione nulla est; nam præterquamquod nec ipsa contritio est penitus insensibilis; quamuis enim in interno constituatur dolore, non tamen per solam confessionem innotescere potest, sed per alia signa: adhuc paritas nulla; nam non ita se habet ad contritionem confessio; vt ad consensum verba; etenim per Authorem illius sententiæ alterum illorum est materia, alterum forma; at contritio ad confessionem non ita, cum vtraque sit quasi materia, & nullo modo forma. Impugnatur igitur illa sententia melius, quia verba, vtpote actuantia magis, & spiritualiora non materiæ, sed formæ dumtaxat vices gerere possunt; dicere autem verba esse materiam, rem vero formam, est vniuersæ Phylosophiæ limites egredi, res enim materialior est, & crassior verbis, obinde verba materia esse non possunt rerum, sed potius res materia verborum,

Impugnatio Auctoris

Tertia sententia impugnatur a Lugo

20 Tertiam sententiam impugnat Lugo præter alios, quia nomine materiæ in quolibet sacramento id intelligitur, quod in receptione sacramenti interuenit, sic in baptismo interuenit ablutio pro materia, in Confirmatione vnctio, & sic de alijs, at corpora contrahentium non semper interueniunt; quia in ma-

tri-

trimonio per procurationem facto personæ contrahentes non interueniunt, & fit verum sacramentum. Sed hæc impugnatur, quia à contractu ad sacramentum matrimonii transit: vtique contractum matrimonialem per procuratione fieri valide posse confiteor, sacramentum inter coniuges absentes, dum fit contractus, fieri posse vereor, neque sine ratione vereor, quoniam sicut collatio sacramenti est actio personalis, ita receptio est quasi personalis passio; sed in casu matrimonii per procurationem contracti personæ contrahentes absunt, quare sicut non conferunt, ita nec recipiunt sacramentum; quod est in causa, vt dum coniuges personaliter matrimonio jam dudum per procuratores contracto simul iunguntur iterum consensum personaliter exprimant, vt sacramentum, quod non receperunt recipiant; idque egregiè in praxi faciendum consulit Villalobos *tom. 1. sue summæ tract. 13. diff. 9.* qui nobiscum sensit, similiter & Gulielmus Estius *in 4. d. 19.* & Franciscus Siluius *3. p. q. 42. artic. 1.* nec admodum distat Rebellius *p. 2. lib. 2. q. 5. concl. 2.* quamuis Diana *loc. cit. resolut. 250.* sententiam Vasquezij vocet communiorẽ, ac securiorem. *At* vrgetur, quia nusquam fere sacramenti huius effectus recipiunt coniuges, quos si longe absunt, moraliter difficile est tunc temporis, dum longe procuratores contrahunt, in gratia esse, vel saltem paratos ad gratiã recipiendam, vnde videtur mihi hæc sententia etiam secura in praxi: nec refert Turriaũ *in sel. 2. cens. Theol. d. 46.* illam appellare improbabilem, ac plane temerariam, quia Turriani censurarum tanta licentia satis patet.

Impugnatur Lugo.

Villalobos, Estius, Siluius, Rebellius, Diana.

21 Quod si obijcias mihi Scotum *in 4. d. 26. q. 1. littera M.* dicentem non requiri necessario, vt ipsi contrahentes ministrent sibi mutuò hoc sacramentum, cum aliquandò patres pro filijs contrahant. Respondeo, Scotum se ipsum exponere ex vi vnius particulæ, habet enim, *sed nec hoc requiritur necessario, si in omni contractu est sacramentum, &c.* Obserua hæc vltima verba, quibus patet Scotum in illorum sententia fuisse loquutum, qui cuiuscumque matrimonialis contractus in lege Euangelica comes necessario sacramentum esse sentiunt: porrò opinionem illam nec sequitur, nec reprobat Scotus, sicut nec oppositam, quæ statuit alicubi esse contractum matrimonialem sine sacramento: videatur *ibi litt.* L.

Oppositio ex Scoto.

Tollitur per Scotum.

22 Impugnatur igitur tertia illa sententia aliter: quoniam contrahentium corpora sunt materia remota, nos autem hic proximam sacramenti matrimonij materiam postulamus; neque materiam circa quam, sed in qua relatio illa signi fundatur, exposcimus.

Impugnatio vera.

Explicationem priorem quartæ sententiæ impugnat Lugo; quia potest accidere, quod verba vtriusque coniugis proferantur simul; quo casu nulla esset materia, & forma illius sacramenti, cum ratio materiæ, & formæ desumatur ex ordine, quo alter coniugum altero prius consensum exprimit, vel posterius. Sed hæc impugnatio mihi displicet, supponens debere materiam præcedere formam in hoc sacramento, cum tamen simul esse debeant, ita vt materia transacta, nec applicata forma, nullum fit sacramentum, vt patet discurrendo per singula sacramenta; ex hoc igitur supposito impugnarem Richardi explanationem; quia si verba vnius coniugis essent forma verborum alterius; si alter altero prius, vt in praxi euenit, verba proferret, sacramentum esset nullum; & sic aut raro, aut nunquam matrimonium esset sacramentum, quod est falsum. *Secunda,* ac tertia declaratio, quæ verè penes idem versantur variè vrgentur à Vasquezio, nobis in præsentia sit satis per eas adhuc difficultatem propositam relinqui incolumem, qua petebatur, quomodo sacramentum hoc perficeretur rebus, & verbis. *Si* solis completur verbis, sententia constituens consensum esse materiã, verba formam pari modo vrgetur à Recentibus, ac secunda; quia scilicet consensus est insensibilis sistens in solo voluntatis actu.

Doctrina Lugo.

Displicet.

23 Sed quid si consensus ille sentiatur? Aient, non nisi per uerba, & sic redibit difficultas per manibus habita, quod eadem sint verba, & materies. Melius dixerim ex Concilio Florentino in decreto illo Eugeniano consensum, nisi sit expressus, nullum esse; expressum autem efficere matrimonium, non sacramentum matrimonij; vndè ægregiè Scoti doctrina *dist. 26. littera* O. obseruanda est, quod tria in hoc sacramento spectantur contractus, matrimonium, sacramentum. Contractus fit ex consensu, matrimonium ex contractu, sacramentum sequitur hæc omnia. Contractum fieri ex consensu patet; quia hic contractus est mutuæ donationis, vel permutationis potestatis corporum. Nemo enim

Instantia Recens. aufertur.

mo enim

mo enim potestatem suam, quam habet de corpore suo, transferre potest ad alium, nisi per actum uoluntatis suæ liberè transferentis, actus igitur uoluntatis dicitur consensus, signum autem euidens extrinsecum huius mutuæ donationis, seu translationis dicitur contractus, quasi simul tractus duarum uoluntatum: unde patet consensum uoluntatum quoquo modo præire ad contractum, qui fit per signum euidens extrinsecum, cuius forma est. *Do, ut des*, vel. *Do, si das*. Matrimonium fieri ex contractu patet, quia illa obligatio, seu mutuum vinculum, in quo sistit matrimonii ratio vnde oritur, nisi à voluntate contrahentium?

Contractus quomodo sit.

Aut enim ab illa, aut à legislatore. Si primum habemus propositum, si à legislatore. Contra: obligatio illa est indissolubilis; quare si fit ab extrinseco inuoluntaria quoquomodo erit, & quasi violenta, vnde perpetua esse non posset, quia nullum violentum perpetuum, seu durabile. si dixeris ab extrinseco, sed à uoluntate acceptari, uel mecum senties, quod oriatur à voluntate, uel urgeberis ex illo Iuris Consultorum pronunciato. *Qui non eligit, non diligit, qui non diligit, contemnit.* Exinde dicebat Eugenius in decreto suo, effectricem matrimonij causam esse consensum expressum per uerba de præsenti; quia scilicet consensus solus non faceret matrimonium, sed contractum; expressio autem consensus, in quo ratio contractus constituta est, matrimonium ipsum constituit.

Iurisperitorum axioma.

24 Huic contractui demum ratio sacramenti à Christo annexa est, quod sic à Scoto finitur. *Sacramentum matrimonij est expressio certorum uerborum maris, & feminæ ad se inuicem significantium traditionem mutuæ potestatis corporum ad prolem debitè procreandam ex institutione diuina efficaciter significans gratiam conferendam mutuo contrahentibus ad coniunctionem mutuam animorum gratiosè.*

Scoti verba obseruanda.

Hæc Scotus; qua diffinitione explicata patebit in nostra sẽtentia, quæ sit materia, & forma sacramenti matrimonii, nã quamuis Scotus problematicè videatur in hac re locutus iuxta duplicem sententiam, quarum altera statuere poterat huius sacramenti formam fuisse certis verbis alligatam, altera è contra negare poterat hanc tantam verborum in forma angustiam, nihilo tamen minus priori potius, quam posteriori sententiæ se subscripsisse ex allata diffinitione patet, & ex his, quæ *lit. L.* & *lit.* N. repetit contingere nimirum posse, vt sacramentum non conficiatur matrimonij, quamuis ineatur contractus, cui sententiæ adhærendo, & prædictam diffinitionem explicando dicimus, formam huius sacramenti esse verba, non quidẽ in actu quieto, sed vt exprimuntur; quod etiam in aliis accidit sacramentis, nam in baptismate forma illa, Ego te *baptizo, &c.* non vt sic in esse quieto, sed in fieri, seu vt prolata à ministro rationẽ formæ subit. Ob id in diffinitione sacramenti dicitur, *expressio uerborum certorum*, en igitur forma. *Maris, & fæminæ*, en ministrorum nomina explicantur, quæ etsi principaliter in sacramenti diffinitionem non cadant, certè in diffinitionẽ explicantẽ vniuersas causas delabi possunt vt addita, *significantium traditionem mutuæ potestatis corporum*, en materia, mutua videlicet corporis traditio, ceteræ particulæ instituentem, ac finalem describunt causam, de quibus nihil in præsentia.

Potest esse contractus sine sacramento in matrimonio.

25 Est igitur ex Scoto ibi materia huius sacramenti mutua corporum traditio, verba coniugum forma. Quod si dixeris. At illa traditio corporum per uerba fit. Nego fieri per verba, sed regulariter exprimi per verba, seu significari per verba, vt in diffinitione præfata loquitur Scotus; fit namque ex mutuo contractu traditio, fitque sensibilis per actus quandoque, per verba aliquando, interdum appropinquatione corporalis præsentiæ, & manuum contactu; clarior autem expressio per verba fit; quia vim significandi potissimum verbis intelligimus: nec sequitur, ergo verba sunt materia; quia nec sequitur, verba sacerdotis abluentis in baptismo significantia ablutionem, dum dicitur *Ego te baptizo*, qui realiter baptizat, esse materiam, sed explicare materiam, quam adhibet; ita in proposito traditio corporum mutua quomodocumque expressa materiam statuit; quamuis regulariter per verba exprimatur; verba vero coniugum formam sacramenti constituunt; & hinc differentiam hauries inter contractum, & sacramentum, quia hoc in nostra sententia verba exquirit, ille vero suppleri per nutus, ac per signa potest.

Quæ forma, quæue materies sacramenti matrimonij hic habes.

26 *Ex* his in hac opinione solutionem habes difficultatis propositæ, an matrimonium contractum inter surdos, & mutos valeat; valet. n. quia cõtractus initus est, sin minus per verba, saltem per

signa

Sanchezij in Scotum iudicium.

signa, & nutus; at non est sacramentum in rigore deficientibus verbis: ita sensisse Scotum *d. 26. littera C.* ait Sanchez *tom. 1. de matrim disp. 3. num. 7.* Scotus tamen vt supra monuimus in hac re problematicum se gessit, licet in eam potius videatur propendere sententiam, in eam etiam propensum fuisse Sanctum Thomam *in 4. d. 1. q. etiam 1.* patet ex eius littera; licet *in supplemento ad tertiam partem* secus sentire videatur, sed illud nō est S. Thomæ, sed Themistarum, eam etiam secutus est Canus *lib. 8. de locis cap. 5.* & persuadetur, quia nusquam satisfit Concilio Florentino constituenti sacramenta omnia nouæ legis materia, forma, & Ministri intentione compleri, eisque verba formam. Quod enim aiunt post Sanchez alii nomine verborum intelligi nutus, qui sunt etiam verba imperfecta, falsum est, nam nutus sic se habet ad verba, vt mutus alloquens, sed mutus non est loquens perfectè, nec imperfectè, ergo nec nutus sunt verba perfecta, vel imperfecta. Maior patet, quia loquela est effectus loquentis, nutus effecta mutorum; eamdem ergo, seu qualem ergo proportionem habent ad se inuicem causæ, parem ad se inuicem esse est euidens ex ipso muti nomine, quod dicitur *mutus*, quasi *minutus*, quia eo sensu loquendi destitutus est, vel *mutus* dicitur à *mugendo*, qui mugitus potius edit, quam sermonem, vel à *mussando*, quod inconditum quemdam edat sermonem: differunt igitur nutus à verbis satis plusquam perfectum ab imperfecto.

S. Thomas Canus.

Muti deriuatio varia

27 Adde Blæsum à muto satis differre, porrò blæsorum verba imperfecta sunt, non mutorum, vt docet experimentum. Adde, quod in aliis sacramentis tanta est verborum necessitas, vt eorum etiam variatio sacramentum irritet, cur ergo in sacramento matrimonij non item? Aiunt, quia hoc est in contractu, contractus autem benè per verba suppleri, ac per nutus, & signa potest. At hoc nihil est, quia alia est cōtractus, alia sacramēti ratio, ut dicebamus. Et rursum quod possit esse sine hoc sacramento contractus matrimonialis in lege euangelica, ostenditur casu possibili hoc argumento consiante. Tam est necessaria ad sacramentum perficiendum intentio ministri, ut ea deficiente nullum sit sacramentum. Hæc maior est absolutè deducta ex Florentino Concilio: sed possunt duo contrahentes exprimere consensum, habentes intentionem non conferendi sibi inuicem sacramentum. Hæc minor est euidens; cur enim non possent, cum contractus, & sacramenti rationes sint valdè diuersæ, & ministri ratio differat satis à ratione personæ se obligantis? Ergo in casu segregaretur à contractu ratio sacramenti; quæ intentionem exposcit.

Eius differentia à blæso.

28 Arbitror igitur verba esse de necessitate huius sacramenti, sicut in cæteris euenit; hinc qui uerbis pollent, sed signis, & nutibus contrahere malunt nedum mortaliter peccant, ut docet Ledesma *in summa de matrim. q. 45. artic. 2.* & Franciscus Siluius *3. p. q. 44. artic. 2.* sed sacramentum irritant ex hac sententia, licet uerè contrahant.

Ledesma ac Siluij lapsus.

Hinc corrigenda est Sāchezij opinio *lib. 3. d. 31.* constituentis culpam in his nōn lethalem esse, sed venialem, cum nullum contrahentes sacramentum faciant, & proinde contra eius institutionem se gerant; iacrius corrigendus est Basilius Pontius *lib. 2. de matrim. cap. 7.* vbi nec culpam venialem agnoscit, cum nullum in verbis adhibendis agnoscatur præceptum Ecclesiasticum. Nosse enim Pontius debuit verba in sacramentorum administrationem non ex Ecclesiæ præcepto, sed ex diuinâ institutione manasse, sunt enim ipsorum sacramentorū partes, quas nec instituere, nec destruere potest Ecclesia. Dicta igitur recapitulantes dicimus sacramenta omnia expetere materiam, & formam, res scilicet, & verba, neque hæc in matrimonij sacramento desiderari modo exposito, in quo scilicet, si sacramentum matrimonij Methaphisicè pro formali sumatur, ratio signi forma dicetur, verba vero coniugum, & traditio mutua corporum materia, hoc est, relationis illius fundamentum; si autem Phisicè, vt ita dicam, sacramentum hoc sumatur, ex parte videlicet fundamenti, mutua corporum traditio expressa erit materies; verba coniugum forma, quæ materiam illam actuat, ac format. An autem ex æquo illa duo ex parte fundamenti relationē fundent, dicetur infra.

Sanchezij & Pontij

Recapitulatio dictorum.

29 Hæc, quam hactenus eribrauimus, difficultas in causa potissimum fuit inter cætera, vt Durandus vir alioquin acutissimo ingenio præditus *in suo 4. dist. 26. q. 4.* senserit matrimonium non esse verè sacramentum nouæ legis, sed largo modo sacramentum appellari, quatenus est solum sacræ rei signum. Primo, quia regulariter ea, quæ exterius aguntur in sacramentis excedunt dicta-men

Quo fundamento matrimonium non esse sacramentum dicebat Durandus.

men rationis naturalis, non sic in matrimonio, in quo, quod exterius agitur, nō excedit dictamen rationis naturalis, cū sit contractus. Secundo quia sacramenta consistunt in opere operato applicato illis, qui suscipiunt, sic aqua cum forma verborum applicatur in baptismo, oleum in vnctione extrema, & sic de cæteris, non sic in matrimonio, vbi non semper adsunt verba, minister non est distinctus à suscipiente &c. Tertio, quia matrimonium nec confert gratiam, nec auget habenti; non quidem confert, quia hoc est solius baptismi, & pænitentiæ munus post lapsum; nec auget, immò minuit potius, quia melius est contineri, quam nubere; ex 1. *Corinth. cap.* 4. Quarto quia in matrimonio Ecclesia legitimat, & illegitimat personas, proinde mutat ministros, & materiam; quæ tamē in alijs sacramentis fieri nequeunt. Demum, quia nemo est sacramenti capax nisi baptizatus, at infideles non baptizati sunt capaces matrimonij; non est ergo matrimonium sacramentum vere.

Secundum argumentum Durandi.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

30 Hæc opinio Durandi à censura fortasse grauissima vindicari poterat ante Concilium Tridentinum, interpretando videlicet Florentinum cum Soto; quasi verò non tam strictè sacramenti nomen sumpserit: sed hoc tempore post Synodum Tridentinam nescio, quomodo sub typis cadat, decernente Concilio *sess.* 24. *de sacramento matrim. can.* 1. anathema ijs, qui negauerint matrimonium esse verè, & propriè sacramentum nouæ legis à Christo institutum, & gratiam causare; quo decreto, vt vides, tria statuuntur: primum matrimonium esse sacramentum: secundum esse à Christo institutum; tertium gratiam causare; licet duo hæc ex primo decreto sequantur necessario; nam dato quod sit sacramentum, sequitur à Christo fuisse institutum, & gratiam dare.

Confutatur & censuratur.

Durandi opinio.

31 Nec rationes Durandi cogunt, prima; quia in singulis sacramentis quidpiam videtur sensibile, quod naturale rationis dictamen non excedit; nam in baptismo videtur ablutio, in Confirmatione chrisma, & sic de singulis; sed quod significent sensibilia gratiam, cum hoc excedat rationis dictamen non videtur, quod non est dissimile in matrimonio, in quo ratio contractus sentitur, sacramenti significantis gratiam creditur.

Solutio primi argumenti.

32 Secunda soluitur ex dictis, quibus nō desiderari formam in hoc sacramento statuimus, vel materiam; nec necessarium esse ministrum distinctum à suscipiēte in omni sacramēto docet sacramētū Augustissimū Eucharistiæ, in quo sacerdos cōficit, & sibi cōfert sacramentū.

Solutio 2.

33 Ad tertiam negatur, non dari augmētum gratiæ per matrimonium; immò Scotus *d.* 26. *littera* O, docet adhuc dari per illud augmentum gratiæ, quamuis non esset sacramenti ratio annexa contractui in matrimonio mutorum, quia cum opus sit difficile, & honestum, congruit illi dari gratiam, qui opus illud exercet, se scilicet vinculando indissolubiliter. Nec refert, quod status continentiæ maritalem excedat, ex eo enim sequitur solum maius dari gratiæ augmentum in statu continentiæ degentibus, quam in maritali, quia opus illud est difficilius.

Solutio 3.

34 Ad quartum dicimus, ministri mutationem non esse de essentia, vt docet Scotus *loco citato littera* H, Ecclesia etiam personas non mutat, sed declarat sacramenti huius incapaces; quos nouit non rectè essentialia sacramenti huius adhibere, vt patet in cōtrahētibus clādestinè.

Solutio 4.

35 Vltima ratio peccat supponens dici per æquiualentiā has propositiones *omne matrimonium est sacramentum*, & *matrimonium est sacramentum*, hæc enim est vera, illa falsa; nam ethnicorum contractus possunt esse matrimonia; sacramenta sine baptismo esse non possunt. Sunt ergo ethnici capaces matrimonij pro vinculo, non pro sacramento, vt fuit in lege veteri.

Solutio 5.

35 Circa ea, quæ hucusquè de matrimonij sacramento diximus cauendum est à Martino Becano *cap.* 44 *de sacramentis in specie q.* 5. dicente, quod si matrimoniū spectetur vt in fieri, consensus vtriusque coniugis per verba, vel signa expressus quatenus continet traditionem mutuā, habet rationem materiæ, quatenus autem continet mutuam acceptationē habet rationem formæ: si vero spectetur vt in facto esse contrahentes habent rationem materiæ ex qua; vnio autem contrahentium habet rationem formæ. Cauendum est (inquam) quia sacramenta alia, præter Eucharistiā in lege Euangelica sistere in facto esse, parum Theologicum est, vt ex decursis patet. Adde, Authorem hunc satis apertè matrimonij contractum, ac vinculum cum sacramento matrimonij confundere, cum tamen ex dictis valdè admodum diuersa sint hæc duo, matrimonium scilicet, & sacramentum matrimonij.

Corrigitur Becanus autumans hoc sacramentum spectari posse etiā in facto esse.

36 Superest difficultas; quonā modo verū

sit Florentini Concilij Decretum tribus perfici sacramantum quod est scilicet materia, forma, & intentione ministri, cũ in matrimonio præter hæc requiratur sacerdos; requirantur & testes; alioquin ex Tridentino Concilio matrimonium esset Clandestinum, & irritum. Tollitur tamen difficultas asserendo sacramentum matrimonij nullum esse, vbi contractus est nullus, cæterum sacerdotis præsentiam, ac testium exspeti ad valorem contractus, cuius validitate explosa sacramenti ratio ruit, non ergo ad sacramentum, Sed ad contractum Parochus, ac testes exquirentur, quamuis inde ijs deficientibus sacramentum sit nullum; non quia sint ij necessarij ad rationem sacramenti, sed ad rationem contractus. Vide Scotum *locis supra citatis*, & Recentes cum Suario *tomo* 3. *disp*. 16. *sect*. 1. Becano *loco c.q*.6. Filliuccio *tract*. 1. *p*.1.*q*.7. Martinez *lib*. 4.*d*. 29.& alijs.

Occurritur obiecto

Scotus, Suarez, Becanus, Martinez, Filliuccius

AN FORMA, ET MATERIA

æquali modo sacramentum constituant.

CAP. II.

27 ET hoc secundum disputationis caput duplex potest torquere sententia, altera quidem affirmans materiam principaliter conflare sacramentum, formam vero non item, sed consecutiue, seu concomitanter solum; altera vero, formam constituens principaliter perficere sacramentum, materiem vero consecutiue, seu se concomitanter habere. Et prima quidem opinio tribuitur Soto *in* 4.*d*. 3. *art*. 1, agenti de baptismo, & rursum *d*.14. agenti de pænitentia, vtrobique namque sentire videtur totam baptismi significationem in ablutione esse sitam, & in actibus pænitentis pænitentiam, quod est dictu materiam principaliter constituere sacramentum, vt quemadmodum in artefactis materia à philosophis asseritur tota artefactæ rei substantia, ita & in sacramentis, quæ ad artefactorum instar regulantur. Posterior sententia tribuitur a Suarezio *disp*.1, *sect*. 2. Doctori Subtilissimo *in hoc* 4. tũ *d*. 3.*q*.1. tum *d*.14.*q*.4. qua autem sinceritate, & qua fide hoc Scoto Suarez imponat, videndum est statim, vt non sit mirum ipsum etiam Vasquezium admirari hanc Suarezij de Scoto imposturam.

Duæ sententiæ oppositæ. Prima Soto

Secunda Scoti ex Suarez

Sed perperam

28 Difficultas præsens est quasi superioris appendix; constito namque ex dictis in fundamento relationis signi duo coire, alterum tamquam materiam, alterum tamquam formam, & hanc esse verba, illam res ex Decreto Florentini Concilij; statim scrupulos turbat animũ: an ex æquo rationem signi vtrumque in fundamento spectatum fundet; an vero alterũ primario, alterum secundario, seu alterũ primo, alterum concomitanter; seu, an ambo sint partes fundamẽti, an vero vnũ sit fundamentum, alterum autem fundamenti circumstantiæ.

Explicatio petitionis

29 Libuit tot pro difficultatis sensu coacervare interpretationes, vt nefas sit de dubij sensu dubitare. Iam vero titulo difficultatis exposito, quid Scotus sentiat aperiemus.

30 Scotus *in* 4.*d*.14 *q*.4. ex quo diffiniens pænitentiam ait *illam esse absolutionem hominis pænitentis factam certis verbis cum debita intentione prolatis à Sacerdote iurisdictionem habente ex institutione diuina efficaciter significantibus absolutionem animæ a peccato*. Qua diffinitione, vt patet solam absolutionem in recto ponit, verba autem cõplent absolutionẽ, & solũ in obliquo alia, quibus materia explicatur sacramenti huius, nempe actus pænitentis; homo enim pænitens, qui includit contritionẽ, confessionẽ, ac satisfactionẽ in solo obliquo casu numeratur; asseritur enim *pænitentia est absolutio* (en verba solum in recto) *hominis pænitentis* (en res, quæ materiæ vicẽ gerunt, in obliquo) ex quo, inquam, ita loquitur Scotus, ansam arripuere Recentes, ne dũ cũ Suarezio *l.cit*. sed et cũ Scotistis, nẽpe cum Fabro *d*.9.*cap*. 2. asserendi Scotum putasse in sacramento pænitẽtiæ formam esse fundamentum intrinsecum, quippe quæ in recto inuoluitur; materiam vero circumstantiam, vtpote quæ in obliquo fertur in sacramenti pænitẽtię diffinitione perfecta. Rursum autem, ex quo *d*.8 *q*.1 *lit*. E, G, *& H*, monet in sacramento Eucharistię verba non esse formam sacramenti, sed quasi viam ad sacramentum, nec esse aliud tãquã materiã aliud tãquã formam, nec vlla verba ad eius essentiã pertinere; sentire videtur materiam esse fundamentum essentiale sacramenti; formam vero nõ semper, sed accidere aliquãdo. Demũ, quia *d*.3.*q*.1.*lit*.*C*, & *q*.2.*lit*.*A*, verba formæ in diffinitione baptismi in obliquo ponẽs ꝑ solã materię internã sacra-

Diffinitio poenitentiæ ex Scoto

Scoti loca diuersa

ſacramentum ſuppleri poſſe ſentire viſus eſt. Ex quibus omnibus Scoti locis eliciunt præfati Auctores ipſum ſenſiſſe in ſacramentis non eodem modo de ſingulorum forma, ac materia loquendum; nam in aliquibus materia eſt intrinſecum fundamentum, forma vero circumſtantia; in aliquibus è contra forma eſt internum fundamentum, materia vero circumſtantia.

Scoti ſenſus ſincere explanatur

41 Sed re vera ſi Scotica loca paulo inſpiciantur attentius; conſtabit omnino, Scotum in hac re nihil decreuiſſe certi; ſed ex doctrina *d. 3. q. 1.* inceptum de ſacramentis ſermonem proſecutum; ibi autem duos refert dicendi modos in hãc difficultatem vrgentes. Primus eſt; ſi dixerimus æqualiter relationem ſigni fundari in rebus, & verbis; & proinde res, & verba æque complere fundamentum relationis ſacramenti; neque hoc impoſſibile eſt, quia cum ſit relatio rationis poteſt in duobus fundari, puta in forma, & materia, in rebus, & verbis. Secundus eſt, ſi dicamus non æqualiter relationem ſigni in rebus, & verbis fundari; ſed in rebus tamquam in interno fundamento, in verbis autem tamquam in circumſtantiis neceſſario tantũ ad complementũ ſacramenti requiſitis. Ceterũ quænam ſententia Scoto arrideat; prima ne, an ſecunda, etſi auctores citati Scotum pro ſecundo modo dicendi adducunt, attamen Scotus non decernit, immò *q. 1. paulo ante litterã D.* in priorem modum potius propendere videtur, ait enim. *Iſtorum duorum primum videretur verius &c.* quamuis autem *littera F.* expreſſe profiteri ſe ſe oſtendat ſecundum modum dicendi, dum ait, *ablutionem eſſe totum fundamentum baptiſmi &c.* tamen vt patet ex antecedentibus verbis, Scotus ibi non ex ſua, ſed ex Magiſtri ſententiarum opinione loquitur, Magiſter autem ſent. diffiniens baptiſmum dixerat *illum eſſe ablutionem hominis &c.* & proinde ſecundi modi dicendi ſe ſe propugnatorem oſtenderat; Scotus igitur ad ſolutionem primi argumenti pro Magiſtro ſent. loquens ſecundum modum profiteri videtur; ſed quod ex Magiſtri, non autem ex ſua opinione loquatur, patet ex eius verbis, *oportet ergo dicere ſuſtinendo diffinitionem Magiſtri, quod ablutio eſt totum fundamentum &c.* Hæc Scotus in quibus obſerua verba illa, *ſuſtinendo diffinitionem Magiſtri &c.* quaſi dicat, ſi quis Magiſtri ſequi vult partes, oportet aſſerere, vt Magiſter aſſerit circa baptiſmi diffinitionem. Porrò alterum modum dicendi communiorem, & veriorem puto, vt ſtatim oſtendam.

42 Interim moneo non eodem modo poſſe nos, dum de ſacramentis generice effamur, loqui de ſacramentis, quæ in vſu ſunt poſita, & de ijs, quæ permanent, quod eſt dictu, diuerſam eſſe ratiocinandi formam de Euchariſtia, & alijs ſacramentis, illa ſiquidem in eſſe permanet, alia ſiſtunt in vſu, quod eſt dictu in ceteris ſacramentis eandem rem eſſe vſum ſacramenti, & ſacramentum ipſum; in Euchariſtia autem non ſic, quia hæc poſt conſecrationem remanet, & differt ab vſu; nam eius perceptio non eſt ſacramentum, ſed applicatio ſacramenti; vno verbo: philoſophi aſſererent, cætera ſacramenta ſic ſe habere, vt factum à fieri non diſtet; ſed in ſacramento altaris fieri differre à facto eſſe, in quo ſacramentum ſiſtit.

Monitum neceſſariũ

43 De quo, quod pertinet ad præſens, aduerte, quod etſi ſacramentum ipſum, ex quo permanens eſt, nulla verba habeat pro forma, quorum eſſe eſt, dum fiunt, ſeu dum dicuntur; & ſucceſſiua, quemadmodum philophi norunt, non poſſunt eſſe de eſſentia permanentium: attamen verba conſecrationis ad fieri ſacramenti huius ſpectabunt neceſſario, & propterea dum Concilium Florentinum decernit ſacramenta omnia perfici rebus, ac verbis; non eſt cur ab hac lege ſacramentum altaris eximamus, nam etiam ad ipſum perficiendum res exiguntur, ac verba, ſuper quibus non fundatur relatio ſigni, quia ſacramentum ipſum exactis verbis incipit; licet ergo non remaneãt res, & verba, tamen ad fieri ſacramenti huius neceſſario requiruntur, ſuntque res materia conſecrationis, & verba forma eiuſdem conſecrationis, quę cum ſit in fieri, habet ſimilitudinem cũ alijs ſacramentis; ſacramentum autem ipſum iam factum nec res, nec verba habet, nec materiam, nec formam, niſi formam pro relatione ſigni ſumas, & materiam pro eius fundamento; hæc enim in eo nanciſcimur, quoniam ſignificatio corporis Chriſti, & ſanguinis præſentis eſt formale, & ſpecies viſibilis eſt materiale, ſeu fundamentum. Cæterum de hoc ſuo loco dante Deo. Interim.

Diſcrimẽ aliorum ſacramentorum ab Euchariſtia

44 Aſſerendum res, & verba, quibus tamquam forma, & tamquam materia ſacramenta perficiuntur ex æquo partes eſſe fundamenti relationis ſigni in ſacramentis, quorum eſſe eſt in vſu, hæc eſt in ſacramentis omnibus (vna Euchariſtia excepta.) Aſſertio primo de-

Aſſertio præcipua

claratur, postmodum persuadebitur.

Declaratur sensus asserti.

45 Non est autem eius sensus is, quo videtur inferri ad perficiendum fundamentum relationis res, & verba non ita se habere, vt vnum sit quasi prævium, ac determinabile, alterum quasi posterius, ac determinatiuum; quoniam in superioribus ostendimus res, quæ vicem materiæ subeunt, quasi prauium, quid esse ad uerba, quæ supplent rationem formæ: sed sensus asserti nostri est, vtrumque scilicet verbum, & rem perficere fundamentum, & super vtrumque æqualiter relationem signi in sacramentis fundari; ita vt vnum non sit tamquam fundamentum, & alterum tamquam circũstantia, sed ambo sint vnũ fundamentũ.

Probatur assertum primo.

46 Iam vero probatur assertum ex similitudine materiæ, & formæ; quarum vices verba, & res subeunt. Non sola materia, nec sola forma compositum struunt, sed utraque ex æquò, & si qua inter vtramque dignitatis intercedit differentia, hæc ex parte formæ potius attenditur, non ita tamen ut materia non sit pars compositi, sed quia non est pars tam nobilis, ceu forma; ergo non sola res, nec solum uerbum sacramenta perficiunt internè. Consecutio ex tropo deducitur; dictum est enim ex methaphora tracta esse vocabula materiæ, & formæ in sacramentis; quoniam pars fundamenti contrahitur, parsque contrahit, & partes ambæ ad fundamentum complendum attinent; quare sicut in naturalibus composítis materia contrahibilis, & forma contrahens compositum tamquam partes constituunt; ita uerba, & res, hæc contrahibilis, illa contrahentia fundamentum struent ut partes in sacramento.

Probatur secundo.

47 Præterea: sin minus res, & uerba partes essent fundamenti signi in sacramento internæ, hoc ideo esset, quia uel sola res, quæ uicem gerit materiæ, uel solum uerbum, quod est instar formæ, uel neutrum esset fundamentum: at hæc omnia falsa sunt: ergo à partium diuisione perfecta falsissimum id, ex quo ea ducũtur. Singulorum falsitates ostenduntur. Materiam solam esse partem fundamenti improbatur. Fundamentum relationis signi in sacramento ideo statuitur tale, quia aptum natum est significare rem sacram, siue effectum sacramenti; sed significatio hæc; si uocum rigor attendatur, potius in uerbis sita esse uidetur, quam in rebus, unde accipe in baptismo ablutionem externam, accipe uerba *Ego te baptizo*; potius effectus ablutionis internæ ex verbis, quã ex actu signatur, de quo uerum est illud, *quæ est ista virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Et in consecratione Eucharistiæ hoc euidentius patet: non est ergo cur à parte fundamenti formam eximamus: sed nec materiam eximendam probatur: quia proprium est materię subiici, & fundare; quare cum res materiæ nomen obtineant, implicat res ipsas quasi materias esse circumstantias, et non æque, ac verba relationẽ signi fundare. Adde auctoritatem illam Augustini uulgò dilatam. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*; quæ æque formam, ac materiam constituere sacramenti partes nõ obscurè indicat. Demum, neutrum esse fundamentum ex partium ipsarum improbatione improbatur; quare superest vt asserti nostri inconcessam veritatem tueamur.

August. vulgata propositio.

Dubitatio in Scoti verbis.

48 Sed quid Scoticę auctoritati opponẽdum, qui *in 4. d. 16. q. 1. littera E.* contritionem, confessionem, ac satisfactionem statuit nullo modo esse partes sacramenti pœnitentiæ; quia contritio est quoddam spirituale, confessio nihil est ipsius sacerdotis absoluentis, in cuius absolutione situm est sacramentum, satisfactio est quoddam sequens; vnde ipse colligit illa tria requiri tantum vt prævia, vel vt sequentia?

Tollitur

49 *Hæc dubitatio*, quæ Recentium animos contra Scotum excitauit, quasi vero eius opinio sit penitus Florentino, ac Tridentino Concilijs aduersa Fabrum nostrum mouit *in 4. tract. de poenit. disp. 20, cap. 2*, ad asserẽdũ secundum Scotum uerba solum fundare relationem signi primo, materiam quasi secundariò, vt supra dicebamus. Sed ex dictis habes responsum, Scotum duas hac de re proposuisse *sententias d. 3. q. 1.* & interdum vni, interdum se alteri subscripsisse, in secundam vero propendisse ob auctoritatem Magistri; Cæterum in primam non se inuexisse, quam sequimur, sed potius probasse diximus, & patet ex diffinitione illa baptismi *q. illa littera E. baptismus est sacramentum ablutionis*, *&c.* secundum quem diffiniendi modum, dũ Scotus *d. 16.* ait *Poenitentiam esse absolutionem*, quam prius tradiderat *d. 14. q. 4. littera A.* dicere tenemur; *Poenitentiam esse sacramentum absolutionis hominis poenitentis factæ certis verbis, &c.* in qua, vt vides, vtraque pars fundamenti ponitur in obliquo, res scilicet expressa per hominem pœnitentem, & uerba. Verum de his fusè loco suo. Interim

dicto

dicito Scotum secundum illum primò modum fuisse ibi locutum.

AN FORMA, ET MATERIA

sacramentorum determinata sint à

Christo.

CAP. III.

50 NVllibi hac de re Scotus: ex his tamen, quæ nos docuit *in 4 d. 3 q 2.* loquendo de variatione formæ baptismatis eius nobis liquescere potest sententia. Interim missis ad præsens dubium *Hæreticorum* nugis; iteramque dimissis Recentiorum concertationibus circa Hæreticorum errores: Catholica sententia est formam, ac materiam sacramenti cuiuscumque nouæ legis à Deo certam, ac determinatam ita fuisse, vt pro libito uariata, uel altera uel utraque ipsorum nihileitatem inferant sacramenti. Ratio à priori ad explicandam Catholici huius asserti ueritatem ex diuina institutione petenda est; quia siquidem sub certis materia, & forma Christus sacramentorum auctor ea destinauit, vt de singulis probari res posset. De materia quidem baptismatis Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* & de eiusdem sacramenti forma *Matth. ultim. baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, similiter de sacramento altaris *Lucæ 22. Marci 14. & Matthæi 26.* Materia vinum, ac panis, & forma uerba illa, *Hoc est corpus, &c. Hic est calix, &c.* præscribuntur; de alijs sacramentis identidem puta; quamuis non tam certa apud scripturas de ijs mentio fiat; idem tamen sentiendum deduc ex Concilio Florentino, & decreto Eugenij, quo certa cuique sacramento forma, certaque decernitur materies. Neque aliunde certius hæc ueritas probari potest, cum ex facto pendeat, metiri tamen ueritatem eius ex congruentia potes; quoniam qui dat esse, dat essentiæ partes quidditatiuas, & essentiales multo magis; nisi quis enim formam induceret in materiam nouam, neque compositum gigneret; at Christus esse sacramentorum instituit; Christus ergo formam, eorumque materiam decreuit, quæ etsi veræ partes quidditatiuæ dici

Conclusio articuli propositi.

Ioan. 3. Matth. ultimo Lucæ 22 Marci 14. Matth. 26.

Dubitatio principalis.

sequeant, partium tamen huiusmodi iuxta doctrinam in superioribus iactam gerunt vices. *A*dde valde fore incongruum, vt quis pro libito materiam, aut formam variare posset; sequeretur namque hoc idem, quod apud nos sacramentum foret, non fore apud alios sacramentum, & sic fore simul, & non fore sacramentum ex sola voluntate volentis; & proinde quemcumque hominem sacramenta ipsa destruere posse, vel construere; quæ omnia tam falsa sunt; quam vt falsissima.

51 Sed quamquam constito Christum Dominum, vt fides docet, sacramenta nouæ legis instituisse omnia, verendum non sit, habere ea ex eodem institutore ritum, ut scilicet ex materia, & forma, rebus, & uerbis coalescant; nihilo tamen minus, an ita eorum decreta fuerint à Christo materia, seu res pro materia, uerba pro forma, ut inuariari omnino queant dubium est; nam in primis in matrimonii sacramento materiam uariatam fuisse ab Ecclesia patet ex Concilio Tridentino *sess. 24. de refor. mat. cap. 1.* quod consensum coniugum clam contrahentium alias prohibitum licet ualidum, absque ualore in posterum fore decernit. Patet in sacramento Eucharistiæ, ad cuius confectionem Latini Azimum, Græci fermentatum adhibent panem: patet in ordinatione; in qua à Græcis sacerdotium per solam manus impositionem, à Latinis uerò per traditionem calicis cum uino, & aqua, & patenæ cũ hostia confertur. Formam quoque uariationem pati liquet in eodem ordinationis sacramento, in quo apud Latinos formam complent uerba illa, *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare tam pro viuis, quam pro defunctis in nomine* Domini, *&c.* apud Græcos autem illa uerba, *diuina gratia creat, promouet uenerabilem hunc Diaconum in præsbyterum.* Similiter in sacramento Eucharistiæ formæ apud Latinos uerba sunt illa. *Hoc est corpus meum*, apud Græcos illa. *Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur.* In ordinatione quoq; *Diaconorum* adhibentur pro forma uerba illa. *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei tam pro uiuis, quam pro defunctis in nomine Domini.* materia autem liber Euangeliorum, apud antiquos autem non ita; quoniam Apostolorum tempore vigebant Diaconi cum Stephano, & alijs sex in actibus *A*postolorum, qui tamẽ nec per illa verba, nec per illam materiam censeri possunt ordinati, non

Augetur ex ipsis verbis Pontificalis Romani.

non dum Euangelio conscripto; immo ipsis etiam Durandi temporibus, qui fuit circa annum Domini 1318. Ioanne 22. & Ludouico IV. Imperatore Regnantibus, decennio post Scoti nostri obitum, traditio libri in ordinatione Diaconorum non in omni seruabatur Ecclesia; in Ecclesia enim Aniciensi, cuius Præsul erat Durandus non tradebatur liber Euangeliorum in sua ordinatione Diacono; ipso autem Durando volente se alijs conformare Ecclesijs in margine ordinarij adiunctum est manu eiusdem Durandi, quod in posterum traderetur liber cum illa forma. *Accipe potestatem legendi Euangelium*. Non videtur ergo hæc vera illius sacramenti forma, nec vera, ac certa materies.

Durandi tempore quomodo ordinabantur Diaconi.

52 Nec satis est dicere cum quibusdam à Durando citatis *in 4. d. 24. q. 2. & 3.* cæteros ordines sacramentalia potius quædam esse, quam sacramenta; cum solum sacerdotium sit sacramentum; nam preterquam quod hæc opinio nunc têporis post Florentinum Concilium locum non habet constituens ordines singulos sub sacramenti nomine, nec fas est nomen sacramenti æquiuoce à Concilio sumptum asserere; remanet adhuc difficultas de materia, & forma ordinationis presbiteri.

Præoccupatur instantia

53 De sacramento matrimonij satis hoc loco decursum est: de sacramento ordinis res apprime dubia uideri poterit fasè Bellarminus *lib. de sacram. ord cap. 9.* non eius quidem in omnibus insequendo sententiam, sed apud eum aliorum uidendo relatas sententias; generatim autem Respondent omnes materiam, & formam sacramenti ordinis non fuisse à Christo institutam in indiuiduo, sed solum voluisse, quod ordo conferretur per aliquod sensibile signum significatiuum potestatis tradendæ, & per aliqua verba hoc ipsum exprimentia; posset deduci hæc responsio etiam ex Scoto *d. 26. huius 4. cit.* vbi ijà simili de sacramento matrimonij loquens ait *littera* M, quod probabiliter potest dici Christum non determinasse, quod sit sacramentum gratiæ magis, quam ex impositione humana determinetur signum ad contractum, quare à pari sufficit signum sensibile, quodcumque illud sit in ordine cōferendo, dummodo significet potestatem, quæ traditur, & verba sufficiunt dummodo hoc ipsum exprimant. Qua supposita sententia facile conciliantur ritus Græcorum, ac Latinorum, quia tam isti, quam illi per signum sensibile ordines conferunt, & per verba exprimentia actum illum.

De materiâ, & forma ordinis

Prima sententia

54 Hæc tamen opinio probari non potest; tum quia ex illa indeterminatione certi signi incertitudo sacramenti orire-tur; esset enim in potestate cuiusuis in ordine Episcopali constituti variare, ac mutare signa illa, dummodo remanêret significatio potestatis tradendæ, & expressio illius per verba, quæcumque illa essent, quod satis durum est, quoniã quæ est alicubi, & aliquando materia sacramenti, semper est materia sacramenti; & forma semper, quæ aliquando forma; hæc enim duo mutari non possunt, quæ institutionem sequuntur; qui enim totum instituit, & partes constituentes instituit; neque decretio certi signi, certorumque verborum esset institutio in indiuiduo, aliter vnum tantum numero esset ordinis sacramentum, sed in specie infima vt patet; tum etiam quia Concilij Florentini decreto occurritur ex hac opinione, siquidem Eugenius in decreto pro Armenis habet *Materia est illud, per cuius traditionem confertur ordo, sicut presbiteratus per calicis cum vino & patenæ cum pane porrectionem traditur, Diaconatus per libri Euangeliorum dationem &c.*

Reprobatur

55 Propterea alij à communiori prædicta responsione recedentes asseruerunt in sacramento ordinis Diaconalis solum libri Euangeliorum traditionem esse materiam, qua facta absque alia manuum impositione remanet præsentatus ordinatus; similiter in collatione ordinis sacerdotalis solam calicis cum vino, & aqua, & patenæ cum hostia traditionem veram struunt illius ordinis materiam, & verba illa formam, *Accipe potestatem offerre &c.* manuum autem impositionem cum illis verbis, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt* esse sacramentale quoddam, non sacramentum; ita videtur sentire Scotus *in 4. d. 24. q. 1 art. 4.* et Valentia *tom. 4. d. q. 1. punto 5.* Pater Faber *in 4. tract. de ordine d. 24. q. 1. disp. 1. cap. 4.* Villalobos *in summa part. p. tract. 11. num. 1.* Nugnus *in 3. p. tom. 2. q. 37. art. 5.* quam opinionem etiam probabilem retur Diana *tract. 4. de sacramentis resol.* 187. Habetque hæc opinio in Concilij Florentini verbis allatis fundamentum ita specificè docentis: & confirmari posset ex Pontificali Antiquo sub anno 1563. impresso per Episcopum Castrensem Pontificiæ Cappellæ præfectum, in quo inter missarum solem-

Secunda sententia

Scotus Valentia, Faber. Villalobos Nugnus Diana

Pontifica Sabb. 4. temp. Aduent. in traditione libri euangeliorum habentur in margine hæc verba. *Tradit librum euangeliorum, in hoc actu imprimitur character huius ordinis*, & paulo inferius loquendo de ordinatione Sacerdotis hæc in margine notantur. *Tradit calicem cũ patena, hostia, vino, & aqua, & in hoc actu imprimitur character huius ordinis, &c.*

Confutatur supra dicta opinio. 56 Hæc tamen opinio difficultatem propositam inuolutam relinquit; quoniam Græci Episcopi neque Diaconatum per traditionem libri euangeliorum, neque præsbiteratum per calicis cum patena, hostia, vino, & aqua traditionem conferunt: nec tamen dicendum est ordinatos ab ijs inualide ordinatos; quia de hoc apud Latinos dubitatum nõ est; nõ potest igitur vtraque illa traditio esse præcisa sacramenti ordinis Leuitici, & Sacerdotalis materia, nec verba illa præcisa forma; & auctoritati Concilij Florentini dicendum Concilium ibi decernere materiam esse ordinis id, per cuius traditionem ordo confertur, & exempli studio solum adduxisse porrectionem calicis, & patenæ cum hostia, vino, & aqua, & libri Euangeliorum, at illas illorum ordinum præcisas esse materias non decreuisse Concilium; sed nec uerba illa præcisas formas. Similiter Pontificale illud non amplius in vsu est, & in nouo Clementis Octaui iussu Pontificale restituto allata ex margine verba deleta sunt, nõ sine coniectura probabili ad tollendos de hac re scrupulos.

57 Alij in ordinatione Diaconi vtramq; rẽ constituunt materiam, traditionem scilicet libri, & impositionem manus, dum ab Episcopo dicitur, *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus eius in nomine Domini*, & in ordinatione sacerdotis vtrãq; etiã exprimunt materiam. nimirum traditionem calicis; & patenæ, cum aqua, vino, & hostia, & impositionem manus, quæ bis euenit, semel ante consecrationem manuum, iterum in fine missæ ante iuramentum in manibus Episcopi: ita Laiman *in Theol moral. lib. 5. tract. 9. cap. 5. num. 2.* Filliuccius *tom. 1. tract. 9. cap. 2.* Coninch *disp. 25. dub. 7. conclus. 3.* & alij, quorum opinionem probabilem etiam retur Diana *loco citato*, sed petimus principium difficultatis quæro enim an horum vtrumque necessarium est necessitate sacramenti, an alterum? Si primum; ergo Græci inualidos conferunt ordines; Si secundum ergo frustra alterum dicitur expeti necessario, & sic Diaconus noster per solam manuum impositionem ordinaretur, & sacerdos similiter, de quo peteretur, an ordinaretur ex vi primæ impositionis manuum, quando alij etiam circũstantes sacerdotes, quasi Episcopi adiutores manus super ordinandũ sacerdotẽ imponunt, an uero ex ui ultimæ impositionis manuum Episcopi ante iuramentum? Si hoc secundum dixerint; ergo ipse sacerdos ordinandus frustra missam cum celebrante recitabit; neque conficiet sacramentum, quia nondum characterem ordinis recepit ex hoc responso; quod tamen falsum est; quia vt ex ritu Pontificalis patet, Sacerdotes sunt eo die concelebrantes cum Episcopo; antẽ consecrationem igitur iam in ordinem sacerdotalem sunt adscripti. Si primum dixerint, insurgo, & oppono eis, fore tunc, vt forma non esset adhibenda simul cum materia in hoc sacramento; quia illa manus impositio fit absque verbis, & post multum temporis in traditione calicis forma profertur.

Opinio Laiman, Filliuccij, Coninch, Dianæ

Arguitur.

58 Audio Ioan. à Lugo *disp. 2. sect. 5. nu. 99.* non requiri propinquitatem tantam formæ ad materiam, vt uerba proferantur simul, dum est materia præsens, sed sat esse moralem propinquitatem; quia in sacramento pœnitentiæ exacta confessione peccatorum, & nondum satisfactione facta datur absolutio, fitque sacramentum. *At* quí etsi nec ipse cum Scoto *in hoc 4. d. 6. q. 3.* tantam in sacramenti collatione simultatem formæ exposcam, vt eodem ambo finiantur instanti; simultatem tamen huiusmodi, quæ in actibus reperitur humanis ex illa Augustini auctoritate *Accedit Verbum ad elementum, & fit sacramentum* requiro; hæc autem præceptore Scoto *ibi* ad minus est, ut unum incipiat priusquam perficiatur alterum; ita ut uel ante finem prolationis formæ satis sit adhibere materiam, uel ante finem traditionis materiæ sit satis inchoare formam, ut alibi forté dicam: in re autem nostra secus euenit; quandoquidem longa tẽporis uertitur distantia inter impositionem manuum super sacerdotis caput, & traditionem materiæ; intercedit enim longa deprecatio, Sancti spiritus inuocatio, manus vnctio, Episcopalis manus lotio, & alia.

Instantia ex Lugo.

Reijcitur

58 Adde quod si forma illa, *Accipe potestatem offerre, &c.* caderet super totam illam materiam, scilicet manus impositionis, & traditionis calicis; sciscitor

Adhuc refellitur

Lugo,

Lugo, quam nam verba illa habent cum manuum impositione colligantiam, & nexum? Certè forma exprimit potestatem offerendi sacrificij, quod fit per calicem, & patenam; vinum cum aqua, & hostiam; manus autem impositio ad hoc nihil, vt patet: & quod de pœnitentiæ sacramento adducitur, reflectitur; nã expleta confessione, persistente adhuc attritione, vel contritione, & in uoto saltem satisfactione inchoatur forma, & quomodo simultas in eo sacramento maior, quam in sacramento ordinis intercederet; cum tamen pœnitentis actus quasi partes illius sacramenti non vere partes intrinsecæ statuantur à Scoto *d.14* & à Sac. Concilio Tridentino *sess. 14. de hoc sacramento*, licet ñecessario ad sacramenti illius integritatem expetantur.

Difficultas proposita satis grauis apparet ex Patrum, & Conciliorum testimonijs.

59 Fateor rē esse difficultate non modica irretitam, edisserentibus præcipuè Patribus nonnullis, Pontificibus, & Concilijs ordinem per manuum impositionem Græco quasi mori indulgendo comple ri: hinc ex Patribus Ambrosius in *cap 4. epist. ad. Thimot. manus*, inquit, *impositiones uerba sunt mystica accipiens auctoritatem ut audeat sacrificium offerre*. Clemens *lib.8 const. cap.16 Cum presbiterum*, inquit, *ordinas* (alloquitur autem Episcopum) *impone ipse manum capiti presbiteri*. Ex Pontificibus Greg.9. *in cap. Presbiter de sacramentis non iterandis Presbiter* (ait ille) *& Diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali recipiunt.* Hoc idem habet ibi Innocentius Quartus. Ex Cócilijs Carthaginēse Quartum *can.3.* hoc idem statuit, dum ait. *Presbiter dum ordinatur, Episcopo eum benedicente, & manum super caput eius tenente etiam omnes Presbiteri, qui præsentes sunt manus suas super caput eius tenent, &c. cum vero ordinatur Diaconus, solus Episcopus.*

Apud Latinos, & Græcos, quomodo eadem, & non eadem materia sacramenti ordinis.

60 Vt vero præsentis loci petit occasio, dum vberiorem de hac re doctrinam ad loca sacramenti cuiusque propria reserendam duco, arbitror, quod ad materiam huius sacramenti pertinet, esse apud vtriusque Ecclesiæ ministros eandem, manuum videlicet impositionem, non eam quidem qua caput solum ordinandi tangitur ab Episcopo, sed eam, quæ in ipsa materiæ traditione miscetur, est enim instrumentorum illorum per manus traditio quædam manus impositio, quæ cum tam in calicis, & patenæ, quam in libri Euangeliorum traditione intercedat, efficere potest, vt vtriusque sacramenti materiam costituat; quæ apud Latinos, vt patet, explicita magis instrumenta illa nempe calicis, & patenæ, & libri exposcit, remanente sola manuum impositione apud Græcos, ita vt sine illa instrumentorum traditione non censeatur ordo collatus; non ita vt censeatur esse alia materia apud Latinos, quam apud Græcos, sed quia diffinitum est ab Ecclesia instrumenta illa apud nos sine impositione manuum, & rursum impositionem manuum absquè instrumentis illis nó esse legitimam materiam, nec Episcopos tradentes vnum sinè alio esse legitimè ordinantes, quod cum Græcis actum non est, neque hoc est in hac sacramentorum materia nouum, nam sicut Clandestinum consensum Ecclesia illegitimum declarauit in Concilio Tridentino, antè quod legitimum erat, etsi illicitum, ita potuit in hoc sacramento illegitimare personas sine illis instrumentis ordinandas, quod non est formaliter mutare materiam, sed quasi remote declarando rem assumptibilē pro materia, vel parte materiæ nō esse idoneā, vel personas non esse idoneas. Cur autem id factum sit? Ipse nouit: qui ita regi Ecclesiam suam disposuit Deus.

Ecclesia interdum illegitimat personas.

Occurritur obiectio.

61 Quod si obijcias traditione illa instrumentorum non imponi manum immediatè, sed medijs instrumentis illis. Obiectio nulla, nam sufficit contactum esse moralem sin minus Phisicum: hinc & ipsi Græci medio pallio, & Latini nostri etiam caput medijs chirotecis tangunt, & tangere dicuntur.

Lugo instantia tollitur.

62 Obiicies iterū ex Lugo *nu. 93.* qui expresse fatetur solutionē hāc nostrā sibi nūquā placere potuisse; quod illa traditio instrumētorū improprijssime dicitur manus impositio, cum Concilia, & Patres, quos ipse fusè recenset, non solum dicant conferri ordinem per impositionem manus; sed per impositionem manus super caput, quorum auctoritates nos etiā paulo ante recensuimus. Respondeo nihilominus; etsi in toto rigore manuum impositio nequeat illa traditio appellari, at morali modo intercedente contactu quandam impositionem manuum appellari posse non vereor asserere; nam in ordinatione Sacerdotis certū est Episcopū materiam extendere cum illis instrumentis ad ordinandum; qui manus suas quasi supponens Episcopi manibus in illo contactu dici potest moraliter habere impositas Episcopi manus. Similiter quoque accidit in traditione libri euangeliorum: & Patres, & Concilia citata non aiunt conferri ordinem per im-

posi-

positionem manuum super caput; sed in ordinatione sacerdotis debere Episcopū, & circumstantes manum super ordinandi caput imponere, quod verum est; & a nobis seruatur in praxi; at quod per actum illum conferatur ordo, ne verbum quidem Concilia, & Patres: simile est de ordinatione Diaconi, in qua Episcopus manum super ordinandū vtique imponit, ut ab Apostolis introductum, vt dicebat Gregorius Nonus supra citatus, ex illa tamen impositione sola non imprimitur character.

Instantia diluitur

61 Dices, datur Spiritus Sanctus iuxta verba Episcopi dicentis, *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, &c.* quæ verba non tam deprecatoria, quam efficacia etiam decreuit Concilium Tridentinum *sess. 23. de hoc sacramento can. 4.* Non dissentio, sed dari tunc cum verba illa dicuntur non decreuit Concilium, quod solum statuit per sacram ordinationē dari Spiritum sanctum; nec obinde Episcopos frustra dicere *Accipe Spiritum Sanctum*, an autem dum ea dicuntur, an postea dum instrumenta traduntur cōferatur gratia, & tradatur Spiritus Sanctus, non decernit ibi Conciliū.

Adhuc non obiecto fit satis.

62 Obijcies ex eodem Lugo *num. 102.* non tradi Diacono potestatem legendi Euangelium per illa verba *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, &c.* quia Episcopus dicit verba illa omnibus simul, *Accipite potestatem*, & postea successiue omnes tangūt librum, unde cum magna temporis intercedat mora inter prolationem verborum, & contactum maxime si plures sunt ordinandi, non dicetur tunc Diaconus potestatem illam recipere, & obinde contactus per instrumenti traditionem non erit præcisa ordinis illius materia.

Diana, & Bonacina labuntur

63 Et Lugo sequutus est Diana *resol. 182 tract. 4. de sacram.* & Bonacina *disp. 8. de sacram. q. vnica* cū actū instrumētorū in ordine non esse de sacramenti essentia, sed ad summum de Ecclesiæ præcepto cōstituentes; & alios quos recensuerat Diana *tract. 16 qui est secundus Miscellaneorum resol. 3.* quorum rationes præcipue sunt; prima, quia in rebus humanis non solent regulariter tangi omnia, quæ traduntur; nam vinum traditur, & non tangitur; quia traditur in vase. Item in Rituali vbi omnia exactissime traduntur nec leuiter hic contactus exprimitur. Item Episcopus ordinans, eiusque ministri nihil vt hæc fiant, solliciti sunt. Demū si id necessariū est, certe vt traditio potestatis acceptetur; at hoc sacramentum non consistit in contactu phisico, sufficit igitur sola exhibitio absque contactu. Adde nec acceptationem necessario requiri patere ex paruulo vsum rationis non habente, qui posset valide ordinari, nec tamen acceptare diceretur.

Et ex Pontificali conuincuntur

64 Hac etiam in re non recederem ab opposita sententia statuente contactum aliquem instrumentorum esse necessarium; alioquin verba falsa essent, dum dicitur Subdiacono, *Accipe librum Epistolarum*, Diacono, *Accipe potestatem legendi Euangelium*, Sacerdoti, *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo &c.* certum est enim per hæc sensibilia signa insensibilem Deum operari effectum; in alijs autē sacramentis cōtactus iste expresse cernitur; ut in baptismo, cōfirmatione, extrema vnctione, Eucharistia: in matrimonio autē, & pænitētia, quia materia est in ipsis personis, licet signis, vel verbis expressa, est alia ratio, immo forte intimitas maior est materiæ, quā per cōtactū. Quid igitur hoc vnū ordinis desideraret sacramentū?

Occurritur obiectis.

65 Nec rationes Aduersariorum cogunt; quia non est par ratio de vino, & alijs; vinum namque vt liquor ne fluat non tangitur; satis est tangi vas, in quo locatur, vnde & Apostoli dum in vltima Cœna constituti sunt Sacerdotes calicē accepisse leguntur, non uinū tetigisse: nec est simile de alijs rebus humanis, quia hæ res licet sensibiles ad supersensibilia, & superhumana signanda traduntur.

Primo

66 Ad secundum Respondeo, Auctores non legisse Pontificale Romanum, quo decernitur in ordinatione Diaconi, ordinandos debere manu dextera tangere librum, similiter in ordinatione Sacerdotis, calicem cum patena, & hostia.

Secundo

Ad tertium, scio me esse sollicitū, similiter, & ministros meos, sed & alios Cōprœsules meos sollicitos esse in praxi vidi.

Tertio

Ad quartum cum sua confirmatione Respondeo, non obid esse necessarium, sed ex Deo sic instituente, non ex acceptione, & cōsensu ordinādi; nā vt egregiè docet Scotus apposite de hoc sacramēto loquens, deq; paruulis illū recipiētib. *in 4. d. 25. q. 2. littera B* ad impressionē characteris nō requiritur consensus.

Quarto

67 Ad obiectionem igitur Patris Lugo reuertentes dicimus, ab Auctore Pontificale nō visū; nā in ordinatione Diaconi, & traditione libri hæc habentur ibi. *Pontifex accipit, & tradit omnibus librum Euangeliorum, quem manu dextera tangunt dicens.* Hęc ibi, vbi tria dicuntur, tradi omnibus librū, tangi dextera manu, & Præsulem dicere verba: quare expresse do-

Satisfit Lugo

trimonio per procurationem facto personæ contrahentes non interueniunt, & fit verum sacramentum. Sed hæc impugnatur, quia à contractu ad sacramentum matrimonij transit: vtique contractum matrimonialem per procuratione fieri valide posse confiteor, sacramentum inter coniuges absentes, dum fit contractus, fieri posse vereor, neque sine ratione vereor, quoniam sicut collatio sacramenti est actio personalis, ita receptio est quasi personalis passio; sed in casu matrimonij per procurationem contracti personæ contrahentes absunt, quare sicut non conferunt; ita nec recipiunt sacramentum, quod est in causa, vt dum coniuges personaliter matrimonio iam dudum per procuratores contracto simul iunguntur iterum consensum personaliter exprimant, vt sacramentum, quod non receperunt recipiant; idque egregiè in praxi faciendum consulit Villalobos *tom. 1. sug summæ tract. 13. diff. 9.* qui nobiscum sensit, similiter & Gulielmus Estius *in 4. d. 19.* & Franciscus Siluius *3. p. q. 42. artic. 1.* nec admodum distat Rebellius *p. 2. lib. 2. q. 5. concl. 2.* quamuis Diana *loc. cit. resolut. 250.* sententiam Vasquezij vocet communiorē, ac securiorem. *At* vrgetur, quia nunquam fere sacramenti huius effectus recipiunt coniuges, quos si longe absunt, moraliter difficile est tunc temporis, dum longe procuratores contrahunt, in gratia esse, vel saltem paratos ad gratiā recipiendam, vnde videtur mihi hæc sententia etiam secura in praxi: nec refert Turriaū *in sel. 2. cent. Theol. d. 46.* illam appellare improbabilem, ac plane temerariam, quia Turriani censurarum tanta licentia satis patet.

Impugnatur Lugo.

Villalobos Estius, Siluius, Rebellius, Diana.

21 Quod si obijcias mihi Scotum *in 4. d. 26. q. 1. littera M* dicentem non requiri necessario, vt ipsi contrahentes ministrent sibi mutuò hoc sacramentum, cum aliquandò patres pro filijs contrahant. Respondeo, Scotum se ipsum exponere ex vi vnius particulæ, habet enim, *sed nec hoc requiritur necessario, si in omni contractu est sacramentum, &c.* Obserua hæc vltima verba, quibus patet Scotum in illorum sententia fuisse loquutum, qui cuiuscumque matrimonialis contractus in lege Euangelica comes necessario sacramentum esse sentiunt: porrò opinionem illam nec sequitur, nec reprobat Scotus, sicut nec oppositam, quæ statuit alicubi esse contractum matrimonialem sine sacramento; videatur *ibi litt. L.*

Oppositio ex Scoto.

Tollitur per Scotum.

22 Impugnatur igitur tertia illa sententia aliter: quoniam contrahentium corpora sunt materia remota, nos autem hic proximam sacramenti matrimonij materiam postulamus; neque materiam circa quam, sed in qua relatio illa signi fundatur, exposcimus.

Impugnatio vera.

Explicationem priorem quartæ sententiæ impugnat Lugo; quia potest accidere, quod verba vtriusque coniugis proferantur simul; quo casu nulla esset materia, & forma illius sacramenti, cum ratio materiæ, & formæ desumatur ex ordine, quo alter coniugum altero prius consensum exprimit, vel posterius. Sed hæc impugnatio mihi displicet, supponens debere materiam præcedere formam in hoc sacramento, cum tamen simul esse debeant, ita vt materia transacta, nec applicata forma, nullum fit sacramentum, vt patet discurrendo per singula sacramenta; ex hoc igitur supposito impugnarem Richardi explanationem; quia si verba vnius coniugis essent forma verborum alterius; si alter altero prius, vt in praxi euenit, verba proferret, sacramentum esset nullum; & sic aut raro, aut nunquam matrimonium esset sacramentum, quod est falsum. *Secunda*, ac tertia declaratio, quæ verè penes idem versantur variè vrgentur à Vasquezio, nobis in præsentia sit satis per eas adhuc difficultatem propositam relinqui incolumem, qua petebatur, quomodo sacramentum hoc perficeretur rebus, & verbis. *Si* solis completur verbis, sententia constituens consensum esse materiā, verba formam pari modo vrgetur à Recentibus, ac secunda; quia scilicet consensus est insensibilis sistens in solo voluntatis actu.

Doctrina Lugo.

Displicet.

23 Sed quid si consensus ille sentiatur? Aient, non nisi per uerba, & sic redibit difficultas per manibus habita, quod eadem sint verba, & materies. Melius dixerim ex Concilio Florentino in decreto illo Eugeniano consensum, nisi sit expressus, nullum esse; expressum autem efficere matrimonium, non sacramentum matrimonij; vndè egregiè Scoti doctrina *dist. 26. littera O.* obseruanda est, quod tria in hoc sacramento spectantur contractus, matrimonium, sacramentum. Contractus fit ex consensu, matrimonium ex contractu, sacramentum sequitur hæc omnia. Contractum fieri ex consensu patet; quia hic contractus est mutuæ donationis, vel permutationis potestatis corporum. Ne-

Instantia Recens. aufertur.

mo enim

mo enim poteſtatem ſuam, quam habet de corpore ſuo, transferre poteſt ad alium, niſi per actum uoluntatis ſuæ liberè transferentis, actus igitur uoluntatis dicitur conſenſus, ſignum autem euidens extrinſecum huius mutuæ donationis, ſeu translationis dicitur contractus, quaſi ſimul tractus duarum uoluntatum: unde patet conſenſum uoluntatum quoquo modo præire ad contractum, qui fit per ſignum euidens extrinſecum, cuius forma eſt, Do, *ut des*, vel. Do, *ſi das*. Matrimonium fieri ex contractu patet, quia illa obligatio, ſeu mutuum vinculum, in quo ſiſtit matrimonii ratio vnde oritur, niſi à voluntate contrahentium?

Contractus quomodo ſit.

Aut enim ab illa, aut à legislatore. Si primum habemus propoſitum, ſi à legislatore. Contra: obligatio illa eſt indiſſolubilis; quare ſi ſit ab extrinſeco inuoluntaria quoquomodo erit, & quaſi violenta, vnde perpetua eſſe non poſſet, quia nullum violentum perpetuum, ſeu durabile: ſi dixeris ab extrinſeco, ſed à voluntate acceptari, uel mecum ſenties, quod oriatur à voluntate, uel urgeberis ex illo Iuris Conſultorum pronunciato. *Qui non eligit, non diligit, qui non diligit, contemnit.* Exinde dicebat Eugenius in decreto ſuo, effectricem matrimonii cauſam eſſe conſenſum expreſſum per uerba de præſenti; quia ſcilicet conſenſus ſolus non faceret matrimonium, ſed contractum; expreſſio autem conſenſus, in quo ratio contractus conſtituta eſt, matrimonium ipſum conſtituit.

Iuriſperitorum axioma.

24 Huic contractui demum ratio ſacramenti à Christo annexa eſt, quod ſic à Scoto ſinitur. *Sacramentum matrimonij eſt expreſſio certorum uerborum maris, & fæminæ ad ſe inuicem ſignificantium traditionem mutuæ poteſtatis corporum ad prolem debite procreandam ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificans gratiam conferendam mutuo contrahentibus ad coniunctionem mutuam animorum gratioſe.* Hæc Scotus; qua diſſinitione explicata patebit in noſtra ſẽtentia, quæ ſit materia, & forma ſacramenti matrimonii, nã quamuis Scotus problematicè videatur in hac re locutus iuxta duplicem ſententiam, quarum altera ſtatuere poterat huius ſacramenti formam fuiſſe certis verbis alligatam, altera e contra negare poterat hanc tantam verborum in forma anguſtiam, nihilo tamen minus priori potius, quam poſteriori ſententiæ ſe ſubſcripſiſſe ex allata diſſinitione patet, & ex his, quæ *litt.L.* & *litt.*N. repetit contingere nimirum poſſe, vt ſacramentum non conficiatur matrimonij, quamuis ineatur contractus, cui ſententiæ adhærendo, & prædictam diſſinitionem explicando dicimus, formam huius ſacramenti eſſe verba, non quidẽ in actu quieto, ſed vt exprimuntur; quod etiam in aliis accidit ſacramentis, nam in baptiſmate forma illa; Ego te *baptizo, &c.* non vt ſic in eſſe quieto, ſed in fieri, ſeu vt prolata à miniſtro rationẽ formæ ſubit. Ob id in diſſinitione ſacramenti dicitur, *expreſſio uerborum certorum*, en igitur forma. *Maris, & fæminæ*, en miniſtrorum nomina explicantur, quæ etſi principaliter in ſacramenti diſſinitionem non cadant, certè in diſſinitionẽ explicantẽ vniuerſas cauſas delabi poſſunt vt addita, *ſignificantium traditionem mutuæ poteſtatis corporum*, en materia, mutua videlicet corporis traditio, cęteræ particulæ inſtituentem, ac finalem deſcribunt cauſam, de quibus nihil in præſentia.

Scoti verba obſeruanda.

Poteſt eſſe contractus ſine ſacramento in matrimonio.

25 Eſt igitur ex Scoto ibi materia huius ſacramenti mutua corporum traditio, verba coniugum forma. Quod ſi dixeris. *At* illa traditio corporum per uerba fit. Nego fieri per verba, ſed regulariter exprimi per verba, ſeu ſignificari per verba, vt in diſſinitione præfata loquitur Scotus; fit namque ex mutuo contractu traditio, fitque ſenſibilis per actus quandoque, per verba aliquando, interdum appropinquatione corporalis præſentiæ, & manuum contactu; clarior autem expreſſio per verba fit; quia vim ſignificandi potiſſimum verbis intelligimus: nec ſequitur, ergo verba ſunt materia; quia nec ſequitur, verba ſacerdotis abluentis in baptiſmo ſignificantia ablutionem, dum dicitur Ego te *baptizo*, qui realiter baptizat, eſſe materiam, ſed explicare materiam, quam adhibet; ita in propoſito traditio corporum mutua quomodocumque expreſſa materiam ſtatuit; quamuis regulariter per verba exprimatur; verba vero coniugum formam ſacramenti conſtituunt: & hinc differentiam hauries inter contractum, & ſacramentum, quia hoc in noſtra ſententia verba exquirit, ille vero ſuppleri per nutus, ac per ſigna poteſt.

Quæ forma, quæue materies ſacramenti matrimonij hic habes.

26 *Ex* his in hac opinione ſolutionem habes difficultatis propoſitæ, an matrimonium contractum inter ſurdos, & mutos valeat; valet. n. quia cõtractus initus eſt, ſin minus per verba, ſaltem per ſigna

Sanchezij in Scotum iudicium.

signa, & nutus; at non est sacramentum in rigore deficientibus verbis: ita sensisse Scotum *d. 26. littera* C. ait Sanchez *tom. 1. de matrim disp. 31. num. 7.* Scotus tamen vt supra monuimus in hac re problematicum se gessit, licet in eam potius videatur propendere sententiam, in eam etiam propensum fuisse Sanctum Thomam *in 4. d. 1. q. etiam 1.* patet ex eius littera; licet *in supplemento ad tertiam partem* secus sentire videatur, sed illud nō est S. Thomæ, sed Themistarum, eam etiam secutus est Canus *lib. 8. de locis cap. 5.* & persuadetur, quia nusquam satisfit Concilio Florentino constituenti sacramenta omnia nouæ legis materia, forma, & Ministri intentione compleri, eiseque verba formam. Quod enim aiunt post Sanchez alii nomine verborum intelligi nutus, qui sunt etiam verba imperfecta, falsum est, nam nutus sic se habet ad verba, vt mutus alloquens, sed mutus non est loquens perfectè, nec imperfectè, ergo nec nutus sunt verba perfecta, vel imperfecta. Maior patet, quia loquela est effectus loquentis, nutus effecta mutorum; eamdem ergo, seu qualem ergo proportionem habent ad se inuicem causæ, parem ad se inuicem esse est euidens ex ipso muti nomine, quod dicitur *mutus*, quasi *minutus*, quia eo sensu loquendi destitutus est, vel *mutus* dicitur à *mugendo*, qui mugitus potius edit, quam sermonem, vel à *mussando*, quod inconditum quemdam edat sermonem: differunt igitur nutus à verbis satis plusquam perfectum ab imperfecto.

S. Thomas Canus.

Muti deriuatio varia

27 Adde Blæsum à muto satis differre, porrò blæsorum verba imperfecta sunt, non mutorum, vt docet experimentum. Adde, quod in alijs sacramentis tanta est verborum necessitas, vt eorum etiam variatio sacramentum irritet, cur ergo in sacramento matrimonij non item? Aiunt, quia hoc est in contractu, contractus autem bene per uerba suppleri, ac per nutus, & signa potest. At hoc nihil est, quia alia est cōtractus, alia sacramēti ratio, ut dicebamus. Et rursum quod possit esse sine hoc sacramento contractus matrimonialis in lege euangelica, ostenditur casu possibili hoc argumento constante. Tam est necessaria ad sacramentum perficiendum intentio ministri, ut ea deficiente nullum sit sacramentum. Hæc maior est absolutè deducta ex Florentino Concilio: sed possunt duo contrahentes exprimere consensum habentes intentionem non conferendi sibi inuicem sacramentum. Hæc minor est euidens; cur enim non possent, cum contractus, & sacramenti rationes sint valdè diuersæ, & ministri ratio differat satis à ratione personæ se obligantis? Ergo in casu segregaretur à contractu ratio sacramenti; quæ intentionem exposcit.

Eius differentia a blæso.

28 Arbitror igitur verba esse de necessitate huius sacramenti, sicut in cæteris euenit; hinc qui uerbis pollent, sed signis, & nutibus contrahere malunt nedum mortaliter peccant, ut docet Ledesma *in summa de matrim. q. 45. artic. 2.* & Franciscus Siluius *3. p. q. 44. artic. 2* sed sacramentum irritant ex hac sententia, licet uerè contrahant.

Ledesmæ ac Siluij lapsus.

Hinc corrigenda est Sāchezij opinio *lib. 3. d. 31.* constituentis culpam in his non lethalem esse, sed venialem, cum nullum contrahentes sacramentum faciant, & proinde contra eius institutionem se gerant; acrius corrigendus est Basilius Pontius *lib. 2. de matrim. cap. 7.* vbi nec culpam venialem agnoscit, cum nullum in verbis adhibendis agnoscatur præceptum Ecclesiasticum. Nosse enim Pontius debuit verba in sacramentorum administrationem non ex Ecclesiæ præcepto, sed ex diuinà institutione manasse; sunt enim ipsorum sacramentorū partes, quas nec instituere, nec destruere potest Ecclesia. Dicta igitur recapitulantes dicimus sacramenta omnia expetere materiam, & formam, res scilicet, & verba, neque hæc in matrimonij sacramento desiderari modo exposito, in quo scilicet, si sacramentum matrimonij Methaphisicè pro formali sumatur, ratio signi forma dicetur, verba vero coniugum, & traditio mutua corporum materia, hoc est, relationis illius fundamentum; si autem Phisicè, vt ita dicam, sacramentum hoc sumatur, ex parte videlicet fundamenti, mutua corporum traditio expressa erit materies, verba coniugum forma, quæ materiam illam actuat, ac format. An autem ex æquo illa duo ex parte fundamenti relationē fundent, dicetur infra.

Sanchezij & Pontij

Recapitulatio dictorum.

29 Hæc, quam hactenus cribrauimus, difficultas in causa potissimum fuit inter cætera, vt Durandus vir alioquin acutissimo ingenio prædicus *in suo 4. dist. 26. q. 3.* senserit matrimonium non esse verè sacramentum nouæ legis, sed largo modo sacramentum appellari, quatenus est solum sacræ rei signum. Primo, quia regulariter ea, quæ exterius aguntur in sacramentis excedunt dicta-

Quo fundamento matrimonium non esse sacramentum dicebat Durandus.

men

men rationis naturalis, non sic in matrimonio, in quo, quod exterius agitur, nō excedit dictamen rationis naturalis, cū sit contractus. Secundo quia sacramenta consistunt in opere operato applicato illis, qui suscipiunt, sic aqua cum forma verborum applicatur in baptismo, oleum in vnctione extrema, & sic de cæteris, non sic in matrimonio, vbi non semper adsunt verba, miniiter non est distinctus à suscipiente &c. Tertio, quia matrimonium nec confert gratiam, nec auget habenti; non quidem confert, quia hoc est solius baptismi, & pænitentiæ munus post lapsum; nec auget, immò minuit potius, quia melius est contineri, quam nubere; ex 1. *Corinth. cap.* 4. Quarto quia in matrimonio Ecclesia legitimat, & illegitimat personas, proinde mutat ministros, & materiam, quæ tamē in alijs sacramentis fieri nequeunt. Demum, quia nemo est sacramenti capax nisi baptizatus, at infideles non baptizati sunt capaces matrimonij; non est ergo matrimonium sacramentum vere.

Secundum argumentum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

30 Hæc opinio Durandi à censura fortasse grauissima vindicari poterat ante Concilium Tridentinum interpretando videlicet Florentinum cum Soto; quasi verò non tam stricte sacramenti nomen sumpserit; sed hoc tempore post Synodum Tridentinam nescio, quomodo sub typis cadat, decernente Concilio *sess.*24. *de sacramento matrim. can.* 1. anathema ijs, qui negauerint matrimonium esse verè, & propriè sacramentum nouæ legis à Christo institutum, & gratiam causare; quo decreto, vt vides, tria statuuntur: primum matrimonium esse sacramentum: secundum esse à Christo institutum; tertium gratiam causare; licet duo hæc ex primo decreto sequantur necessario, nam dato quod sit sacramentum, sequitur à Christo fuisse institutum, & gratiam dare.

Confutatur & censuretur.

Durandi opinio.

31 Nec rationes Durandi cogunt, prima; quia in singulis sacramentis quidpiam videtur sensibile, quod naturale rationis dictamen non excedit; nam in baptismo videtur ablutio, in Confirmatione chrisma, & sic de singulis; sed quod significent sensibilia gratiam, cum hoc excedat rationis dictamen non videtur, quod non est dissimile in matrimonio, in quo ratio contractus sentitur, sacramenti significantis gratiam creditur.

Solutio primi argumenti.

32 Secunda soluitur ex dictis, quibus nō desiderari formam in hoc sacramento statuimus, vel materiam; nec necessarium esse ministrum distinctum à suscipiēte in omni sacramēto docet sacramētū Augustissimū Eucharistiæ, in quo sacerdos cōficit, & sibi cōfert sacramentū.

Solutio 2.

33 Ad tertiam negatur, non dari augmētum gratiæ per matrimonium; immò Scotus *d.*26. *littera* O, docet adhuc dari per illud augmentum gratiæ, quamuis non esset sacramenti ratio annexa contractui in matrimonio mutorum, quia cum opus sit difficile, & honestum, congruit illi dari gratiam, qui opus illud exercet, se scilicet vinculando indissolubiliter. Nec refert, quod status continentiæ maritalem excedat, ex eo enim sequitur solum maius dari gratiæ augmentum in statu continentiæ degentibus, quam in maritali, quia opus illud est difficilius.

Solutio 3.

34 Ad quartum dicimus, ministri mutationem non esse de essentia, vt docet Scotus *loco citato littera* H, Ecclesia etiam personas non mutat, sed declarat sacramenti huius incapaces; quos nouit non rectè essentialia sacramenti huius adhibere, vt patet in cōtrahētibus clādestine.

Solutio 4.

35 Vltima ratio peccat supponens dici per æquiualentiā has propositiones *omne matrimonium est sacramentum*, & *matrimonium est sacramentum*, hæc enim est vera, illa falsa; nam ethnicorum contractus possunt esse matrimonia; sacramenta sine baptismo esse non possunt. Sunt ergo ethnici capaces matrimonij pro vinculo, non pro sacramento, vt fuit in lege veteri.

Solutio 5.

35 Circa ea, quæ hucusquè de matrimonij sacramento diximus cauendum est à Martino Becano *cap.* 44 *de sacramentis in specie q.* 5. dicente, quod si matrimoniū spectetur vt in fieri, consensus vtriusque coniugis per verba, vel signa expressus quatenus continet traditionem mutuā, habet rationem materiæ, quatenus autem continet mutuam acceptationē habet rationem formæ: si vero spectetur vt in facto esse contrahentes habent rationem materiæ ex qua; vnio autem contrahentium habet rationem formæ. Cauendum est (inquam) quia sacramenta alia, præter Eucharistiā in lege Euangelica sistere in facto esse, parum Theologicum est, vt ex decursis patet. Adde, Authorem hunc satis apertè matrimonij contractum, ac vinculum cum sacramento matrimonij confundere, cum tamen ex dictis valdè admodum diuersa sint hæc duo, matrimonium scilicet, & sacramentum matrimonij.

Corrigitur Becanus autumans hoc sacramentum spectari posse etiā in facto esse.

36 Superest difficultas; quonā modo verū

sacramentum suppleri posse sentire visus est. Ex quibus omnibus Scoti locis eliciunt præfati Auctores ipsum sensisse in sacramentis non eodem modo de singulorum forma, ac materia loquendum; nam in aliquibus materia est intrinsecum fundamentum, forma vero circumstantia; in aliquibus è contra forma est internum fundamentum, materia vero circumstantia.

41 Sed re vera si Scotica loca paulo inspiciantur attentius, constabit omnino, Scotum in hac re nihil decreuisse certi; sed ex doctrina *d. 3. q. 1.* inceptum de sacramentis sermonem prosecutum; ibi autem duos refert dicendi modos in hac difficultatem vrgentes. Primus est, si dixerimus æqualiter relationem signi fundari in rebus, & verbis; & proinde res, & verba æque complere fundamentum relationis sacramenti; neque hoc impossibile est, quia cum sit relatio rationis potest in duobus fundari, puta in forma, & materia, in rebus, & verbis. Secundus est, si dicamus non æqualiter relationem signi in rebus, & verbis fundari; sed in rebus tamquam in interno fundamento, in verbis autem tamquam in circumstantiis necessario tantū ad complementū sacramenti requisitis. Cæterū quonam sententia Scoto arrideat; prima ne, an secunda, etsi auctores citati Scotum pro secundo modo dicendi adducunt, attamen Scotus non decernit, immò *q. 1. paulo ante litterā D.* in priorem modum potius propendere videtur, ait enim. *Istorum duorum primum videretur verius &c.* quamuis autem *littera F.* expresse profiteri se se ostendat secundum modum dicendi, dum ait, *ablutionem esse totum fundamentum baptismi &c.* tamen vt patet ex antecedentibus verbis, Scotus ibi non ex sua, sed ex Magistri sententiarum opinione loquitur, Magister autem sent. diffiniens baptismum dixerat *illum esse ablutionem hominis &c.* & proinde secundi modi dicendi se se propugnatorem ostenderat; Scotus igitur ad solutionem primi argumenti pro Magistro sent. loquens secundum modum profiteri videtur; sed quod ex Magistri, non autem ex sua opinione loquatur, patet ex eius verbis, *oportet ergo dicere sustinendo diffinitionem Magistri, quod ablutio est totum fundamentum &c.* Hæc Scotus, in quibus obserua verba illa, *sustinendo diffinitionem Magistri &c.* quasi dicat, si quis Magistri sequi vult partes, oportet asserere, vt Magister asserit circa baptismi diffinitionem. Porrò alterum modum dicendi communiorem, & veriorem puto, vt statim ostendam.

Scoti sensus sincere explanatur

42 Interim moneo non eodem modo posse nos, dum de sacramentis genericè effamur, loqui de sacramentis, quæ in vsu sunt posita, & de ijs, quæ permanent, quod est dictu, diuersam esse ratiocinandi formam de Eucharistia, & alijs sacramentis, illa siquidem in esse permanet, alia sistunt in vsu, quod est dictu in cæteris sacramentis eandem rem esse vsum sacramenti, & sacramentum ipsum; in Eucharistia autem non sic, quia hæc post consecrationem remanet, & differt ab vsu; nam eius perceptio non est sacramentum, sed applicatio sacramenti; vno verbo: philosophi assererent, cætera sacramenta sic se habere, vt factum à fieri non distet; sed in sacramento altaris fieri differre à facto esse, in quo sacramentum sistit.

Monitum necessariũ

43 De quo, quod pertinet ad præsens, aduerte, quod etsi sacramentum ipsum, ex quo permanens est, nulla verba habeat pro forma, quorum esse est, dum fiunt, seu dum dicuntur; & successiua, quemadmodum philophi norunt, non possunt esse de essentia permanentium: attamen verba consecrationis ad fieri sacramenti huius spectabunt necessario, & propterea dum Concilium Florentinum decernit sacramenta omnia perfici rebus, ac verbis; non est cur ab hac lege sacramentum altaris eximamus, nam etiam ad ipsum perficiendum res exiguntur, ac verba, super quibus non fundatur relatio signi, quia sacramentum ipsum exactis verbis incipit; licet ergo non remaneāt res, & verba, tamen ad fieri sacramenti huius necessario requiruntur, suntque res materia consecrationis, & verba forma eiusdem consecrationis, quę cum sit in fieri, habet similitudinem cū alijs sacramentis; sacramentum autem ipsum iam factum nec res, nec verba habet, nec materiam, nec formam, nisi formam pro relatione signi sumas, & materiam pro eius fundamento; hæc enim in eo nanciscimur, quoniam significatio corporis Christi, & sanguinis præsentis est formale, & species visibilis est materiale, seu fundamentum. Cæterum de hoc suo loco dante Deo. Interim.

Discrimē aliorum sacramentorum ab Eucharistia

44 Asserendum res, & verba, quibus tamquam forma, & tamquam materia sacramenta perficiuntur ex æquo partes esse fundamenti relationis signi in sacramentis, quorum esse est in vsu, hoc est in sacramentis omnibus (vna Eucharistia excepta.) Assertio primo de-

Assertio præcipua

claratur, postmodum persuadebitur.

Declaratur sensus asserti.

45 Non est autem eius sensus is, quo videtur inferri ad perficiendum fundamentum relationis res, & verba non ita se habere, vt vnum sit quasi præuium, ac determinabile, alterum quasi posterius, ac determinatiuum; quoniam in superioribus ostendimus res, quæ vicem materiæ subeunt, quasi præuium, quid esse ad uerba, quæ supplent rationem formæ: sed sensus asserti nostri est, vtrumque scilicet verbum, & rem perficere fundamentum, & super vtrumque æqualiter relationem signi in sacramentis fundari; ita vt vnum non sit tamquam fundamentum, & alterum tamquam circũstantia, sed ambo sint vnũ fundamentũ.

Probatur assertum primo.

46 Iam vero probatur assertum ex similitudine materiæ, & formæ; quarum vices verba, & res subeunt. Non sola materia, nec sola forma compositum struunt, sed utraque ex æquò, & si qua inter vtramque dignitatis intercedit differentia, hæc ex parte formæ potius attenditur, non ita tamen ut materia non sit pars compositi, sed quia non est pars tam nobilis, ceu forma; ergo non solares, nec solum uerbum sacramenta perficiunt internè. Consecutio ex tropo deducitur; dictum est enim ex methaphora tracta esse vocabula materiæ, & formæ in sacramentis, quoniam pars fundamenti contrahitur, parsque contrahit, & partes ambæ ad fundamentum complendum attinent; quare sicut in naturalibus compositis materia contrahibilis, & forma contrahens compositum tamquam partes constituunt; ita uerba, & res, hæc contrahibilis, illa contrahentia fundamentum struent ut partes in sacramento.

Probatur secundo.

47 Præterea: sin minus res, & uerba partes essent fundamenti signi in sacramento internæ, hoc ideo esset, quia uel sola res, quæ uicem gerit materiæ, uel solum uerbum, quod est instar formæ, uel neutrum esset fundamentum: at hæc omnia falsa sunt; ergo à partium diuisione perfecta falsissimum id, ex quo ea ducũtur. Singulorum falsitates ostenduntur. Materiam solam esse partem fundimenti improbatur. Fundamentum relationis signi in sacramento ideo statuitur tale, quia aptum natum est significare rem sacram, siue effectum sacramenti, sed significatio hæc; si uocum rigor attendatur, potius in uerbis sita esse uidetur, quam in rebus, unde accipe in baptismo ablutionem externam, accipe uerba *Ego te baptizo*; potius effectus ablutionis internæ ex verbis, quã ex actu signatur, de quo uerum est illud, *quæ est ista virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Et in consecratione Eucharistiæ hoc euidentius patet: non est ergo cur à parte fundamenti formam eximamus: sed nec materiam eximendam probatur: quia proprium est materię subijci, & fundare; quare cum res materiæ nomen obtineant, implicat res ipsas quasi materias esse circumstantias, et non æque, ac verba relationẽ signi fundare. Adde auctoritatem illam Augustini uulgò dilatam. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*; quæ æque formam, ac materiam constituere sacramenti partes nõ obscurè indicat. Demum, neutrum esse fundamentum ex partium ipsarum improbatione improbatur; quare superest vt asserti nostri inconcessam veritatem tueamur.

August. vulgata propositio.

Dubitatio in Scoti verbis.

48 Sed quid Scoticę auctoritati opponẽdum, qui *in 4. d. 16. q. 1. littera E.* contritionem, confessionem, ac satisfactionem statuit nullo modo esse partes sacramenti pœnitentiæ; quia contritio est quoddam spirituale, confessio nihil est ipsius sacerdotis absoluentis, in cuius absolutione situm est sacramentum, satisfactio est quoddam sequens; vnde ipse colligit illa tria requiri tantum vt præuia, vel vt sequentia?

Tollitur

49 *Hæc* dubitatio, quæ Recentium animos contra Scotum excitauit, quasi vero eius opinio sit penitus Florentino, ac Tridentino Concilijs aduersa Fabrum nostrum mouit *in 4. tract. de poenit. disp. 20, cap. 2*, ad asserẽdũ secundum Scotum uerba solum fundare relationem signi primo, materiam quasi secundariò, vt supra dicebamus. Sed ex dictis habes responsum, Scotum duas hac de re proposuisse sententias *d. 3. q. 1.* & interdum vni, interdum se alteri subscripsisse, in secundam vero propendisse ob auctoritatem Magistri; Cæterum in primam non se inuexisse, quam sequimur, sed potius probasse diximus, & patet ex diffinitione illa baptismi *q. illa littera E. baptismus est sacramentum ablutionis, &c.* secundum quem diffiniendi modum, dũ Scotus *d. 16.* ait *Poenitentiam esse absolutionem*, quam prius tradiderat *d. 14. q. 4. littera A.* dicere tenemur; *Poenitentiam esse sacramentum absolutionis hominis poenitentis factæ certis verbis, &c.* in qua, vt vides, vtraque pars fundamenti ponitur in obliquo, res scilicet expressa per hominem pœnitentem, & uerba. Verum de his fusè loco suo. Interim

dicto

dicito Scotum secundum illum primò modum fuisse ibi locutum.

AN FORMA, ET MATERIA

sacramentorum determinata sint à Christo.

CAP. III.

50 NVlli ibi hac de re Scotus: ex his tamen, quæ nos docuit in 4 d. 3 q. 2. loquendo de variatione formæ baptismatis eius nobis liquescere poterit sententia. Interim missis ad præsens dubium Hæreticorum nugis; iteramque dimissis Recentiorum concertationibus circa Hæreticorum errores: Catholica sententia est formam, ac materiam sacramenti cuiuscumque nouæ legis à Deo certam, ac determinatam ita fuisse, vt pro libito variata, uel altera uel utraque ipsorum nihileitatem inferant sacramenti. Ratio à priori ad explicandam Catholici huius asserti ueritatem ex diuina institutione petenda est; quia siquidem sub certis materia, & forma Christus sacramentorum auctor ea destinauit, vt de singulis probari res posset. De materia quidem baptismatis Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* & de eiusdem sacramenti forma *Matth. ultim. baptizantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, similiter de sacramento altaris *Lucæ 22. Marci 14. & Matthæi 26.* Materia vinum, ac panis, & forma uerba illa, *Hoc est corpus, &c. Hic est calix, &c.* præscribuntur; de alijs sacramentis identidem puta; quamuis non tam certa apud scripturas de ijs mentio fiat; idem tamen sentiendum deduc ex Concilio Florentino, & decreto Eugenij, quo certa cuique sacramento forma, certaque decernitur materies. Neque aliunde certius hæc ueritas probari potest, cum ex facto pendeat; metiri tamen ueritatem eius ex congruentia potes; quoniam qui dat esse, dat essentiæ partes quidditatiuas, & essentiales multo magis; nisi quis enim formam induceret in materiam nouam, neque compositum gigneret; at Christus esse sacramentorum instituit; Christus ergo formam, eorumque materiam decreuit, quæ etsi veræ partes quidditatiuæ dici nequeant, partium tamen huiusmodi iuxta doctrinam in superioribus iactam gerunt vices. Adde valde fore incongruum, vt quis pro libito materiam, aut formam variare posset; sequeretur namque hoc idem, quod apud nos sacramentum foret, non fore apud alios sacramentum, & sic fore simul, & non fore sacramentum ex sola voluntate volentis; & proinde quemcumque hominem sacramenta ipsa destruere posse, vel construere; quæ omnia tam falsa sunt; quam vt falsissima.

Conclusio articuli propositi.

Ioan. 3. Matth. ultimo Lucæ 22 Marci 14. Matth. 26.

Dubitatio principalis.

51 Sed quamquam constito Christum Dominum, vt fides docet, sacramenta nouæ legis instituisse omnia, verendum non sit, habere ea ex eodem institutore ritum, ut scilicet ex materia, & forma, rebus, & uerbis coalescant; nihilo tamen minus, an ita eorum decreta fuerint à Christo materia, seu res pro materia, uerba pro forma, ut inuariari omnino queant dubium est; nam in primis in matrimonii sacramento materiam uariatam fuisse ab Ecclesia patet ex Concilio Tridentino *sess. 24. de refor. mat. cap. 1.* quod consensum coniugum clam contrahentium alias prohibitum licet ualidum, absque ualore in posterum fore decernit. Patet in sacramento Eucharistiæ, ad cuius confectionem Latini Azimum, Græci fermentatum adhibent panem: patet in ordinatione; in qua à Græcis sacerdotium per solam manus impositionem, à Latinis uerò per traditionem calicis cum uino, & aqua, & patenæ cũ hostia confertur. Formam quoque uariationem pati liquet in eodem ordinationis sacramento, in quo apud Latinos formam complent uerba illa, *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare tam pro viuis, quam pro defunctis in nomine Domini, &c.* apud Græcos autem illa uerba, *diuina gratia creat, promouet uenerabilem hunc Diaconum in præsbyterum.* Similiter in sacramento Eucharistiæ formæ apud Latinos uerba sunt illa. *Hoc est corpus meum*, apud Græcos illa. *Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur.* In ordinatione quoq; Diaconorum adhibentur pro forma uerba illa. *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei tam pro uiuis, quam pro defunctis in nomine Domini.* materia autem liber Euangeliorum; apud antiquos autem non ita; quoniam Apostolorum tempore vigebant Diaconi cum Stephano, & alijs sex in actibus Apostolorum, qui tamẽ nec per illa verba, nec per illam materiam censeri possunt ordinati,

Augetur ex ipsis verbis Pontificalis Romani.

non

[illegible] Sabb. 4. temp. Aduent. in traditione libri euangeliorum habentur in margine hæc verba. *Tradit librum euangeliorum: in hoc actu imprimitur character huius ordinis*, & paulo inferius loquendo de ordinatione Sacerdotis hæc in margine notantur. *Tradit calicem cum patena, hostia, vino, & aqua, & in hoc actu imprimitur character huius ordinis, &c.*

Confutatur supra dicta opinio.

56 Hæc tamen opinio difficultatem propositam inuolutam relinquit; quoniam Græci Episcopi neque Diaconatum per traditionem libri euangeliorum, neque præsbiteratum per calicis cum patena, hostia, vino, & aqua traditionem conferunt: nec tamen dicendum est ordinatos ab ijs inualide ordinatos; quia de hoc apud Latinos dubitatum nō est; nō potest igitur vtraque illa traditio esse præcisa sacramenti ordinis Leuitici, & Sacerdotalis materia, nec verba illa præcisa forma; & auctoritati Concilij Florentini dicendum Concilium ibi decernere materiam esse ordinis id, per cuius traditionem ordo confertur, & exempli studio solum adduxisse porrectionem calicis, & patenæ cum hostia, vino, & aqua, & libri Euangeliorum, at illas illorum ordinum præcisas esse materias non decreuisse Concilium; sed nec uerba illa præcisas formas. Similiter Pontificale illud non amplius in vsu est, & in nouo Clementis Octaui iussu Pontificale restituto allata ex margine verba deleta sunt, nō sine coniectura probabili ad tollendos de hac re scrupulos.

57 Alij in ordinatione Diaconi vtramq; rē constituunt materiam, traditionem scilicet libri, & impositionem manus, dum ab Episcopo dicitur, *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus eius in nomine Domini*, & in ordinatione sacerdotis vtrāq; etiā exprimunt materiam, nimirum traditionem calicis, & patenæ, cum aqua, vino, & hostia, & impositionem manus, quæ bis euenit, semel ante consecrationem manuum, iterum in fine missæ ante iuramentum in manibus Episcopi: ita Laiman *in Theol moral. lib. 5. tract. 9. cap. 9. num. 2.* Filliuccius *tom. 1. tract. 9 cap 2.* Coninch *disp. 25. dub. 7. conclus. 3.* & alij, quorum opinionem probabilem etiam retur Diana *loco citato*, sed petimus principium difficultatis quæro enim an horum vtrumque necessarium est necessitate sacramenti, an alterum? Si primum; ergo Græci inualidos conferunt ordines; Si secundum ergo frustra alterum dicitur expeti necessario, & sic Diaconus noster per solam manuum impositionem ordinaretur, & sacerdos similiter, de quo peteretur, an ordinaretur ex vi primæ impositionis manuum, quando alij etiam circūstantes sacerdotes, quasi Episcopi adiutores manus super ordinandū sacerdotē imponunt, an uero ex ui ultimæ impositionis manuum Episcopi ante iuramentum? Si hoc secundum dixerint; ergo ipse sacerdos ordinandus frustra missam cum celebrante recitabit; neque conficiet sacramentum, quia nondum characterem ordinis recepit ex hoc responso; quod tamen falsum est; quia vt ex ritu Pontificalis patet, Sacerdotes sunt eo die concelebrantes cum Episcopo; antē consecrationem igitur iam in ordinem sacerdotalem sunt adscripti. Si primum dixerint, insurgo, & oppono eis, fore tunc, vt forma non esset adhibenda simul cum materia in hoc sacramento; quia illa manus impositio fit absque verbis, & post multum temporis in traditione calicis forma profertur.

Opinio Laiman, Filliucij, Coninch, Dianæ

Arguitur.

58 Audio Ioan. à Lugo *disp. 2. sect. 5. nu. 99.* non requiri propinquitatem tantam formæ ad materiam, vt uerba proferantur simul, dum est materia præsens, sed sat esse moralem propinquitatem; quia in sacramento pœnitentiæ exacta confessione peccatorum, & nondum satisfactione facta datur absolutio, atque sacramentum. *At* qui etsi nec ipse cum Scoto *in hoc 4. d. 6. q. 3*, tantam in sacramenti collatione simultatem formæ exposcam, vt eodem ambo finiantur instanti; simultatem tamen huiusmodi, quæ in actibus reperitur humanis ex illa Augustini auctoritate *Accedit Verbum ad elementum, & fit sacramentum* requiro; hæc autem præceptore Scoto *ibi* ad minus est, ut unum incipiat priusquam perficiatur alterum; itaut uel ante finem prolationis formæ satis sit adhibere materiam, uel ante finem traditionis materiæ sit satis inchoare formam, ut alibi fortè dicam: in re autem nostra secus euenit; quandoquidem longa tēporis uertitur distantia inter impositionem manuum super sacerdotis caput, & traditionem materiæ; intercedit enim longa deprecatio, Sancti spiritus inuocatio, manus vnctio, Episcopalis manus lotio, & alia.

Instantia ex Lugo.

Reijcitur

58 Adde quod si forma illa, *Accipe potestatem offerre, &c.* caderet super totam illam materiam, scilicet manus impositionis, & traditionis calicis; sciscitor

Adhuc repellitur

Lugo,

positionem manuum super caput; sed in ordinatione sacerdotis debere Episcopũ, & circumstantes manum super ordinandi caput imponere, quod verum est; & a nobis seruatur in praxi; at quod per actum illum conferatur ordo, ne verbum quidem Concilia, & Patres: simile est de ordinatione Diaconi, in qua Episcopus manum super ordinandũ vtique imponit, ritu ab Apostolis introducto, vt dicebat Gregorius Nonus supra citatus, ex illa tamen impositione sola non imprimitur character.

Instantia diluitur

61 Dices, datur Spiritus Sanctus iuxta verba Episcopi dicentis, *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, &c.* quæ verba non tam deprecatoria, quam efficacia etiam decreuit Concilium Tridentinum *sess. 23. de hoc sacramento can. 4.* Non dissentio, sed dari tunc cum verba illa dicuntur non decreuit Concilium, quod solum statuit per sacram ordinationẽ dari Spiritum sanctum; nec obinde Episcopos frustra dicere *Accipe Spiritum Sanctum*, an autem dum ea dicuntur, an postea dum instrumenta traduntur cõferatur gratia, & tradatur Spiritus Sanctus, non decernit ibi Conciliũ.

Adhuc non obiecto fit satis.

62 Obijcies ex eodem Lugo *num.* 102. non tradi Diacono potestatem legendi Euangelium per illa verba *Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei &c.* quia Episcopus dicit verba illa omnibus simul; *Accipite potestatem*, & postea successiue omnes tangũt librum, unde cùm magna temporis intercedat mora inter prolationem verborum, & contactum maxime si plures sunt ordinandi, non dicetur tunc Diaconus potestatem illam recipere, & obinde contactus per instrumenti traditionem non erit præcisa ordinis illius materia.

Diana, & Bonacina labuntur

63 Et Lugo sequutus est Diana *resol.* 182 *tract. 4. de sacram.* & Bonacina *disp. 8. de sacram. q. vnica* cõ actũ instrumẽtorũ in ordine non esse de sacramenti essentia, sed ad summum de Ecclesiæ præcepto cõstituentes, & alios quos recensuerat Diana *tract. 16 qui est secundus Miscellaneorum resol.* 3. quorum rationes præcipue sunt; prima, quia in rebus humanis non solent regulariter tangi omnia, quæ traduntur; nam vinum traditur, & non tangitur; quia traditur in vase. Item in Rituali vbi omnia exactissime traduntur nec leuiter hic contactus exprimitur. Item Episcopus ordinans, eiusque ministri nihil vt hæc fiant, solliciti sunt. Demũ si id necessariũ est, certe vt traditio potestatis acceptetur; at hoc sacramentum non consistit in contactu phisico, sufficit igitur sola exhibitio absque contactu. Adde nec acceptationem necessario requiri patere ex paruulo vsum rationis non habente, qui posset valide ordinari, nec tamen acceptare diceretur.

Et ex Pontificali conuincuntur

64 Hac etiam in re non recederem ab opposita sententia statuente contactum aliquem instrumentorum esse necessarium; alioquin verba falsa essent, dum dicitur Subdiacono, *Accipe librum Epistolarum*, Diacono, *Accipe potestatem legendi Euangelium*, Sacerdoti, *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo &c.* certum est enim per hæc sensibilia signa insensibilem Deum operari effectum; in alijs autẽ sacramentis cõtactus iste expresse cernitur; ut in baptismo, cõfirmatione, extrema vnctione, Eucharistia: in matrimonio autẽ, & pænitẽtia, quia materia est in ipsis personis, licet signis, vel verbis expressa, est alia ratio, immo forte intimitas maior est materiæ, quã per cõtactũ. Quid igitur hoc vnũ ordinis desideraret sacramentũ?

Occurritur obiectis.

Primo

65 Nec rationes Aduersariorum cogunt; quia non est par ratio de vino, & alijs; vinum namque vt liquor ne fluat non tangitur; satis est tangi vas, in quo locatur, vnde & Apostoli dum in vltima Cœna constituti sunt Sacerdotes calicẽ accepisse leguntur, non uinũ tetigisse: nec est simile de alijs rebus humanis, quia hæ res licet sensibiles ad supersensibilia, & superhumana signanda traduntur.

Secundo

66 Ad secundum Respondeo, Auctores non legisse Pontificale Romanũm, quo decernitur in ordinatione Diaconi, ordinandos debere manu dextera tangere librum, similiter in ordinatione Sacerdotis, calicem cum patena, & hostia.

Tertio

Ad tertium, scio me esse sollicitũ, similiter, & ministros meos, sed & alios Cõpresules meos sollicitos esse in praxi vidi.

Quarto

Ad quartum cum sua confirmatione Respondeo, non obid esse necessarium; sed ex Deo sic instituente, non ex acceptione, & cõsensu ordinãdi; nã vt egregiẽ docet Scotus apposite de hoc sacramẽto loquens, deq; paruulis illũ recipiẽtib. *in 4. d. 25. q. 2. littera B* ad impressionẽ characteris nõ requiritur consensus.

Satisfit Lugo

67 Ad obiectionem igitur Patris Lugo reuertentes dicimus, ab Auctore Pontificale nõ visũ; nã in ordinatione Diaconi, & traditione libri hæc habentur ibi. *Pontifex accipit, & tradit omnibus librum Euangeliorum, quem manu dextera tangunt dicens.* Hęc ibi, vbi tria dicuntur, tradi omnibus librũ, tangi dextera manu, & Præsulem dicere verba: quare expresse docet

Centinus de Sac. in Gen. H

cet Pontificale dicente pontifice debere ordinandos tangere, quod clarius in ordinatione sacerdotis explicatur per hæc verba', *Tradit cuilibet successiuè calicem cũ uino, & aqua, & patenam superpositam cũ hostia, & ipsi illam accipiunt inter indices, & medios digitos, & cuppam calicis, & patenam simul tangunt pontifice singulis dicente.* Obserua uerba extrema, quibus denotatur simultas prolationis uerborũ, & contactus calicis, & patenæ.

Verba Pontificalis,

68 Nec officit instãtia de plurib. ordinãdis in Diaconos, qui nõ possũt simul omnes librum tangere; quia repetit ea verba, ut opus est. Episcopus. Cõcludẽdũ ergo ex dictis explicita manuũ impositione iuxta hanc, quam sequimur sententiam, non esse dissidentes à Latinis Græcos in materia huius sacramenti ordinis; licet apud Latinos manuũ illa impositio circũstantionata fuerit per instrumẽtorũ illorum traditionẽ modo prædeclarato, ita ut sicut illa de necessitate sacramẽti, ita & ista esse intelligatur, eo modo, quo panis, & uinũ sunt sacramenti Eucharistiæ materia; licet apud Latinos Azimus, apud Græcos fermẽtatus, nec refert uinũ esse albũ uel rubrum ita in proposito manuũ traditio materia dicẽda est sacramẽti ordinis, sola quidẽ apud Græcos, cũ traditione instrumẽtorũ apud Latinos, apud quos etiã, vt apud Durãdũ patet, traditio hæc instrumentorum non semper fuit in usu, præcipuè in primitiua Ecclesia. Rationem huius reddere possumus ex Scoto *d. 24. q. vnica littera* E, quia non est proprius actus Diaconi legere Euangelium, sicut nec Subdiaconi Epistolam, sed improprius, ac remotus; proximus uero, ac proprius est ministratio Sacerdotij in offerenda eucharistia, & quando ob Sacerdotũ exiguũ numerũ opus erat, occupatio circa Eucharistiã dispẽsãdã, saltẽ sub specie uini, hoc est calicis, & sanguinis.

Consectarium ex dictis.

69 Cæterum alia uertitur discriminis ratio inter Græcos, & Latinos in sacramento ordinationis sacerdotalis; nam illi semel manus imponunt, perque eam impositionem ordinatus potestatem accipit offerendi sacrificium Deo, & remittendi peccata; Latini autem duplici actu id perficiunt, & potestatem offerendi tradunt per manuum impositionem cum traditione instrumenti, & potestatem absoluendi per impositionem manuum circa finem Missæ dicente Episcopo, *Accipe Spiritum sanctum quorum remiseris peccata &c.* ita ut priori impositione potestas circa Christi Corpus uerum, secunda circa corpus mysticum tradatur: unde petendum superesset an sint duæ materiæ ibi, & duæ formæ? & quidem Scotus noster *d. 24. citata littera H;* videtur duas ibi admittere formas, duasque materias, & exinde vnum dici sacramentum vnitate integritatis, sicut duplex est forma consecrationis, altera hostiæ, altera calicis, cum tamen vnum sit sacramentum.

Alia discriminis ratio inter Latinos & Græcos.

70 Sed certe Scotus non assertiue loquitur, sed ex opinione aliorum probabili, vnde ait, *sed in sacerdotio uidetur probabiliter, quod ibi sint duæ formæ partiales &c.* Hæc ibi; quibus non secundum suam, sed aliorum locutum sententiam ipsa ibi verba demonstrant. Quidquid sit de hoc tamen, de quo non diffinio, arbitror, plane per primam impositionem manuum characterem imprimi ordinis sacerdotalis, dum instrumenta traduntur, tum quia primarium sacerdotis munus est sacrificium offerre, primariaque potestas collata ei est circa Corpus Christi verum; tum etiam, quia ordinatus ad sacerdotium censetur simul cum Episcopo consecrare illa die, consecratio autem longe impositionem illam secundam manuum antecedit: nisi velis cum Laiman, & Diana *resol.* 50. ordinatos non consecrare, sed verba illa solum recitatiue dicere, quod est expresse contra communem sententiam, immo contra Pontificale monens, debere verba consecrationis dici ab omnibus eodem momento, & rursum in communione non debere sacerdotes dicere Confiteor, quia concelebrant Pontifici; tum denique quia Gregorius Nonus Pontifex *in cap. Presbiter de sacramentis non iterandis* decernit. Si qui Presbiter, aut Diaconus cum ordinatur manus impositionem non receperint non esse vllatenus iterandum; sed caute supplendum, quod per errorem fuerat prætermissum; nec satis est dicere Pontificem locutum de illa impositione prima sine traditione instrumentorum; quia illa ad summum ceremonialis est, neque tanti fuisset facienda, vt in alia ordinatione suppleretur, cum præcipuè sine verbis, & sine forma tradatur. Sed quid Florentino Concilio dicendum, qui materiam, huius sacramenti vocat librum euangeliorum in Diacono, Calicem cum alijs, vt supra in sacerdote? Respondeo locutum Concilium de materia, quæ in vsu videtur, qua tamen posita non excluditur manus impositio; immo vtramq; traditionẽ manuum impositionẽ vocauimus. Quid rursum dicendum de huius sacramenti forma? Cer-

Laiman & Diana quid senserunt.

Conuincitur ex Pontificali

Exponitur Concilium

Certe in identitate eius Græci cum Latinis conciliari non possunt, diuersis apud Ecclesiæ forma completa verbis; nam apud nos forma ordinationis Diaconi est illa: *Accipite potestatem legendi Euangelium &c.* & forma ordinationis Sacerdotis illa: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo &c.* apud Græcos autem Diaconi ordinationis forma est, *diuina gratia pronouet hunc in Diaconum; Sacerdotis item diuina gratia, quæ semper infirma sanat, & quæ desunt supplet, creat, seu promouet hunc venerabilem Diaconum in presbiterum*, quæ verba, vt vides, cum Latinorũ forma nullam habent affinitatem, aut nexum. Loquar de mutatione formæ in sequentibus circa alia sacramenta, vno excepto matrimonio, & ordinatione, de quibus indiscriminatim hoc loco, supposito vera esse, quæ de Græcorum ordinatione allata sunt; quoniam raro apud nos Græci Catholico more degentes consecrationem ab Episcopo Græco recipiunt, vt vera esse testantur oculati testes; dixero prænotandam esse Scoti doctrinam huius *4.d.16.q.1.littera M.* determinationẽ formæ posse spectari tripliciter, vel latè, vel strictè, vel strictissimè; (Scoti doctrinã refero, nõ uerba) late forma determinata dicitur, dum non hæc, uel illa præscribuntur uerba, sed nec uerba simpliciter, cum possint suppleri per æquiualens, eo modo quo humani contractus formam dicuntur habere latè determinatam; quia non sub certis uerbis, immo nec quandoque sub uerbis, sed uel scriptura, uel procuratione, uel nutibus, uel signis complentur.

Determinatio formæ triplex

71 Stricte forma determinata dicitur, quæ verbis omnino explicari debet, licet præcisa non exquirat ad sui explicationem verba; sed hæc, vel illa dummodo explicantia, sic in matrimonio nõ est necessarium verbis illis vti. *Accipio te in meam; Accipio te in meum;* sed sat sunt æquipollentia verba mutuam corporum traditionem explicantia, & acceptantia. Strictissime forma determinata dicitur, quæ certis adeo exponi debet verbis, vt ijs ex parte mutatis nullum sit sacramentum. Per hæc ad rem instituti nostri regrediẽtes dicimus in hoc sacramento, sicut & in matrimonio formam non esse strictissime determinatam. Hoc dictum patet in ordinatione Latinorum, quorum forma est satis à Græcorum verbis diuersa.

72 Dicimus iterum formam huius sacramẽti non esse solum late determinatam. Et hoc dictum patet; quia secus sacramentum non esset nisi ex materia, & forma constaret, formam autem verbis, non signis, aut nutibus compleri in sacramento dictum est supra, dum de matrimonio loqueremur. Dicimus igitur formã huius sacramenti solummodo determinatam stricte, ita vt licet diuersis sub verbis idem omnino explicetur, quamuis vna forma sit altera potentior, hinc Græcorum formam æquipollere Latinæ, sicuti in matrimonio non ita Deus determinauit formam quin possit varijs internus consensus explicari verbis, dummodo idem omnino significent. Quid autem de cæteris sacramentis dicendum sit, quæue variatio sacramentum irritet, dicetur inferius; & præcipue obseruanda est doctrina Scoti *in 4.d.8.q.2.littera D*, non esse necessarium in quolibet sacramento scire præcisè, quæ verba sunt de forma; forte n. nemo scit præcise quæ sint verba ordinationis, quæ verba conferẽdi sacramentum pænitentiæ; nec tamen dicendum est nullum esse ordinatum in Sacerdotem, nullum esse absolutum: & nota Scoti cõsilium ibi non esse tutum te peritum æstimare, & pro libito philosophari; sed seruare ritus Ecclesiasticos cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, nec plus sapere, quam oportet &c.

Notabilis Scoti nostri admonitio

Sed cõtra instat Lugo interpretationẽ hãc ad Gregorij verba nequire aptari textui, quia aperte loquitur de prima impositione manuum; de qua ideo subdit *Suspensio autem manuum debet fieri, cum oratio super caput effunditur ordinandi*. Verum & hæc instantia debilis est; nam alia est manuum impositio, alia manuum suspensio, & vtraque eo textu memoratur, licet sub diuerso paragrafo, ac decreto; nam de illa suppletionem statuit in alia ordinatione, de hac vero tempus; aitque Pontifex impositionem manuum forte fortuna omissam supplendam in alia ordinatione, suspensionem autem manuum faciendam dum oratur pro ordinando, ac dicitur, *oremus, fratres charissimi, Deum patrem omnipotentem &c.* quo tempore, vt Pontificale monet, tam Pontifex, quam Sacerdotes tenent manus dexteras super ordinandos extensas. Est hic ergo actus satis à manuum impositione diuersus &c.

Arguitio Lugo nihil penditur

73 In hoc etiam sacramento à Becano cauendum, qui *cap. 26. de Sacramentis in Genere q.4. conclus. 2.* aperte constituit impositionem manuum esse materiam essentialem huius sacramenti; porrectionẽ autem instrumentorum esse accidentalem, & ab Ecclesia solum introductam

Becanus labitur

duplici fundamento. Primum, quia nec in scripturis, nec in antiquis Patribus, & Concilijs fit vlla mentio porrectionis instrumentorum. Secundo, quia Diaconis hoc tempore porrigitur liber Euangeliorum, qui Apostolorum tempore porrigi non potuit. Cauendum est (inquam) si quid diuersum à constituta à nobis hucusque sententia constituit; siquidem Concilium Florentinum satis apertè oppositum statuit, nec satis est cum Becano asserere, Concilium illud assignasse materiam accidentalem, non essentialem, quia hoc voluntarie dicitur; quoniam Eugenius decreto illo instituere volens Armenos tenebatur necessarias non accidentales sacramenti statuere partes, sicuti generatim proposuerat sacramenta quæuis materia, & forma constare, & intentione Ministri compleri, secus esse irrita; porrò si accidentalem in hoc sacramento edisseruisset materiam, à proposito dissiluisset, & essentialis, qua tenebatur assignare subticens, & accidentalia, quæ non tenebatur, assignans satis æquiuoce, & in detrimentū, ac reductionem scrupulorū statuta finxisset.

Becani rationes inualida.

47 Nec Becani rationes validæ sunt. Prima quidem infirma est, quia argumentum ab auctoritate negatiuè Philosophi rident. Adde plus vrgere Concilium, quam Patres, quibus credendum, præceptore Augustino, quia Ecclesiæ, quæ per Concilium repræsentatur, credimus. Secundam rationem hucusq; diluimus. Demum sibi Becanus contradicit, qui *loco citato* hæc, quæ retulimus, statuit, cum tamen *cap. eodem sub initio conclus. 4.* pro certo supponat materiam huius sacramenti esse id, per cuius traditionem Ordo confertur, deque in Eucharistia exemplum aiens. *Materia Sacerdotis est porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hostia*, & sic de alijs sacramentis diffusè profusus eloquitur.

75 Cauendum est etiam à Ioanne Martinez Recente Auctore Magistri sententiarum tutelari *libro 4. d. 24. num. 3.* Statuente Archidiaconū in aliquibus ordinationibus præbere materiam; sicuti in ordinatione Acolythi ordinati accipiunt ab Archidiacono Ceroferarium, & Vrceolum. Hic enim auctor, hæc asserens, nec Theoricè, nec practicè loquitur; non quidem theoricè, quia nihil tale docet Pontificale Romanum ab Archidiacono fieri, & multo minus in praxi, secundū quā nos ordinandis, non autē Archidiaconus materiā tangendam exhibemus.

Martinez decipitur.

76 Pro determinatione, ac certitudine formæ obseruandum mutationem, ac variationem rerum (vt ad præsens attinet) esse duplicem, quandam essentialē, quandam accidentariam; & illam quidē ex aliquo adiuncto, cuius merito fit aliud, hanc autem ex aliquo, cuius gratia fit alteratum; ita namque loquitur in sua Isagoge Porphyrius, dum differentiam alteram efficere aliud, alteram vero alteratum gignere docuit; vel vt physice loquamur magis mutationē aliam esse ad substantiam, aliam ad accidentia, & hanc rursum aliam ad quantitatem, aliam ad qualitatem, ut interim missam faciamus mutationem ad vbi, de qua nihil in præsentia: mutatio ad substantiam alia corruptio, alia productio, siue generatio; ad quantitatem augmentum, vel decrementum, ad qualitatem alteratio: porrò ad rem nostram materia, & forma sacramentorum mutari secundum substantiam dicentur, cum vel diuersam ad ea præscriptam quidditatiuè substantiam, & vsualem destruxerimus, vt, verbi gratia, si destruentes naturalem aquam ad baptisma substituerimus rosaceam aquam: mutari secundum quantum dicetur, si in partitione, vel magnitudine materię sacramentum fit: secundum qualitatem si alteratam subministrauerimus materiam; ita tamen affectam alteratione, vt speciem non variet. Similiter in forma variatio secundum substantiam fiet noua totaliter inducta forma essentialiter vsuali corrupta, vt si quis baptizaret in nomine Christi, vel in nomine Trinitatis non exprimendo personas, uel in nomine Apostolorum: secundum quantum, vt si quis baptizando diceret. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & Beatissimæ Virginis*, secundum additamentum; secundum decrementum vero, ut si quis diceret, *baptizo te in nomine Patris, & Filij, Spiritus Sancti*, omissa particula; & uel simili: secundum quale, vt dicendo *baptizo te in nomine Patria & Filia, & Spiritu sanctia*, & similia, hoc loco namque generatim, & crasso Marte loquimur vberius de his omnibus loco peculiari disceptaturi.

Quid dicendum de forma?

Mutationes ad formam, seu in forma quot, & quæ nam.

77 Interim ex his effare regulariter, variationem quamcumque ad substantiā irritum facere sacramentum, tam penes materiam, quam penes formam, vnde egregiè de baptismo loquens Basilius *lib. de Spiritu sancto cap. 10.* proinde se habere vult, qui in quopiam defecerit in ijs, quæ à Christo trādita sunt; ac si

Mutatio ad substantiam irritat sacramentum.

non

non receperit baptismũ; & Tertullianus *lib. de baptismo cap. 1. & cap. 12.* Lex, inquit, tingendi posita est, *& forma præscripta*, & ex Florentino Concilio in decreto Eugenij decernitur: si quid desit, vel materia, vel forma, quam ipsum præscribit Concilium in vnoquoque sacramento, infectum esse sacramentum. Si vero mutatio fiat ad quantum ponis incrementum distingue de incremento; vel enim falsitatem inducit, vt dicendo, *baptizo te in nomine Patris maioris, & Filij minoris &c.* vel veritatem inducit, sed superfluam, vt dicendo, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & B. Virginis*, quo casu affirmandum est de incremento falsitatem inducente nullum esse sacramentum. De eo autem quod veritatem inducit, sed non necessariam ad formam nõ parua lis est apud Scolasticos circa propositionem illam, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Sanctæ Virginis*. Theologi antiquiores, ex ea nullum sacramentum fieri putant ex defectu intentionis in ministro; quoniam is nouum intendens errorem plane non intenderet agere, quod agit Ecclesia, quod esse necessarium ad substantiam sacramenti ex decretis Synodi Florentinæ patet asserentis necessariam ita intentionem in ministro faciendi, quod facit Ecclesia, vt ea destructa in nihilum sacramenti cedat effectus; allato autem propositionis exẽplo deuiaret vtique ab Ecclesiæ intentione minister, proindeque nullum esset sacramentum; ita loquuntur Adrianus *in 4. q. 2. de baptismo*, Richardus *d. 3. q. 3. artic. 2.* & alij, quibus assentiri videtur Scotus *disp. 3 quæst. 2. littera F.* vbi hæc in verba sermonem dirigit; *De omnibus, siue de quocumque illarum variationum dico, quod si varians intendit vti verbis, quibus vtitur, tamquam forma Ecclesiæ, præcise non baptizat, quia deficit sibi intentio vtendi verbis, quibus vtitur, tamquam forma Ecclesiæ.*

Mutatio ad quantitatem

Opinio Adriani, & Richar.

78 Hæc Scotus, quibus non obscure indicat voluntariam quamcumque mutationem in sacramentorũ forma essentialẽ esse, si minister addens, vel minuens, & quomodocumque varians nouum inducere velit errorem, & consulto ab Ecclesiæ forma resilere, propriaque mutatione tamquam forma vti. Et propterea in hanc sententiam à Suarezio citatur *loco citato*. Alij cum Marsilio *q. 3. art. 4.* autumant si additamentum ex pietate, & interno erga Virginem affectu fiat, sacramentum esse verum; cui non obscure subdit Suarez *sect. 5. extremis verbis*. Vasquez autem *disp. 192 cap. 1. & 7.* aliorum sententijs cribratis, putat si additamentũ formæ communi iam completæ pronunciata sit verum; quamuis à Ministro addatur cum intentione introducendi errorem, verum esse sacramentum vt patet, inquit, de Græcis, qui consecrant sub his verbis. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur;* existimantes ad essentiam formæ spectare illa verba; *quod pro vobis traditur*, nouumque proinde introducentes errorem; sensum autem illius propositionis, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filio, & Spiritus sancti, & Beata Virginis* cribrans Vasquez docet eam propositionem perpetuo esse falsam, & obinde irritari sacramentum; ratio est, inquit, quoniam particula illa *in nomine*, denotat auctoritatem, neque enim quis aliquid dicitur facere in nomine alterius, nisi auctoris; & ex hoc deducit Vasquez contra Marsilium, non ex intentione ministri, sed suapte natura reiiciendam esse propositionem illam, vt falsam semper, neque vnquam posse ex intentione ministri veritatem habere.

Opinio Marsilij.

Quid sentiant Suarez, & Vasquez

79 In vnaquaquiſtarũ sententiarũ probabo simul, ac improbabo aliquid; probabo, imprimis Vasquezij assertum de energia vocis illius *in nomine*; quia re vera verbum illud auctoritatis est index; vt loquendi vsualis ritus ostendit; at non obid irritabo sacramentum, si ex pietate, & ignorantia ministri additamentũ fiat, existimantis forte aliquid Virginem apud Filium impetraturam; quoniam antea verba completa est forma secundum Christi Domini institutionem, & Ecclesiæ morem; neque additamentum ex præsato pietatis, & ignorantiæ capite manans antecedentia verba destruit, vt patet: quare ex hac parte probabo Marsilij placitum, improbabo autem illud si Ministri additamentum ad solam pietatem refert; seposita ignorantia; etenim pietas non debet à communi methodo Ministrum deuiare in sacramentorum vsu, gnarum igitur afficiens pietas hac in re impia esset, ignarum autem excusaret.

Iudicium Auctoris

80 Probabo rursum opinionem Antiquiorum Theologorũ, qua parte aiunt, si minister nouum intendat errorem inducere variando formam, infectum esse sacramentum. sed si in errore sit minister educatus improbabo illam opinionem; etenim Græci, qui nunc temporis in scismate nati, & educati sua forma baptizant arbitrantes materiam Latinorum

for-

formam nullam esse; ad huc tamen cum errore verum conficiunt baptisma; quoniam ab eis baptizati non iterum in Latina baptizantur Ecclesia; similiter patet de Hæreticis, de quibus certum est, quod si ad Catholicam redeunt vnitatem, non obinde iterum baptizandi sunt, vt dicetur suo loco; si igitur, minister intendat nouam fabrefacere formam, consulto credens illam esse veram formam, non vero formam viualem Ecclesiæ, ex defectu intentionis in eo faciendi, quod facit Ecclesia, inane est sacramentum, & nullum: porrò si minister in errore educatus in parentum suorum fide propria vtatur forma nihil essentialis omittente, vt patet in forma baptismi Græcorum; sacramentum vere conficitur, quẽ nos diximus errorem priuatum, & in priori sensu locutum rere Scotum *d. 3. q. 1. citata*; alioquin esset sibi ipsi contrarius; dum Græcos vere conficere sacramentum in fermentato docet, quamuis nos velint nullo modo sacramentum efficere in azimo, quod tamen errorem sapit non leuem.

Priuatus error quinam?

81 Ex his habe sensum nostræ sententiæ, nos hoc loco non loqui de intentione Ministri, ad quam diuertit prior opinio; sed de ipsa variata secundum quantitatem forma, quæ si vera, & essentialia nulla conticeat, nihilque aduersum per additamentum augeat, rursumque nihil essentialis minuat, verum inducit sacramentum, dummodo etiam conditionem non interponat non existentem, vt verbi gratia, si dixerit Minister, *si ego sum omnipotens te baptizo, &c.* vel generice nisi conditionem aliquam in se habeat, quia cõditionata propositio nihil in esse ponit, vt egregie monuit Scotus *loco citato littera M.*

82 De variatione ad quantum penes decrementum dicendum subtractionem verborum principalium nihileitatem facere sacramenti; principalia autem verba sunt, quę censentur essentialia, iuxta vniuscuiusque sacramenti essentiam, de qua re in suis locis: subtractionem non principalium non officere; immo nec alicuius syllabæ verborum principalium detractionem, dummodo ex ignorantia fiat, obesse: cuius rei ratio habetur à Scoto; quoniam Deus noluit tam arctè determinare hominem ad verba in sacramentis, nisi ad illum modum, quo sufficiunt verba ad exprimendum conceptum; sed cum syncopa audiens percipit vtique loquentis conceptum; in praxi aute, vt monet Scotus, hoc est cauedum, quia syncopās huiusmodi à peccato non excusaretur, nisi ex nimia inconsideratione, vel humana infirmitate lapsus esset.

Iudicium circa variationem ad quantum

83 Specialiter autẽ de incremento penes interpositionẽ aliquorũ verborũ monet Scotus, quod etiã si interpositũ nõ sit repugnans, vel distrahens, si formæ vnitatẽ interrumpat, infectum est sacramentum. Ad dignoscendum autem, quando vnitas formæ interrũpatur in praxi metiendum est ex actibus humanis ipsis; quãdo enim ex communi loquela iudicatur ex interpositione alicuius sermonis impertinentis posse priorem sermonem continuari vnitas orationis seruatur; vt dicendo *Ego te baptizo*, (& postea ad plebem garrientem dicat, *tacete*) *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus*, non censetur oratio unitatem perdidisse; si autem censeatur priorem sermonem non posse continuari, iteranda est forma; hoc docet Scotus *loco citato*; ego tamen in sacramento baptismi, quod est summæ necessitatis, etiam in priori modo interponendi consulerem in praxi saltem sub conditione baptizandũ iterum esse infantem, uel accedentem, quicumque sit ille, ex illis Scoti regulis *d. & q. c. littera L*, prima, si adest possibilitas, tutissima uia eligenda est. Secunda, si non adest possibilitas uia tutissimæ, proxima tenẽda est. Tertia, cessante impossibilitate caute supplendum est, quod impossibilitas prohibebat, & horum omnium potissima mihi uidetur ratio; quia in ijs, quæ sunt ad salutem absolute necessaria Methaphysicæ speculationes non multum ualent.

Quid de incremento interpositionis

Regulæ Scoti oppositæ necessaria

84 Si mutatio fiat ad quale penes uerborum terminationem dicendum incongruitatem sermonis ex imperitia non tollere sacramentum; nam & Zacharias Papa relatus *d. 4. de cons. cap. Retulerunt* decernit uerè baptizasse Sacerdotem ex imperitia linguæ Latinæ dicentem *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritus sancta*. Tu tamen aduerte, quod si ex incongruitate loquendi destruatur conceptus significatus per dictionem sacramentum est nullum. Idem dicendum de uariatione penes ubi, quàm in superioribus missam fecimus, .s. de transpositione uerborum principalium, in quibus si tanta sit transpositio, ut uarietur sensus, sacramentum nullum est, dicendo Ego *Patris baptizo te in nomine Filij, & Spiritus sancti*, si uero transpositio sensum non uariet, sed una per exemplum persona ante aliam contra ordinem proferatur, ut dicendo *Ego te baptizo in nomine*

Mutatio ad quale non semper sacramentum irritat

mine

mine Patris, Spiritus Sancti, & Filij, cum personæ diuinæ quomodocunque secundum ordinem prolatæ æquales sint, non est putandum sacramentum infectum, similiter in forma pœnitentiæ, de alijs peculiarem dubitationem suo loco ponemus.

85 De materia autem quantitas, aut qualitas, aut vbi nullius sunt ponderis; non enim ad locum, vel ad quantitatem, & qualitatem eam decreuit Deus; sed ad substantiam, substantia igitur manente, verbi gratia, aquæ naturalis in baptismo quacunque quantitate, vel qualitate affecta, quocumque loco posita, sacramentum fieri potest.

86 Superest videamus, quid contra ea, quæ de formæ variatione diximus, opponũt Recẽtes, Pater Ioannes à *Lugo disp. 2. sect. 6.* aliquas statuit praxes; quas inter omissis *prima, secunda, tertia, & quarta*, de quibus controuersiam non habemus, quinta est, transpositionem verborum non semper, sacramenti valorem tollere, sed si idem sensus non permaneat; vt dicendo *ego in te baptizo nomine Patris, &c.* sed si dicatur *Ego Patris baptizo te in nomine Filij* retur valide conferri sacramentũ, quidquid dicat Scotus; quoniam re vera apud Latinos poetas vsitatus est consimilis loquendi modus.

Praxes Ioannis à Lugo

Quinta

Sexta praxis est; non esse verum commune assertum, inualidum esse sacramentũ, in quo mutatio formę fit ad inducendum nouum errorem, ac Hæresim; Nam Græci alia vtuntur forma existimantes Latinorum formam esse inualidã, similiter in consecratione addunt formæ consecrationis hostiæ, qua dicitur. *Hoc est corpus meum*, addunt, inquit, *quod pro vobis tradetur*, existimantes hæc esse de essentia sacramenti, & tamen verè consecrant, vere baptizant; hinc statuit regulam; dummodo non tollatur verus, ac debitus formæ sensus per errorẽ, quem ministrantes intendunt introducere, non destrui sacramentum. Mitto septimam auctoris praxim, quæ Durandi, non Scoti doctrinæ opponitur. Octaua praxis est si quis dixerit, *Ego te baptizo in nomine Filij, & Patris, & Spiritus sancti*, existimans, seu volens his verbis errorem inducere, quod Filius sit Patre maior, verè baptizaret, quoniam ille error per illa verba nullo modo continetur, & ob id etiam si quis baptizaret dicens *Ego te baptizo in nomine Patris Omnipotentis, Filij Sapientis, & Spiritus sancti Paraclitis*, intendens, vel introducere volens errorem, quod illa attributa non omnium trium personarum, sed singularia sint personarũ propria, ita vt vni vnum conueniat, & non alteri; validum retur Lugo sacramentum; ex quo hic error per illa verba communiter non continetur. Vltima praxis est; si verba, quæ adiunguntur, determinant antecedentia, ita ut non contineant aliam propositionem saltem virtute diuersam, irritum esse sacramentum, si autem virtualiter cõtineant aliam propositionem diuersam non irritari sacramentũ: exẽplũ primi, si quis dicat. *Hoc est corpus meum aereum*; illud nomen *aereum*, cum sit adiectiuum determinat substantiuum antecedens, quod est *corpus*; proinde propositio falsa; & sacramentum nullum: exẽplũ secũdi vt si dicatur. *Hoc est corpus meum, quod non est mortuum*, licet propositio vltima sit falsa, quia tamen vltima verba non determinant priora, expletis illis quatuor prioribus verbis. *Hoc est corpus meum*, perficitur sacramentum, licet aliæ particulæ, quæ aliam construunt propositionem, sint falsæ, nimirum, *quod non sit mortuum*.

Sexta

Septima

Octaua

Vltima praxis

87 Hæc sunt quæ longissimo sermone prosequitur Lugo. Singula tamen ferè ex eodem labili fundamento constructa ruunt, scilicet, quod error ministri voluntarius nihil faciat ad integritatem sacramenti, quod satis, vt dixi, exile est; quoniam ex Florentino Concilio ita ad integritatem sacramenti spectat intentio Ministri, vt forma, ac materies, ex his enim tribus perficiuntur sacramenta omnia, non ita quidem, ut ministri intentio sit pars intrinsecè constituens; sed quia præceptore Scoto *in hoc 4. d.6.q.5. litera G.* sicut causa effectrix requiritur necessariò, vt extrinseca causa ad effectum; ita requiritur id necessario, quod est quasi principium agendi in ipsamet causa effectrice, quale principium est intentio in Ministro, qui per imperium voluntatis est causa actiua motiua aliarum potentiarum voluntatis imperiò subditarũ: pertinet igitur, licet extrinsecè, ad sacramenti integritatem Ministri intentio, immo multo magis ex doctrina Lugo, qui *disp. citata sect. 7.* acerrimè pugnat probando intentionem esse sacramenti intrinsecam, de qua sententia non nihil infra: subsumo; at Minister intendens errorẽ inducere in formæ uerborum mutatione etiam accidentaria intentionem non habet; ergo sacramentum est nullum.

Contra singulas Lugo praxes disseritur.

Subsumptum probo; quia intentio hæc in Ministro quæcunque illa sit actu, uel uirtute, ut suo loco dicendum est, esse

debet

debet respectu actus, quem exercet, & respectu finis proximi sin minus vltimi, atqui hic finis proximus saltem est faciendi, quod facit Ecclesia Catholica; in proposito autem hic desideratur; quia qui errorem inducit deuiat ab Ecclesia, non se conformat Ecclesiæ; & exinde si contra Ecclesiæ fidem errores, ac hæreses inducere procuret, intentionem faciendi, quod facit Ecclesia non habet, sed potius faciendi contra id, quod facit Ecclesia. Dices; sat est velle facere, quod fecit Christus: leuis instantia; quasi vero faceret Ecclesia quid diuersum ab eo, quod Christus gessit, vel gerendum iussit in Sacramentorum ministerio. Si ergo non intendit facere quod facit Ecclesia, nec quod Christus fecit, facere intendit.

Obiectum tollitur

88 Ex hoc ergo destruitur Lugo fundamentum, super quod speculationes suas, quas ipse praxes dixerat, collocauit: sed iam cribremus singulas.

Quinta praxis exploditur; quoniam in illa transpositione non integer verborum sensus perseuerat, sed diuersus; nam dum aio, *Ego Patris baptizo te in nomine Filij, & Spiritus Sancti*, genitiuus ille, *Patris*, potius ad pronomen Ego, quam ad sequentia verba refertur; cumque sit genitiuus possessionis sensum faciet *Ego, qui sum Patris, baptizo te, &c.* qui sensus est admodum ab Ecclesiæ sensu diuersus, nec propterea vllo modo sacramentum struit: & quæ Lugo addit de Latinorum Poetarum vsu illius locutionis stomachum faciunt; quasi vero petitandus esset loquendi ritus in re tã graui, qualis est formæ sacramentorum enarratio à Poetarum vsu, de quorum licentia ipsorum aliquis cecinit, *Pictoribus, atque Poetis quodlibet audendi semper fuit æqua potestas*.

Quinta Lugo praxis eluditur

89 Sexta praxis negligitur dicendo, Græcos haud voluntate introducendi Hæreses forma illa vti; sed quia videbatur illis per Latinorum formam verti in dubium, an ex ministro penderet sacramentum, dum dicitur *Ego te baptizo*, idcirco vt hoc euellerent dubium satius esse putarunt per optatiuum, vel indicatiuum modum baptizare dicentes *Baptizatur*, vel *Baptizetur seruus Christi, &c.* vt infra dicetur; sique hic error fuit, priuatus error fuit, quo certè si laborarent post Florentinum Concilium Græci existimantes nostram formam esse inualidam, vellentque hunc introducere errorem de inualiditate nostræ formæ, & suam formam esse præcisè formam Ecclesiæ, nihil conficerent; quia intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, non haberent; nec ex quo addunt formæ consecrationis illa verba, *quod pro nobis tradetur*, dicendi sunt non conficere, & si illa arbitrentur esse de sacramenti essentia, dummodo irritare non intendant formam nostram, & populum hunc docere errorem; quia apud nos etiam plures dubitant, an in consecratione Calicis illa verba sint de essentia. *Noui, & æterni testamenti, &c.* neque tamen dicendi sunt sacramentum irritum reddere. Ratio est, quia hic est error priuatus non destruens intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.

Sexta negligitur

90 Septima praxis reijcitur; siquidem, esto verba illa non formaliter in se hæresim illam contineant; satis tamen in ministri ipsius intentione error inest, & hæresis, quam præsumitur velle inducere de personarum, quæ inuocantur inæqualitate: statuente igitur tres personas æquales fide, & Ecclesia, quibus inuocatis sacramentum fieret, inæqualitatem volens inducere Minister satis ab intentione Ecclesiæ deuiat, ob idque inualide ministrat.

Septima refellitur

91 Praxis vltima penitus Grammatice Grammaticè luditur; siquidem tam ad substantiuum refertur adiectiuum suũ, quam ad suum antecedens relatiuum; at prior illa propositio, *Hoc est corpus meum æreum*, est adiectiui ad substantiuum; altera autem *Hoc est corpus meum, quod non est mortuum* est relatiui ad antecedens, vtraque falsa, vtraque sacramentum irritans. Adde, non reddi ex Lugo rationem, cur expletis ijs verbis in prima, *Hoc est corpus meum*, priusquam dicatur *æreum*, non conficiatur sacramentum, conficiatur autem dicendo *Hoc est corpus meum*, antequam dicatur, *quod non est mortuum*; cum vtrobique sit propositio completa significatiua. Concludendum ergo, neutram esse veram, neutram propositionem sacramentum conficere desiderata intentione Ecclesiæ in ministro, dum non de Christi corpore, sed de alio in illis propositionibus effatur.

Octaua ... detur

92 Quod demum addit Lugo, intentionem esse intrinsecam sacramento, licet hæc minus consequenter, vt dixi, ad supradictas praxes addantur, ex dictis etiam eluditur, nisi intrinsecum pro necessario requisitum intelligat, quo sensu nulla illi suppeteret ad arguendam Vasquezij, & aliorum doctrinam occasio; sed certè aliud quidpiam Lugo inten

Adhuc is Auctor refutatur

intendit, probatque intentionem esse sacramento intrinsecam ratione & exemplo. Ratio est. Illud est alicui composito intrinsecum, quo ablato, licet cętera maneant, compositum non manet, sed talis est intentio qua non manente, quamquam forma, & materies maneat, sacramentum non manet; ergo intrinseca est sacramento intentio.

Ratio Lugo.

Exemplum est in sacramento matrimonij, in quo materia est contractus, cui nihil est intrinsecum magis, quam consensus; quando enim deest consensus, desit contractus necessarium est; ergo sicut consensus est intrinsecus contractui, ita est sacramento matrimonij. Similiter in sacramento ordinis, in quo intrinsece includitur Episcopi ordinantis intentio. In sacramento pœnitentiæ, in quo animus internus sacerdotis exquiritur ad iure dimittendum.

Exemplũ eiusdem.

Alia eiusdem ratio.

Addit Lugo rationem à priori desumptam ex illo principio, quod sacramentorum nouæ legis Minister operatur, vt Minister Christi, & vt dispensator Doctore Paulo 1. Corint. cap. 4. *sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores misteriorum Dei, &c.* at tam in ministro, quam in dispensatore requiritur intentio in operando; nam operari aliquem vt ministrum est operari ex auctoritate accepta ab eo, qui eum fecit ministrum, & obinde includit voluntatem ministri volentis vti tali potestate, & auctoritate: similiter nomen dispensatoris id indicat, quia dispensatio, cum sit actus humanus, includit voluntatem dandi, &c. ex his concludit Lugo intentionem esse intrinsecam sacramento.

93 Sed, Deus bone, quam coactè, vt ita dicam, confundens causam effectricem cum causa interna, & planè cuiuis vel parum philosophanti liquet effectricem causam esse extrinsecam: cuius in praxi versato patet intentionem esse in voluntate ministri; sacramentum verò physicè materialiter compleri per materiam, & formam, Methaphysicè in sola signi relatione situm. Ad hæc quam internam colligantiam habet intentio? Certè non maiorem, quam minister; quem tamen esse extrinsecum non dubitaret Lugo, immo intrinsecum magis expetere deberet in sacramento ministrum, decernente Concilio Florentino hæc verba. *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.* Hæc ibi, quibus ita de persona, ac de forma, & materia loquitur, intentio autem in obliquo explicata in Ministro tantum desideratur. Causas etiam finales extrinsecas esse nemo ignorat, tam autem effectrices, quam finales ad opus expeti physici norunt.

Reijcitur sententia Lugo.

94 Sed Lugo argumenta cribremus, reducamusque argumentum primum ad formam. Illud est alicui composito intrinsecum, quo ablato, licet cætera maneant, compositum non manet, sed ablata intentione non manet sacramentum, quod est compositum quoddam, ergo intẽtio est verè sacramẽto intrinseca.

Occurritur argumentis.

Maior est falsa, quia dispositiones in materia ad gignitionem compositi tam necessariæ sunt, vt ijs ablatis compositum non fiat, neque tamen vllo modo sunt ipsi composito intrinsecæ; in facto etiam communia accidentia inseparabilia, vt nomen sonat, tam inhærent composito, vt destruatur ijs destructis compositum, nec enim est sine nigredine coruus, nec sine albedine olor, & cycnus, in quibus destructis albedine, ac nigredine non amplius esse corui, aut cycni dixeris; & si de istis accidentibus communibus proteruies; quia per diuinam opem segregari possunt; iam à facto ad possibilitatem, à naturalitate ad supernaturalitatem transcendis, sed in rebus, quæ fiunt, res, vt dixi, euidentior est, quibus planè sacramenta assimilantur, quæ (dempto Eucharistiæ sacramento) omnia consistunt in fieri, seu in vsu; de quibus solum loquitur Aduersarius, & non de sacramento Eucharistiæ.

Primum deficit in maiori.

Minor etiam declaranda est, nam in primis sacramentum pro formali nihil compositum dicit, sed solam relationem signi fundatam in rebus, ac verbis, pro materiali autem nec est verè compositum Physicum, vt alibi diximus, sed instar eius, hinc res, & verba non vere materia, & forma, sed tanquam materia, & forma nuncupantur à Concilio Florentino; quatenus scilicet sensibiles res sunt determinabiles per uerba, & verba sunt determinatiua rerum, sicuti actuari, & determinari est materiæ, actuare, & determinare est formæ proprium; defecit igitur minor supponens esse sacramentum quoddam Physicum compositum ex materia, & forma conflatum; totaque vis eneruatur argumenti, quod supponit idem esse aliquid necessario expeti ad aliud, & aliquid esse intrinsecum alij; nam & ad compositum faciendum causæ omnes

Nec est adamussim vera minor.

expetuntur necessario, neque tamen sunt omnes intrinsecę, seu materia, & forma tantum, quæ in composito manent,

95 Nec exempla adducta ad rem faciũt; quia quãquã consensus intrinsecus esset contractui, vt supponitur; quia nihil est cõtractus ex Scoto d.26.litt. O.nisi actus mutuus voluntatum, qui exinde contractus dicitur, quasi duarum uoluntatum tractus; nõ propterea est intrinsecus sacramento, nisi vt materia; vnde obseruandum in sacramento matrimonij ad necessitatem eius internam requiri verborum formam, materiam consensus, & intentionem contraheatiuminam nisi illi facere intendant, quod facit Ecclesia in sacramentis administrandis, faciunt contractum, sed non sacramentũ; cuius ratio, vt supra tetigimus, satis est à ratione contractus præcisè diuersa.

Exempla adducta nihili fiunt.

Ais, consensum esse intentionem. Hoc falsum est formaliter loquendo; nam consensus est ad matrimonium, & matrimonium efficit, non ad sacramentum, ad quod intentio faciendi, quod facit Ecclesia, requiritur: æquiuoco igitur laborat Lugo in priori exemplo, sed multo magis in sequentibus; nam intentio in ordinante, & in absoluente requiritur necessario ad sacramentum perficiendum, non vt interna pars sacramenti, sed vt causa externa sacramenti, sicut extrinseca causa est minister, in quo tamen intentio intrinsece sita est, vtpotè in voluntate ministri collocata.

96 Ratio, quam Lugo à priori censebat, nec est à signo, confundens necessitatem intentionis in ministro ad perfectionem sacramenti, & intrinsecitatem, vt ita loquar intentionis in sacramento; quorum primum gratis concedimus, secundum necsalutat à limine ratio eius, in qua concedo in ministro, & dispensatore requiri intentionem, & voluntatem operandi ex auctoritate collata, & dispensandi, dandi, conferendi, &c. mysteria; sed quid inde? Ergo intentio, voluntas, &c. est intrinseca sacramento! Conclusio tam voluntaria, vt non mirari non possim, quo iure ratio nihil concludens dicatur à priori, cum talis petenda sit in his, quæ à Deo pendent, à diuina voluntate dumtaxat.

Ratio Lugo a priori vix est a signo.

Colligendum ex dictis, utique sacramentorum omnium materiam, ac formam à Christo Domino nostro, à quo ipsa sacramenta instituta sunt, determinatam, ac certam fuisse; non tamen determinatam tanta determinatione, ac præcisione, vt sin minus, adamussim certæ, ac præcisæ res adhibeantur, certa, ac præcisa verba dicantur, infectum sit sacramentum; quia in materia baptismi sufficit aquam esse naturalem, siue illa fluuialis sit, siue puteal s, siue fontana: in materia confirmationis oleum chrismatis, siue oleum recens sit, ac dulce, siue uetus, ac sapidum; dummodo olei naturam non exuat oliuarum: in pœnitentia actus pœnitentis, siue attritionis, siue contritionis, & sic de cæteris materiam complent; similiter ad baptismi formam sat est actus expressio super personam cum inuocatione Sanctissimæ Trinitatis sub nomine proprio Patris, & Filij & Spiritus sancti: in absolutione sat est dicere. *Ego te absoluo à peccatis tuis*. In Eucharistia sat est dicere. *Hoc est corpus meum. hic est calix sanguinis mei*, cum alijs uerbis, siue illa sint de sacramenti integritate, siue non; quia Deus, ut diximus, non ita coarctauit materiam, & formam, ut accidentaliter etiam uariata sacramentum irritent; cum hoc tamen discrimine, quod materia uidetur esse determinata magis, quam forma; in qua præcisè non semper sciuntur uerba omnia, in materia autem substantialis, seu specifica mutatio sacramentum reddit inane; hinc sin minus aqua sit naturalis, baptismi materia ruit: sin minus panis sit triticeus, ruit materia consecrationis corporis: sin minus sit uinum uitis, ruit materia consecrationis calicis: sin minus oleum cum balsamo, materia confirmationis: oleum simplex materia extremæ unctionis: actus pœnitentis materia pœnitentiæ: consensus, seu contractus mutuus materia matrimonij, in quibus omnibus accidentalis, aliqua mutatio non officit; nam in baptismate non refert esse aquam calidam, uel frigidam, fontanam, uel fluuialem; in Eucharistia non refert panem esse azimum, vel fermentatum ad substantiam sacramenti, similiter argue de cæteris.

Conclusio ex dictis.

Doctrina notabilis in materiæ, & formæ sacramentorum mutatione.

97 Similiter mutatio accidentaria formæ nihil facit, quia quocumque idiomate fiat ad sacramenti integritatem non refert: mutatio etiam aliqua secundum speciem specialissimam non uidetur referre; quia forma baptismi Græcorum specie differt a nostra; multo magis forma ordinationis; similiter forma matrimonij non eadem apud omnes, ut diximus, &

penes

genes hoc opinio Recentiorum appro bari potest statuentium determinationem hanc esse ad genus, seu ad speciem intermediam; nisi mauis asserere has etiam omnes mutationes accidentarias esse, quia incolume superstes significatum vocum, quæcumque illa sint, dummodo exprimatur quod fit, sacramenti valorem reddit; quamuis de ministri licentia secus dicendum sit, vt suo loco dicemus.

Quid cōtra Scotū in hac disceptatione vrgeat Sotus *in 4. d. 11. q. 1. art. 2.* vide apud Fabrum *disp. 30. 4. sent.* quod ne frustra locupletemus folia, mittimus, nonnihil forte de hisce mutationibus dicturi, dum in specie de sacramentis disceptabimus, & præcipuè de baptismo, de quo Scotus noster, ut ex dictis patet, potissimum difficultates propositas eneruat: nos interim hisce decursis disputationi vniuersæ de quidditate sacramentorum physica limites apponimus.

Contra Sotum vide Fabrum.



DE EFFECTRICE SACRAMENTORUM CAUSA.

DISPVT. IV.



AD hunc disputationis apicem singulas quoquomodo effectrices causas attinet perscrutari quoniam autem ex phisicis effectiux causa duplex potissimum est, altera principalis, altera instrumentaria, & hæc iterum duplex altera per modum meriti, siue moralis, altera per modum instrumenti executorij, siue ministerij: de singulis generatim effari necessarium est hoc ipso loco, & primo de causa effectrice principali.

QVERITVR AN CHRISTVS Dominus solum sacramenta instituerit.

C A P. I.



1 COncertari liceret hoc loco contra *Hæreticos*,& contra Catholicos aliquos, quorum assertio institutionem omnium sacramentorum à Christo Domino videtur repellere ob vnicum extremæ vnctionis sacramentum, quod putant, vel à Diuo Iacobo *capit. 5. epistola sua Canonicæ*, institutum, vel aliunde ortum sumpsisse, *Hæretici* autem præterea addunt cum Caluino in *Antidoto Concilij Tridentini*, & Kemnitio *in 2. p. examinis*, solã Eucharistiam,& Baptismum à Christo institutionem duxisse, cætera vero vel sacramenta non esse, sed ceremonias quasdam,vel ortum traxisse ab alijs;proque hoc suæ opinionis effato citant Martyrem Ciprianum *in sermone de ablutione pedum*; Magistrum sent. *d. 23. 4. sent.* & Hugonem Victoriensem *lib. 2. de sacramentis part. 11, cap. 2.* qui non obscure aiunt extremam Vnctionem institutam à Iacobo: possent & citari in eorum fauorem Alensis *4. p. q 9. memb. 1.* & S. Bonauentura *d. 7. art. 1. q 2.* qui sacramentum Confirmationis quoad materiam,& formam aiunt, vel in Meldensi,vel *Aurelianensi* Concilio institutum,& S. Thomas *3 p. q 72. art. 1.* qui censet Confirmationem non exhibendo, sed promittendo à Christo fuisse institutam, *Ioan. 16. si non abiero, Paraclitus non veniet &c.* Concertari (inquam) liceret contra *Hæreticos*, nisi fere contra eos inuexissent Bellarminus, & alij; liceret & contra Catholicos, nisi iam Concilij Tridentini Decreto firmatum esset sacramenta omnia à Christo Domino fuisse instituta; sic enim loquitur *sess. 7. de sacramentis in genere can. 1. Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura &c. anathema sit*, & *sess. 14. de sacramento extremæ vnctionis cap. 1.* anathema dicitur ijs, qui irent inficias sacramentum illud à Christo Domino institutum; proinde post Concilij tempora, vt Catholicis de hac re sentiendi præscribitur limes, ita & concertandi contra eos terminus datur.

Caluini, & Kemnitij errores.

Quid senserint Magister Hugo, Alensis, & S. Thomas.

Decretum concilij.

2 Adde veritatem hanc extra nubem difficultatis ex ipsis sacris litteris deduci de singulis sacramentis; nam baptismum à Christo fuisse institutum conuincitur, quia *Ioan. 3.* legimus discipulos Christi baptizasse, & *Matth. ult.* præceptum de publicatione baptismi traditur verbis ijs *Ite, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Confirmationem institutam *Ioan. 20.* sub his verbis *Accipe Spiritum sanctum* concordant Scolastici. Eucharistiam in vltima Cœna institutam contextus *Matth. 26.* & aliorum Euangelistarum, vno dempto Ioanne, qui eius prædicationem dumtaxat prosequitur *cap. 6.* Pænitentiam institutam *Ioan. 20.* tradit Scotus, dum Christus discipulos alloquens ait, *quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* Vel *Matthæi 16. Tibi dabo claues &c, & quodcumque solueris &c.* De extrema vnctione Marci *6.* legimus Apostolos oleo multos infirmos vnxisse. Matrimonij institutio in orbis ipsius incunabulis patet cum Adamo, & Eua coniugibus quoad contractum, quoad sacramentum

Institutio sacramentorum a Christo probatur ex scripturis.

tum vero fit eius memoria *Matthæi* 19. de ordinatione; quæ duo includit, minirum potestatem erga Corpus Christi verum; & potestatem erga Corpus Christi misticum, patet vtrumque, nam prior potestas tradita fuit in vltima Cena, dum fecit Christus discipulos Sacerdotes sub his verbis *Hoc facite in meam commemorationem*, posterior potestas habetur *Ioan.* 20. *quorum remiseritis peccata &c.* & ex his sacræ scripturæ testimonijs non minus institutio sacramentorum, quam tempus institutionis eorum colligitur, de quo aliàs proprio loco, si opus fuerit, disceptabimus.

Probatur ex Patribus.

3 Hanc ipsam veritatem inculcant Patres. Ambrosius *lib.* 4 *de sacramentis cap.* 4. *Auctor sacramentorum quis est nisi Dominus Iesus? è Cælo ista sacramenta fluxerunt &c.* & alij. Nec deest ratio, si petis ad hanc veritatem. Illi competit signum instituere practicum alicuius effectus; cui soli effectus illius causatio competit: at gratiæ causatio phisica soli Deo competit; ergo institutio signi ad causandam gratiam soli competit Deo; Maior probatur ex regula logica *propterquod vnumquodque tale &c.* si enim à Deo producitur gratia, quæ per sacramentum datur; ergo multo magis à Deo sacramentum datur; alioquin sequeretur Deum alicui alteri subiectum esse ad causandam gratiam illam per sacramenta, nempe institutori sacramentorum.

Et Ratione

An hæc veritas sit de fide.

4 Solum difficultas esse potest, an hæc veritas tam certa sit, vt oppositum sit omnino Hereticum; ita vt hæc sit omnino de fide. Concertat in hac difficultate Suarez 3. *p. tom.* 3. *disp.* 11. *quæst.* 1. & Vasquez *disp.* 135. *cap.* 1. hic affirmando, ille negando. Porrò Vasquezio subscribunt Becanus *cap* 5. *de sacramentis in com. quest.* 1. *num.* 15. aiens oppositam sententiam esse in Concilio damnatam, & Ioannes à Lugo *disputat.* 7. *section.* 1. *per totam*. Ratio Suarezij in eo sita est; quoniam etsi Conciliũ Tridentinum statuat anathemate feriendum, qui dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta; attamen particulam illam, *immediate*, vel *per se ipsum*, subticuit eo consilio Concilium, vt non statueret absolutè conclusionem de fide.

certamen Recentiorum.

Ratio Suarij.

5 E contra Vasquezius contendit non minus hanc veritatem à Concilio fuisse definitam; quã si prædictis verbis *immediate*, aut *per seipsum* vteretur; cuius ratio est, quia si per institutionem in definitione Concilij possemus intelligere institutionẽ remotã, hoc bifariã posset intelligi. Primo quia Christus dicitur communiter Ecclesiæ vsu cuiusuis sacramẽti, ipse vero materiam, formamque designasse: secundo, quia potestati Ecclesiæ remisisse dicatur institutionem ipsam; si primo modo, ergo Christus verus fuit immediatus institutor; quia non de vsu, sed de ipsa institutione disceptamus; si secundo modo, ergo Christus ita instituisse sacramenta dicetur, sicuti cæteras Ecclesiasticas cæremonias, quæ ab Ecclesia manarunt, & à Deo fuere probata, quod est contra Concilium, quod non ita de cæremonijs Ecclesiasticis, ac de sacramentis diffiniuit.

Ratio Vasquij.

6 Is tamen, me iudice, Vasquezio fauet; quoniam dum de institutione loquimur, de ipso immediato institutore loquimur; alioquin tam bene Ecclesiastica præcepta diceremus à Deo manasse; quia Spiritu sancto edocti Pontifices illa sanxerunt; quam præcepta Decalogi, quæ ex immediato Dei fluxere præcepto; quod tamen falsum est; quia hæc positiui, illa diuini iuris dicũtur. Ratio huius potissima est; quia verba accipiuntur semper in significatione formali, vt sonant; dum ergo Deum dicimus institutorem, immediatum planè institutorem intelligimus. Adde, quod ipse Concilij contextus manifeste hoc assertum de immediato institutore declarat, nam de baptismi materia, quæ est aqua, deque eius forma, quæ est illa, *baptizo &c. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Can.* 2. & 4. anathema dicit, qui secus sensit de eis; atqui hæc omnia, nempe baptismi materia, & forma à Christo tradita sunt omnium consensu *Ioann.* 3. & *Matth. vltimo*. Sacramentum Eucharistiæ, à Christo Domino immediatè institutum, aperte docet Cõciliũ *sess.* 13 *de hoc sacramento cap.* 2. idipsum de pœnitentia decernit *sess.* 14. *cap.* 1. & de Extrema Vnctione, *eadem sess. cap.* 1. de eius doctrina, & rursum *can.* 1. De sacramento ordinis *sess.* 23. *cap.* 1. & *can.* 3. de matrimonio idipsum decernitur *sess.* 24. *sub initio* 1. *capitis*, & *can.* 1. quamuis autem de confirmatione hoc speciatim non decernat; non esse tamen aliter sentiendum patet *ex canone illo de sacramentis in genere supra citato*, porrò quod de immediato Institutore loquutum sit, patet; quia omnibus ijs citatis proximè locis, non solum institutio à Christo memoratur, sed & tem-

Auctor subscribit Vasquezio.

Ratio auctoris.

Et probatio ex scripturis.

pus

pus institutionis apponitur; quare non obscure censendum arbitror nunc temporis hanc veritatem esse de fide; neque propterea in hæresim censendi sunt diruisse Alensis, Magister sent. & Vgo Victoriensis supra citati oppositum de quibusdam sacramentis Ecclesiæ sentiētes; quoniam nondum hæc veritas Ecclesiæ erat firmata decretis; et si præcitati auctores hac tempestate uitam ducerent, sponte nobiscum sentirent; id ipsum puta de Sancto Bonauentura, & alijs, nisi mauis eos impropriè vocabulum institutionis vsurpasse pro promulgatione illorum sacramentorum, de quibus disceptabant. Admirari licet Martinez Recentem auctorem, qui haud dubie Extremam vnctionem à Iacobo institutam statuit *d.23.4.sent.* cum tamen eius scripta nuper in lucem prodierint, neque Concilij auctoritatem sint verita.

Vindicantur ab errore Alensis Magister, & Vgo.

Martinez reprehenditur.

7 Cypriani auctoritas *in sermone de lotione pedum*, si tamen est ille sermo Sancti Cypriani, an potius, vt retur Vasquez, alicuius Pseudo Cypriani, quæ auctoritas hæc habet verba de Sacramento altaris. *Ipse summus sacerdos sui est sacramenti institutor, & auctor, in cæteris homines Spiritum sanctum habuere doctorem, & sicut par est Spiritui sancto, & Christo diuinitas, ita in suis institutis æqua est auctoritas, & potestas, nec minus ratum est, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quam quod ipse tradidit, & in sui commemorationem præcepit.* Hæc ille, quibus non dubie sentire videtur solam Eucharistiam à Christo institutam, reliqua vero sacramenta ab Apostolis, dictante Spiritu sancto. Hæc auctoritas, quam variè exagitant Recentes, quos illa vrget; mihi nullam vexationem facessit, quoniam auctor hic dum cætera ab hominibus inspirante Spiritu Sancto manasse docet, non de sacramentis loquitur, sed de vsu, & de ritibus in ipso altaris sacramento; estque verborum eius sensus. Christus quidem immediatè hoc sacramentum instituit, at ritus in eo sumendo, & conficiendo reliquit instituendos ab Apostolis à Spiritu sancto firmandos, quod factum esse nulli est dubium.

Auctorita ti Cypriani fit satis.

8 Hactenus de Recentiorum concertatione. Interim ad rem redeuntes ex alio capite à Deo instituta probari potest nouæ legis sacramenta, hoc modo. Nouæ legis sacramenta longe in omnibus veteris legis sacramenta præcellunt ex Concilio Tridentino *sess.7. de sacramētis in genere can.* 2. ergo & in institutione inferiora illis non erunt, nec ab eis nobilitate institutionis excellentur: sed illa fuerunt à Deo instituta, siue per se loquente, siue per Angelos, ergo ista multo magis. Subsumptum antecedens probatur de sacramento legis scriptæ vero, quale est circumcisio; nam hæc tradita fuit Abrahamo *genes.* 17. per illa verba *Masculus, cuius caro præputij &c.* nec alia vera sacramenta in eo statu legimus, vt supra probatum est; de sacramento legis naturæ idipsum puta; quia nisi certitudinem signo dedisset Deus, nullus fuisset de sua salute, & remedio contra originis culpam certus, quod supra improbatum est.

Alio argumento probatur insti tutum.

9 Scio contra hanc doctrinam reclamaturos Sotum *in 4. dist. 5 quest.1. art.2.* & Vasquez um *l.c.cap.1.in fine*, sed quoniam ipsi ex prauo fundamento, quod nullum verum sacramentum in eo statu fuerit progrediuntur, diruto in superioribus fundamento nullo negotio refelluntur. Immo tantam arbitror huius veritatis euidentiam de sacramentis, vt asserendum non dubitem, nec fieri potuisse, vt sacramenta ab alio, quam à Deo instituerentur.

Obiectum Soti nullū.

10 Hæc tamen assertio, quæ Recentiores etiam habet Aduersarios, exactè dilucidanda est, ac probanda: dilucidatur autem ex doctrina Scoti *in 4. d. 1. q. 3.* quem Faber fal.ò citat *in d.1.q. 7.* in qua solum Scotus necessitatem aucupatur sacramenti pro lege naturali, vt patet. Ex doctrina igitur Scoti *loco citato* obseruandum, duo potissimum ad conficiendam sacramenti quiddi tatem conspirare, rationem scilicet signi sensibilis, & certitudinem causalitatis effectus, quæ duo in ipsa sacramenti diffinitione inuoluta sunt, qua dicitur *sacramentum esse signum sensibile* (en ratio signi) *a Deo institutum ad salutem hominis viatoris, gratiam, vel effectum gratuitum efficaciter significans*) en certitudo causalitatis effectus) suntque ad inuicem longe diuersa, siquidem aliud est quidpiam esse signum effectus alicuius, aliud esse signum efficax, & certum effectus illius, scilicet, signum efficiens certo illum effectum: & hæc ipsa diuersitas inde patet, quod multa sunt signa specialis alicuius effectus, non tamen certo efficiunt effectū illum: osculum siquidem institutum est ad amoris signum, attamen in Iuda proditionis signaculum fuit; amplexus etiam beneuolentiæ signum est, & verba illa *Salue mi frater* sunt amoris indicium, in Ioab autem ergà Amasam *lib. 2. Regum cap.* 20 cædem

Non potuerunt ab alio, quam à Deo Sacramenta institui.

eædem pepererunt;sunt ergo signa aliqua effectus alicuius effectum autem illum neutiquam gignentia; ratio cuius est, quia instituens talia signa ad illum effectum non potest signis illis assistere ad infallibilem gignendum effectum; quare si quis institutor hoc posset, vt infallibili euentu effectum produceret, hic certitudinem signo daret ad effectum. Cum hæc ergo duo in sacramentorum ratione sint posita, si alterum sine altero quis ponat, integrabit nunquam sacramenti essentiam. Hoc supposito.

11 Dicendum, sacramenta à solo Deo posse institui. Hæc assertio probatur ex præfata doctrina. Duo sunt in sacramento, significatio scilicet, & certitudo, at hæc duo coniunctim nullus alius à Deo sacramento potest commodare; ergo nec vllus alius à Deo sacramentum instituere potest; maior ex allata doctrina, immo ex diffinitione sacramenti liquet; subsumpta minor probatur; quia etsi concedamus posse creaturam instituere signum practicum gratiæ; quia qui potest signum instituere speculatiuum, posse etiam videtur signum instituere practicum, cum speculatiuum, & practicum opponantur, & oppositæ sub eodem cadant agente; sed hic potest instituere signum speculatiuum ad significandum effectum Dei, nam hæc oratio, *Deus causat gratiam in anima*, significat speculatiuum effectum Dei, qui est gratia; ergo & signum potest instituere practicum: etsi, inquam, concedamus posse creaturam instituere signum practicum gratiæ, atqui concedi non potest posse signo illi certitudinem causalitatis impertiri; quod probatur, quoniam nulli conceditur posse certitudinem signo practico dare, nisi illi, in cuius potestate situm est causare effectum signatum signo illo; at in solius Dei potestate sita est gratiæ causatio, quæ est effectus sacramenti; ergo soli Deo sacramenta posse instituere conceditur, seu soli Deo conceditur posse certitudinem signo practico dare: Minorem probabimus infra, cum ostendemus creationem gratiæ esse solius Dei opus, quod & *in 3. sent.* præstitum est. Maior huius dilemmatis vltimi probatur ex præiacta doctrina; si quidem nisi instituens possit assistere signo ad causandum certo, nusquam certo causabit; quia scilicet, effectus est in instituentis potestate, ex cuius defectu signa supra relata amoris, & beneuolentiæ certa non sunt; quia scilicet, non sunt in instituentis potestate.

Assertio prima [...] *& probatur primo*

12 Quod si dicas: poterit saltem creatura facere, quod Deus assistat certo illi signo, & causet effectum; proindeque secundum hunc sensum signo certitudinem dabit. Respondeo, quod præterquam quod nulla creatura potest decernere Deum ad aliquem effectum, nisi Deus decreuerit se ad illum effectum causandum; adhuc non probatur intentum; quia nos diximus debere instituentem ipsum assistere signo, dareque illi certitudinem, quod in proposito casu non contingeret; Deus namque, non autem creatura, assisteret ad infallibilem gignendum effectum illum: si dixeris, allatam ratiocinationem ad summum conuincere nulli, si Deum demas, licere sacramenta posse instituere propria auctoritate, at delegata saltem, & commissaria, vt vocant non posse, argumentum non probare. Occurram ex doctrina eiusdem Scoti *loco citato*, argumentum in primis allatum de vtraque potestate productum esse; insuper sequi, & fore tunc, vt Deus esset approbator signi æquiuoci, & falsi; consequens est falsum; ergo & id, ex quo sequitur, falsitas patet: quia quæ contradictionem inuoluunt, nec per diuinam queunt fieri potestatem; sed quod signum suapte natura falsum sit verum contradicit, ergo à Deo fieri nequit, manente identitate signi. Sequela probatur; nam si Franciscus, exempli gratia, institueret tactum manus pro signo ad gratiam causandam, signum hoc suapte natura nullam habens connexionem, & concomitantiam ad causationem gratiæ falsum est, & æquiuocum; quare si Deus ex hoc signo daret effectum sequi, efficeret signum falsum verax simul, ac semel: nec valet si dicas posse committere potestatem certitudinis creaturæ, hoc enim idem est, ac si asseras posse Deum communicare potestatem creandi creaturæ, atq; ita efficere de creatura creatorem, quod implicat.

Obiectio *Responsum.* *Alterum obiectum.* *Responsio* *Alia probatio.*

13 Adde: si Deus posset hanc potestatem communicare creaturæ, posset facere, vt causa prima esset causa secunda, consequens quam falsum sit patet, & sequela deducitur; etenim si posset communicare creaturæ potestatem instituendi sacramenta quo ad certitudinem, posset per consequens communicare illi potestatem determinandi diuinam voluntatem ad causandam gratiam, sin minus posset communicare potestatem creandi gratiam; at hoc asserere est, ac si dicatur posse facere, vt causa prima, qualis

Alia probatio quæ contra Lugo inseruit expendemus

qualis est Deus, cuius est determinare secundam ad actus, foret causa secunda, quia à creatura determinaretur; concluditur ergo nullo modo posse alium à Deo quempiam sacramenta instituere: hoc tamē argumētū cribrabitur inferius.

14 Si dicas ad præcedentem discursum de signo falso; non sequi Deum approbaturum signum falsum, sed effecturum, vt signum falsum fieret verum ex suo pacto cum creatura. Non valet; quia implicat signum falsum esse verū sine mutatione, quemadmodum si hæc propositio, *Franciscus sedet*, Francisco stante, sit falsa; nisi Franciscus sedeat per Dei opem vera esse non potest; nisi igitur gratiam causet Deus, signum esset falsum; sed causando gratiam Deus mutaret signatum, & sic non ex ratione signi; neque ex ratione creaturæ instituentis, sed aliunde veritatem adipisceretur, ex quo capite institutionem diceretur habere: manet ergo asserti nostri veritas illibata, nullum alium à Deo posse sacramenta instituere.

Obiectio & eius præoccupatio.

15 Hanc tamen veritatem, cuius oppositum sustinent Recentiores cum Soto in 4. d. p. q. 5. art. 4. & Francisco Suarezio disp. 12. sect. 2. hæc contuibare videntur obiecta partim è Sanctorum Patrum, partim è Scolasticorum valuis, partim è ratione deducta. Augustinus in primis *tract. 5. in Ioannem* apertissimo testimonio hanc potestatem communicari creaturæ posse confessus est per hæc verba *Potuit autem Dominus noster Iesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui seruo suo, vt daret baptismum suum, tamquam vice sua, & transferret a se baptizandi potestatem, & constitueret in aliquo seruo suo, & tantam vim dare baptismo translato in seruum, quantam vim haberet baptismus datus à Domino. Hoc noluit, ideo vt in illo esset spes baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent &c.* Postmodum Diuus Thomas 3. p. q. 64. art. 4. & Sanctus Bonauentura cum Richardo d. 5. q. hoc idem astruere visi sunt; sed & cum eis consensisse Scotus videtur d. p. q. 3. littera D, vbi non negat Deum hanc potestatem non potuisse committere, sed non congruum esse, ait enim, *Nec congruit quod Deus committat inferiori se instituere sacramentum, in quantum certum signum: ne Deus esset approbator signi falsi vel æquiuoci*. Hæc ille, quibus non ob impotentiam, sed ob incongruentiam hoc falsum esse negat.

Oppositum probant Recentes.

Augustini testimonium.

Citatur pro Recentibus Scotus

16 Præterea: non magis implicat communicare creaturæ potestatem instituendi sacramenta, quam potestatem faciendi miracula, & gratiam pro libito largiendi; at hæc potestas elargita est humanitati Christi, potuitque elargiri etiā alteri puro homini, cum nulla sit repugnātia maior in communicanda hac potestate supposito creato, quam naturæ creatæ, ergo & illa communicari potuit. Maior est euidens; quia vterque effectus est eiusdem ordinis, vt patet, Minorem autem vt alio loco probatam supponunt Recentes.

17 Vt his autem occurramus, nullo alio indigemus à præiactis fundamentis: & in primis quidquid sit de opinione Sancti Thomæ, & Sancti Bonauenturæ *loco cit.* quam tamen ad optimam possumus reuocare frugem dicendo, vel locutos illos fuisse de institutione sacramenti sub ratione signi præcisa, non sub ratione certi signi, & efficacis, vt re uera loquitur S. Bonauentura; vel locutos de potestate excellentiæ, quæ an meritorie, an efficienter se habuerit digladiantur Sancti Thomæ Interpretes; ipse tamen aperte docet *art. illo 4. citato in corpore*, potestatem excellentiæ habere se meritorie; ait enim, *& talem potestatem excellentiæ potuit ministris communicare dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, vt eorum meritum operetur ad sacramentorum effectus, &c.* quibus cum de merito loquatur, de potestate meritoria, non efficientiæ potestate locutus est: sed hæc Interpretes eius viderint. Nos Scoti sententiam aperiamus, & is, vt patet q. c. littera D. tam dilucide negat posse sacramenta ab alio, quam à Deo institui, vt nefas sit de eius sententia dubitare; nec allata verba efficiunt; etenim, dū ait non congruere, non negat non posse, sed rationem congruentiæ, quare non possit, adducit.

Occurritur Recentibus.

Vindicatur Scotus ab ipsorum sententia.

18 Plus negotij facessit nobis Augustini allatum testimonium; quod aperto ore confiteri videtur posse hanc potestatem creaturæ committi: ab eius tamen vi facile se expedit Faber Fauentinus *disp. 4. cap. 3.* loquitur ibi aiens Augustinum de potestate excellentiæ, quam Christus habebat, vt homo, non de potestate, quam habebat vt Deus, & pro inde loqui de Christo, non de Deo, non est autem dubium, vt ipse ait, posse Deum dare creaturæ potestatem instituendi sacramenta meritorie, quia quidquid competit Christo, vt homini, competere potest alijs creaturis. Sed hæc euasio est, non responsio, Augustini testimonium nullo modo eneruans; Augustinus enim

Faber quid ad auctoritatem Augustini?

enim patentissimè loquitur de Christo Deo; quia ante allata verba discrimen ponens inter baptismum Ioannis, & Christi, ait tale baptisma Domini, qualis Dominus; ergo baptisma Domini diuinum, quia Dominus Deus: hac ibi, quibus immediatè connectit allata verba, *potuit autem Dominus noster &c.* vt signo euidentissimo declararet se de Christo Deo locutum, non de humanitate Christi, vnde pauló ante prædixerat, baptisma tale esse, qualis est ille, in cuius potestate datur; ex quo colligit Christi baptismum diuinum, quia in potestate Dei datur, quare de Christo Deo loquitur Augustinus. Vasquez *loco citato*, bifariam videtur præfatæ Augustini sententiæ facere satis, primo Augustinum loqui de sacramento transflato à Christo in seruum, vt ab ipso Christo haberet virtutem nō à seruo; & proinde non putasse institutionem sacramenti à Christo in seruū ita potuisse transferri, vt ipse Christus illud non institueret; nam qui fieri posset, vt illi vim tribueret, & illud non institueret?

Vrgetur Augustini auctoritas

Responsio Vasquez duplex

Secundo, respondet Augustinum loqui de potestate baptizandi inuocato nomine ipsius; eo quod posset Christus efficere, vt quis baptizaret dicens *Ego te baptizo in nomine meo*, & similiter non inuocato nomine Christi, & ita Augustinum velle potuisse hoc fieri; sed noluisse Christum, ne baptizati ponerent spem in baptizante.

19 Neutra tamen responsio plenè difficultatem tollit; non prior, quia diluciде Augustinus ait posse Dominum trāsferre à se potestatem baptizandi, & constituere in aliquo seruo suo; quid est autem transferre à se potestatem hanc, nisi quodammodo se illa potestate priuare? hæc autem potestas in Christo non ad exercitium refertur; quia hæc est potestas ministerij, sed ad institutionem refertur, & ad valorem significatiuum quod autem subdit *tantam virtutem daret &c.* supple tu, vt sensus germanus pateat asserti Augustini, velle ipsum, per Christum potuisse etiam dari seruo, vt baptismus suus tanti valoris esset, quanti baptismus Christi, quo casu seruus diceretur delegata auctoritate instituere, vt videtur sonare auctoritas. Nec altera respōsio textui quadrare videtur, vbi de nomine, in quo datur baptismus nulla mentio: adde ibi poni differentiam inter baptismū Ioannis, & Christi, at Christi baptismus non est institutus in nomine Christi, sed vt daretur in nomine Patris,

Vtraque læditur

& Filij, & Spiritus sancti, si ergo de hac potestate locutus esset Augustinus debuisset dicere, quod potuisset Christus trās ferre à Patre, Filio, & Spiritu sācto, in quo rū nomine datur baptismus; baptizādi potestatē in serui nomē, quod tamē nec sub vmbra quidē Augustinus ibi tāgit.

20 Ego, vt hanc rem aperiam obiter, institutum Augustini eo capite esse venari discrimen inter Ioannis baptismum, & Christi, in cuius rei gratiam postulat Augustinus, cur baptismus datus à Ioanne vocetur baptismus Ioannis, baptismus vero Christi datus à Petro non dicatur baptismus Petri, sed Christi? licet & ipse baptismus datus à Ioanne de Cælo fuerit; quia ipse Ioannes testatur Ioannis 1. *Qui me misit baptizare &c.* Hanc dubitationem euellens Augustinus ait, fuisse donatum Ioanni, vt ipsius baptisma diceretur, at noluisse Christum donare seruis, vt ipsius baptisma diceretur ipsorum; quare noluisse? quia non decebat, vt in illo esset spes baptizatorum, à quo se baptizatos agno scerent. Hæc est Augustini sententia, quam inculcat in sequentibus illius capitis verbis aiens, *tantam potestatem baptismatis dominum habiturum, ne Paulus diceret baptisma meum, ne Petrus diceret baptisma meum &c. sicut dicebat Ioannes baptisma suum.* Potuit ergo Christus facere, vt baptismus datus à Petro diceretur baptisma Petri, datus à Paulo diceretur Pauli; atque adeo potuit transferre à se baptizandi potestatem, idest transferre nomenclaturam, ac determinationem baptismatis, collocando illam in Petro, vel Paulo, & efficere, vt eundē effectum haberet illud baptisma, ac id quod appellatur baptismus Christi; sed noluit, ne in Petro, vel Paulo, ponerent spem baptizati insuper ne tot essent baptismata, quot essent serui, & hæc est germana verborum Augustini interpretatio, quæ nullius roboris esse ad oppositū nostræ sententiæ auctoritas ipsa conuincit, & hanc esse Augustini mentē patet etiā *ex lib. 5. de baptismo cōtra Donatistas cap. 13.*

Responsio Auctoris & eius doctrina

Augustini textus Interpretatur.

21 Allatæ rationis in oppositum pro Recentibus difficultatem, ac robur enerуabimus distinguendo de potestate, alia namque effectrix est simpliciter, alia meritoria: tunc ad minorem Augustini eo modo concedimus concessum humanitati Christi, vt sacramenta posset instituere, quo miracula patrare, & gratiam largiri, meritoriè scilicet, nō efficienter: cæterū de hac difficultate in sequen-

Soluitur nodus difficultatis oppositæ

sequentibus:

Appendix capitis, & Recentiorum opinio

22 Sit ergo capitis huius appendix postulatio; an Christus vt homo sacramenta instituerit, vel instituere potuerit? Huic postulationi Auctores quicumque possibilitatem institutionis sacramentorum ad quemcumque hominem diuertunt; ita vt purum hominem putent potuisse sacramenta instituere, hoc multo magis asseuerare de Christo homine tenentur, cuius humanitati, tum ob gratiā capitis, tum ob gratiam vnionis plus tribuunt, quam cæteris creatis. Et isti non leues addunt coniecturas: primam, humanitati Christi datum est, vt opera ederet supernaturalia; atqui gratiam causare per sacramenta, ac proinde sacramenta instituere quoad certitudinem effectus, supernaturale est opus; humanitati ergo Christi illud quoque concessum est, Maiorem probant auctoritate *Matth.* 9. vbi Christus ait; *Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, dixit paralitico, &c.* & infra, *glorificabant homines Deum, qui talem potestatem dedit hominibus*; & alia similia passim in scriptura habentur:

Ratio prima.

secundam, gratiam per Christum dari specifice habet Ioannes primo, *lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*, vbi Aduersarij notant diuersitatem locutionis, dum de lege per Moysen, & de gratia per Christum loquitur; nam de Moyse dicitur, quod data est lex, de Christo dicitur, quod facta est gratia, vt plane innotesceret actiuitatem creandi gratiam conuenisse Christo:

Secunda

Tertiam specifice de sacramentis. Ambrosius *supra* citatus Auctorem sacramentorum ait ipse Dominum Iesum, Quibus nota, non dici auctorem Christum, sed Iesum: quia scilicet, non qua vnctus, non qua Messias duntaxat, hoc enim Christi nomen designat, sed qua homo, cui nomen Iesu impositum est ab Angelo, sacramenta instituit.

Tertia.

23 Hæc difficultas ex prænotatione alterius genericæ difficultatis diluitur, an scilicet Christus efficienter, an meritoriè dumtaxat nostram operatus sit, & operari potuerit salutem, qua homo fuit; de qua in 3. *sent.* hic igitur breuibus transigetur negando simpliciter humanitatem Christi instituisse, vel sacramenta instituere potuisse efficienter modo supra declarato. Ratio huius ex eodem capite petenda est, quia scilicet, certitudinem signo humanitas illa, quippequæ creatura erat, dare non poterat, cum etenim certitudo hæc in eo sit sita, vt effectum ipsum per sacramenta instituens producere queat, nequeatuo Christi humanitas attingere creationis terminum, qualis est gratia, quæ est sacramentorum effectus, sequitur à primo ad ultimum, nec illam humanitatem potuisse sacramenta efficienter instituere, neque ad hoc quidquam iuuit gratia vnionis, vel capitis, quia si humanitatem præcisè spectes vt quid creatum in Christo, tam implicat illam causare potuisse gratiam efficienter phisicè, quam impossibile est posse quid à creatura creari: cæterum de hoc *in disputatione de sacramentorum causalitate* dicendum est.

Humanitatem Christi non instituisse sacramenta probatur.

24 Nec ratio pro Aduersarijs vim habet: si maior enim de virtute effectiua phisica intelligatur neganda est; siquidem humanitas moraliter dumtaxat, & instrumentaliter non phisicè miracula edidit, qua creatum quid erat; licet qua Deitati vnita integrum constans Christum phisicè ex idiomatum communicatione dicatur miracula patrasse: & probatio ex auctoritatibus conuincit Christum Deum hæc miracula edidisse; vnde Christus de se loquens dicebat, *opera, quæ ego facio ipsa testimonium perhibent de me*, & ipsi Iudæi aliquando dixerunt, *nunquam sic locutus est homo*; dimittebat igitur peccata efficienter vt Deus, ministerialiter vt homo; obque illam Idiomatum communicationem rectè Christus dicebatur miracula patrasse: quod autem dicitur homines glorificasse Deum; quia talem potestatem dedit hominibus; non ob id iudica, hanc potestatem simplici homini concessam; sed per potestatem ibi intellige effectus potestatis, nimirum, curationis, remissionis, & salutis, per homines intellige illos, qui curabantur, vt sensus sit, datam fuisse Deo gloriam; hoc est, actas fuisse Deo gratias, datasquè laudes, & glorias; eo quod tali affecisset honore homines; vt essent doni remissionis, & medelæ capaces; & præexpositus sensus maxime obseruandus est, secundum quem auctoritas nobis non obest.

Argumentum Aduersariorum inane

Expositio loci Ioannis obseruanda

25 Alia authoritas verbalis est, nam idem sonat dari per aliquem, & fieri per aliquem; vnde particula *per* ministerium dicit,

Quid velit particula per

Occurritur secunda authoritati. dicit, non efficientem causam ex ipso sermonis vsu, ac rigore; gratia ergo facta est per Christum hominem, facta est à Christo Deo; refert autem dicere, gratia fit per Christum, & gratia fit a Christo, est ergo auctoritas potius ad oppositum.

Ambrosij auctoritas nobis fauet. Ambrosij etiã testimoniũ, siue Christi, siue Iesu nomẽ vsurpet, ex quo tamẽ in nomine sita res est, ex sequẽtibus declaratur, vtique enim auctor sacramentorum est Dominus Iesus, at non qua homo; sed qua Deus, propterea subdit Ambrosius. *è cælo ista sacramenta venerunt*; at Christus qua homo non venit e cælo; sed qua Deus, ergo auctor sacramentorum qua Deus, qui venit e cælo, e quo sacramenta venerunt, non qua homo, qui de terris venit, e quibus sacramenta non venerunt.

26 Pater Lugo *disp. 7. sect. 2* vniuersam litem arbitratur esse de nomine, nam Scotus (inquit) non negat posse aliquem ex delegatione Dei designare materias, & formas sacramẽtorum paciscente Deo se daturum per illa signa sensibilia gratiam; *Doctrina Lugo* negat solum ratione potestatis illius hominem illum dici posse simpliciter sacramenta instituere; quæ est contentio vocalis, non realis. Citat pro Scoto Vasquezium, licet arbitretur fundamentum Vasquezij longe distare à fundamento Scoti, nam Vasquezij ratio est; quia instituere est rem aliquam inchoare, & ab initio statuere, quę significatio creaturæ non potest competere, quæ solum ex decreto, ac delegatione Dei diceretur instituere sacramentum quod obinde non primo à creatura, sed à Deo diceretur per illam delegationem institui. Scoti vero ratio est, quia in casu sequeretur Deum determinari à creatura ad gratiã causandam, & propterea causam secundam fore primam, & primam secundam quod fundamentum (inquit Lugo) leue est, quia hæc causatio est moralis; & rursum, si esset phisica, non est de ratione causæ primæ, quod ipsa determinet omnes.

27 Ponit exinde suam sententiam affirmantem Lugo, statuitque potuisse sacramenta ad alio homine delegato a Deo institui, quam tripliciter probat: primo auctoritate Patrum, & Scolasticorum, *Sententia eiusdem* qui ita censent sacramenta instituta à Christo homine, non à Christo Deo, alias non oportebat nominare Christum, sed omnes personas Trinitatis; sic Ecclesia canit. *Dedit fragilibus corporis ferculum dedit*, &c. & post aliqua, *sic sacrificium istud instituit*, &c. in quibus ille idem, qui dixit *accipite*, & *bibite*, dicitur instituisse; at illa verba dixit Christus, vt homo, ergo vt homo instituit.

Secundo auctoritate Concilij Triden. *sess. 13. cap. 1. & 2.* decernentis Christum Redemptorem nostrum sacramentum illud suis verbis instituisse, & de sacramento pœnitentiæ *sess. 14. cap. 1.* dicitur à *Rationes Lugo* Christo post resurrectionem institutum; certum est autem Christum hominem, vt homo erat, locutum ibi, resurrexisse, & discessisse ad Patrem.

Tertio ratione, quia vt aliquis absolutè dicatur instituere non est necesse, vt putabat Vasquez, quod nullo modo acceperit ab alio potestatem id instituendi, nec quod præcesserit decretum superioris; nam Sanctus Benedictus, Sanctus Franciscus, Sanctus Ignatius dicuntur Auctores, & Institutores suarum Regularum, quorum consilij tamen auctor fuerat Deus.

28 Verum ex hactenus decursis, & ex ipsa etiam auctoris huius dicendi methodo patet, concertationem hanc non vocalem, sed realem esse; nam imprimis, vt patet litteram inspicienti, quamuis fate- *Obuiam itur Lugo* atur Scotus id, quod supponit Lugo, scilicet, posse quempiam ex diuina delegatione designare materias, & formas pactum ineunte Deo de dando gratiam, non quidem his verbis, sed alijs *litteræ D q 3 d. p. huius quarti § quantum autem*, &c. ad huc realis est concertatio; quia designare materias, & formas; & certitudinem dare signo sunt duo admodum diuersa, non quidem voce tenus, sed reipsa, vt liquet; porrò instituere solum sacramenta dicitur, qui certitudinem signo dare potest, in qua signi ratione formalitas sacramenti constituta est; vide Scotum ibi patentissimè id statuentem.

29 Neque fundamentum Scoti est id præcipuum, quod Lugo refert; sed id quod *loco citato*, vrget, nimirum. Nemo potest sacramentum formaliter instituere, qui certitudinem signo sensibili, quod est materia, & forma sacramenti, dare nequit: at nulla creatura dare potest si- *Scotus perperam a Lugo citatus* gnis sensibilibus certitudinem gratiæ conferendæ; ergo nulla creatura potest sacramentum instituere. Minor suadetur, nam is dare certitudinem practico signo (de hoc enim loquimur) potest; qui in sua potestate habet significatum illius signi; at nulla creatura habet in sua potestate significatum signi, quod est in sacramento, nulla ergo creatura signo illi practico certitudinem dare potest,

Minor subscripti dilemmatis probatur; quia nulla creatura habet in sua potestate gratiam, quæ est effectus, & signatum signi sacramenti, cur autem nulla creatura id in sua potestate habeat probauerat Scotus *q. 1. prima dist. 4.* Hoc totum est Scoticum fundamentum ibi, non id quod Lugo refert. Ratio autem illa ex Scoto à Lugo relata habetur *d. 2. huius eiusdem 4. q. 1. littera F*, vbi decernens Doctor sacramenta à solo Deo efficaciam habere in hunc modum arguit.

Scoti ratio ad formam reducitur.

30 Solus Deus sacramenta instituit; at sacramentorum efficacia non potest ab alia causa inferiori, quam ab instituente haberi; ergo à solo Deo efficaciam habent sacramenta. Pro minori probanda subsumit Doctor, quod solus Deus se determinat ad effectum sibi propriū causandum; at sacramentorum effectus sunt Dei effectus proprij; ergo ad eos se solus Deus determinat; ad probationem maioris huius secundi argumenti subsumit Auctor, quod nisi Deus se solus determinaret, sed ab alio determinaretur, iam non amplius prima, sed secunda causa esset illius effectus. Hæc est tota Scoti argumentatio ad hanc formā reducta ex loco illo; vbi, vt vides, ad efficaciam inuehendam sacramentorum in solum Deum, hæc fuerunt à Scoto illata. An autem fundamentum hoc tam leue, ac debile sit, vt rebatur Lugo, ipsius responsio declarat; quid enim quod sit moralis, vel phisica causalitas? plane de ratione cuiusque causæ primæ est, vt non determinetur à secunda, alias esset prima, & non prima, quæ implicant.

Nec est tam leuis ut retur Lugo.

31 Rursum; quamuis non esset de ratione causæ primæ, vt supponit Lugo, vt ipsa determinet omnes de qua re supersedendum in præsentia, vtpotè ad disputationem de concursu primæ cum secundis causis spectante, planè de ratione primæ causæ est, vt non determinetur ab alia, alioquin non esset prima causa, quia determinata esset ab alia, quæ in casu diceretur prima.

32 De fundamento Vasquezij non laboramus, vtpote toto in voce posito, laborarent Nominales. Ipsa etiam Lugo fundamenta inania sunt; nam primum, & secundum in idem recidens distinctione ruit: Christus vt homo specificatiuè sumitur, & reduplicatiue, vt dicebamus *Disputatione de Communicatione Idiomatum Tomo nostro de Incarnatione*, & Christus idem vt homo specificatiuè, non efficienter, sed meritoriè sacramenta instituisse dicitur tantum; si autem absolutè id dicatur à Patribus egisse, ob cōmunicationem idiomatū propositiones concedimus, non aliter.

Diluuntur fundamenta Lugo.

Auctor Tom. 1.

33 Ad tertium autem, si omnino retur Lugo ad institutionem satis esse signorū designationem; quamquam præit decretum Dei, & pactum, non dissentimus, sed vt monet Scotus *d. illa p. q. 3. littera E, &* F, completa institutio quo expescit, impositionē, scilicet, signi ad significandū practice, & certitudinis ad significandum largitionem; in qua præcipue sita est efficacia signorum; & proinde institutio vera sacramenti omnino à creatura propellenda est.

Solutio. 3

34 Fateor difficultatem huius capitis fuisse pergrandem; quo factum est, vt Nostrates etiam Scotistæ à Scoto parum deuiantes in diuersa se tulerint effata; nam missis quæ à Fabro sunt dicta, Tataretus in primis Scotum in oppositam trahere conatur sententiam, CARDINALIS CLEMENS à Monelia *in tract. de Sacramentis in genere cap. 2.* auctoritate Augustini allata perterritus cōcludit. *Harum duarum opinionum adhære, quæ est magis consona determinationi Ecclesiæ &c.* Recentes Scotistæ post Franciscum de Herrera *in suo 4.* oppositam sententiam de potestate delegata verentur negare. Sat tamen ex dictis mihi videtur elucidata; nec Tataretum vereor in re, in qua Bassolium, & Maironum habemus pro Scoto Scoti viuentis discipulos, quos sequitur Ioannes à Rada *Contr. 2 quarta part. art. 1.* & Cardinalis illius subscriberem monitis, si hucusque de hoc suum tulisset Ecclesia sensum, quem tamen non tulit, nec Herreristæ laborem ingerunt, dum nec plenè Herrera in tractatu de sacramentis Scotizat, vt dicetur disputatione de causatione gratiæ in sacramentis.

Dissidium Scotistar. a Scoto.



QVÆ

QVÆNAM FVERIT CAVSA *sacramentorum meritoria.*

CAPVT II.



Concilij Tridentini doctrina

35 DIsputatio præsens ad tertium sententiarum reuocanda est; quo de Christi merito disceptant Scolastici; est enim citra controuersiam Christum Dominum sacramentorum meritoriam causam extitisse, & sacramenta ipsa ex Christi passione efficaciam habere; quā doctrinam patenter indicat Tridentinum Concilium *sess. 6. de iustif. cap. 7.* dum Christum Dominum per suam passionem meritoriam ait nostræ iustificationis causam; hæc autem iustificatio per sacramenta datur; vnde & sacramenta per Christi merita dari, iuxta illud assertum generale; *quod est causa causæ est causa causati*, asserere necessarium est, & ratio eadem, quam nos fusè satis loquentes de satisfactione & merito Domini nostri prosequuti fuimus, hoc adstruit; quia scilicet decreuit Deus non remittere culpam, nec dare adiutorium homini aliquod, nisi per aliquod oblatum sibi, quod esset tam gratum, quam ingrata fuit offensa; at hoc solum fuit Christi passio; ergo per illam disposuit Deus remittere culpam, & dare adiutorium homini; sed tale adiutorium est sacramentum Ecclesiæ, ergo à primo ad vltimum per Christi passionem decreuit sacramentum dari, proindeque ex illa sumunt sacramenta efficaciam.

Scotica monitio adnotabilis

36 Ex hoc elicit Scotus quoddam animaduersione dignissimum; nempe institutionem sacramentorum fuisse vtique actum misericordiæ Dei erga humanum genus; quia homini inimico talia, tantaque supponere remedia maximæ misericordiæ effectus est, sed & fuisse actum maximæ iustitiæ, quia scilicet, dilectissimæ personæ, qualis erat Christus, acceptare obsequium præstitum pro homine, magnæ iustitiæ actus est.

Alia petitio

Recentiorum sensus

37 Vtrum autem aliquis alius à Christo potuerit esse causa meritoria sacramentorum. Negant Recentes cum Vasquezio *disp. 175. cap. 2. in fine*, ex illo, vt reor, principio; quia necessum putant hominem reparari per Christum, ita vt per alium etiam volente Deo reparari non posset. At iuxta meam doctrinam *in 3. sent.* sicuti dictum est potuisse purum hominem facere Deo satis pro homine lapso, ita dicendum, si Deus puri hominis oblationem acceptasset, potuisse ex illa efficaciam suam sacramenta habere, non decuisse tamen ob rationem allatam; si namque decuit, vt pro offensa tam ingrata dilectissimæ personæ obsequium acceptaretur, solius Christi, in quo Pater sibi complacuit oblationem acceptari ad efficaciam sacramentorum maximè congruum fuit.

Sensus auctoris

38 Hanc veritatem hæc conturbant obiecta. Primum: sacramenta ab Augustino sexcentis in locis, at præcipuè *tract. 120. in Ioan.* & *lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 26.* ex vulnere inflicto lateri Christi manasse dicuntur; at vulnus illud inflictum fuit Chisto iam vita functo iuxta illud Ioan. 19. *Ad IESVM autem cum venissent, & uidissent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit &c.* quo tempore meritum Christi cessarat, vt abunde docent *in 3. sent.* Theologi terminum meriti Christi in vitæ termino sigillantes, ergo non videntur sacramenta à Christo habere efficaciam, neque Christus videtur meritoria illorum causa.

Obiecta in oppositum primum

39 Præterea, si è Christo efficacitatem traxere sacramenta, profectò è Christi patientis merito, sed hoc concesso hæc sequuntur incommoda; primum, gratiam non esse gratiam; quia daretur ex meritis, quod nomini gratiæ obstat, quę ideo gratia dicitur; quia gratis datur. Secundum, Baptismum, & Eucharistiā, quorum institutionem ante Christi mortem legimus, toto Christi viuentis tempore inania fuisse, ac vana; quinam enim à morte Christi trahere illa valorem potuissent, si Christi mortem antecesserunt? Hæc habet Scotus *d. 2. q. 1.* licet non sub hac forma, & verbis.

Secundum

40 Obsistendum tamen primo, per Hiperbolem dici sacramenta è latere Christi manasse; verè enim ex illo vulnere efficaciam illa nequaquam traxerunt ob rationem allatam, sed à Christi passione traxisse valorem; ea verò dici è latere manasse; quia per aquam, & sanguinem, quibus hians Christi latus manauit, duorum sacramentorum sensibiles res exprimuntur; sanguis enim verè

Occurritur primo

est

est in Eucharistiæ sacramento, & aqua aptissima est baptismatis materia; dicendum ergo fluxisse à lateris vulnere sacramenta per similitudinem, non per valorem.

Soluitur secundo

41 Obsistendum secundo, negando illa sequi incommoda; primum præcipue; nam gratia non ideo dicitur gratia; quia gratis omnino datur, hoc enim assertum de sola vnionis gratia verum est iuxta illud Augustini 13. *de Trinitate: in rebus per tempus ortis nulla maior gratia, quam quod homo fieret Deus, & Deus homo, &c.* sed ideo dici gratiam, quia non habet causam de condigno in eo, cui confertur; potest tamen habere causam de cōgruo in recipiente, & de condigno in extrinseco merente.

Diluitur secundum dupliciter

42 Ad secundum duplici respōsione obuius est Scotus, prima quarum est, omnia sacramenta traxisse valorem à morte Christi exhibita non per actum exteriorem, sed per actum interiorem voluntatis, scilicet eligentis mori; at hic actus ab ipso conceptionis instanti fuit in Christo iuxta illud Pauli, *& ingressus in mundum dixit. holocaustum, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Et propterea tam sacramentum Baptismi, & Eucharistiæ, quod mortem Christi antecessit, per actum externum, quam alia sacramenta, quæ subsecuta sunt Christi mortem exhibitam in Cruce æqualem ab eadem morte valorem traxerunt. Secunda responsio est, sacramenta nouæ legis omnia viuente Christo minorem habuisse efficaciam, quam post mortem; nec refert; quoniam instituta erant tunc, sed non pro tunc; sed pro eo tempore, quo habitura erant efficaciam, prima responsio est pro verbi præconibus, hæc secunda pro Scolasticis.

Petitio de sacramentis veteris legis

43 Sed quid de sacramentis veteris legis, numquid illa ab alio, quam à Deo instituta fuerunt, vel saltem potuerunt institui? num quid à Christi morte efficaciam traxerunt? Hæc dubiola iuxta propriam de sacramentis veteris legis tam naturæ, quam Mosaicæ vniuscuiusque sententiam dilui possunt, nam, qui nullum in lege naturæ sacramentum signo sensibili addictum volunt facilè ab hac se difficultate exemptos norunt, negantes quid à Deo institutum tunc temporis pro sacramento; quiue circumcisionem è verorum sacramentorum numero ablegant, licet illam à Deo fateantur institutam, non tamē ob efficacitatem hoc inuehunt, sed vt nobilitatem signi distinctiui Iudæi populi à gentibus ex Deo institutore metiantur. Nobis vero; qui & sacramentum in vnoquoq; statu approbauimus verum, & circumcisionem verum sacramentum adiudicauimus dicendum ex præiacta doctrina, à Deo vtrumque sacramentum verum vtriusque legis institutum, nec ab alio quàm à Deo potuisse institui; cum nullus alius à Deo certitudinem signis illis dare potuisset, non est enim difformiter de sacramentis nouæ, & veteris legis quoad hanc partem sentiendum.

Auctoris sententia.

44 Ex hoc elice tu contra eos, qui Christi humanitatem ineptè satis putant institutricem causam sacramentorum nouæ legis; quod si rei excellentia, ac nobilitas penes auctorem etiam metienda est; tanto essent vetera saramenta nobiliora, quam præstantior est Deus, vt Deus, quam Christus vt homo. Ad aliud de efficacia dicendum meritum Christi tantum fuisse, vt pro omnibus datum fuerit quoad sufficientiam, electis vero omnibus quoad efficaciam; pro omnibus itidem sacramentis efficaciam dedisse Christum dicendum est, siue illa veteris, siue nouæ legis: nec refert quod nondum fuerit Christi passio exhibita,; quia sufficit Christi passio præuisa, vt egregiè docet Scotus *d. 2. q. 1. littera l.* quo loco etiam docet, Christi passionem maiorem efficaciam commodare sacramentis nouæ, quam veteris legis; quoniam plus valet obsequium præstitum, quam præuisum. Hactenus de causa meritoria.

Consectaria dilberum





DE

DE CAVSA MINISTERIALI

An soli homines sint sacramentorum Ministri.

CAPVT III.



Homines ordinarij sacramentorum ministri

45 HOmines ordinario iure constitutos esse à Deo sacramentorum ministros tam dilucidè docuit Paulus 1. Corinth. 4. *sic nos existimet homo, vt Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, hoc est sacramentorum, vt nefas sit de hac ueritate dubitare; immo ex ipsa Dei institutione probatur solis hominibus sacramentorum mynisterium demandatum. Hominibus enim dictum est: *euntes &c. baptizantes eos in nomine Patris, &c.* hominibus dictum est: *hoc facite in meam commemorationem, &c* hominibus dictum est: *quorum remiseritis peccata, &c.* hominibus dictum est: *Non licet dimittere vxorem suam, &c.* & sic de cæteris.

46 Numquid autem hæc ueritas fide stabilita sit ita, ut soli homines possint sacramenta ministrare, & non alius ab homine; mitto Hereticos, qui demonibus etiam ministerium competere sacramentorum cum Lutero *libro de abroganda Missa priuata* contendunt; mitto alios eiusdem Farinæ, qui econtra cum Caluino *in Antidoto Concilij Tridentini Canone. 10. sess. 7.* neque in necessitatis casu permissum esse aiunt laicis sacramentum extremæ necessitatis, quale est baptismus, administrare; sed solos legitime uocatos. Inter Catholicos occurrunt Recentes aliqui, qui hanc ueritatem, etsi non est expresse definita, tantam esse rentur, vt oppositum erroris nota condamnent. Ita Vasquezius *disp. 138. cap. 1.* asserens ministrum sacramentorum debere esse hominem, Angelum autem esse non posse, licet deinde *numero* 8. vel t baptismum ratum debere haberi, quem constet ab Angelo datum. Subscribit Suarez *disp. 13. sect. 1.* addens, nec animam à corpore segregatam, nec Sanctos Angelos esse sufficientes sacramentorum ministros; licet hic assertionem hanc non arbitretur tanta censura dignam, vt errorem velit esse oppositum.

Error Lutheri & Caluini

Vasquezij, & Suarezij sententia

47 Vt nostra sententia aperiatur obserua primum; aliud esse loqui de quidditate, aliud de qualitate personarum, quibus ministerium competit sacramentorum; constat enim personas ministras sacramentorum debere esse homines; at numquid hac, vel illa facultate præditos non constat: vt hoc autem pateat, obserua non omnes homines eodem modo designatos esse sacramentorum ministros; Aliqui namque ad hoc vt rectè ministrent, ita vt sacramentum verum sit, ac ratum debent præconsecrari; nisi enim consecrati fuerint omnino nullum est sacramentum ab eis factum, vel datum; aliqui vero è contra possunt esse ministri, dummodo homines sint ijs conditionibus referti, quas infra memorabimus, & huius rei veritas elucescit experimento; nam sacramentum Penitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ Vnctionis à solo potest Sacerdote ministrari, ita vt ministratum à Laico nullum sit. Nec refert casus ille, quem de pænitente quodam vulgus tulit, qui cum dedita opera à Socio, cuius vxorem violarat is pænitens ad quendam obsessum duceretur, qui Deo permittente omnium peccata propalabat, vti confessione obsessi peccatum eius agnoscens, ipsum vna cum vxore necare licitè posset, dum copiam non habuit Sacerdotis in quodam stabulo stabulario ipsi sua confessus est peccata, vnde obsessus peccata eius reticens dixit ipsum in stabulo sanctificatum, non refert, inquam, nam si vera sunt hæc, is sanctificatus dicendus est virtute contritionis, non virtute pænitentiæ sacramenti, quod à Laico nusquam dari potest; vnde Concilium Tridentinum *sess. 7. de sacramentis in genere can.* 10 anathema dicit ijs, qui dixerint Christianos omnes in omnibus sacramentis ministrandis potestatem habere contra Lutherum. Sacramentum Ordinis, & Confirmationis à solo Episcopo conferri potest; quamuis enim quandoque simplices Sacerdotes confirmasse legamus, quomodo hoc autem factum sit, & fieri potuerit dicetur loco suo. Matrimonij sacramentum ipsi contrahentes, dummodo fideles sint, nam inter infideles est vtique matrimonium quoad vinculum, non quoad sacramentum, & ipsi contrahentes sunt inuicem ministri. Baptismus autem à quocumque dari potest ijs facultatibus infra ponendis

Obseruatio prima

Distinctio notabilis.

Casus ?? ?? vulgi ridetur,

prædi-

prædito.

48 Obserua secundum, cum in ministerio sacramentorum intercedat aliqua actio ministri necesse sit, necessum pariter esse ministrum in primis virtute motiua pellere; secundo, cum verba necessaria sint ad formam sacramentorum, ipsaque debeant à ministro proferri, necessum est ministrum locutione esse præditum. Tertio cum minister debeat saltem intendere in sacro ministerio, quod Ecclesia intendit; necessum est ipsum rationis vsu insignire. Horum trium necessitas ex ijs, quæ sacramenta nouæ legis integrant, eliciuntur; quare cum ex Concilio Florentino in decreto Eugenij sacramenta omnia perficiantur tribus, puta, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & ministro cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; nisi minister virtutem habeat motiuam, materiam applicare non poterit; nisi loqui possit, verba, & formam proferre non poterit, nisi vsum rationis habeat, sed vel sit infans, vel amens, vel demens; intendere opus ab Ecclesia intentum non poterit. Tres hæ igitur conditiones in vniuersum necessario expetuntur ad constituendum verum, ac realem sacramentorum ministrum in vnoquoque sacramento; sicut materia forma & intentio vnumquodque sacramentum constant.

Tres conditiones in ministro expetitæ explicantur

49 Hisce suppositis assero, solos homines constitutos esse ministros sacramentorum, sed non omnes. Assertio duplici parte constat. Prima adstruit solos homines ministros sacramentorũ, & hanc puto non esse de fide, nec oppositum eius esse errorem contra Vasquez. Secunda ait nõ omnes homines esse ministros sacramẽtorũ & hæc est de fide diffinita in Concilio Tridentino *can. & sess. citata* contra Lutherum, & alios eius temporis hæreticos. Auspicemur probationem secundæ partis. Homines aliqui deficiunt in vsu rationis, in virtute motiua, vel in locutione; at hæc tria necessaria sunt in vnoquoque sacramento ministrando; tales igitur à ministerio segregantur. Maiorem docet experimentũm, minorem fides in Concilio Florentino; ergo conclusio de fide est, nam ex vna scita, & altera credita, sequitur conclusio credita. Præterea ex institutione Christi non omnibus dictum est, *quorum remiseritis &c. Hoc facite in meam commemorationem &c.* sicuti omnibus dictum est, *nisi quis renatus fuerit denuo &c.* nam primum dictum est Apostolis tantum, & successoribus eorum, nempe Præsbiteris, & Episcopis: secundum vnicuique homini; ergo non omnium sacramentorum omnes homines censendi sunt ministri. Priorem partem asserti, quo capite docet solos homines esse sacramentorum ministros, in vestibulo huius capitis probauimus confirmarique ea potest duplici coniectura tradita à Scoto *dist. 6. q. 1. littera C*, quarum prima est; quia minister quoad fieri potest institutori conformis esse debet; at homo solus conformatur sacramentorũ institutori, qui fuit Christus pariter homo. Secunda est quia in sacramentis est quid spirituale, & quid sensibile; continet enim rationem signi sensibilis, & gratiam; quare dari ea congruum videtur à ministro vtente sensu, & intellectu, qualis est homo solus: & hæc secunda congruentia, me iudice, potior est; nam primã dilueret quis dicendo, Christum, non qua homo erat, sed qua Deus erat, sacramenta instituisse, non ergo ipsi conformem esse ministrum.

Assertio præcipua duplicem habet partem

Probatur secunda pars.

Probatur prima pars ex Scoto

Prima probatio leuis

Alij congruentiam proportionis à suscipiente venantur arguendo. Soli homines sunt sacramentorum capaces, ergo soli homines sunt sacramentorum ministri, vt proportio inter ministrum, & subiectum capax seruetur, quia scilicet agens non introducit formam, nisi in subiectum, & passum sibi proportionatum. Omnes tamen leues sunt, vt patet, cum ratio potissima ex Deo instituente ducenda sit. Quoad aliam vero partem, qua docuimus oppositum huius non esse errorem, prob. tur assertio. Si oppositum huius damnandum est errore, quæro, an errore contra fidem, an errore contra scientiam? at neutro horum; ergo nullo modo damnandum est: probo Minorem. Is in primis est error contra fidem, qui directo contra fidei decreta siue ab Ecclesia, siue à Deo tradita repugnat; at neque Christus, neque Ecclesia articulũ de hac re edidit; quod scilicet soli homines possint ministrare sacramenta, ergo non est is error contra fidem: subsumpta minor patet; quia nullibi inuenitur hæc assertionis particula. Maiorem autem nemo iret inficias; quia sicuti vbi non constat de decreto, non est facile imponenda obligatio, ita vbi non constat de decreto, non est facile imponenda erroris sententia. Adde ex ipsa nominis energia patere, errorem in fide illum esse, qui pugnat contra fidei asserta.

Aliorum probationes inutiles

Probatio illationis primæ partis

Por-

Alterius partis probatio.

50 Porrò neque eum esse errorem in scientia, probatur. *Tria sunt*, quæ constituunt sacramentũ materia, forma, & intẽtio ministri; at hæc possunt ministrari à nõ homine, ergo alius ab homine potest sacramenta ministrare. Si vtraque præmissarum sit vera, si neutra sit error, neq; conclusio erit error in scientia; sed ipsa quoque vera erit. Veritatem autem vtriusque probo; Maioris quidem ex Concilio Florentino docente sacramentã perfici tribus, rebus, verbis, & intentione ministri ad modum, quo nos supra expressimus; minoris autem; quia Angelus potest vti rebus, proferre verba, intendere opus ab *Ecclesia* intentum, qui tamen non est homo; quod ue hæc omnia posit patet, quia in corporibus assumptis potest exempli gratia abluere caput alicuius applicando aquam, potest proferre verba, vti *in lib. Tobiæ* Angelus allocutus est multos, potest etiam intendere, quod intendit Ecclesia, vtpotè ratione præditus; quare omnia potest, quę homo potest: vt quid igitur segregari à ministerio debet, ita ut nullũ putetur sacramentũ ab eo datũ? porrò nullũ putandum esset, si hæc omnia nõ posset.

Responsio Thomistarum eluditur.

51 Scio Thomistas responsuros ex doctrina S. Thomæ 1. *parte*, *quæst.* 51. *art.* 3. ex defectu locutionis Angelos à ministerio sacramentorum segregari; ipsi enim, quamuis sonum efficere queant verbis similem, verba tamen proferre non possunt. Hanc tamen responsionem flocci-faciendam docent ea, quæ *in* 2. *sent.* diximus disputatione illa, quærente, *An Angelus in corpore assumpto exercere opera vitæ queat*; qua diximus, cum locutio nihil sit aliud, nisi emissio vocis cum motu labiorum; motum hunc autem Angelus efficere queat, posse vtique loqui. *Ad* rem factum; nam si *Angelus* baptizaret quempiam, sciscitor an baptismus ille ratus habendus esset, necne? Si primum concesseris conuenimus. Ego n. ex hoc deduxero validũ quoq; sacramẽti illius Angelũ fuisse ministrũ, si secũdũ dixeris, arguã sic. Nõ est maior ratio de vno, quã de alio sacramento; immò & melius sic; de quo minus videtur inesse, & inest per regulam dialecticã; ergo & de quo magis; sed alia sacramenta minus videntur posse ministrari ab *Angelo*, & tamen ministrata vera, & rata sunt; ergo de baptismo multo magis; qui cum sit extremæ necessitatis latiori spatio à ministro quocumque dari potest. Minorem actio producta probat; nam ordinatio, quæ à solo Episcopo dari potest, aliquando ab *Angelo* data est; siquidem refert Niceph. *lib.* 11. *Histor. cap.* 20. quendam fuisse consecratum Episcopum ab *Angelo* in hęremo, cuius ordinationem ratam habuerunt cæteri illius temporis Episcopi. Scotus hoc alio casu conuincit, scilicet, quia Michael *Archangelus* prohibuit Episcopo dedicare Ecclesiam in monte Gargano, asserens à se dedicatam fuisse. Hoc non videtur exemplum ad rem, quia consecratio Ecclesiarum non est sacramentum, sed sed sacramentale: vt Scoti vero assertum sustineas dic Scotum adduxisse id ad similitudinem, non in exemplum. Insuper, quamuis dedicatio non sit sacramentorum, est tamen actus ordinis, qui est sacramentum.

Factum ab Eusebio relatum.

Augustini testimonium insigne.

52 Demum adest insigne Augustini testimonium *lib.* 2. *contra Epist. Parmenian. cap.* 15. vbi habet. *Quod pertinet ad baptismi sanctitatem, adest Deus, qui det, & homo, qui accipiat; siuè per seipsum donante Deo siue per Angelum, siuè per hominem sanctum, siuè per hominem iniquum, &c.* Huic testimonio respondet Vasquez illud non esse de baptismo intelligendum, sed de sanctitate per baptismum; contendit enim Augustinus probare posse hominem non interposito homine diuinitus aliquid accipere, nõ dicit sacramentum, sed aliquod donum, quia scilicet, per hominem, vel *Angelum* verbo, & persuasione mouere solet. Hæc tamen responsio in primis *Augustini* testimonium pro libertate contorquet; nam *Augustinus* præmiserat disputationem contra Parmenianum, vtrum posset dare baptismum, qui non acceperat; & totum quoad præsentem sensum caput prosequitur; quare apertissime de baptismi sacramento loquitur. Præterea ipsa verba *Augustinum* declarant, aiunt enim, *quod pertinet ad baptismi sanctitatẽ &c.* at sanctitas baptismi non nisi per baptismum datur, etsi enim possit Deus, iustificare sine baptismo infantem; non tamen daret illi sanctitatem baptismi, sed sanctitatem eam, quam per baptismum habuisset, si baptismum recepisset. Preterea implicat intelligere recipere sanctitatem per baptismum, & non recipere baptismum, at Vasquez ait loqui ibi de sanctitate per baptismum, non de baptismo; quare responsio eius sibi ipsi contraria dicit, quia perticula *per* habet rationem causæ; ergo si Deus ibi dicitur dare sanctitatem per baptismum à ministro homine, vel Angelo implicat intel-

Responsio Vasquez nulla.

Et conuincitur ex ipso Augustino.

intelligere; quod non dicatur ibi dari baptismũ à ministro homine, vel Angelo.

Appendix de anima separata.

54 Cæterum sit huius veritatis appendix, quod in fronte totius capitis præcecimus, nos non hic de lege ordinaria loqui, dum posse Angelum quoque sacramenta ministrare diximus, sed absolute; ordinario enim iure solius hominis ministrare sacramenta interest, vt dictum est. Animam autem à corpore segregatam ad hoc munus assumi non posse, cum materiam, & formam applicare non possit sentiendum esse docet Suarez *loco citato*, & Lugo *disp.* 8. *sect.* 1. ea ratione potissimum, quia anima sic considerata non est homo, & in hanc sententiam citari posset Scotus *d.* 6. *cit.* vbi docet nullum suppositum naturæ intellectualis habens tres conditiones præcitatas excludi à ministerio baptismi; ex quo deducere quis posset, quod, cum anima non sit suppositum, non posse baptizare, deductio tamen falsa est, cum assertio Scoti non sit exclusiua, sed inclusiua, hoc est, cum Scotus suppositũ vtique naturæ intellectualis in rationem ministerij includat, sed animã non excludat, quare propositio eius non est exclusiua quoad alios. Tu ergo si tres illas conditiones in anima nancisci poteris, hoc munus ab ipsa non euelles, euelles tamẽ ob rationem eam, quia anima separata non loquitur, nec tres illas conditiones habet; nec refert non esse hominem, sed refert non habere illas conditiones, quas supra memorauimus.

Petitio de homine extra statum viæ.

55 Sed quid dicendum de homine glorioso, & generatim de homine nõ viatore? Certum est in primis characterem baptismatis, confirmationis, ac ordinis vtpote indelebilem etiam in patria manere, & in animabus corporibus suscitatis manere, vt de eius peremnitate suo loco dicetur; est ergo difficultas, an qui sunt in termino, siue patriæ cælestis, siue infernorum possint valide sacramenta ministrare; puta an Sacerdos à mortuis excitatus consecrare, an Episcopus ordinare, an alij siue beati, & comprehensores, siue pœnis æternis ascripti alicuius alterius sacramenti ministerium exercere? Negant Recentes, & præcipue Lugo *disp* 8. *sect.* 1. *num.* 3. ea ratione potissimum, qua putant ita sacramenta instituta ab initio, vt ad sui valorem statum viatoris ex parte ministri expostulent, & hanc rationem vrgent exemplis sacramenti Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis; nam illud imprimis palam facit, ad valorem sacramenti experi statum viatoris in ministro, quandoquidem post diem iudicij sacerdotes omnes retenturi sunt characterem nec tamen fiet, vt consecrare possint, nedum panis, ac vini deficiente materia, sed ex defectu potestatis, quæ accepta est ad consecrandum in hoc mundo ante iudicij diem, vnde Paulus 1. *Corinth. cap.* 11. *Quotiescunque manducabitis, &c. mortem Domini annunciabitis, donec tum Lu-ueniat.* Obseruanda sunt verba extrema, quibus dilucide satis ea, quæ dicta sunt, patent, & de Sacramento vnctionis extremæ declamat eius illius Iacobus *in sua Canonica* ritum describens duo statuit; primum inducendos esse presbiteros Ecclesiæ, qui pro infirmo orent vngentes cum oleo. Alterum, orationem fidei saluaturam Infirmum; at certum est comprehensorem, siue etiam damnatum non esse Ecclesiæ presbiterum, sed fuisse: similiter in patria, & in Inferno non mansuram fidem certissimum est. De matrimonio res magis dilucida est, cuius vinculum per mortem tollitur. De ordine hoc idem patet, quoniam quis credere potest Episcopũ exempli gratia damnatum posse confirmare, vel ordines conferre alteri damnato?

Fundamentum Lugo.

Sententia Scoti.

53 Verum non arbitror à Scoti doctrina recedendum statuente simpliciter singulos triplici illa conditione præditos, intentione videlicet, virtute motiua, & loquela posse sacramenta ministrare, doctrina vtpote in Florentino Concilio patenter fundata; quamuis tot annorũ curriculis ante illud à Scoto tradita; quia si requiritur ad sacramenti structuram materies, ac res, motiua virtus in ministrante requiritur; quis enim materiam accommodabit formæ? si requiritur forma, & verba, plane loquela ministri requiritur; si intentio exposcitur ex Concilio, & hæc necessario à Scoto exposcitur, qui exinde consequenter statuit omne suppositum intellectualis naturæ posse esse sacramentorum ministrum: & fundamentum Lugo inane est, tuncque constructum, cum ei ad suæ opinionis structuram opus fuit; status enim viatoris non in ministro, sed in suscipiente exposcitur ea ratione potissima; quia de facto sacramenta instituta sunt ad medelam, quæ in statu viæ solum habet locum, siue autem medela hæc a viatore, siue ab eo, qui extra statum viatoris sistit applicetur ægroto ad ullorem medelæ nihil facit; non enim dicuntur sacramenta Ecclesiæ militantis, quia

Et Probatur.

Fundamentum Lugo euertitur.

quia debent ministrari ab ijs, qui sunt intra eam; sed quia ministranda sunt intra eam.

56 Nec exempla à Lugo lata ad rem faciunt, quippe quæ singula transeunt ab hoc viæ ad illum termini statũat nos hic petimus, sicut, & ipse petit, licet inde aliò digrediatur; an in hoc statu validè ministrari queant sacramenta à comprehensore, vel damnato dummodo triplici illa conditione prædito; hinc ad primũ quidquid sit de sacerdote post diem Iudicij, certè si nunc Sacerdos à mortuis uocaretur consecrare posset, ut prius; nec aliud Pauli sonat auctoritas, nisi in uia ministrandum esse hoc sacramentũ; an autem ab existente in uia, non loquitur Paulus.

Occurritur Lugo

Ad secundum fateor, ita loqui de ministro Iacobum; at scio etiam eũ regulariter loqui, nos uero de possibili, non de facto; quia de facto uiatores solum comperimus ministros. Quod inde subditur, *fidei orationem saluaturam Infirmum*, conuincit solum quod diximus, nimirum sacramenta ministranda uiatori, qui solus æger est medelæ capax, non extra uiam constituto, qui nullus est capax medicinæ. De matrimonio autem secus dicendum, siquidem cum in eo sacramento idem sit suscipiens, & minister, cum in statu patriæ nullus sit futurus suscipiens, proinde nullus illius futurus est minister.

Satisfit secundo argumento

Difficultas de Episcopo damnato uana est; quoniam, vt dixi, non de ea potestate, quam habere dicuntur, uel non habere extra statum uiæ degentes erga alios similiter in eo statu extra uiam manentes loquimur, sed erga uiatores, unde etsi negamus Episcopum talem posse alium confirmare, uel ordinare damnatum, si tamen is Episcopus uiatores confirmaret, vel ordinaret dummodo triplici illa conditione polleat, nescio quo fundamento inualidum diceretur sacramentum.

57 Non eo tamen inficias generatim congruere, vt sacramenta ministrentur uiatoribus à uiatore ministro, & egregiè probat Scotus *d. 6. q. 1. littera C.* sed hic non congruitatem nos, sed possibilitatem, ac valorem dimensi sumus, de facto autem talia plura ex Dei prouidentia, euenisse passim testantur Historiæ; vide Nicephorum *lib. 11. Histor. cap. 20.* referentem Sanctum Amphilochium ab Angelo in Episcopum consecratum, vide Stapletonum *in collectaneis* testantem ex relatione Indorum Patriarchæ Sanctũ Thomã Apostolum singulis annis consueuisse Indorum populo sacram tribuere Synaxim. Vide Cardinalem Baronium *Annalium tom. 8 ad annum Domini 610.* recensentem Ecclesiam in Anglia à Beato Apostolo Petro consecratam. Supereffent rationes diluendæ, si quæ essent, sed prædicta doctrina responsa ad quamcũque vel magnam difficultatem in præsenti disputatione præstolatur.

Conclusio ex dictis.

Nicephorus Stapletonus Baronius





L 2 Q 1

DE CONDITIONIBVS IN *Ministro expetitis ad sacramenta danda.*



CAPVT IV.

58 Hoc caput duplici ex capite difficultaté habet; quemadmodú ex duplici fonte conditiones in Ministro desideratæ promanant; aliquæ scilicet respectu operis fac endi, aliquæ vero respectu sui: ad primum caput inuestigatio illa spectat, an ministri intentio sit necessaria ad sacramenta, & quænā; ad aliud vero, an probitas, fidesque sit necessaria in Ministro, & hæc omnia quidem, non vt rectè sacramentum detur; sed ut sit sacramentum datum firmum, ac ratum, propterea præsens caput in dupl cem secamus articulum, primusque erit de probitate, ac fide, alter de intentione. *Titulus quæstis.*

AN FIDES, ET PROBITAS SIT *necessaria in Ministro, vt sacramentum sit ratum.*

ARTICVLVS I.



59 DVÆ sunt humani animi potestates, quarum vitio malitia sequitur, & improbitas; intellectus scilicet, ac voluntas; quamuis enim e vo luntate omnis bona, vel mala actio propendeat; contingit etiam ex errore intellectus voluntatem ad praua deflectere, quippequæ nihil appetit, nisi præcognitum; quapropter misericors Deus intellectui fidem, voluntati gratiam destinauit quorum habituum defectus sequitur improbitas; defectum fidei error infidelitatis, vel hæresis, defectum charitatis, & gratiæ peccatum. De vtroque sensu articulum disputando prosequimur; & primo de ministro fide destituto habente hæresis errorem. Simpliciter nullum esse sacramentum ab Hæretico datum, siue etiam à Scismatico, cui fides deficit, & proinde fidem necessariam esse in ministro, vt sacramentú verum fiat præter Donatistas Hereticos, quorum Malleum se præstitit Augustinus peculiaribus tractatibus infra citandis, Luciferianos, & Anabaptistas; procul dubio senserunt Episcopi omnes Africani tempore Cypriani Martyris, qui eodem Cypriano auctore in Concilio 1. Cartaginiense coacti singuli in eandem su scripsere sententiam baptizatos ab Hęreticis iterum baptizandos, qua propter sine difficultate senserunt fidem in sacramentorum ministro necessariam. Magister quoque sent. in 4. dist. 13. sentire visus est Sacerdotes hæreticos, & scismaticos sacramentum Eucharistiæ non cóficere; inque eius sentétiá propensum esse Scotum putat Franciscus Suarez disp. 77. sect. 2. & de Cofirmatione sentiunt Innocentius primus *epistola* 8. *cap.* 3. *de Hæreticis*, & Leo PP. *epistola* 35. & Concilium Cartaginense citatum. *Donatistarum Luciferianorum, Anabaptistarum error.* *Magistri sent. lapsus.*

60 Vt veritas elucescat obserua, diuersam esse rationem de sacramento baptismatis, & alijs sacramentis; cum illud sit extremæ necessitatis, quamuis enim & pænitentia necessaria sit, non tamen nisi existente lapsu, loquendo de necessitate sacramenti, quapropter baptismus latiorem debet habere ministrum, vt securius accipiatur, & hanc ob causam concessimus supra Angelos quoque baptizare posse, & si constaret de diuino præcepto validum quoque habendum esset baptisma à Diabolo datum, dummodo in essentialibus non fierit defectus; de hoc igitur sacramento minorem deberet quis habere difficultatem; sed quia hucusque termonem de sacramentis in genere contextum prosequimur, generatim loquendum est, & multa sunt manu mittenda in proprium locum si oportuerit discutienda. *Obseruatio necessaria.*

61 Est igitur ad præsentem articulum simpliciter dicendum, fidem in ministris sacramentorum non esse simpliciter necessariam; ita vt ex eius carentia nullum sit habendum sacramentum collatum, dummodo necessaria ad integritatem sacramenti seruentur, scilicet *Assertio negans necessariam esse fidem in ministro.*

cet materia, forma, & intentio.

62 Hanc assertionem tradiderunt plerique Pontifices præcipue Innocentius 1. *epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ*, Leo 1. *epist. 35. ad Leonē Episcopum Rauennatem.* *Siricius epist. 1. ad Himericū Tarraconēsem cap. 1.* vt habentur *in tomo 1. Conciliorum*, & Concilium Cartaginense tertiū circa tempora Siricij Papæ *can. 38.* hanc veritatem statuit sub his verbis. *Illud autem suggerimus mandatum nobis, quod non liceat fieri rebaptizationes, quod etiam in plenaria Synodo Capuensi videtur statutum &c.* quænam autem fuerit, & quando hæc Synodus Capuensis, nullibi compertum est, in singulis enim tribus Conciliorum tomis Capuensis Synodus desideratur; nec mirum, nam neque nomē Synodi diffinitū est, aliqui n. illā vocant Synodū Carpensē, aliqui Synodū Capsensē, vt videre est *tom. 1. Conciliorum Concilio Carthag. 3. sub Siricio Papa ad marginē can 38.* & fortasse rebaptizationum vocabulum *in can. citato* non ad solum Hæreticorum baptisma, sed ad Catholicorum; quia scilicet & Catholici iterari baptismum posse sentiebant, refertur; nihil enim certi statuitur de quibus rebaptizationibus loquatur.

Probatur auctoritate Pontificum.

Et Conciliorum.

63 Hoc tamē certū est de baptismo iuxta Augustini placitum haberi Concilij generalis diffinitionem statuentis fidem in ministro non esse necessariam, ita vt validum omnino censendum sit baptisma datum ab Hereticis, infidelibus, scismaticis &c. Ad hanc veritatem statuendam Augustinus integra consumpsit volumina, scripsit enim libros peculiares contra Cresconium grammaticum, scripsit & libros de baptismo contra donatistas, scripsit, & tract. 7. supra memoratos in Ioannem perpetuo hanc veritatem inculcans, baptismum ab heretico datum validum esse; quia talis est baptismus, qualis is, cuius nomine, non cuius ministerio datur, datur autem nomine Christi. vel Trinitatis, non nomine ministri, & ob hanc causam *tom tract. citato in Ioan. tam lib. 5. de baptismo contra donat. cap. 13.* negat voluisse Christum dare ministris baptizandi potestatem, hoc est concedere, vt ministrorum baptismus nomenclaturam ab ipsis traheret ministris, sicuti baptismus à Ioanne datus dicebatur baptismus Ioannis, quia scilicet à quocumque detur semper est baptismus Christi. Porro statuam esse Concilij plenarij de hac re sententiam docet Augustinus *lib 1. de baptismo contra donatistas cap. 18. & lib. 2. cap. 9.* vbi habet hæc verba. *Postea tamen dum, veritas inter multos ex vtraque parte tractatur, & quæritur, non solum inuenta est, sed etiam ad plenarij Concilij auctoritatem, roburque deducta, post Cypriani quidem passionem, sed antequam nos nati essemus.* Hæc ille, licet quale Concilium illud plenarium fuerit non exprimat. Cardinalis Bellarminus *lib. 1. de sacramentis in genere, c. 26.* memoratum plenarium Concilium putat esse Nicenum primum, quod solū è generalibus Augustini tempora antecessit, subscribitque illi Vasquez *loco citato.* Sed certe Nicena Synodus sub Sylvestro, & Constantino *can. 19.* hęc tantum habet. *Si quis confugit ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis, & Cathaphrigis, statutum est rebaptizari eos debere, &c.* quod decretum non est exclusiuē quoad alios; quamuis enim ut optime declarauit Innocentius *1. epist. 22. circa medium*, non possit ex illo decreto colligi, quod si decernitur rebaptizandos Paulianistas, idem hoc decernatur de aliis hæreticis, & ego inquam, neque excluduntur hæretici expressē, nō enim decernitur non esse rebaptizandos alios hæreticos; proinde sententia, quam Augustinus ait in plenario Concilio diffinitam, non expressē in Nicena Synodo decreta: fortasse igitur Augustinus de illo Capuensi, siue Carpensi, seu Capsensi Concilio, quod plenarium appellatur à Concilio tertio Carthaginense locutus est, nisi forte mauis asserere locutum Augustinum de primo Concilio Carthaginensi sub Grato Episcopo tempore Siluestri, uel Marci Papæ; quod *can. 1.* decreuit illicitas esse rebaptizationes, quod ideo plenarium fortè Augustinus dixit, quia respectu synodi congregatæ à Cypriano abundantius fuit, pluresque eo confluxere Patres, vel si pauciores saltem vnionem habuere maiorem, & hac ratione plenarium dici potuit. Quidquid de hoc sit, Recentes contendunt hanc assertionem à fide decretam in Concilio Trid. *sess. 7. can. 11. de sacramentis in genere*, quo dicitur anathema putantibus non esse valida sacramenta data à ministro in mortali, sub quo peccato mortali putant inclusum etiam hæresis peccatum; sed hallucinantur; nam peccatum hæresis nunquam nisi specifica de eo habeatur ratio sub generali peccatorum mortalium regula continetur, vt nimis supra genus, alioquin æquè posset à culpa hæresis sacerdos quiuis absoluere, sicut ab omni læthali peccato.

Et Augustini.

De quo Concilio locutus Augustinus expositio Bellarmini, & Vasquez.

Explicatio Auctoris.

Recentiū probatio.

Ad

qualis est Deus, cuius est determinare secundam ad actus, foret causa secunda, quia à creatura determinaretur; conuincitur ergo nullo modo posse alium à Deo quempiam sacramenta instituere: hoc tamē argumētū cribrabitur inferius.

14 Si dicas ad præcedentem discursum de signo falso; non sequi Deum approbaturum signum falsum, sed effecturum, vt signum falsum fieret verum ex suo pacto cum creatura. Non valet; quia implicat signum falsum esse verū sine mutatione, quemadmodum si hæc propositio, *Franciscus sedet*, Francisco stante, sit falsa; nisi Franciscus sedeat per Dei opem vera esse non potest; nisi igitur gratiam causet Deus, signum esset falsum; sed causando gratiam Deus mutaret signatum, & sic non ex ratione signi; neque ex ratione creaturæ instituentis, sed aliunde veritatem adipisceretur, ex quo capite institutionem diceretur haberet manet ergo afferti nostri veritas illibata, nullum alium à Deo posse sacramenta instituere.

Obiectio & eius præoccupatio.

15 Hanc tamen veritatem, cuius oppositum sustinent Recentiores cum Soto in 4. d. p. q. 5. art. 4. & Francisco Suarezio disp. 12. sect. 2. hæc contrarbare videntur obiecta partim è Sanctorum Patrum, partim è Scolasticorum valuis, partim è ratione deducta. Augustinus in primis *tract. 5. in Ioannem* apertissimo testimonio hanc potestatem communicari creaturæ posse confessus est per hæc verba *Potuit autem Dominus noster Iesus Christus, si vellet dare potestatem alicui seruo suo, vt daret baptismum suum, tamquam vice sua, & transferret a se baptizandi potestatem, & constitueret in aliquo seruo suo, & tantam vim dare baptismo translato in seruum, quantam vim haberet baptismus datus à Domino. Hoc noluit, ideo vt in illo esset spes baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent &c.* Postmodum Diuus Thomas 3. p. q. 64. art. 4. & Sanctus Bonauentura cum Richardo d. 5. 4. hoc idem astruere visi sunt; sed & cum eis consensisse Scotus videtur d. p. q. 3. littera D, vbi non negat Deum hanc potestatem non potuisse committere, sed non congruum esse, ait enim. *Nec congruit quod Deus committat inferiori se instituere sacramentum, in quantum certum signum: nec Deus esset approbator signi falsi: vel æquiuoci.* Hæc ille, quibus non ob impotentiam, sed ob incongruentiam hoc falsum esse negat.

Oppositum probant Recentes.

Augustini testimonium.

Citatur pro Recentibus Scotus

16 Præterea: non magis implicat communicare creaturæ potestatem instituen di sacramenta, quam potestatem faciendi miracula, & gratiam pro libito largiendi; at hæc potestas elargita est humanitati Christi, potuitque elargiri etiā alteri puro homini, cum nulla sit repugnātia maior in communicanda hac potestate supposito creato, quam naturæ creatæ, ergo & illa communicari potuit Maior est euidens; quia vterque effectus est eiusdem ordinis, vt patet, Minorem autem vt alio loco probatam supponunt Recentes.

17 Vt his autem occurramus, nullo alio indigemus à præiactis fundamentis: & in primis quidquid sit de opinione Sancti Thomæ, & Sancti Bonauenturæ *loco cit.* quam tamen ad optimam possumus reuocare frugem dicendo, vel locutos illos fuisse de institutione sacramenti sub ratione signi præcisa, non sub ratione certi signi, & efficacis, vt re uera loquitur S. Bonauentura; vel locutos de potestate excellentiæ, quæ an meritoriè, an efficienter se habuerit digladiantur Sancti Thomæ Interpretes; ipse tamen aperte docet *art. illo 4. citato in corpore*, potestatem excellentiæ habere se meritoriè; ait enim, *& talem potestatem excellentiæ potuit ministris communicare dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, vt eorum meritum operetur ad sacramentorum effectus, &c.* quibus cum de merito loquatur, de potestate meritoria, non efficientiæ potestate locutus est: sed hæc Interpretes eius viderint. Nos Scoti sententiam aperiamus, & is, vt patet ex littera D. tam dilucide negat posse sacramenta ab alio, quam à Deo institui, vt nefas sit de eius sententia dubitare; nec allata verba efficiunt; ceterum, dū ait non congruere, non negat non posse, sed rationem congruentiæ, quare non possit, adducit.

Occurritur Recentibus.

Vindicatur Scotus ab ipsorum sententia.

18 Plus negotij facessit nobis Augustini allatum testimonium; quod aperto ore confiteri videtur posse hanc potestatem creaturæ committi: ab eius tamen vi facile se expedit Faber Fauentinus *disp. 4. cap. 3.* loqui ibi aiens Augustinum de potestate excellentiæ, quam Christus habebat, vt homo, non de potestate, quam habebat vt Deus, & pro inde loqui de Christo, non de Deo, non est autem dubium, vt ipse ait, posse Deum dare creaturæ potestatem instituendi sacramenta meritoriè, quia quidquid competit Christo, vt homini, competere potest alijs creaturis. Sed hæc euasio est, non responsio, Augustini testimonium nullo modo eneruans; Augustinus enim

Faber quid ad auctoritatem Augusti ni?

enim patentissimè loquitur de Christo Deo; quia ante allata verba discrimen ponens inter baptismum Ioannis, & Christi, ait tale baptisma Domini, qualis Dominus; ergo baptisma Domini diuinum, quia Dominus Deus; hæc ibi, quibus immediatè connectit allata verba, *potuit autem Dominus noster &c.* vt signo euidentissimo declararet se de Christo Deo locutum, non de humanitate Christi; vnde paulò ante prædixerat, baptisma tale esse, qualis est ille, in cuius potestate datur; ex quo colligit Christi baptismum diuinum, quia in potestate Dei datur; quare de Christo Deo loquitur Augustinus. Vasquez *loco citato*, bifariam videtur præfatæ Augustini sententiæ facere satis, primo Augustinum loqui de sacramento translato à Christo in seruum; vt ab ipso Christo haberet virtutem nō à seruo; & proinde non putasse institutionem sacramenti à Christo in seruū ita potuisse transferri, vt ipse Christus illud non institueret; nam qui fieri posset, vt illi vim tribueret, & illud non institueret?

Vrgetur Augustini auctoritas

Responsio Vasquez duplex

Secundo, respondet Augustinum loqui de potestate baptizandi inuocato nomine ipsius; eo quod posset Christus efficere, vt quis baptizaret dicens *Ego te baptizo in nomine meo*, & similiter non inuocato nomine Christi, & ita Augustinum velle potuisse hoc fieri; sed noluisse Christum, ne baptizati ponerent spem in baptizante.

19 Neutra tamen responsio plenè difficultatem tollit; non prior, quia dilucidè Augustinus ait posse Dominum trāsferre à se potestatem baptizandi; & constituere in aliquo seruo suo; quid est autem transferre à se potestatem hanc, nisi quodammodo se illa potestate priuare? hæc autem potestas in Christo non ad exercitium refertur; quia hæc est potestas ministerij, sed ad institutionem refertur, & ad valorem signi; quod autem subdit *tantam virtutem daret &c.* supple tu, vt sensus germanus pateat asserti Augustini, velle ipsum, per Christum potuisse etiam dari seruo, vt baptismus suus tanti valoris esset, quanti baptismus Christi, quo casu seruus diceretur delegata auctoritate instituere, vt videtur sonare auctoritas. Nec altera respōsio textui quadrare videtur, vbi de nomine, in quo datur baptismus nulla mentio: adde ibi poni differentiam inter baptismū Ioannis, & Christi, at Christi baptismus non est institutus in nomine Christi, sed vt daretur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, si ergo de hac potestate locutus esset Augustinus debuisset dicere, quod potuisset Christus trāsferre à Patre, Filio, & Spiritu sācto, in quorū nomine datur baptismus; baptizādi potestatē in serui nomē; quod tamē nec sub vmbra quidē Augustinus ibi tāgit.

Vtraque læditur

20 Ego, vt hanc rem aperiam obseruo, institutum Augustini eo capite esse venari discrimen inter Ioannis baptismum, & Christi, in cuius rei gratiam postulat Augustinus, cur baptismus datus à Ioanne vocetur baptismus Ioannis, baptismus vero Christi datus à Petro non dicatur baptismus Petri, sed Christi? licet & ipse baptismus datus à Ioanne de Cælo fuerit; quia ipse Ioannes testatur Ioannis 1. *Qui me misit baptizare &c.* Hanc dubitationem euellens Augustinus ait, fuisse donatum Ioanni, vt ipsius baptisma diceretur, at noluisse Christum donare seruis, vt ipsius baptisma diceretur ipsorum; quare noluisse? quia non decebat, vt in illo esset spes baptizatorum, à quo se baptizatos agnoscerent. Hæc est Augustini sententia, quam inculcat in sequentibus illius capitis verbis aiens, *tantam potestatem baptismatis dominum habiturum, ne Paulus diceret baptisma meum, ne Petrus diceret baptisma meum &c. sicut dicebat Ioannes baptisma suum.* Potuit ergo Christus facere, vt baptismus datus à Petro diceretur baptisma Petri, datus à Paulo diceretur Pauli; atque adeo potuit transferre à se baptizandi potestatem, idest transferre nomenclaturam, ac determinationem baptismatis, collocando illam in Petro, vel Paulo, & efficere, vt eundē effectum haberet illud baptisma, ac id quod appellatur baptismus Christi; sed noluit, ne in Petro, vel Paulo, ponerent spem baptizati; insuper ne tot essent baptismata, quot essent serui, & hæc est germana verborum Augustini interpretatio, quæ nullius roboris esse ad oppositū nostræ sententiæ auctoritas ipsa conuincit, & hanc esse Augustini mentē patet etiā *ex lib. 5. de baptismo cōtra Donatistas cap. 13.*

Responsio Auctoris & eius doctrina

Augusti. textus interpretatur.

21 *A*llatæ rationis in oppositum pro Recentibus difficultatem, ac robur eneruabimus distinguendo de potestate, alia namque effectrix est simpliciter, alia meritoria: tunc ad minorem Augustini eo modo concedemus concessum humanitati Christi, vt sacramenta posset instituere, quo miracula patrare, & gratiam largiri, meritoriè scilicet, nō efficienter; caterū de hac difficultate in

Soluitur nodus difficultatis oppositæ

Occurritur secundæ auctoritati. dicit, non efficientem causam ex ipso sermonis vsu, ac rigore; gratia ergo facta est per Christum hominem, facta est à Christo Deo; refert autem dicere, gratia sit per Christum, & gratia sit à Christo, est ergo auctoritas potius ad oppositum.

Ambrosij auctoritas nobis fauet. Ambrosij etiã testimoniũ, siue Christi, siue Iesu nomẽ vsurpet, ex quo tamẽ in nomine sita res est, ex sequẽtibus declaratur, vtique enim auctor sacramentorum est Dominus Iesus, at non quà homo; sed quà Deus, propterea subdit Ambrosius. *è cælo ista sacramenta venerunt;* at Christus quà homo non venit e cælo; sed quà Deus, ergo auctor sacramentorum quà Deus, qui venit e cælo, e quo sacramenta venerunt, non quà homo, qui de terris venit, e quibus sacramenta non venerunt.

Doctrina Lugo 26 Pater Lugo *disp. 7. sect. 2* vniuersam litem arbitratur esse de nomine, nam Scotus (inquit) non negat posse aliquem ex delegatione Dei designare materias, & formas sacramẽtorum pacificente Deo se daturum per illa signa sensibilia gratiam; negat solum ratione potestatis illius homini nem illum dici posse simpliciter sacramenta instituere; quæ est contentio vocalis, non realis. Citat pro Scoto Vasquezium, licet arbitretur fundamentum Vasquez; longe distare à fundamento Scoti, nam Vasquezij ratio est; quia instituere est rem aliquam inchoare, & ab initio statuere, quę significatio creaturæ non potest competere, quæ solum ex decreto, ac delegatione Dei diceretur instituere sacramentum quod obinde non primo à creatura, sed à Deo diceretur per illam delegationem institui. Scoti vero ratio est; quia in casu sequeretur Deum determinari à creatura ad gratiã causandam, & propterea causam secundam fore primam, & primam secundam quod fundamentum (inquit Lugo) leue est, quia hæc causatio est moralis, & rursum, si esset phisica, non est de ratione causæ primæ, quod ipsa determinet omnes.

Sententia eiusdem 27 Ponit exinde suam sententiam affirmantem Lugo, statuitque potuisse sacramenta ad alio homine delegato à Deo institui, quam tripliciter probat: primo auctoritate Patrum, & Scolasticorum, qui ita censent sacramenta instituta à Christo homine, non à Christo Deo, alias non oportebat nominare Christum, sed omnes personas Trinitatis sic Ecclesia canit. *Dedit frag libus corporis ferculum dedit, &c.* & post aliqua, *sic sacrificium illud instituit, &c.* in quibus ille idem, qui dixit *accipite, & bibite,* dicitur instituisse; at illa verba dixit Christus, vt homo, ergo vt homo instituit.

Secundo auctoritate Concilij Tridentini *sess. 13. cap. 1. & 2.* decernentis Christum Redemptorem nostrum sacramentum illud suis verbis instituisse, & de sacramento pænitentiæ *sess. 14. cap. 1.* dicitur à Christo post resurrectionem institutum; certum est autem Christum hominem, vt homo erat, locutum ibi, resurrexisse, & discessisse ad Patrem. *Rationes Lugo*

Tertio ratione, quia vt aliquis absolutè dicatur instituere non est necesse, vt putabat Vasquez, quod nullo modo acceperit ab alio potestatem id instituendi, nec quod præcesserit decretum superioris; nam Sanctus Benedictus, Sanctus Franciscus, Sanctus Ignatius dicuntur Auctores, & Institutores suarum Regularum, quorum consilij tamen auctor fuerat Deus.

28 Verum ex hactenus decursis, & ex ipsa etiam auctoris huius dicendi methodo patet, concertationem hanc non vocalem, sed realem esse; nam imprimis, vt patet litteram inspicienti, quã nuis fateatur Scotus id, quod supponit Lugo, scilicet, posse quempiam ex diuina delegatione designare materias, & formas pactum ineunte Deo de dando gratiam, non quidem his verbis, sed alijs *litteram D q 3 d. p. huius quarti § quantum autem, &c.* ad huc realis est concertatio; quia designare materias, & formas; & certitudinem dare signo sunt duo admodum diuersa, non quidem voce tenus, sed re ipsa, vtliquet; porrò instituere solum sacramenta dicitur, qui certitudinem signo dare potest, in qua signi ratione formalitas sacramenti constituta est; vide Scotum ibi patentissimè id statuentem. *Obuiam itur Lugo*

29 Neque fundamentum Scoti est id præcipuum, quod Lugo refert; sed id quod *loco citato*, vrget, nimirum. Nemo potest sacramentum formaliter instituere, qui certitudinem signo sensibili, quod est materia, & forma sacramenti, dare nequit: at nulla creatura dare potest signis sensibilibus certitudinem gratiæ conferendæ; ergo nulla creatura potest sacramentum instituere. Minor suadetur, nam is dare certitudinem practico signo (de hoc enim loquimur) potest; qui in sua potestate habet significatum illius signi; at nulla creatura habet in sua potestate significatum signi, quod est in sacramento, nulla ergo creatura signo illi practico certitudinem dare potest. *Scotus per Lugo citatum*

K 2 Maior

QVÆNAM FVERIT CAVSA

sacramentorum meritoria.

CAPVT IX.



35 Disputatio præsens ad tertium sententiarum reuocanda est; quo de Christi merito disceptant Scolastici: est enim citra controuersiam Christum Dominum sacramentorum meritoriam causam extitisse, & sacramenta ipsa ex Christi passione efficaciam habere; quā doctrinam patenter indicat Tridentinum Concilium *sess. 6. de iustif. cap. 7.* dum Christum Dominum per suam passionem meritoriam ait nostræ iustificationis causam; hæc autem iustificatio per sacramenta datur; vnde & sacramenta per Christi merita dari, iuxta illud assertum generale; *quod est causa causæ est causa causati*, asserere necessarium est, & ratio eadem, quam nos fusè satis loquentes de satisfictione, & merito Domini nostri prosequuti fuimus, hoc adstruit; quia scilicet decreuit Deus non remittere culpam, nec dare adiutorium homini aliquod, nisi per aliquod oblatum sibi, quod esset tam gratum, quam ingrata fuit offensa; at hoc solum fuit Christi passio; ergo per illam dispesuit Deus remittere culpam, & dare adiutorium homini; sed tale adiutorium est sacramentum Ecclesiæ, ergo à primo ad vltimum per Christi passionem decreuit sacramentum dari, proindeque ex illa sumunt sacramenta efficaciam.

Concilij Tridentini doctrina

36 Ex hoc elicit Scotus quoddam animaduersione dignissimum; nempe institutionem sacramentorum fuisse vtique actum misericordiæ Dei erga humanum genus; quia homini inimico talia, tantaque supponere remedia maximæ misericordiæ effectus est, sed & fuisse actum maximæ iustitiæ, quia scilicet, dilectissimæ personæ, qualis erat Christus, acceptare obsequium præstitum pro homine, magnæ iustitiæ actus est.

Scotica monitio adnotabilis

37 Vtrum autem aliquis alius à Christo potuerit esse causa meritoria sacramentorum. Negant Recentes cum Vasquezio *disp. 175. cap. 2. in fine*, ex illo, vt reor, principio; quia necessum putant hominem reparari per Christum, ita vt per alium etiam volente Deo reparari non posset. At iuxta meam doctrinam *in 3. sent.* sicuti dictum est potuisse purum hominem facere Deo satis pro homine lapso, ita dicendum, si Deus puri hominis oblationem acceptasset, potuisse ex illa efficaciam suam sacramenta habere, non decuisse tamen ob rationem allatam; si namque decuit, vt pro offensa tam ingrata dilectissimæ personæ obsequium acceptaretur, solius Christi, in quo Pater sibi complacuit oblationem acceptari ad efficaciam sacramentorum maximè congruum fuit.

Alia petitio

Recentiorum sensus.

Sensus auctoris

38 Hanc veritatem hæc conturbant obiecta. Primum: sacramenta ab Augustino sexcentis in locis, at præcipue *tract. 120. in Ioan. & lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 26.* ex vulnere inflicto lateri Christi manasse dicuntur; at vulnus illud inflictum fuit Christo iam vita functo iuxta illud Ioan. 19. *Ad IESVM autem cum venissent, & vidissent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit &c.* quo tempore meritum Christi cessarat, vt abunde docent *in 3. sent.* Theologi terminum meriti Christi in vitæ termino sigillantes, ergo non videntur sacramenta à Christo habere efficaciam, neque Christus videtur meritoria illorum causa.

Obiecta in opposi tum primum

39 Præterea, si à Christo efficacitatem traxere sacramenta, profectò è Christi patientis merito, sed hoc concesso hæc sequuntur incommoda; primum, gratiam non esse gratiam; quia daretur ex meritis, quod nomini gratiæ obstat, quæ ideo gratia dicitur; quia gratis datur. Secundum, Baptismum, & Eucharistiā, quorum institutionem ante Christi mortem legimus, toto Christi viuentis tempore inania fuisse, ac vana; quin enim à morte Christi trahere illa valorem potuissent, si Christi mortem antecessere? Hæc habet Scotus *d. 2. q. 1.* licet non sub hac forma, & verbis.

Secundum

40 Obsistendum tamen primo, per Hiperbolem dici sacramenta è latere Christi manasse; verè enim ex illo vulnere efficaciam illa nequaquam traxerunt ob rationem allatam, sed à Christi passione traxisse valorem; cū verò dici e latere manasse; quia per aquam, & sanguinem, quibus hians Christi latus manauit, duorum sacramentorum sensibiles res exprimuntur; sanguis enim verè est

Occurritur primo

DE CAVSA MINISTERIALI

An soli homines sint sacramentorum Ministri.

CAPVT III.



Homines ordinarij sacramentorum ministri

45 HOmines ordinario iure constitutos esse à Deo sacramentorum ministros tam dilucidè docuit Paulus 1. Corinth. 4. *sic nos existimet homo, vt Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, hoc est sacramentorum, vt nefas sit de hac ueritate dubitare; immo ex ipsa Dei institutione probatur solis hominibus sacramentorum mynisterium demandatum. Hominibus enim dictum est: *euntes &c. baptizantes eos in nomine Patris, &c.* hominibus dictum est: *hoc facite in meam commemorationem, &c* hominibus dictum est: *quorum remiseritis peccata, &c.* hominibus dictum est: *Non licet dimittere vxorem suam, &c.* & sic de cæteris.

Error Luteri & Calvini

46 Numquid autem hæc ueritas fide statuta sit ita, ut soli homines possint sacramenta ministrare, & non alius ab homine; mitto Hereticos, qui demonibus etiam ministerium competere sacramentorum cum Lutero *libro de abroganda Missa priuata* contendunt; mitto alios eiusdem Farinæ, qui econtra cum Calvino *in Antidoto Concilij Tridentini Canone. 10. sess. 7.* neque in necessitatis casu permissum esse aiunt laicis sacramentum extremæ necessitatis, quale est baptismus, administrare; sed solos legitimè uocatos. Inter Catholicos occurrunt Recentes aliqui, qui hanc ueritatem, etsi non est expresse definita, tantam esse rentur, vt oppositum erroris nota condamnent. Ita Vasquezius *disp. 138. cap. 1.* asserens ministrum sacramentorum debere esse hominem, Angelum autem esse non posse, licet deinde *numero* 8. vel e baptismum ratum debere haberi, quem constet ab Angelo datum. Subscribit Suarez *disp. 13. sect. 1.* addens, nec animam à corpore segregatam, nec Sanctos Angelos esse sufficientes sacramentorum ministros; licet hic assertionem hanc non arbitretur tanta censura dignam, vt errorem velit esse oppositum.

Vasquezij, & Suarezij sententia

Obseruatio prima

47 Vt nostra sententia aperiatur obserua primum; aliud esse loqui de quidditate, aliud de qualitate personarum, quibus ministerium competit sacramentorum; constat enim personas ministras sacramentorum debere esse homines; at numquid hac, vel illa facultate præditos non constat: vt hoc autem pateat, obserua non omnes homines eodem modo designatos esse sacramentorum ministros; Aliqui namque ad hoc vt rectè ministrent, ita vt sacramentum verum sit, ac ratum debent præconsecrari; nisi enim consecrati fuerint omnino nullum est sacramentum ab eis factum, vel datum; aliqui vero è contra possunt esse ministri, dummodo homines sint ijs conditionibus referti, quas infra memorabimus, & huius rei veritas elucescit experimento; nam sacramentum Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ Vnctionis à solo potest Sacerdote ministrari, ita vt ministratum à Laico nullum sit. Nec refert casus ille, quem de pænitente quodam vulgus tulit, qui cum dedita opera à Socio, cuius vxorem violarat is pænitens ad quendam obsessum duceretur, qui Deo permittente omnium peccata propalabat, vti confessione obsessi peccatum eius agnoscens, ipsum vna cum vxore necare licitè posset, dum copiam non habuit Sacerdotis in quodam stabulo stabulario ipsi sua confessus est peccata; vnde obsessus peccata eius reticens dixit ipsum in stabulo sanctificatum, non refert, inquam, nam si vera sunt hæc, is sanctificatus dicendus est virtute contritionis, non virtute pænitentiæ sacramenti, quod à Laico nusquam dari potest; vnde Concilium Tridentinum *sess. 7. de sacramentis in genere can.* 10 anathema dicit ijs, qui dixerint Christianos omnes in omnibus sacramentis ministrandis potestatem habere contra Lutherum. Sacramentum Ordinis, & Confirmationis à solo Episcopo conferri potest; quamuis enim quandoque simplices Sacerdotes confirmasse legamus, quomodo hoc autem factum sit, & fieri potuerit dicetur loco suo. Matrimonij sacramentum ipsi contrahentes, dummodo fideles sint, nam inter infideles est vtique matrimonium quoad vinculum, non quoad sacramentum, & ipsi contrahentes sunt inuicem ministri; Baptismus autem à quocumque dari potest ijs facultatibus infra ponendis prædi-

Distinctio notabilis.

Casus [illegible] vulgi ridetur.

Alterius partis probatio.

50 Porrò neque eum esse errorem in scientia, probatur. *Tria sunt*, quæ constituunt sacramentũ materia, forma, & intẽtio ministri; at hæc possunt ministrari à nõ homine, ergo alius ab homine potest sacramenta ministrare. Si vtraque præmissarum sit vera; si neutra sit error, neq; conclusio erit error in scientia; sed ipsa quoque vera erit. Veritatem autem vtriusque probo; Maioris quidem ex Concilio Florentino docente sacramentá perfici tribus, rebus, verbis, & intentione ministri ad modum, quo nos supra expressimus; minoris autem; quia Angelus potest vti rebus, proferre verba, intendere opus ab *Ecclesia* intentum, qui tamen non est homo; quod vę hæc omnia posit patet, quia in corporibus assumptis potest exempli gratia abluere caput alicuius applicando aquam, potest proferre verba, vti *in lib. Tobiæ* Angelus allocutus est multos, potest etiam intendere, quod intendit Ecclesia, vtpotè ratione præditus; quare omnia potest, quę homo potest: vt quid igitur segregari à ministerio debet, ita ut nullũ putetur sacramentũ ab eo datũ? porrò nullũ putandum esset, si hæc omnia nõ posset.

Responsio Thomistarum eluditur.

51 Scio Thomistas responsuros ex doctrina S. Thomæ 1. *parte*, *quæst.* 51. *art.* 3. ex defectu locutionis Angelos à ministerio sacramentorum segregari; ipsi enim, quamuis sonum efficere queant verbis similem, verba tamen proferre non possunt. Hanc tamen responsionem flocci faciendam docent ea, quæ *in* 2. *sent.* diximus disputatione illa, quærente, *An Angelus in corpore assumpto exercere opera vitæ queat*; qua diximus, cum locutio nihil sit aliud, nisi emissio vocis cum motu labiorum; motum hunc autem Angelus efficere queat, posse vtique loqui. *Ad* rem factum; nam si *Angelus* baptizaret quempiam, sciscitor an baptismus ille ratus habendus esset, necne? Si primum concesseris conuenimus. *Ego* n. ex hoc deduxero validũ quoq; sacramẽti illius Angelũ fuisse ministrũ, si secũdũ dixeris, arguã sic. Nõ est maior ratio de vno, quã de alio sacramento; immò & melius sic; de quo minus videtur inesse, & inest per regulam dialecticã; ergo & de quo magis; sed alia sacramenta minus videntur posse ministrari ab *Angelo*, & tamen ministrata vera, & rata sunt; ergo de baptismo multo magis; qui cum sit extremæ necessitatis latiori spatio à ministro quocumque dari potest, aliquando ab *Angelo* data est; siquidem refert Niceph. *lib* 11. *Histor. cap.* 20. quendam fuisse consecratum Episcopum ab *Angelo* in heremo, cuius ordinationem ratam habuerunt cæteri illius temporis Episcopi. Scotus hoc alio casu conuincit, scilicet, quia Michael *Archangelus* prohibuit Episcopo dedicare Ecclesiam in monte Gargano, asserens à se dedicatam fuisse. Hoc non videtur exemplum ad rem, quia consecratio Ecclesiarum non est sacramentum, sed sed sacramentale: vt Scoti vero assertum sustineas dic Scotum adduxisse id ad similitudinem, non in exemplum. Insuper, quamuis dedicatio non sit sacramentorum, est tamen actus ordinis, qui est sacramentum.

Factum ab Eusebio relatum.

Augustini testimonium insigne.

52 Demum adest insigne Augustini testimonium *lib.* 2. *contra Epist. Parmenian. cap.* 15. vbi habet. *Quod pertinet ad baptismi sanctitatem, adest Deus, qui det, & homo, qui accipiat; siuè per seipsum donante Deo siue per Angelum, siuè per hominem sanctum, siuè per hominem iniquum, &c.* Huic testimonio respondet Vasquez illud non esse de baptismo intelligendum, sed de sanctitate per baptismum; contendit enim Augustinus probare posse hominem non interposito homine diuinitus aliquid accipere, neq; dicit sacramentum, sed aliquod donum quia scilicet, per hominem, vel Angelum verbo, & persuasione mouere solet. Hæc tamen responsio in primis *Augustini* testimonium pro libertate contorquet; nam *Augustinus* præmiserat disputationem contra Parmenianum, vtrum posset dare baptismum, qui non acceperat; & totum quoad præsentem sensum caput prosequitur; quare apertissime de baptismi sacramento loquitur. Præterea ipsa verba *Augustinum* declarant, aiunt enim, *quod pertinet ad baptismi sanctitatẽ &c.* at sanctitas baptismi non nisi per baptismum datur, etsi enim possit Deus, iustificare sine baptismo infantem; non tamen daret illi sanctitatem baptismi; sed sanctitatem eam, quam per baptismum habuisset, si baptismum recepisset. Preterea implicat intelligere recipere sanctitatem per baptismum, & non recipere baptismum, at Vasquez ait loqui ibi de sanctitate per baptismum, non de baptismo; quare responsio eius sibi ipsi contraria dicit, quia perticula *per* habet rationem causæ, ergo si Deus ibi dicitur dare sanctitatem per baptismum à ministro homine, vel Angelo implicat intelle-

Responsio Vasquez nulla.

Et conuincitur ex ipso Augustino.

intelligere; quod non dicatur ibi dari baptismũ à ministro homine, vel Angelo.

Appendix de anima separata.

54 Cæterum sit huius veritatis appendix, quod in fronte totius capitis præcimus, nos non hic de lege ordinaria loqui, dum posse Angelum quoque sacramenta ministrare diximus, sed absolutè; ordinario enim iure solius hominis ministrare sacramenta interest, vt dictum est. Animam autem à corpore segregatam ad hoc munus assumi non posse, cum materiam, & formam applicare non possit sentiendum esse docet Suarez *loco citato*, & Lugo *disp.* 8. *sect.* 1. ea ratione potissimum, quia anima sic considerata non est homo, & in hanc sententiam citari posset Scotus *d.* 6. *cit.* vbi docet nullum suppositum naturæ intellectualis habens tres conditiones præcitatas excludi à ministerio baptismi; ex quo deducere quis posset, quod, cum anima non sit suppositum, non possit baptizare, deductio tamen falsa est, cum assertio Scoti non sit exclusiua, sed inclusiua, hoc est, cum Scotus suppositũ vtique naturæ intellectualis in rationem ministerij includat, sed animã non excludat; quare propositio eius non est exclusiua quoad alios. Tu ergo si tres illas conditiones in anima nancisci poteris, hoc munus ab ipsa non euellas; euelles tamẽ ob rationem eam, quia anima separata non loquitur, nec tres illas conditiones habet; nec refert non esse hominem, sed refert non habere illas conditiones, quas supra memorauimus.

Petitio de homine extra statum viæ.

55 Sed quid dicendum de homine glorioso, & generatim de homine nõ viatore? Certum est in primis characterem baptismatis, confirmationis, ac ordinis vtpote indelebilem etiam in patria manere, & in animabus corporibus suscitatis manere, vt de eius peremnitate suo loco dicetur; est ergo difficultas, an qui sunt in termino, siue patriæ cælestis, siue infernorum possint valide sacramenta ministrare; puta an Sacerdos à mortuis excitatus consecrare, an Episcopus ordinare, an alij siue beati, & comprehensores, siue pœnis æternis ascripti alicuius alterius sacramenti ministerium exercere? Negant Recentes, & præcipue

Responsio Lugo.

Lugo *disp* 8. *sect.* 1. *num.* 3. ea ratione potissimum, qua putant ita sacramenta instituta ab initio, vt ad sui valorem statum viatoris ex parte ministri expostulent, & hanc rationem vrgent exemplis sacramenti Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis; nam illud imprimis palam facit, ad valorem sacramenti expeti statum viatoris in ministro, quandoquidem post diem iudicij sacerdotes omnes retenturi sunt characterem nec tamen fiet, vt consecrare possint, nedum panis, ac vini deficiente materia, sed ex defectu potestatis, quæ accepta est ad consecrandum in hoc mundo ante iudicij diem, vnde Paulus 1. *Chorinth. cap.* 11. *Quotiescunque manducabitis, &c. mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Obseruanda sunt verba extrema, quibus dilucide satis ea, quæ dicta sunt, patent, & de Sacramento vnctionis extremæ declamater illius facibus *in sua Canonica* ritum describens duo statuit; primum inducendos esse presbiteros Ecclesiæ, qui pro infirmo orent vngentes cum oleo. Alterum, orationem fidei saluaturam Infirmum; sat certum est comprehensorem, siue etiam damnatum non esse Ecclesiæ presbiterum, sed fuisse: similiter in patria, & in Inferno non mansuram fidem certissimum est. De matrimonio res magis dilucida est, cuius vinculum per mortem tollitur. De ordine hoc idem patet, quoniam quis credere potest Episcopũ exempli gratia damnatum posse confirmare, vel ordines conferre alteri damnato?

Fundamentum Lugo.

Sententia Scoti.

53 Verum non arbitror à Scoti doctrina recedendum statuente simpliciter singulos triplici illa conditione præditos, intentione videlicet, virtute motiua, & loquela posse sacramenta ministrare, doctrina vtpote in Florentino Concilio patenter fundata; quamuis tot annorũ curriculis ante illud à Scoto tradita;

Et Probatur.

quia si requiritur ad sacramenti structuram materies, ac res, motiua virtus in ministrante requiritur; quis enim materiam accommodabit formæ? si requiritur forma, & verba, plane loquela ministri requiritur; si intentio exposcitur ex Concilio, & hæc necessario à Scoto exposcitur, qui exinde consequenter statuit omne suppositum intellectualis naturæ posse esse sacramentorum ministrum: & fundamentum Lugo inane est, tuncue constructum, cum ei ad suæ opinionis structuram opus fuit; status enim viatoris non in ministro, sed in suscipiente exposcitur ea ratione potissima; quia de facto sacramenta instituta sunt ad medelam, quæ in statu viæ solum habet locum, siue autem medela hæc a viatore, siue ab eo, qui extra statum viatoris sistit applicetur ægroto ad ualorem medelæ nihil facit; non enim dicuntur sacramenta Ecclesiæ militantis,

Fundamentum Lugo euertitur.

quia

quia debent ministrari ab ijs, qui sunt intra eam; sed quia ministranda sunt intra eam.

Occurritur Lugo

56 Nec exempla à Lugo lata ad rem faciunt, quippequæ singula transeunt ab hoc viæ ad illum termini statum nos hic petimus, sicut, & ipse petit, licet inde aliò digrediatur; an in hoc statu validè ministrari queant sacramenta à comprehensore, vel damnato dummodo triplici illa conditione prædito; hinc ad primũ quidquid sit de sacerdore post diem Iudicij, certè si nunc Sacerdos è mortuis uocaretur consecrare posset, ut prius; nec aliud Pauli sonat auctoritas, nisi in uia ministrandum esse hoc sacramentũ; an autem ab existente in uia, non loquitur Paulus.

Satisfit secundo argumento

Ad secundum fateor, ita loqui de ministro Iacobum; at scio etiam eũ regulariter loqui, nos uero de possibili, non de facto; quia de facto uiatores solum comperimus ministros. Quod inde subditur, *fidei orationem saluaturam Infirmum*, conuincit solum quod diximus, nimirum sacramenta ministranda uiatori, qui solus æger est medelæ capax, non extra uiam constituto, qui nullus est capax medicinæ. De matrimonio autem secus dicendum, si quidem cum in eo sacramento idem sit suscipiens, & minister, cum in statu patriæ nullus sit futurus suscipiens, proinde nullus illius futurus est minister.

Difficultas de Episcopo damnato uana est, quoniam, vt dixi, non de ea potestate, quam habere dicentur, uel non habere extra statum uia degentes erga alios similiter in eo statu extra uiam manentes loquimur, sed erga uiatores, unde etsi negamus Episcopum talem posse alium confirmare, uel ordinare damnatum, si tamen is Episcopus uiatores confirmaret, vel ordinaret dummodo triplici illa conditione polleat, nescio quo fundamento inualidum diceretur sacramentum.

57 Non eo tamen inficias generatim congruere, vt sacramenta ministrentur viatoribus à viatore ministro, & ægregiè probat Scotus *d. 6. q. 1. litera C.* sed hic non congruitatem nos, sed possibilitatem, ac valorem dimensi sumus, de facto autem talia plura ex Dei prouidentia, euenisse passim testantur Historiæ; vide Nicephorum *lib 11. Histor. cap. 20.* referentem Sanctum Amphilochium ab Angelo in Episcopum consecratum, vide Stapletonum *in collectaneis* testantem ex relatione Indorum Patriarchæ Sanctũ Thomã Apostolum singulis annis consueuisse Indorum populo sacram tribuere Synaxim. Vide Cardinalem Baronium *Annalium tom. 8 ad annum Domini 610.* recensentem Ecclesiam in Anglia à Beato Apostolo Petro consecratam. Superessent rationes diluendæ, si quæ essent, sed præiacta doctrina responsa ad quamcũque vel magnam difficultatem in præsenti disputatione præstolatur.

Conclusio ex dictis.

Nicephorus Stapletonus Baronius





DE CONDITIONIBVS IN *Ministro expetitis ad sacramenta danda.*



CAPVT IV.

Titulus quæstio,

58 HOc caput duplici ex capite difficultatē habet; quemadmodū ex duplici fonte conditiones in Ministro desideratæ promanant, aliquæ scilicet respectu operis faciendi, aliquæ vero respectu sui: ad primum caput inuestigatio illa spectat, an ministri intentio sit necessaria ad sacramenta, & quænā; ad aliud vero, an probitas, fidesque sit necessaria in Ministro, & hæc omnia quidem, non vt rectè sacramentum detur; sed ut sit sacramentum datum firmum, ac ratum, propterea præsens caput in duplicem secamus articulum, primusque erit de probitate, ac fide, alter de intentione.

AN FIDES, ET PROBITAS SIT *necessaria in Ministro, vt sacramentum sit ratum.*

ARTICVLVS I.



59 DVÆ sunt humani animi potestates, quarum vitio malitia sequitur, & improbitas; intellectus scilicet, ac voluntas; quamuis enim è voluntate omnis bona, vel mala actio propendeat; contingit etiam ex errore intellectus voluntatem ad praua deflectere, quippeque nihil appetit, nisi præcogitum; quapropter misericors Deus intellectui fidem, voluntati gratiam destinauit; quorum habituum defectus sequitur improbitas; defectum fidei error infidelitatis, vel hæresis, defectum charitatis, & gratiæ peccatum. De vtroque sensu articulum disputando prosequimur; & primo de ministro fide destituto habente hæresis errorem. Simpliciter nullum esse sacramentum ab Haretico datum, siue etiam à Scismatico, cui fides deficit, & proinde fidem nessariam esse in ministro, vt sacramentū verum fiat præter Donatistas Hereticos, quorum Malleum se præstitit Augustinus peculiaribus tractatibus infra citandis, Lucíferianos, & Anabaptistas; procul dubio senserunt Episcopi omnes Africani tempore Cypriani Martyris, qui eodem Cypriano auctore in Concilio 1. Cartaginiense coacti singuli in eandem suā scripsere sententiam baptizatos ab Hereticis iterum baptizandos; qua propter sine difficultate senserunt fidem in sacramentorum ministro necessariam: Magister quoque sent. *in 4. dist.* 13. sentire visus est Sacerdotes hæreticos, & scismaticos sacramentum Eucharistiæ non cōficere; inque eius sententiā propēsum esse Scotum putat Franciscus Suarez *disp. 77. sect. 2.* & de Cōfirmatione sentiunt Innocentius primus *epistola 8. cap. 3. de Hæreticis*, & Leo PP. *epistola 35.* & Concilium Cartaginense citatum.

Donatistarum Luciferianorum, Anabaptistarum error.

Magistri sent. lapsus.

60 Vt veritas elucescat obserua, diuersam esse rationem de sacramento baptismatis, & alijs sacramentis; cum illud sit extremæ necessitatis; quamuis enim & pænitentia necessaria sit, non tamen nisi existente lapsu, loquendo de necessitate sacramenti, quapropter baptismus latiorem debet habere ministrum, vt securius accipiatur, & hanc ob causam concessimus supra Angelos quoque baptizare posse, & si constaret de diuino præcepto validum quoque habendum esset baptisma à Diabolo datum, dummodo in essentialibus non fuerit defectus; de hoc igitur sacramento minorem deberet quis habere difficultatem; sed quia hucusque sermonem de sacramentis in genere contextum prosequimur, generatim loquendum est, & multa sunt manu mittenda in proprium locum si oportuerit discutienda.

Obseruatio necessaria.

61 Est igitur ad præsentem articulum simpliciter dicendum, fidem in ministris sacramentorum non esse simpliciter necessariam; ita vt ex eius carentia nullum sit habendum sacramentum collatum, dummodo necessaria ad integritatem sacramenti seruentur, scili-

Assertio negans necessariam esse fidem in ministro.

cet

cet materia, forma, & intentio.

Probatur auctoritate Pontificum.

62 Hanc assertionem tradiderunt plerique Pontifices præcipue Innocentius 1. *epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ*, Leo 1. *epist. 35. ad Leonē Episcopum Rauennatem.* Siricius *epist. 1. ad Himericū Tarraconēsem cap. 1.* vt habentur *in tomo 1. Conciliorum*, & Concilium Cartaginense tertiū circa tempora Siricij Papæ *can. 38.* hanc veritatem statuit sub his verbis. *Illud autem suggerimus mandatum nobis, quod non liceat fieri rebaptizationes, quod etiam in plenaria Synodo Capuensi videtur statutum &c.* quænam autem fuerit, & quando hæc Synodus Capuensis, nullibi compertum est, in singulis enim tribus Conciliorum tomis Capuensis Synodus desideratur; nec mirum, nam neque nomē Synodi diffinitū est; aliqui n. illā vocant Synodū Carpensē, aliqui Synodū Capsensē, vt videre est *tom. 1. Conciliorum Concilio Carthag. 3. sub Siricio Papa ad marginē can 38.* & fortasse rebaptizationum vocabulum *in can. citato* non ad solum Hæreticorum baptisma, sed ad Catholicorum; quia scilicet & Catholici iterari baptismum posse sentiebant, refertur; nihil enim certi statuitur de quibus rebaptizationibus loquatur.

Et Conciliorum.

63 Hoc tamē certū est de baptismo iuxta Augustini placitum haberi Concilij generalis diffinitionem statuentis fidem in ministro non esse necessariam, ita vt validum omnino censendum sit baptisma datum ab Hereticis, infidelibus, scismaticis &c. Ad hanc veritatem statuendam Augustinus integra consumpsit volumina, scripsit enim libros peculiares contra Cresconium grammaticum, scripsit & libros de baptismo contra donatistas, scripsit, & *tract. 7.* supra memoratos in Ioannem perpetuo hanc veritatem inculcans, baptismum ab hæretico datum validum esse; quia talis est baptismus, qualis is, cuius nomine, non cuius ministerio datur; datur autem nomine Christi, vel Trinitatis, non nomine ministri, & ob hanc causam tam *tract. citato in Ioan.* tam *lib. 5. de baptismo contra donat. cap. 13.* negat voluisse Christum dare ministris baptizandi potestatem, hoc est concedere, vt ministrorum baptismus nomenclaturam ab ipsis traheret ministris; sicuti baptismus à Ioanne datus dicebatur baptismus Ioannis, quia scilicet à quocumque detur semper est baptismus Christi. Porro statutam esse Concilij plenarij de hac re sententiam docet Augustinus *lib 1. de baptismo contra donatistas cap. 18. & lib. 2. cap. 9.* vbi habet hæc verba. *Postea tamen dum, veritas inter multos ex vtraque parte tractatur & quæritur, non solum inuenta est, sed etiam ad plenarij Concilij auctoritatem, roburque deducta, post Cypriani quidem passionem, sed antequam nos nati essemus.* Hæc ille, licet quale Concilium illud plenarium fuerit non exprimat.

Et Augustini.

Cardinalis Bellarminus *lib. 1. de sacramentis in genere, c. 26.* memoratum plenarium Concilium putat esse Nicenum primum, quod solū è generalibus Augustini tempora antecessit, subscribitque illi Vasquez *loco citato.* Sed certè Nicena Synodus sub Sylvestro, & Constantino *can. 19.* hęc tantum habet. *Si quis confugit ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis, & Cathaphrisis, statutum est rebaptizari eos debere, &.* quod decretum non est exclusiuè quoad alios; quamuis enim ut optime declarauit Innocentius *1. epist. 22. circa medium*, non possit ex illo decreto colligi, quod si decernitur rebaptizandos Paulianistas, idem hoc decernatur de aliis hæreticis, & ego inquam, neque excluduntur hæretici expressè, nō enim decernitur non esse rebaptizandos alios hæreticos; proinde sententia, quam Augustinus ait in plenario Concilio diffinitam, non expressè in Nicena Synodo decreta: fortasse igitur Augustinus de illo Capuensi, siue Carpensi, seu Capsensi Concilio, quod plenarium appellatur à Concilio tertio Carthaginense locutus est, nisi forte mauis asserere locutum Augustinum de primo Concilio Carthaginensi sub Grato Episcopo tempore Siluestri, uel Marci Papæ; quod *can. 1.* decreuit illicitas esse rebaptizationes, quod ideo plenarium fortè Augustinus dixit, quia respectu synodi congregatæ à Cypriano abundantius fuit, pluresque eo confluxere Patres, vel si pauciores saltem vnionem habuere maiorem, & hac ratione plenarium dici potuit. Quidquid de hoc sit, Recentes contendunt hanc assertionem à fide decretam in Concilio Trid. *sess. 7. can. 11. de sacramentis in genere*, quo dicitur anathema putantibus non esse valida sacramenta data à ministro in mortali, sub quo peccato mortali putant inclusum etiam hæresis peccatum; sed hallucinantur; nam peccatum hæresis nunquam nisi specifica de eo habeatur ratio sub generali peccatorum mortalium regula continetur, vt nimis supra genus, alioquin æquè posset à culpa hæresis sacerdos quiuis absoluere, sicut ab omni læthali peccato.

De quo Concilio locutus Augustinus expositio Bellarmini, & Vasquez.

Explicatio Auctoris.

Recentiū probatio.

Ad

64 Adde Concilium specifice de baptismo loquens diffinisse baptismum ab hæretico datum esse validum, & anathemate plectit oppositum sentientes, si igitur dum genericam tulit diffinitionem nomine peccati mortalis, hæresim quoque inclusam intelexisset, supervacaneè veritatem *sess. 7 can. 12. de sacramentis in genere* diffinitam, *can. 11. de baptismo* iterasset. Confiteor igitur, quod attinet ad baptismum, difficultatem hanc Concilij Tridentini Decreto firmatam, ita vt nefas sit amplius de illa dubitare, neque propterea Hæresis nota plectendi sunt Cyprianus, alijque viri Catholici, qui oppositum propugnauere sententiam. Pro Cypriano autem multum, diuque laborauit Augustinus *citatis locis* interdum Cyprianum redarguens, interdum commendans, plerumque excusans; quia scilicet diffinitionem illam non mordicus tenuit, nusquam enim à communione Ecclesiæ decessit, & veritas hæc nondum fuerat Ecclesiæ decreto finita, cui lubens, ac volens sese subscripsisset Cyprianus: at contra monitum de hac re fuisse Cyprianum primo à Cornelio Papa, postea à Stephano, qui post Cornelium proximè Lucio Pontifici successit, nec tamen à sua sententia recessisse, sed ant quam consuetudinem Aphricanæ Ecclesiæ de rebaptizatione non dum antiquasse, narrat Eusebius *7. lib. Hist. lib. 2.* Asserit prouide Bellarminus; quod etsi error sit in fide, & error hæresi proximus non asserisse Prouinciali Concilio populi auctoritate firmato, simulque sit error asserere Pontificem summum errare posse; attamen cum nondum oppositum Concilium generale decreuisset, non incidisse dicendus est Cyprianus in hæresim, etsi monitus non resipuit. Sed certe si Pontifex hoc decreuit siue Cornelius, siue Stephanus, difficile est ab errore in fide Cypriani decretum vindicare; fuit enim error in intellectu cum peruicacia in voluntate ex Eusebio. Scotus Cyprianum in etiã finaliter in ea sẽtẽtia perdurasse supponit *dist. 5. q. 1.* Nec valet responsio Augustini (pace dixerim tanti viri) Cyprianum passionis falce, si quid purgandum erat abstulisse; quia in errore obstinatus decedens non Christi, sed Belial fit Martyr, vt infra dicetur, dum de dispositionibus in baptismo sanguinis loquemur; si ergo id afferens peccauit Cyprianus, & retractare noluit in peccato decessit, nec peccatum suo cruore lauauit quia lauare noluit. Sed absit, vt hæc de gloriosissimo Christi Martyre dicantur. Martyr est Cyprianus Sanctorum Cathalogo adscriptus. Veritas est igitur Catholica, ipsum sine peccato decessisse, & Augustini assertum de purgatione per sanguinem suum verum esse dumtaxat de peccato veniali, quod forte, vt Scotus monuit, contraxisse dicendus est in decreto illo firmando, ad quod neque auctoritate, neque ratione ducebatur ostensiua.

Pro Cypriano quid senserit Augustinus.

Quid Eusebius, & Bellarminus

Quid Scotus

65 Dicendum igitur ita sensisse Cyprianum, sed non obinde in hæresim incidisse; quia nondum fuerat latum de ea opinione decretum; sed nec monitio Cornelij, & Stephani habenda est vt monitio Pontificum decernentium, sed vt doctorum diffinientium, porro non esse necessarium parere sententijs Pontificum, qua Doctores sunt, patet, quia illi qua Doctores errare possunt; si ergo qua Pontifices decreuissent, destitisset tam lubens ijs intellectum ac voluntatem Cyprianus; quam impiæ carnefici amputandam deflexit pro Christo ceruicem.

Quid nos sentiamus!

66 Hoc igitur de baptismo confiteor, sed de alijs sacramentis veritas hæc non est tam claro fidei decreto fulcita; immo nullibi expressè. Adde de sacramento Confirmationis non paucos Pontifices, & Patres putasse illud ab Heretico Episcopo datum irritum esse. Dicendum tamen prout præsens pecasio postulat; omnia sacramenta nouæ legis à quocumque ministro dentur, dummodo verus sit minister valida esse: notanter dixi, dummodo verus sit minister; nam si laicus vellet absoluere, vel conficere Eucharistiam, vel confirmare, vel ordinare, vel extreme vngere, nihil faceret, illa enim sunt actus ordinis, proinde ministrum in ordine constitutum exposcunt; in vero igitur ministro ex necessitate sacramenti non exposcitur fides. Probatur ex Concilio Florentino, quod tria ad integrandum sacramentum exposcit materiam, formam, & intentionem ministri, de fide autem nec verbum habet; voluntarie igitur eius expetitur necessitas.

Assertio de aliis sacramentis

67 Adde congruentias. Actus sacramentales sunt actus ordinis (dempto baptismo) at ordo manet etiam in Heretico, & præciso, ergo & actus illi manent si ab Heretico, & præciso dantur. Maior patet de singulis sacramentis, vnam deme pœnitentiam, in qua requiritur actus

Probatur congruentiis.

actus iurisdictionis. Minor patet, quia character, quem ordo imprimit in sacerdote signum est indebile; similiter & in Episcopo, in quo quamuis difficultas adhuc vigeat inter Iuris, & Theologiæ peritos, an sit Episcopatus a sacerdotio ordo distinctus, est tamen citra difficultatem, vel nouum imprimi, vel veterem characterem augeri, & proinde ordinationem ab Episcopo latam, & confectionem Crismatis esse actus ordinis; indebilis est ergo potestas in ministro, & propterea non est iterandum sacramentum ab eo datum, siue ille Catholicus sit, siue hæreticus.

Alijs coniecturis probatur opinio proposita.

68 Adde effectum sacramenti, & sacramentum ipsum non à ministro, sed à Deo pendere, quid ergo ad illud fides, vel infidelitas obest, vel prodest? Adde demum non esse obligationem vbi non constat de præcepto, at neque Ecclesiastico, neque diuino iure exposci fidem in ministro sacramentorum habemus; non ergo necessario expetitur. Deme ab hac lege matrimonium, quod non est sacramentum inter infideles, cum baptismus sit omnium sacramentorum Ianua, inter hæreticos autem secus: deme pœnitentiam, quam non rectè administraret Sacerdos suspensus, vel excommunicatus; ratio est, quia illa exposcit potestatem iurisdictionis, hæc autem tollitur per censuras. Faber *tomo de pænitentia disput. 26. num. 6.* idcirco negat non posse ministrari pœnitentiæ sacramentum ab excommunicato, quia censuris ligatus non potest habere actum potestatis ordinis, quæ est necessaria cum potestate iurisdictionis; sed nisi error irrepsit in typographum, è contrario sensu loqui debuit, absoluere enim est actus iurisdictionis potius, vt suo loco dicendum est. Quid ergo dicendū est Magistro sententiarum, qui secus sensit de sacramento Eucharistiæ? Quid Scoto in eius sententiam propenso? Quid Innocentio, & Leoni, & Concilio Carthaginensi secus opinantibus de Confirmatione? Breuiter in re morali. Magister sententiarum ita sensit, sed non rectè sensit; nec mirum, quia in pluribus male sensit; cauendus est ergo in hoc, non sequendus. Scotus autē tantū abest, quod in eius sensum propendeat, ut Magistri rationē soluat; ait enim *disput. illa 13. q. 2. littera D.* quod ratio Magistri fuit improbans sacerdotem hæreticum conficere, quia sacerdos offert in persona Ecclesiæ; ait enim *offerimus tibi*, & non *offero*, sed hæreticus est præcisus ab Ecclesia; & huic rationi respōdet primo, quod oblatio nō pertinet ad rationē cōsecrationis, nā oblatio est sacrificiū, consecratio est via ad sacramentum, & sacramentum sine oblatione remanet, vt patet de sacramento in pixide: secundo respondet quod esto oporteat quemlibet conficientem conficere in fide Ecclesię, adhuc hæreticus potest habere intentionem *Ecclesiæ* in conficiendo in generali, scilicet, non in speciali. Hæc Scotus, licet non ad verbum, è quibus nūquid pateat ipsum Magistro adhæsisse, an Magistro responsū dedisse Suarezij oculatum testimoniū desidero.

Reijcitur Fabri doctrina tom. de pœnitentia

Obuiam itur Magistro

Interpretatur Scotus

69 Pontificibus pręcitatis dicendum non de confirmatione vera, sed de manus impositione sermonem haberi ab eis; quorum sententiæ sunt Innocentij quidem, *nec dare Spiritus Sancti plenitudinem possunt, quem per impietatis suæ perfidiam perdiderunt*; Leonis vero, *sed hoc ei* (loquitur autem de baptismo apud hæreticos) *esse conferendum, quod ibi defuit, vt per Episcopalem manus impositionem virtutem Sancti Spiritus consequatur*, nisi malis dicere Innocentium loqui de effectu sacramenti, non de sacramento ipso, vt patet: porrò verum est, quod non recipiunt sacramenti effectum, qui volunt ab hæretico confirmari; quia scilicet in peccato communicando cum hæretico confirmantur; sacramentum tamen recipiunt: Leonem vero loqui de ijs hæreticis, apud quos non sunt veri Episcopi, vt se habent nunc Pseudo Episcopi Angli, & Scoti, qui nulla prauia ordinatione dignitatem erripiunt, isti enim si confirmare intētent nihil facient, quia ordinem non habent. Demum Concilio Afro dicas illud vna cum opinionibus Cypriani, & sociorum iam esse antiquatum. Non sumus hoc capite de infideli locuti, quia casus locum habet in solo baptismate, nec generice loquentes ad vnum sacramentum dumtaxat diuertere sermonem debebamus.

Explicantur sententiæ Pontificum

70 Superest altera articuli pars discutienda postulans; numquid probitas sit in ministro necessaria, ita ut sacramentum à malo ministro scilicet in peccato mortali existente verum sit, nec nec cuius solutio è superiori dependet; nam si fides non necessario expetitur, gratia multo minus; cum fides sit sanctæ religionis fundamentum, & ad hanc partē faciunt omnia, quæ hactenus dicta sunt, facit & Christi institutio, qui vt optimè notat Augustinus *tract. 26. in Ioann.* explanans illud *Ioan. 1: super quem videris*

Altera petitio principalis articuli vniuersi

ris

ris columbam descendentem, hic est, qui baptizat, &c. sic instituit, vt à quocunque daretur baptisma verum esset. Facit & Tridentini Concilii decretum *seß.7.de sacramentis in genere canon.12. si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem modo omnia essentialia, &c. non conficere, &c. anathema sit.* Facit & cōmunis Scolasticorum, & Patrum confessio, quorum placita vide apud Bellarminum, Suarezium, & Vasquez *locis citatis*, mittimus enim nos illa in re morali, ac citra difficultatem. Faciunt, & congruentiæ à Scoto eliciæ.

Congruentiæ pro asserto. Prima.

71 Prima: Deus ex determinatione suæ voluntatis præcedente omnem ministri conditionem assistit suo signo practico in causatione signati; ergo siue bonus ille, siue malus sit integra remanet sacramenti actio: antecedens probatur, quia minister nullam aliam actionem in sacramentorum effectum habet, nisi dispensatoris, at dispensator nullam habet connexionem cum qualitate effectus dispensati, qui à Domino pendet; nulla ergo connexio necessaria ministri cum gratia, quam per sacramenta traditi quæ à Deo pendet, non ab homine; porrò rem huiusmodi se habere aperte docuit Paulus *1.Corinth.cap.9. sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores &c. Hic iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur &c.*

Secunda.

72 Secunda si sacramenta à ministrante penderent; ita vt à ministro malo collata non essent valida, non essent medelæ contra ægritudinem peccati, consequens est contra institutionem eorum; ergo & antecedens, sequela probatur, quia eam recipiens nisi valide reciperet non haberet sui morbi medelam; falsitas autē sequelæ probatur, quia alias cum nullus sit certus de sua propria salute iuxta illud nemo scit, an odio, an amore sit dignus, & ob id multo minus de aliorum salute certus esse queat, nullus se certo recipisse sacramentum sciret, quod est maximum obsurdum.

Tertia.

Demum videtur maxima iniustitia, vt quis pro alterius iniquitate puniatur, atqui si è ministri conditione perderet sacramētum puniretur ex eius iniquitate recipiens, qui nihil reciperet, ergo hoc maximæ iniustitiæ opus non est cur aditum in corde, vel mente habeat, Maior patet, quia nisi quis cum alterius peccato communicet, iniustum est si cōmmunicet in pœna, quæ generaliter culpæ respondet.

Quarta.

73 Adde Concilium Florentinum expetere in ministro intentionem, non sanctitatem. Adde demum potestatem ministerij in sacramentis esse gratiam gratis datam, vt patet ex illo Petri *epist. 1.cap.4. Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei &c* ex illo Pauli *1. Corinth. cap. 12. diuisiones gratiarum sunt &c.* Quarum inter seriem recensetur gratia sanitatum, quæ per sacramenta datur: & ex ratione patet, quia gratia, quæ confertur propter vtilitatem aliorum appellatur, gratia gratis data à Theologis, qualis est gratia potestatis ministrandi, subsumamus minorem, at gratia gratis data potest esse cum peccato, nam & de Iuda refertur; quod dicitur *Domine in nomine tuo demonia eijcimus*; ergo potest ministratio valida sacramenti cum peccato ministrantis cohærere.

Hæreticorum errores quibus auctoritatibus colorati.

74 Neque oppositum huius veritatis vllus Catholicorum sentit. Soli Hæretici antiquiores in errorem huic veritati oppositum inciderunt cum Vuicleph, & nonnullis alijs ea ratione illecti, quod sacræ Scripturæ, ac Patrum testimonijs hæc veritas obuiam ire videtur. Et primò *Ecclesiastici 34. ab immundo quis mundabitur,* & infra *qui baptizatur a mortuo, quid proficit lauatio eius,* & *can.45. Apostolorum* damnatur Episcopus recipiens baptismum Hæreticorum. Idipsum sentire visi sunt Patres, quorum locutiones in hanc vnam sententiam conspirant, vt santitatem exposcant ministrantium.

His tamen obsiste. Ab immundo quidem neminem mūdari, si mundans immundus sit principalis agens, atque in sacramentis principalis mundans Deus est, non homo.

Auctoritates prædictæ explicantur.

75 Alia auctoritas, *qui baptizatur à mortuo* trunca refertur; habetur enim, *qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius &c.* In qua auctoritate particula *à mortuo* nō dicit causam efficientem, sed terminum à quo, vt sensus sit, qui mundatur ab immunditia contracta ex tactu mortui, si iterum mortuum tangat quid prodest? porro hunc esse illius auctoritatis intellectum deducito ex sequentibus proximè verbis, *sic homo, qui ieiunat in peccatis suis & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se &c.*

Quid de Apostolorum canonibus:

De Canonibus Apostolorum grande suboritur litigium, an illi recipiendi sint, an inter apocriphos reijciendi; nam *in lib. decretorum dist. 16.*

Leo

Isidorus eos inter apocriphos reijcit, Leo Papa IX. solos quinquaginta Canones recipit, Zephirinus septuaginta, sexta Constantinopolitana Synodus recipit Canones Apostolorum octoginta quinque, & Adrianus Papa scribens Tharasio Patriarchę Constantinopoleos sextæ illius Synodi Canones recipit. Contra Gelasius, qui de apocriphis libris peculiare decretum habuit, librum Canonum Apostolorum vocat apocriphū. Illi certe si recipiantur Canones, 45. citato occurrendum non loqui de baptismo dato ab Hæreticis cum debita forma, ac intentione, sed de eo, qui perperam dabatur aliquibus necessario requisitis omissis. Si Patrũ aliqui ita loquuntur, vt sanctitatem in ministro postulent, intellige de digna administratione locutos, non de valida.

Diuersitas opinionum

76 Cæterum hoc loco oboritur dubium, An saltem ministrantes in peccato mortali iterato se peccato commaculent; quamuis enim communi assertione firment Theologi, peccare ministrum in mortali ministrantem, non tamen constat, an vnum, vel plura peccata committant, an teneantur pænitere per attritionem, an per contritionem, an per confessionem Sacerdoti factam, & quonam ad hæc, vel omnia, vel aliqua sint præcepto obstricti, quas difficultates quantumuis morales in nostro casu necessarias breuibus, sed distinctis responsionibus diluemus.

Dubitatio, an multa, vel unum peccatum committãt in mortali ministrantes

Primæ igitur dubitationi ex aliorum solutione dubiorum fit satis; nam si tenetur pænitere, non pœnitens vtique peccabit, quia contra legem agit præcipientem pænitentiam in ministris. Distinguendum tamen de ministris; aliqui namque sunt ministri ex officio, aliqui ex necessitate; ministri ex officio sunt soli Sacerdotes, & Episcopi, & magis Episcopi, quam Sacerdotes, qui maiorem habentes auctoritatem in Ecclesia actus perfectissimos introducendi, vel conseruandi intus Ecclesiam per sacramenta fideles exercere debent; propter paucitatem tamen Episcoporum, & pluralitatem suscipientium sacramenta etiam præsbiteri ex officio munus est ministrare sacramenta, vt ægregiè notauit Scotus *d. 6. q. sententiæ 1. in fine*, licet ibi de solo baptismate loquatur; ministri autem ex necessitate sunt quandoque Laici (mittimus sacramentum matrimonij, in quo Laici sunt simul suscipientes, & ministri) vt patet in sacramento baptismi, quod à Laico in necessitatis casu conferri potest, neque iteratur postea a Sacerdote. Supposita hac distinctione sunt qui putent omnes tam ministros ex officio, quam ex necessitate teneri esse in gratia, dum ministrant, alioquin peccare; ita Durandus *in 4. d. 3. q. 2.* Paludanus *q. 2. art. 2.* Capreolus, *q. 1. art. 1.* & Gabriel Vasquez *d. 136. cap. 3.* Lugo *disp. 8. sect. 9.* Aliqui è contra peccare putant ministrantem ex officio, & extra necessitatis casum; non vero Laicum, vel Sacerdotem, si in casu necessitatis ministrat, quod ideo dictum volunt, quia putant in necessitatis casu, Sacerdotem habere se tanquã ministrum per accidens; & vt Laicum, cum non solemniter ministret. Ita Sanctus Thomas *q. 64. 3. p. art. 6. ad 3.* loquendo appositè de baptismo; quamuis secus dicendum putet de alijs sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis, vbi Caietanus, & Sotus *in 4. d. 5. q. 1.* & ex Recentibus Franciscus Suarez *disp. 16. sect. 4.* Notte Faber *de sacramento ordinis in 4. d. 24. q. 1. disp. 1.* nedum lethaliter peccare censet in peccato ministrantes sacramenta, sed & qui sacramentorum munus aliquod exercent, vt Acoliti deferentes luminaria in peccato, Lectores canentes prophetias, Ostiarii pulsantes campanas, & aperientes ostia Ecclesiæ, immo quod durius est, eos censet mortaliter peccare, qui in peccato lethali capitulum, vel orationes in Choro canunt. Cui opinioni si aditum in scolis aperiamus, sciscitari cum Apostolis possemus, quis ergo saluabitur, si etiam in materia leui lethalis culpa inexistens lethalem generat culpam in ministrante? & ex dicendis facillime eludetur.

Distinctio ministrorũ

Opinio Paludani Capreoli, Vasquezij Lugo

S. Thomæ sensus Caietani, Soti, & Suarez

Opinio Fabri

77 Difficultatem hanc nullibi ex instituto prosequitur Scotus; ex ijs autem, quæ diuerso loco habet, videtur eius sententia legi, & in primis *d. 5. q. 2. in solutione secundi principalis* docet, petentem baptismum à malo Sacerdote non cooperari illi directe ad peccatum mortale, & proinde supponit ministrantem in peccato mortali mortaliter peccare. Rursum *d. 9. q. 1.* expresse fatetur peccare mortaliter consecrantem, & communicantem in peccato mortali Eucharistiam; iterum *d. 17. q. 1. art. 2. littera O*, pœnitentiam docet necessariam homini, quando vult exercere aliquos actus, quibus debetur reuerentia specialis; licet autem ibi exemplificet tantum de cõmunicare; certè de omnium sacramentorum mynisterio locutum fuisse declarant

Quid senserit Scotus

clarant sequentia verba, *& in similibus, simile est indicium &c.* quo fit, vt Scotistæ omnes eum in affirmantem sententiam vocent. E conuerso autem *præcitata d.5.q.2. littera E*, ponens casum, si nullus alius posset haberi Sacerdos, nisi malus, & notoriè malus; & posset haberi simul bonus laicus, an ad ministrandum vocandus esset laicus, an malus notoriè Sacerdos; respondet magis eligendum esse Sacerdotem malum; ex qua responsione videtur colligi malum Sacerdotem non peccare ministrando baptismum, alioquin petens ab eo baptismum, qui nec Parochus est, nec Curatus, cooperaretur nouo peccato illius; neque huic deductioni opponi potest eiusdem Scoti responsio *loco citato littera G, in casu non cooperari illi directè ad peccatum mortale, cum ab eo petat actū debitum &c.* quoniam in ea responsione Scotus loquitur de ministro, cui ex officio incumbit baptizare, qualis est Parochus, vel Curatus. Hæc pro Scoti sententia, & contra.

Varia Scoti loca.

78 Nisi quis nimium audax videri posset, non asserendo, sed probabiliter opinando dicere posset quidpiam oppositum; ex quo certam de hac difficultate diffinitionem ab Ecclesia nullam habemus, & prænotare posset ex doctrina Scoti malitiam ministri fidelis, non enim hoc loco de malitia in intellectū, & de carentia fidei loquimur, dupliciter considerari posse; aliquando enim minister malus est, at eius malitia soli Deo cognita est; cum sit ipse occultè malus; aliquando autem malitia eius patet, & est ipse notoriè malus, vt publicus fornicator, & concubinarius: & rursum non esse parem de vtroque ministro rationem; nam occultè malus rationem scandali vitare potest, non enim occultus fornicator scandalizat audiendo confessiones, vel baptizando; quia scandalum oritur ex cognita malitia hominis; è conuerso autem publicus peccator conscientiam proximi lædit, de quo insultare possent subditi illud psalmi *Tu, qui prædicas non furandum furaris?* Et rursum illud Christi *væ homini illi, per quem scandalum venit*. Et iterum supponere posset distinctionem de vtroque ministro tam occultè, quam patenter malo; aliquando enim ei, quicumque sit, ex officio pastorali incumbit sacramenta ministrare, qualis est Ecclesiæ præpositus, siue Curatus is appelletur, siue Parochus, aliquando verò ad eum ab nullius officij munus exercitium attinet; sed solum quà Sacerdos est potestatē habēs ordinis, & iurisdictionis, vtpotè ab Ordinario admissus, at diuersam esse de vtrisque rationem; ad Parochum enim spectat ministrandi onus, & proinde si notoriè sit malus grauiori tanto reatu implicari potest, quanto detrimentum populo sibi commisso attulit malus; de non Parocho autem fortasse non ita, sicut non tantam animarum proximi tenetur Deo rationem reddere.

Noua opinio, quam Auctor probabiliter, prosequitur non affirmando.

Distinctio ministri mali

79 . Hac distinctione supposita diceret, ministrum occultè malum, siue ad ipsum ministerium attineat ex officio, siue è conuerso ministrantem non peccare mortaliter, excipe sacramentum Eucharistiæ; Hæc assertio, quæ Theologos omnes videtur habere Aduersarios, exactè probanda est; & primo ex regula illa generica Theologorum, & Iurisperitorum, qua aiunt, *vbi non constat de præcepto non esse facilè imponendam obligationem*, sed nullum de hoc extat præceptum, vt scilicet minister sacramentorum teneatur esse in gratia, dempto ministerio Eucharistiæ, ergo nec vllam comminisci possumus obligationem nisi voluntariam; maior conceditur ab omnibus, quia ex Paulo, *peccatum non cognoscerem, nisi per legem*, nisi igitur lex aliquid statuat, contrauenientes non peccant. Minor probatur, quia si qua lege inhibitum esset ministrare in peccato, scilicet, num naturali, num diuina, nū humana; at nulla harum; ergo nec vlla lege, subsumpta maior à sufficienti enumeratione patet, siquidem à triplici lege tenēmur, humana, quæ à Pontificibus, & Concilijs fertur, diuina, quæ à Christo Domino, naturali, quæ rectum rationis dictamen sequitur, nec plures inuenit Theologia; Minor subinducta probatur, quia lex naturalis amorem Dei præcipit, & proximi, & in duobus illis præceptis neque implicitè, neque explicitè includitur præceptum de ministrando in gratia. Adde legem naturalem declaratam per diuinam, at in decalogi præceptis nec inductiuè hoc præceptum habetur, quare nec naturali, nec diuina; sed nec humana, quoniam ne minimum quidem de hac re Pontifices, & Concilia sanxerunt. Responderent rationi huic Aduersarij non esse verendum in Ecclesia Dei extare hac de re præceptum, quia Patres tantopere munditiam in ministrante inculcant, vt patet apud Augustinum *toto lib. 2 contra Parmenianum*, & alios Patres relatos

Assertio secundum hanc opinionem.

Probatur primo.

Confirmatur.

in a

in 2.p. decreti causa p.q. 1. cap. omnia, & sequentibus. vsque ad caput sacrosancta &c. Accedunt Pontifices; nam Nicolaus ad consulta Bulgarorum relatus *causa 15. q. 8. can. 5.* absolute docet malos bona ministrantes se tantummodo lædere, atque exemplum facis ardentis, quæ sibi detrimentum, alijs lumen præbet, & Gregorius 1. *lib. 4. epistola 24. necesse est,* inquit, *vt munda sit manus, quæ abluere curat Sordes.* Accedunt auctoritates sacræ Scripturæ Isaiæ 66. *facinorosus qui sacrificat mihi vitulum, quasi qui canem excidit* Leuit. 22. *omnis in quo est immunditia, si accesserit ad ea quæ consecrata sunt, peribit coram Domino,* & exodi 19 *Sacerdotes, qui accedunt coram Domino, sanctificentur, ne occidam eos &c.* Isaiæ 52. *mundamini, qui fertis vasa Domini,* & aliæ consimiles auctoritates referuntur *lib. 2 decretorum citato,* ex quibus communiter concludunt Theologi extare de hac re præceptum, quod aiunt diuinum esse consequens ex interna natura institutionem sacramentorum; nam hoc ipso quod sacramenta instituta sunt, & ad illa ministranda consecrantur Sacerdotes, & specialem recipiunt gratiam, statim oritur obligatio ministrandi ea in gratia.

Auctoritates Pontificum.

Et scripturarum.

Sed hæc responsio, qua voluntate adducitur, pari libertate reijcitur; siquidem in institutione sacramentorũ, & deputatione ministri nulla lege, vt dicebam, hoc præceptum inuolutum est; sique, vt aiunt, ex interna natura sequeretur institutionem, esset ministri sanctitas de essentia sacramenti, quæ enim internam rei sequuntur naturam, si non minus de essentia sunt, essentialia saltem sunt in secundo modo dicendi per se ex logicis; hoc vero quam sit inepte dictum in re nostra ipsi quoq; aduersarij concedunt; nisi ergo legẽ in institutione ferant, præceptum voluntarium dicã.

Eneruatur responsum.

Adde quod si ex consecratione ministrorum sequeretur præceptum; non minus in benedictione olei, & Crismatis peccaret Episcopus; quia actus isti ordinationem sequuntur; quam ministrando alia sacramenta; attamen, & ipsi aduersarij negant in ijs casibus peccare Episcopum.

Id circo alij, priorẽ namq; responsionẽ propugnat Suarez, aiunt cũ Durãdo extare idẽ præceptum, quod extabat in lege veteri, in qua prohibitum erat sacrificare in peccato, vnde ipsi colligit hoc multo magis de perfectiori lege.

Responsio aliorum.

Sed hæc responsio inutilior est; lex enim Euangelica plura ceremonialia præcepta abrogauit, vt patet ex doctrina Scoti *in 3. d. & q. postrema.* Adde cõsecutionem esse nullam sic arguendo. In lege veteri peccatum erat ministrare in peccato, ergo & in lege euangelica; quia in lege veteri latum fuit de hac re præceptum, vt patet *ex allatis* Exodi, & Leuitici *locis,* in lege noua non item.

Reijcitur.

85 Vasquez *loco citato* præceptum hoc, quod quærimus iure diuino naturali latum probat. Sacramentorum minister debet se Christo instituenti conformare, & similiter sacramentis, quæ ministrat, sed non se conformat Deo, & sacramentis in peccato ministrans; ergo peccat sic ministrando; quod vero non recte conueniat sic ministrans cum Deo, & cum sacramentis probat; quia Deus eatenus est sanctitatis auctor per sacramenta, quia sanctus est; si enim non esset sanctus non posset esse sanctitatis auctor, sacramenta etiam eatenus sunt causa gratiæ, quatenus consecrata sunt; ergo minister, qui in peccato ministrat tenetur Sãctus esse; alioquin irreuerẽter peccat.

Responsio Vasquez.

86 Hæc responsio speciem habet, sed fucatam; nam in primis conformitas in ministro cum Deo, & sacramentis, nõ est penes sanctitatẽ, vel malitiã, sed penes obseruãtiã essentialiũ; nisi enim materia, & forma, & intentione ministraret, nõ se cõformaret Deo sic instituẽti, qui hæc in sacramentis præscripsit, non bonitatẽ, vel malitiam ministri. Præterea & Deo loquitur, qui est principaliter agens, & æqualiter putat loquendum de ministro, qui est solummodo instrumentum, non propria, sed principalis agentis virtute agens; quod, an cum vera Philosophia cohęreat, sensatus quisque norit.

Eluditur.

Adde, in responsione dilucidè sentire Vasquezium, Deum causare gratiam, quatenus sanctus est, quod dictum à Theologo abhorret, qui rerum ad extra principium nouit solam Dei voluntatem; dat ergo gratiam, & sanctitatẽ, quia vult, non quia sanctus: vtique sanctitas est interna Deo, at non principiũ rerum ad extra, vt indicat Vasquez. Demũ quis habuit de hoc præceptũ, vt scilicet teneatur minister conformare se Deo, & sacramẽtis? Indicet, & silebimus. Inconcussa igitur remanet allata ratiocinatio prima ad assertũ propositũ, quã validissimam profectò æstimare potes.

87 Præterea principaliter: si quod peccatum ministrantes in peccato committerent, certè vel contra Deum, erga quem diuina tractantes inreuerenter se

Probatur alia.

gerent,

Alia probatio.

gerent, vel contra proximum, cui scandalum præbent, erga seipsum enim nescio quid maculæ offensionis inducat, sed nullum horum; ergo nec vllo modo; maior patet ex sufficienti partium narratione, quædam enim contra Deum sunt, quędam contra seipsum quædam contra proximum, at dum loquimur de peccato occulto ratio scandali cessat, quæ in notorio dumtaxat peccatore locum habet; ergo siquid peccati habet contra Deum habet, in quem irreuerenter se gerit, at hoc nihil est, quoniam irreuerentiæ nomen, sicut & quodcunque priuatiuum vocabulum quandoque solam carentiam habitus, vel ut rectius loquar, actus proprij habitus denotat, quandoque actum oppositum significat, sicut nomen iniustitiæ interdum priuationem solam, & carentiam iustitiæ designat, interdum vero & habitum, siue & rectius vitium oppositum iustitiæ denotat, sed in re nostra in peccato mortali ministrans, nisi ex vilipendio id agat, solam carentiam reuerentiæ debitæ habet, non enim volens, sciens, ac ex instituto saltem atteri omittens, sed ex quadam inconsideratione, siue ex negligentia omittere id intelligimus, ita vt nullum vilipendium in exercitio illorum actuum præseferret, quod accideret, si sciens se in reatu lethalis culpæ inque eo complacens nollet positiue atteri, sed exercere ministerium dedita opera in peccato vellet. Subinfero, sed sola carentia reuerentiæ non dicit peccatum, quia priuatio inprimis nihil ponit in esse, si ergo hic actus omittatur, & non ex instituto, peccatum non est, cum non dicat actum oppositum in habente secundum explanationem habitã.

Irreuerentia sumitur bifariam.

85 Præterea si in peccato ministrans iterum peccaret sequeretur, quod si Dæmon in assumpto corpore quempiam baptizaret & is iterum peccaret; consequens est falsum, ergo & antecedens; falsitas probatur; quia Dæmon iam est in termino, in quo nec meritum est, neque demeritum, vt in 2. *lib.* loquendo de obstinatione eius in malo diximus; consequentia probatur, quia si naturã, & institutionem sacramenti sequitur obligatio ad ministrandum in gratia, certe in quocunque ministro sequitur, iuxta illud dictum Scoti ter maximũ. *In quocunque ponatur quod est secundum se tale, semper est tale*, porro posse Dæmonem in assumpto corpore baptizare docet aperte Scotus *d.5 q 1.* quamuis moneat, habendam esse Dei reuelat[illegible]

Probatio alia.

ad hoc, puta tu, non ad posse, sed ad rite, vt etiam ipse Scotus declarat, quia scilicet propter inimicitiam, quam ex inuidia fouet erga humani generis salutem, suspicari posset, ne fraudulenter ageret. Demum sacramenta instituta sunt in medelam suscipientis vtique, nõ dantis: quænam igitur necessaria connexio dantis cum gratia? tanto magis, quo neque gratiam ipse minister influendo in ipsam dat, sed sola applicat sacramenta, sicut medicus etsi ægrotus absq; eo quod nouam ægritudinem incurrat alteri ægroto medicinam parat, & applicat.

Confirmatio.

86 Ex his ergo improbatæ remanent singulorum opiniones circa omnia dubiola proposita, constito namque non peccare mortaliter ministrum occulte malum in peccato ministrantem, vanum est quærere qua lege teneatur pœnitere, cum nullo modo teneatur; vanum est etiam petere, an vno, vel duplici se peccato commaculet, cum nullo; irritum est etiam sciscitari, an teneantur confiteri peccata sua ministri ante exercitium operis. Ex his habes confutationem opinionis Fabri *temo de pœnitentia disp.28.cap.2.* qui sententiam Marsilij *in 4.q 12.* & Paludani *dist. 17.q. 2.* secutus necessario præmittendam tuetur confessionem hoc fundamento, quia ad sacramenta ministranda necessario requiritur contritio; at non possumus esse certi, an veram habeamus contritionem, ergo debemus tutiora adhibere remedia, qualis est confessio; id namque supponit Faber, quod erat sibi probandum, nempe contritionem esse necessariam, ne iterũ peccet minister, contra quem auctorem obijci potest nimis arduum, ac durum videri, vt quilibet sacerdos vel baptizaturus, vel aliud sacramentum ministraturus debeat confiteri, cum ex hoc gentes vocantes eum in certam noti iã veniant eum esse aliquo peccato mortali irretitum. Vsus demum in oppositum hanc Fabri sententiam vanam ostendit.

Refutantur aliorũ sententia.

Fabri Lapsus.

87 Nec opinio prædicta sectatores desiderat, quãuis enim expresse nullus videatur illius propugnator; sunt tamen plerique, qui cum negent sacerdotem in peccato mortali ministrantem Eucharistiam alteri peccare mortaliter, itidem in alijs sacramentis, seu de aliorum sacramentorum ministris dicere tenentur, immo de alijs multo magis, cum sacramentum Eucharistiæ nobilitate cætera antecellat; porrò in eam de ministra

Opinionis proposita sect[illegible]

Cabrera. Nugnus. Ledesma. Diana. Barbosa.

Eucharistiæ sententiam propendet Cabrera 3.p.q. 64. art. 6. Didacus Nugnus 16. diff 1. concl. 2. Ledesma, & alij, quos refert, ac sequitur Diana tract. 14. de celebratione missarum resol. 23. qui cum audisset opinionem hanc cuidam, vt ipse ait, Theologastro nimium laxam fuisse visam, eam iterum inculcat in additionibus secundarys resol 5. secutus Barbosam tract de off. Parochi cap. 20. num 17. quamuis Barbosa ibi alteram etiam oppositam sententiam probabilem censeat, Diana vero suam vocet probabilissimam.

Resolutio dictorum.

88 Si vis tamen tutius progredi, nec eam, quam hucusque fuse prosecuti sumus sententiam prosequi aies, ministrum sacramentorum, qui minister est ob eas, quas tulimus rationes, lethaliter non peccare ministrando in peccato; at quoniam in singulis sacramentis, dempta Eucharistia, est simul minister, & confector; si peccare illum quopiam argumento, vel auctoritate conuinceris, dicito, vt confectorem peccare, non vt ministrum; & hæc generatim: specifice autem de præparante materiam sacramenti ministro dicito contra Ioannem à Lugo Episcopum in peccato consecrantem, ac benedicentem oleum Chrismatis Cathecumenorum, & Infirmorum, quatenus talem exercet actu lethiliter non peccare, quia tunc nec conficit, nec sacramentum ministrat; immo nec proximam præparat materiam, quæ est vnctio, non oleum, aut Chrisma, sicut etiã per ipsum non peccat calices consecrando, qui sunt materia, in qua sibi ministratur. ac conficitur Eucharistiæ sacramentum verum; quia oleorum consecratio solum fit in missa feriæ 5. Cænæ Dominicæ, ex quo celebrat tunc tempo ris Episcopus, ù in peccato est, iterato se peccato commaculat.

Publicus peccator peccat ministrans in peccato.

89 Notanter hucusque de peccatore occulto locuti sumus; secus enim de peccatore publico, de quo fatendum mortaliter peccare ministrantem in peccato ratione scandali; non ratione præcepti, nisi sit ad ministrandum sine peccato, & de ijs notorie peccatoribus intelligãdi sunt allati canones, & præcipue *Augustinus locis citatis contra Parmenianum*, contra quem inuehitur probans valida esse sacramenta à Scismaticis data; etsi peccant ipsi ministrantes hoc enim aperte docet *lib 2. cap 6. in fine. rei ergo videant utrum digne manducent: qui nesicio scismate inter multos se diuiserunt &c.* Hac ille, licet multis interpositis, hac tamẽ omnino. Nicolaus e erte sedi. Auc de publico peccatore loquitur, respondet enim postulationi Bulgarorum, an deberent communionem accipere à Sacerdote comprehenso in adulterio, vel publica fama de hoc culpa notato, apposite ergo locutus est de ijs, non generatim de omnibus. Alios Pótifices, & Patres, qui nefas esse putant ministrare in peccato, vel de publicis peccatoribus intellige, vel interpretare nefas esse, hoc est indecens, & indecorum. Similiter quicunque necessarium fatentur ministrum conteri, & esse in gratia, intelligas necessitate congruentiæ, non præcepti, quod nullum reperimus tale.

Interpretatio P.P. & Pontificum.

Diuersa ratio duorum sacramentorum.

90 In ministerio duorum sacramentorũ nõ nihil adnotãdũ; hæc autem sunt sacramentum Eucharistiæ, & sacramentum matrimonij, in quibus ministri ministrantes in peccato mortaliter peccare videntur, & in hac parte communi opinioni subscribendum, quia in vtroq; sacramento idẽ est minister, & suscipiẽs: & in sacramento Eucharistiæ patet, quia idem Sacerdos, qui conficit, sacramentum sumit; in sacramento autem matrimonij ministri sunt ipsi contrahentes, vel suo loco decemus: ex qua consideratione deduci videtur in præsatis duobus sacramentis requiri ministrum debere esse in gratia, saltem qui minister suscipiens est, & conficiens & de suscipientes est præceptum Pauli 1. *Corint. cap. 11. probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

Reprehenditur Vasquez.

91 Atqui hic non possum non mirari Vasquezium, qui cum putet Sacerdotem ministrantem Eucharistiam laico nõ peccare mortaliter in peccato existentem, postmodum contendit in ministerio aliorum sacramentorum peccare mortaliter in mortali ministrantem. Nonne enim inquã in omnibus est æquè minister? Non, inquiet, quia in alijs conficit, & ministrat simul, in hoc autẽ iam confectum ministrat sacramentum, ergo, inferam ego, non qui minister peccabit, sed qua confector, quod est contra doctrinam eius, qui in ministrando retur peccare ministrum malum.

Aliæ petitiones curiosæ.

92 Ex harum solutione difficultatum dissoluntur curiosæ nonnullorum petitiones, an Episcopus sacramentalia benedicens, aliaque gerens ordinis Episcopalis; similiter, an Diaconus, & Subdiaconus ministrantes in peccato mortali mortaliter peccent? nisi enim publicè sint peccatores, qui ob scandalum po

pulo

pulo inflictum peccent, nullo modo peccabunt; nulla lege coacti ad ea in gratia agenda, & ministranda. Si autem necessitas tollitur, ne nouum ingeratur peccatum, non obinde prætermittimus admonitionem singulis, vt quantum fieri potest in gratia ministrent, nedum vt sibi ipsis ministerio cum gratia præmia laboris adipiscantur, sed vt fideles per peccatum ægrotos etiam virtute operantium operum adiuuent.

PP. assens. 93 Et hoc modo multi PP. & præcipue Dionisius *lib. 1. de Eccles. Hierarchia cap. 1.* sic loquitur cum Thimoteo. *Ipsosque Reuerendissimos Præsules, pontificio iure monebis, munde vt munda contingant.* Satis hæc ad articulum; in quo, sicut & in alijs censuræ maiorum nos submittimus: interim pro eius coronide Scoticis locis occurrendum esset; sed quia is vel de Eucharistia locutus est, vt patet *d. 9.* vel de publice peccatoribus, vt fecit *d. 5.* vel secundum aliorum placita, vt fecit *d. 17.* idcirco de eius mente non diutius arbitror laborandū &c.

(***)



AN INTENTIO EXPETATUR in ministro, & cuiusnam obiecti?

ARTICVLVS II.



54 ARticulū præsentē fatetur Faber *d. 20.* controuersia carere; propterea sicco illum labio delibat; verumtamen ex decursu patebit quantis vrgeatur angustijs. Interim in incertum ne vagemur, obserua quod etsi duo ista vocabula, *intendere*, & *attendere*, *intentio*, & *attentio* idem sonare videantur, nedum ex affinitate vocum, sed ex vsurpantium vsu; differunt nihilominus eo potissimum, quod attentio referri videtur ad verba, intentio ad opus; at quoniam opus duplex esse in qualibet actione potest, alterum proximum, alterum remotum, quod habet rationem finis, & primum est opus illud, quod actu exercetur, secundum est principaliter intentum in opere; fit vt intentio duplex sit etiam, altera respiciens actū, qui est sub actuali exercitio, altera quæ respicit finem, propter quem ille actus exercetur: & rursum cum finis sit duplex, alter principalis, sed remotus idest principaliter intentus, sed non primo adeptus, alter minus principalis, sed proximus, fit quoque vt ex partitione finis partitionem nanciscatur intentio. *Faber labitur.* *Intētio & attētio differunt.*

95 At nunc vero, vt nostram controuersiam aperiamus, declaranda sunt hæc omnia in actibus sacramentorum: opus ergo proximum est exempli gratia in baptismo actus ablutionis, in pœnitentia actus absolutionis, &c. opus remotum, quod habet rationem finis, est actus ille, propter quem tale primum opus exercetur; & hic si sit remotus, & magis principalis erit, exempli gratia, in baptismo, vt sit baptizatus filius regni, similiter & in alijs sacramentis; si vero sit proximus, & minus principalis in baptismo erit inductio, seu adscriptio hominis in Ecclesiæ membrum; in confirmatione in ecclesiasticam militiā; in ordine adscriptio in Ecclesiasticum gradum, *Opus proximum & remotum finis item.*

gradum, &c. vno verbo finis vltimus est gratia, & gloria, finis proximus est participatio operum Christianorum, & hoc dupliciter, vel generaliter, vel specialiter, exempli gratia, in baptismo finis proximus generalis est facere circa baptizatum, quod facit Christianus quilibet circa eos, quos baptizat, similiter in cęteris sacramentis, finis verò proximus specialis est ingressus baptizati in legem Christianorum seruandam in baptizato; est fortitudo Spiritus Sancti ad bellandum contra hostes in Confirmatione, est deputatio ad certos Ecclesię gradus in ordine, & sic de cæteris; nunc vero postulandum est, quæ intentio expetatur in ministro; quiue actus debeat intendi in ministerio sacramentorum.

Intentionis necessitas in ministro fide probatur.

96 Catholicorum nullus aliquam in ministerio sacramentorum intentionem negare ausus est, cum hæc veritas primum in Florentino, mox in Tridentino Concilio decreto fidei constituta sit; vnde in Concilio Florentino in decreto Eugenij, pro vniendis Armenis hæc habentur verba. *Hec omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis, sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia:* & quia post Concilium illud, contra quod blaterabant nebulones Heretici confisi auctoritate Patrum in Basiliensi synodo turpissimi Susurrones Martinus Lutherus *in lib. de missa priuata*, & *in lib. de captiuitate Babilonica*, & eius asseclæ oppositum propugnarunt; Sancta Synodus Tridentina *sess. 7. de sacramentis in genere can.* 11. anathema dicit ijs, qui putant, & aiunt non requiri in ministris, dum sacramenta conficiunt, & conferunt, intentionem faciendi saltem, quod facit Ecclesia; quæ diffinitio non magis Lutheri errorem reijcit, quā Patrum in Florentino Concilio veritatem confirmat.

Contra Lutherum.

97 Litem solum agitant Catholici de qualitate intentionis in ministro. Catherinus peculiare edidit opusculum de ministrorum intentione in conferendis sacramentis, in eoque vt Catholicum decuit Doctorem se vtique citatis determinationibus subscripsit, postulans nihilominus, quæ nam sit hæc intentio faciendi, quod facit Ecclesia, docet ministrum nullam aliam habere debere intentionem, nisi seruandi exterius ritum illum Ecclesiasticum in rebus, & verbis adhibendis; quamuis minister ipse neque Ecclesiam esse, neque valide per illum actum quidpiam fieri posse credat; vno verbo putat Catherinus intentionem requisitam in ministro esse respectu actus dumtaxat, quem exercet: in eandem assertionem iuit Syluester *in summa verbo Baptismus*, &c. Auctor summæ Angelicæ, *eodem verbo*, nec longe distat Petrus de Palude *in 4. d. 6. q. 2. articulo* 3. licet non in omnibus sacramentis eodem modo loquendum arbitretur, saltem in aliquibus ita se rē habere putauit. Citatque in eam Lugo Stribonium Gallum Auctorem *summæ Theol. disp 1. de sacramentis in genere q 6. & 7.* in quem etiam acriter inuehitur.

Catherini sententia.

Syluester Angelus Paludanus Scribonius,

98 At certè, quidquid sit de alijs, Syluester opinionem illam ex instituto nunquam inuexit, sed recitatiuè solum vnde *ibi num.* 13. secundum duplicem loquendi modum respondens colligit baptizatum hunc ex ioco interno rebaptizandum sub conditione; quibus planè liquet hæsitatiuè potius, quam affirmatiue Syluestrum ita sensisse.

Vindicatur Syluester.

99 Alij è contra tantum necessitatis ad intentionem in ministro firmandam inuehunt, vt velint necessariam esse in ministro intentionem inducendi in suscipientem effectum sacramenti cum sacramento ipso; ita sensisse aliquos refert Sotus *4. sent. d p. q. 5.*

Sententia Soti.

100 Alij mediam insequentes opinandi viam primi ordinis intentionem non esse satis, postremi ordinis non esse necessariam docent; sed requiri intentionem respectu finis minus principalis, & proximi, exempli gratia, nolunt in baptizante requiri intentionem conferendi gratiam baptizato, & faciendi eum filium Regni, nolunt satis esse in eo intentionem, circa actum, quem exercet ablutionis applicando materiam, & formam; sed requiri intentionem faciendi circa baptizatum, quod facit Ecclesia circa suos, quos baptizat; ita Recentes omnes.

Recentiorum sensus.

101 De mente Sancti Thomæ concertant Thomistæ: quidam ad litteram mentē eius interpretantes propugnasse eum aiunt priorem sententiam; ita Catherinus, qui propterea eam pro vi sententiā tutatus est; ita Adrianus, qui ob id in illum dicendi modum sese inuexit: Alij Sanctum Thomam secundæ sententiæ propugnatorem faciunt cum Dominico Soto *loco citato*: Alij benignius mentem eius interpretati tertiam illi sententiam, quam sequuntur omnes impingunt: ita Caietanus *in com art. 8. q. 64. 3. p.* ita Suarez, & Vasquez; v. de Ioannem à Lugo

Thomistarum certamē de mēte S. Thoma.

per

per totam sect.4.disp.8. sed hæc ipsi videant; nos Scoti partes insequamur.

Scotus omnium instar in hoc re.

102 Scotus ergo in hac controuersia omnium ferè se magistrum gessit, dum sine difficultate opinionem suam eam expressit, quam deinde Concilium Florentinũ firmauit, & Synodus Trident. decreuit, nimirum requiri intentionem non solum respectu actus; sed etiam respectu finis, non quidem vltimi, sed proximi, vt scilicet, exempli gratia, in baptismo minister intendat vel suscipientem intrare in Christi religionem, & hæc dicitur intentio finis proximi in speciali, vel saltem intendat facere circa illum, quod faciunt Christiani circa suos, & hæc dicitur intentio finis proximi in generali; quod disertis verbis decreuit Concilium Tridentinum, dum necessariam esse decreuit intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia. Obserua particulam illam *saltem*, ob quam docemur intentionem respectu finis proximi in generali non minus requiri in ministro, ad hoc vt sacramentum sit validum. Hanc intentionem Vasquez vocat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia formaliter, non materialiter tantum; idque accidere ait vno ex tribus modis. Primo, si quis sciens quid sit Ecclesia velit vti illis Rebus, & verbis eo modo, quo vtitur Ecclesia. Secundo si quis intendat facere, quod sua facit Ecclesia, cui subest, quia forte vidit Parochum sic facere. Tertio si velit illis rebus, & verbis vti tanquam ceremonijs religiosis, quibus nouit aliquos vti solitos. Distinctio tamen insufficiens, me iudice; quoniam si paganus esset, cui nomen adhuc non innotuisset Ecclesiæ, & quis offerret illi baptizandum filium, vel è libro perciperet formam, & materiam baptismi, isque nec Ecclesiæ credens, nec Ecclesiam esse sciens, in forma tamen, & materia Ecclesiæ ablueret cum intentione exercendi actum illum sicut in libro legit, sacramentum verum esse probabimus, & tamen nullo è tribus allatis modis hoc fieret; Scoticus igitur discursus sufficientissimus est, qui interim duplici asserto dilucidatus probatur.

Interpretatio Vasquez

Insufficiens

Assertio prima

103 Primum assertum autem est, intentionem respectu actus exerciti in ministro non esse satis, sed nec intentionem respectu vltimi finis, qui est gratia, & gloria, necessariam esse. Assertio est Scot. *loco citato*, & demptis Auctoribus primæ, & secundæ sententiæ communis est Theologorum quoad [illegible] partē, qua cōstat: & primo patet prior ex Cōcilio vtroque citato Florentino scilicet, ac Tridentino, quæ Concilia intentionē decernunt in ministro necessariam faciendi saltem, quod facit Ecclesia, at Ecclesia in collatione sacramenti non facit dumtaxat externum actum illum, puta ablutionis, vel vnctionis, & similium, sed verum dat sacramentum, ergo intentio in ministro circa actum dumtaxat non est satis. Præterea intentio circa actum exposcitur in quocunque actu humano, & in quocunque homine agente aliquid non fortuito, sed actus collationis sacramenti non est solum actus hominis agentis nō fortuitò, sed est quid aliud vltra, ergo vlteriorem exposcit intentionem, nec est illa circa actum. Propositio, quæ loco maioris ponitur, probatur ex philosopho 2 *phys. textu commen.49.* vbi distinguitur agens à proposito cōtra agens naturale per hoc quod agens à proposito agit ex intentione; actus ergo hominis agentis à proposito ex intentione est. Propositio minoris loco posita etiam suadetur; quia actus, quem exercet minister est vtique actus humanus, non fortuitus, aut casualis, quippequi à Deo præceptus, & super casualia, & fortuita non cadit obligatio, & præceptum, sed non est purus actus humanus in natura; quia vt sic ablutio baptismatis non distingueretur à quacunque simplici ablutione, vel lauacro, sed est actus alicuius vt ministri exercētis signū Dei, cuius internuncius est, ac minister; non debet ergo in simplici illa intentione circa actum quiescere, sed finem aliquem intendere.

Probatur primo

Probatur secundo

104 Præterea: si intentio circa actum satis esset sequeretur iocose agentem in collatione sacramenti, & iniuriosè in Ecclesiam vere conficere; consequens est falsum, ergo & antecedēs. sequela patet, cū iocose, ac irrisoriè agens actū vtique exercitum intendat, vtpote agens à consilio, & à proposito, falsitas probatur per Concilium Tridentinum *sess. 14. de sacramento panit. cap.6.* & rursum *canone* 9. decernens irritum esse sacramentum illud, si Sacerdos non seriò, sed ioco agat; porro idem serendum de singulis sacramentis iudicium in hoc docet Concilium idem *sess. 7.* dum de sacramentis in genere loquens anathema dicit assertentibus in tis non esse necessariam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia at Ecclesia non ioco, sed serio facit, iocans igitur, & irrisoriè se habens sacramentum non confert; Adde pro confirma-

Confirmatur

firmatione paritatem. In recipiente ficto, qui per iocum sacramenta suscipit, sacramenta nulla sunt, & inualida; quāto ergo magis ratione fictionis in dante: cum de dante expressum sit decretum Ecclesiæ intentionem necessario exposci, de suscipiente non tam expressum; porrò id accidere in in suscipiente suo loso dicendum est.

Catherini rationum.

105 Scio huic rationi, eiusque confirmationi obuiam iturum Ambrosium Catherinum, vel aliquem eius parti fauentem, experimentum docere nos ioco conferentes sacramentum, sicut & ioco recipientes verum dedisse, & recepisse sacramentum; siquidem si vera sunt, quæ narrant Eusebius *lib.10.hist. cap.14.* & Nicephorus *lib.hist.8. cap.44.* de Athanasio adhuc puero, oppositum dicendum erit; Est autem narratio Eusebij, & Nicephori conuenisse quondam ad maris littus cum Athanasio puero pares, & circiter ætatis puellulos, & iocantes elegisse Athanasium in Episcopum, qui deinde arrepta aqua pariter ludens, & iocans in forma tamen Ecclesiæ pueros baptizauit Episcopum se fingens, quorum acta eminus spectans Alexandriæ Episcopus Alexander nihil de ioco curans collatum à iocante baptismū approbauit. In martyrologio etiam Adonis de Genesio mimo legitur, quod cum in scena simulans se ægrotam, vt Imperatori Diocletiano maiorem fidei nostræ irridendæ præstolaretur materiam, postulauit baptismum, qui deinde ab accersito iussu Imperatoris Sacerdote baptizatus pro baptizato est habitus.

Nicephori & Eusebij hystoria.

Adonis Martyrologium.

106 Verum allata exempla Catholicam assertionem non conturbant, finis enim Genesii in eodem Adonis Martyrologio declarat, quonam animo baptismū susceperit, cum pro Christi fide occubuerit: postulauit ergo baptismum in ioco; sed non ioco, aut irrisorie; sed animo non ponendi obicem per actualem nolitionem. Adde maiorem exposci in ministro intentionem, quam in suscipiente, vt diximus. Exemplum autem Athanasij interpretantur omnes, ipsum ioco vtique dignitatē arripiētē Episcopalem seriò tamen baptizasse intendēdo ea agere, quæ baptizans Ecclesia agit; quod vt egregiè monet Vasquez, in vsu puerorum est positum, vt vsurpantes ioco, ac oblectationis causa grandiorum munera in eis seriò se gerant; vnde constituentes inter se Principem ita illi obtemperant, ac si verè Princeps esset; quia scilicet actionem, & finem imitari conātur; iure ergo baptismum ita ab Athanasio collatum probauit Alexander; quia scilicet nouerat nihil desideratum in eo ad eius integritatem fuisse, & Athanasium iocatum fuisse in obeundo munere Episcopali, non in baptizando; qui propterea non omnes pueros, sed Ecclesiastico more, vt notat Eusebius, ipsos Cathecumenos baptizauit.

Adducta exempla nihil probare ostenditur.

Centuns de Sac. in Gen.

Altera pars asserti.

107 Altera asserti particula statuit, non esse necessariam intentionem respectu finis vltimi, in qua non sanè loquitur Faber *disp.* 20. dum interpretatus opinionem Sancti Thomæ ait, quod si Sanctus Thomas intentionem respectu finis vltimi intellexit, non rectè sensit; quia hæc non sufficit, si distinguatur ab intentione circa finem proximum: non sanè, inquam, loquitur, abest enim tantum, vt non sufficiat hæc intentio, vt ex Scoto *loco citato*, non sit necessaria. Hæc ergo pars probatur. Infidelis si baptizet, rectè baptizare censetur, dummodo formam, & materiam copulet sacramenti cum intentione; sed infidelis intentio non est circa vltimum finem; ergo intentio circa finem vltimum necessaria non est. Maior habetur *de consecr. d.4. cap. Romanus &c.* quo decernitur validum baptisma à pagano datum, & fortè, si necessitas exiget abundatiori doctrina suo loco probabitur, immo, & superiori articulo probata est, dum fidem non necessariam esse duximus in ministro, quamuis enim de defectu fidei per errorem hæresis locuti fuerimus, appositè etiam de quocunque fide carente probationes induci possunt. Maior probatur. Non habens fidem de vltimo fine nec intentionem de vltimo fine habere potest; sed infidelis, & quicunque fide destitutus fidem de vltimo fine non habet, ergo nec intentionem: subsumpta maior probatur; quia quod non creditur posse fieri, non vult quis fieri, cum voluntas non sit impossibilium, & non entium, infidelis autem non credit per sacramenta finalem posse dari gloriam, & temporalem gratiā; ergo non vult illa fieri. Minor autem secundi dilemmatis patet; quia etsi putet aliquis infidelis se posse beatitudinem consequi, non tamen veram beatitudinem, vt se habent pagani, & Ethnici, et si veram, non tamen per sacramenta, vt Heretici.

Fabri error.

Probatur hæc pars.

108 Assertum secundum sit, intentionem in ministro necessariam esse respectu fi-

Assertio secunda.

nis proximi. Hæc assertio sequitur ex superioribus, constito siquidem intentionem respectu obiecti triplicis esse nimirum respectu actus, respectu finis vltimi, & respectu finis proximi, & seclusa necessitate intentionis in ordine ad vltimum finem, & insufficientia intentionis in ordine ad actum, sequitur necessitas intentionis in ordine ad finem proximum necessario, & deducitur ex diffinitionibus Conciliorum; quæ cum ex dictis necessitatem intentionis faciendi, quod facit Ecclesia in ministro inuehât, finisue Ecclesiæ proximus sit is, quem declarauimus; profecto hanc intentionem necessariam in ministro adstruunt: & probatur etiam ratione à priori, quia sic scilicet Deo libuit instituenti, qui cum hominibus potestatem concesserit distribuendi, conficiendique sacramenta, actusque sacramentales omnes sint actus humani non absolutè in genere; sed actus hominis vt ministri Dei, & rursum homo minister Dei in sua actione agat propter finem sequitur necessario actionem sacramentalem propter finem aliquem agendam à ministro, at non necessario propter finem vltimum, vt dictum est, ergo saltem propter finem proximum, omne enim agens à proposito agit propter finem.

Altera assertio elucidatur.

109 Contra hanc veritatem plura afferunt Ambrosius Catherinus, & alij, quorum solutiones vide apud Recentiores: ego vnica difficultate contentus hanc cõtrouersiam euellam, ac complebo. Est autem difficultas, quoniam non necessarium est instrumentum habere propriam actionem, & multo minus intentionem; at minister in sacramentis est instrumentum Dei, ergo non necessario actionem habet, & intentionem. Quod si cum Scoto dicas hominem ministrum in sacramentis non esse purum instrumentum, sed secundam causam nedum respectu actus in genere, sed vt sacramentalis, licet respectu finis vltimi sit solum instrumentum Dei. Contra; exemplo veritas ostenditur, nam si quis aliquod transigat negotium per ministrum ad valorem contractus non requiritur intentio ministri, sed solius principalis agentis, vt si ego, exempli gratia, per aliquem ex meis famulis dono quidpiã alicui mittam, translatio doni à me fit, per famulum autem, etiam si ille nullum ad hoc consensum præbeat, & intentionem, sed solum famulatum præstet, sed non se habent dissimili modo ministri in dandis sacramentis homini Dei nomine: Deus enim dat siue per famulum consentientem, siue dissentientem, dummodo famulatum præstet: quod non obscurè indicat Augustinus *libris citatis de baptismo contra donatistas*, & precipuè *lib. 7. cap. 53.* vbi in primis docet baptizatum absque simulatione baptizati manere baptizatum; de ministro autem ioco dante baptisma non audet diffinire, quia scilicet vtraque ei sententia arrisit, vel saltem probabilis visa est.

Difficultas ex Auctore.

Præoccupatio refellitur.

110 Occurrendum huic difficultati, vt dictum est ex Scoto (cuius doctrina de distinctione instrumenti, cuius nomen latè funditur, in disputatione de efficacia sacramentorum dilucidabitur) ministrum non solum esse purum instrumentum, sed suæ actionis secundam causam, & proinde cum sit agens voluntarium debere propria intentione esse præditum; quæ, vt diximus, est saltem circa finem proximum, nec exemplum ad rem facit, cum famulus in casu posito sit solus dispensator, non minister, cui vt causæ secundę aliqua actio conueniti proinde argumentatio nulla; de Augustino non est laborandum; cuius tempore nondum hæc veritas præscripta erat.

Diluitur difficultas.

(1551)



AN INTENTIO IN habitu, an in actu requiratur in ministro.

ARTICVLVS III.



111 Svperiori Articulo intentionem in ordine ad obiecta partiti sumus; hoc loco partitionem eius in se consideramus: est ergo intentio triplex, quædam in habitu, quædam in virtute, quædam in actu; ipsa vocum prolatio significatum præsefert; nam qui actum habet elicitum circa id, quod intendit, actu dicitur intendere; qui habet habitum inclinantem ad huiusmodi actus dicitur habitu intendere; nam ex frequentatis actibus generatur habitus; qui verò medio modo se habet, ita vt nec actu intendat, nec solo habitu; sed virtute quadam dicitur virtualiter intendare; quod exemplo fiet clarius, si quis in principio missæ intendat vtique celebrare missam, postea tamen in diuersa distrahatur, is certè non dicetur actu intendere, quia iam est distractus, nec solo habitu intendere; quia virtute illius primę intentionis indutus est sacramentalibus vestibus, & ad altare accessit; quæ omnia non sunt à sola habituali intentione, quæ etiam manet in dormiente, non immerito autem hæc tertia intentio dicitur virtualis; quatenus actiones ab homine emanantes virtute illius actualis intentionis primæ fiunt, licet ipsa iam non maneat; quomodo autem hoc fieri possit, numquid scilicet, voluntas actu intendens aliquid relinquat in potentijs inferioribus, nec ne, docet ęgregiè Scotus *in 4. d. & q. 6.* quod cum voluntas ordinatè habeat suas volitiones respectu finis, & mediorum cum actum aliquem inferioris potentiæ imperauit, potest ille actus inferioris potentiæ imperatus manere, etiamsi nec prima, nec secunda voluntatis intentio maneat, quo actu inferioris potentiæ imperato à voluntate manente quantumuis distracta voluntate intentio manere dicitur; hoc autem probabile esse, nimirum effectus manere non manente actuali motione agentis, à qua producuntur, patet in naturalibus in motu proiectorum, in quibus prius cessat pars motoris propinquior, quam remota; patet etiam specificè in lapide proiecto in aquam; à quo fit primus circulus, & primus circulus est causa secundi circuli, & sic de cęteris, non tamen manet primus dum fit tertius, & quartus, & cæteri. Hac ergo distinctione supposita, quoniam articulus præsens, vel nullam habet controuersiam, vel si quam habet, nominalem habet solum, ignota fortè terminorum habitualis, virtualis, & actualis, significatione germana, vnico asserto dicendum.

Intentio alia Habitu, & virtute qua sit

Fusè explicatur.

Assertio præcipua.

112 Intentionem in ministro actualem non esse necessariam, habitualem non esse satis; virtualem exposci; Assertio triplici consita parte quo ad singulas vno, vel altero verbo probatur. Actualem intentionem non necessario exposci probatur vnico Scoti dilemmate.

Ad intentionem, vt superiori articulo diximus, obligauit Deus ministrum, ergo actualis intentio non est necessaria; consequentiam deduco. Impossibiliũ nulla est obligatio, sed actualis intentio in opere diu durante impossibilis est; ergo ad illam non est obligatio. Maiorem tradunt Iure Consulti omnes; Minorem Philosophi, qui vno proclamant ore primos motus non esse in nostra potestate, quorum sententiam probans Augustinus *lib. de libero arbitrio cap. 3.* *Non est*, inquit, *in potestate nostra, quin visis tangamur*; quod est dictu distractio non est nostri iuris &c. Altero dilemmate non satis esse habitualem intentionem probamus. Quandocunque sequitur effectus ab homine, ac si de eo non habuisset intentionem, effectus ille dicitur casualis ferè, vel fortuitus, & non ex intentione illa pendere; sed ex habituali intentione ita sequitur effectus, ac si illam non habuisset homo; ergo casualiter potius, & fortuitò, quam ab illa intentione actus dicitur dependere. Maior probatur; quia si effectus sequitur præcisè positionem solius suæ causæ, verus est illius causæ effectus; si autem aliunde deriuari potest, non est proprius causæ illius effectus, nisi casu, vel fortuna; Minorem declaro exemplo. Certum est vnumquemque habitum habere inclinantem ad desiderium sanitatis, si quis autem pila ludens ob iocum, vel animi voluptatem ex sudore defluente humores emittens sanitatem adipiscatur,

Actualem intentionem non esse necessariam probatur.

Habitualis non est satis.

tur, is ita curaretur, ac si nullam de sanitate unquam intentionem habuisset; quia non ex illo desiderio ludo se dedit, fortuito igitur, & casu quodam sanitatem acquisiuit ex habitu illo, tanquam ex causa per se mouente, subinferendum modo est. At ex intentione pendere debet ministri actio per se, quoniam etsi illa non sit quid interne constituens sacramentum, ex parte tamen agentis necessaria est, & sicuti ad effectum causa effectrix necessario poscitur, ita & id quod est causę effectrici quasi ratio agendi, quale quid est intentio. Adde cum intentione habituali posse actualem inesse contrariam intentionem, & proinde ex illa irritari sacramentum omnino. Ex his tertiam asserti partē probato à sufficiēti partium enumeratione.

Præterita virtualis intentio quomodo maneat.

113 Sed quomodo hæc virtualis intentio cum sit præterita maneat in ministro, ita vt effectus hic ab ipso promanans dicatur ab illa intentione pendere, iam ab ipsis Scoti temporibus, & ante etiam dubitatum fuit; hinc ipsemet Doctor Richardi opinionem reprahendit statuentis voluntatem in operis initio faciendi virtualiter intendentem imprimere virtute motiuæ virtutem quandã, qua manente virtus illa motiua mouet. Recentiores igitur variè dubitationem propositam eneruant. Vasquez *disput.* 138. *cap.* 9. *num.* 78. ideo intentionem hanc, de qua petimus, virtualem vocat; quia cum sit præterita est quasi remota causa actionis, quæ fit sacramentalis. Sed hæc responsio ad petitionem nostram ne verbo quidem aptatur; nam & nos intentionem præteritam vocamus, & obinde præsentis actionis quodammodo remotam causam, quæ tamen proxima fuerat causa alicuius necessario cum sacramenti administratione connexi; at petimus quonam modo illa præterita intentio manere dicatur, ut effectus sacramentalis ministerii dicatur ab illa pendere, dum connexionem illã ignoramus qualis, quæue nã sit. Suarez *disp.* 13. *sect.* 3. id fieri autumat; quia voluntas actualiter intendens externas potentias ad operandum applicuit ab initio; quibus manentibus applicatis, quamquam intentio illa prima non maneat, dicitur effectus ab illa pendere, & virtualiter illa manere.

Responsio Vasquez.

Rejicitur.

Responsio Suarez.

Excerpta ex Scoto.

114 Hanc responsionem Suarez ex Scoto descripsit *in* 4. *d.* 6. *q.* *citã* 6. *littera* E. vtinã grato animo; ait enim Scotus ibi, voluntatem imperare actus potestatis inferioris, quo manente licet intentio prima non maneat, voluntate vtpote distracta, dicitur virtualis intentio manere. At nos hic nescio quid vltra petimus, nempe an voluntas illa prima actualiter intendens, vt permanere dicatur virtute saltem in ministerio actus, quidpiam in inferioribus potentijs derelinquat, quod bene intellexit Richardus, licet explicando quid illud esset dixerit virtutem esse quandam à voluntate in virtute motiua impressam. Coninchius *q.* 64. *art.* 8. *dub.* 2. putat aliquid à voluntate illa prima actualiter intendente relinqui præsens in imaginatione impressum, ratione cuius impressionis in imaginatione præterita intentio virtualiter dicitur manere, ita vt imaginatio id habens à voluntate impressum dicatur actus omnes externos dirigere vsque ad operis complementum. Sed & hic etiam Auctor à Scoti fonte sententiam hausit, licet mutatis verbis; habet enim Scotus *loco citato paulo ante litterã E.* dici posse, quod in fantasia est aliqua dispositio, secundum quam mouet cessante actu voluntatis primæ imperantis. Displicuisse tamen hanc responsionem Scoto inde dixeris; quod statim aliam apponit certè priori non contentus; nec sine ratione dixeris displicere vtpote dispositiones, ac virtutes varias in potentiis inferioribus à voluntate impressas inutiliter multiplicando, cum ex solo voluntatis imperio æque bene seruari incolumis possit virtualitas illa primæ intentionis manens in exercitio operis.

Responsio Coninchij.

Etiam è Scoto deprompta.

115 Quocirca dicendum rem in Scoti doctrina se ita gerere; vt uoluntas primo actu intendens exempli gratia conferre cuipiam baptismum, & facere, quod facit Ecclesia imperet motiuæ uirtuti, ac potentiæ, cuius actu imperato à uoluntate permanente, quamquam distrahitur in diuersa uoluntas usque ad baptismi totale complementum, dicitur ipsa intentio prima manere uirtute, unde & uirtualis dicitur, non ita ut nouam uirtutem induxerit in inferioribus potentiis; sed quia inferiores illæ potentiæ, seu actus illarum imperati dum agunt ad finalem effectum ex directione imperii uoluntatis illius primæ agere dicuntur. Exemplum rem ponit ob oculos. Statuo ad ædem tendere sacram Lauretanam, uel Romanam Apostolorum; uoluntas mea id statuens, ac intendens præcipit ex suo imperio uirtuti motiuæ; moueor, & iter agens de Lauretana æde, uel Romana

Auctoris interpretatio.

non

non cogitatus, tendo tamen, & peruenio, non utique ex habituali uoluntate dumtaxat, quæ cum opposita actuali uoluntate permanere potest, sed uirtuali, quæ manente actu potentiæ motiuæ meæ ab ipsa uoluntate prima impetrato, uirtualis uoluntas dicitur, idest uoluntas in uirtute manens.

Obiectum Lugo. 116 Aies cum Ioanne à Lugo *disp. 8. sect. 5. num.* 80. hanc experientiam non obstare; quia etiam distractus, uel ira correptus uehementius ambulat, & aliquando sistit, manus interdum mouet, cum tamen ab initio solum deambulationem, uel locutionem statuerit, non autem illam quietem inter ambulandū, nec illam manum motionem; quæ tamen omnia negare non possumus ab aliquo interno actu imperante prouenire, & rursum si homo inter ambulandum dormit, ita ut ab omni interno opere cesset, etiam ambulatio cessabit; signum igitur euidens est, non posse externam potentiam à sola præterita applicatione sufficienter determinari.

Tollitur. 117 Audio, & factum, seu experientias hasce confiteor, quorsum vero ducantur, non intelligo; nam imprimis quamuis in mouente se distracte, uel ira præpedito quies, vel manuum motio intercedat non ab initio constituta; hæc tamen omnia intentionem primam minime frustrare dicuntur; cum sint potius actus quidam derelicti, quam imperati, neque hoc est impossibile, cum non sit necessarium ad motum vtcumque à nobis eliciendum uti semper iudicii, aut rationis libertate, ut patet in phreneticis, & ebriis; porrò parum ab hisce distare ira correptum patet, similiter & valde distractum. Sed hæc experientia ad rem nostram nihil, siue enim actus illi imperentur, siue non nihil ad exemplum nostrum, quo statuimus virtute manere intentionem primam ex actu inferioris potentiæ imperato manente. Aies non manere per quietem motu interrupto, vel alio adueniente motu.

Instantia. Respondeo, nec prima illa intentione decretum ita motum, ut nusquam intercederet quies, sed manere decretum de

Tollitur. motu, quia nunquam retractatum in ijs, quæ successiue fiunt uirtute dicitur persistere. Quod igitur fertur secundo loco de motu cessante accessu somni, quo intercedente omnes operationes internæ cessant voluntatis, ac intellectus, quidquid de hoc sit in præsentia; respondeo deductionem esse uoluntariam; nam etsi cessante interno cesset externus in somno motus, non ob id tamen cessat, seu cessare dicitur decretum primum de motu, quod non fuit factum ea conditione, ut non per somni quietem interrumperetur. *Adde* ex Scoto *loco citato* nos doceri non vno, eodemque primo actu potentiæ inferioris à voluntate imperato manente solum dici manere uirtualiter intentionem primam, sed asseri à Scoto uoluntatem habere uolitiones suas ordinatè tam respectu finis, quam mediorum ad finem, quæ cum ad aliquam istarum volitionum peruenerit, actumque potentiæ inferioris correspondentis medijs, uel fini imperauerit, si ille actus inferioris potentiæ correspondens, ut diximus, manserit, manere dici poterit virtute; licet illa secundum se prima intentio non maneat in actu.

118 Instabis ex Scoto *littera* D. supponi derelinqui à uoluntate habitum in phātasia secundum quem etiam distractum hominem agere. Occurro Scotum dubitanter locutum, quocirca ait, *& ex isto procedat continue forte secundum aliquem habitum derelictum, &c.* vbi obserua particulam dubitatiuam *forte*. Aduerte tamen non esse opus intercapedinem intercedere tantam, ut omnino censeatur discontinuata motio potestatis imperatæ à voluntate, ita ut opposita uolitio, actusque oppositus interueniat, quia tunc intentio non amplius uirtute maneret, sed habitu, quam tamen non esse satis docuimus. *Noua instantia.* *Occursus.*

119 Obiicies, habitualem intentionem esse satis in ministrante, sicuti in offerente, seu applicante sacrificium sat est intentio habitualis; ualet enim sacrificium, quod ego hodie applico Petro pro crastina die, dummodo non reuocetur à me hæc applicatio ante ipsum sacrificiū crastinum. Respondet Vasquez non valere applicationem hodiernam pro sacrificio crastino; quia applicatio sacrificii est offerre sacrificium pro aliquo, oblatio autem sacrificii fit in ipso sacrificandi actu; & rursum sacerdos applicare sacrificium nequit, nisi ut Christi minister, non est autem Christi minister, nisi sub actu offerendi, & sacrificandi. Contra Vasquez arguit Lugo, quia offerre sacrificium non est directè applicare sacrificium, sed quasi reflexè, & sacerdos tam est minister oblationis in se, quam applicationis. *Obiectio.* *Responsum Vasquez.* *Luditur Lugo.*

120 Consentio cum Lugo aliam esse rationem oblationis in se, quam illius applicationis circa intentionem, unde

DE EFFECTIBVS SAcramentorum.

DISPVTATIO V.



Extrema difficillima, veteri prouerbio, hucusque disputationes quasi morales prosecuti fuimus, hæc duplex vniuersæ tractationis de sacramentis in genere disceptatio phisica magis, & in controuersiam omni ex parte deducta, in qua quoniam sacramentorũ effectus, quidã est omniũ quidã vero est aliquorum, & prior dicitur gratia, alter vero character, de vtroque sacramentorum effectu disputaturi tractationem vniuersam in duas secabimus partes; quarum primæ perscrutationem effectus generici sacramentorum omnium, alteri vero considerationem peculiaris effectus aliquorum sacramentorum demandabimus.

DE GENERICO SAcramentorum effectu, qui est gratia: *An sacramenta omnia nouæ legis gratiam causent.*

CAPVT I.





1 Timur apposite causationis vocabulo in hac difficultatis perscrutatione, vt palam fiat diuersitatem esse nomine tenus de continentia, de efficientia, de conferentia, de causalitate gratiæ per sacramenta; quamuis enim Concilia, quæ infra citabimus vt plurimum de continentia, & conferentia loquantur, & statuant sacramenta continere, vel conferre gratiam, per hanc tamen loquendi modum à voce causationis non distant, vnde Concilium Florentinum in Decreto Eugenij pro vniendis Armenis, proprium effectum baptismi decernit esse remissionem omnis culpæ originalis, & actualis, omnisque pœnæ; quod est dictu effectũ eius esse gratiam, cuius merito de ordinata Dei potestate culpa deletur, & Tridentinum *sess.* 14 *cap.* 3. effectum sacramenti pœnitentiæ esse ait reconciliationem cum Deo; quod est dictu, gratiam per eam causari, cum gratiæ merito homo Deo inimicus reconcilietur Deo: & ex his habes, quod si gratia est sacramentorum effectus, non nisi nomine distant assertiones de continentia, & conferentia; quomodo enim continent: formaliter ne, an virtualiter, siue effectiuè? certè virtualiter, & effectiuè, idem est ergo quærere, an gratiam contineant, & an gratiam efficiant, & causent: & rursum si gratiam conferunt cum continendo conferant, effectiuè conferent, est ergo diuersitas nominalis, vt diximus; quidquid moneant Recentes etiam ex Scoti familia. Obserua insuper, cum causationem in sacramentis postulamus, haud quaquam rationẽ primæ, ac principalis causæ in eis comminisci, nusquam enim de hac re vel leuiter fuit dubitatum inter Catholicos, an sacramenta primario, tamquam scilicet principales causæ gratiam conferant; vnde perperam Catholicis imponit Caluinus *lib.* 4. *institutionum cap.* 14. dum ait Catholicos, quos ipse Papistas uocat in dubium ciere, an Deus externis symbolis resignet vices suas; quod falsissimum esse, & verum figmentum Caluini constat ex omnium Catholicorum consensu; qui tamen cautè de hac causatione gratiæ in sacramentis loquuntur, vt licet causatio, & continentia sit eadem omnino, quemadmodum dictum est, ne causam præbeant Hereticis in deteriorem partem vocabulum illud transferendi, videantur appositè à nomine causationis abstinere, & eius vocis loco, continentiæ vocabulum vsurpare.

Continere, & conferre gratiam omnino idẽ.

Obseruatio necessaria.

2 Dicendum igitur, sacramenta omnia nouæ legis gratiam ex opere operato causare. Assertio Catholica implicitè primum, mox verò disertis verbis in Cõcilijs finita est. Implicitè illam tradiderunt Nicenum, ac Constantinopolitanũ Concilium in confessione fidei. *Confiteor vnam baptisma in remissionem peccato-*

Assertura principale.

peccatorum, &c. quæ finitio, etsi de solo baptismo datur, non dissimiliter de cæteris datur, cum æque hoc sacramentis omnibus conueniat, vt gratiam causent, quippe quæ in medelam sunt tradita singula; & hæc finitio implicita dicitur; quia nihil de gratia commemorat, sed quia regulariter peccata absque gratiæ infusione non dimittuntur, implicitè diffinire dicuntur duo illa Concilia causationem gratiæ in baptismate, dum explicitè remissionem peccatorum decernunt. Explicitè autem veritatem hanc tradunt Concilia Florentinum in Decreto Eugenij, & Tridentinum *sess. 7. de sacramentis in genere*, quorum illud discrimen inter nouæ, ac veteris legis sacramenta constituens hoc unum præ cæteris grāde commemorat, quod ista nouæ legis gratiam contineant, & digne suscipientibus conferant. Hoc autem *loco citato can. 6. 7. & 8.* anathema dicit ijs, qui dixerint sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quā significant, aut gratiam non conferre, aut non dari gratiam per ipsa semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, aut per ipsa non conferri gratiam ex opere operato.

Quomodo Concilia diffiniant dari per sacramenta gratiam.

3 Quamuis autem non vsurpet Concilium signum vniuersale *omnia* dum has diffinitiones tradit; tamen cum hic sit effectus sacramentorum proprius, indefinitè loquens vniuersaliter intelligitur locutum; cuius mentem de singulis sacramentis sequentibus sessionibus habes; in quibus de vnoquoque sacramento distinctius; & ex ipsa diuina institutione patet de baptismo. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei, &c.* Ex quo loco deducitur aperte baptismum esse causam regenerationis spiritualis in filium Dei, & de Eucharistia. Ioann. 6. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum, &c.* & de sacramento pœnitentiæ Ioann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.* Apostolis ergo per pœnitentiam datur facultas dimittendi peccata; de Extrema vnctione, *Iacob. 5. & oratio fidei alleuiabit infirmum, & si in peccatis est, dimittuntur ei, &c.* de sacramento Ordinis, *2. ad Thimoteum 1. capite, &c. resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum &c;* de Sacramento Confirmationis, *Act. 8. Tunc imponebant manum super illos, & accipiebant Spiritum sanctum, &c.* & de Sacramento Matrimonij, *Matthæi 19. Quod Deus coniunxit, &c.* quæ verba explicat Scotus *d. 26. q. 1 littera K.* de coniunctione per gratiam, non de coniunctione per contractum, quæ duæ coniunctiones incidunt in sacramentum matrimonij. Hactenus rudi quadam Minerua; quia de singulis singillatim peculiari, Deo dante, tractatu dicendum est. Coaceruant etiam ad hanc veritatem Recentes mille Patrum testimonia, quæ ne libros ex aliorum coagmentemus dicterijs, in re citra controuersiam apud fideles, mittimus lectorem contra Hæreticos lecturum, quæ habent Recentiores, dimittendo.

Ex ipsa Dei institutione gratiam dari per sacramenta probatur.

4 Interim pro veritatis elucidatione obserua, hoc vocabulum ex opere operato plane nouū, ac ignotum fuisse Antiquitati, & Patribus, & nouo iure à Sac. Conc. vsurpatū, nec mirum, quia nouis rebus noua licere vocabula appingere *in 1. sent. lib.* tradidimus, vnde stultè satis Caluinus in Antidoto Concilij Trid. voces has appellat monstra verborum, nisi fortè monstrum intelligere vellet; quia certè nouo illo vocabulo secretiora nostræ Theologiæ de sacramentorum efficaci virtute portenta referantur; dixi notanter à Concilio vsurpatum; quia non è Concilio Tridentino primum vox ista manauit; quam ducentis ante lapsis annis plus minus vsurpauit Subtilissimus Scotus *in 4 dist. 1. quæst. 6. littera I.* quo loco docet sacramentum ex virtute operis operati conferre gratiam; quid sit autem ex opere operato gratiam causari ex doctrina eius *loco citato.* elicitur. Contingit si quidem suscipientem baptismum, vel aliud quoduis sacramentum interdum obicem per peccatum ponere (loquimur autem de adultis; nam de paruulis secus dicendum est) interdum non ponere obicem, interdum autem non solum obicem peccati non ponere, sed & se se quantum fieri potest disponere; si primum accidat sacramentum nullum habet effectum in suscipiente, loquendo de gratia; nam de charactere secus loquendum est; si secundum contingat habet effectum suū sacramentum collatum, & effectus is dari dicitur virtute operis operati tantum; si tertiū denique eueniat, effectus per sacramenta dabitur tam virtute sacramenti idest operis operati; tam virtute operis operantis, puta boni motus interni, qui meretur gratiam, vel augmentum eius; generatim ergo opus operantis ex parte recipientis attenditur, non ex parte ministrantis; opus autem

Vox ex opere operato à Scoto tradita & Conciliorum decreto firmata.

ope-

operatum ex ipsa sacramenti virtute metiendum est, ex quo patet deceptum fuisse Vasquezium, aliosque Recentes *disp. 131. super quæst. 62. art. 4. 3. partis S. Thomæ, cap. 1.* asserentem ex parte ministri accipiendam esse virtutem operis operantis; nam sacerdos offerens sacrificium vtroque modo iuuat eos, pro quibus offert, & opere operato, & opere operantis: decipitur autem Vasquez, quia hoc loco non de merito congrui loquimur, sed de merito condigni: scio vtique per ministrorum orationes, ac probitates augeri posse gratiam per sacramenta datam, quemadmodum infra dicemus; at quoniam illa daretur dumtaxat de congruo, non rectè diceretur data ex virtute (nota verbum *ex virtute*, quod indicat maiorem efficaciam, quam congruitatis) operis operantis, sed ex congruitate, propterea vocabulum hoc illi non quadrat: sed nec exemplum de sacerdote offerente est ad rem nostram; siquidem sacerdos offerens est simul, ac semel minister, & suscipiens; si quid ergo virtute operis operantis sacrificium valet, puta valere ex opere sacerdotis non qua offerentis, quia sic tantum de congruo meretur; sed qua suscipiens est, nisi forte mauis asserere diuersam esse rationem de sacramentis, quorum esse est in fieri, & de Sacramento Eucharistiæ, quod est in facto esse; verum de hoc alibi.

De opere operantis sacrificium Vasquez.

Redarguitur.

5 Interim suppone vt certum, nos operis operantis virtutem ex parte suscipientis metiri, non ex parte ministrantis: vnde autem opus operatum dicatur, an à Deo, an à Christo, ita ut, cum dicimus sacramentum gratiam dare ex opere operato, intelligamus ipsum dare gratiam quatenus factum est secundum diuinam institutionem, non ex merito ministri, vel intelligamus opus operatum dici opus passionis Christi, virtute cuius datur gratia in Sacramentis, Dubium est. Vasquez *loco citato* putat iustificari personam ex opere operato esse idem, ac non iustificari ex merito ministri, sed ex opere ipso sacramenti, quatenus factum est secundum diuinam institutionem, cuius asserti nullam affert rationem: in eandem sententiam iuit Faber *in 4. sent. tomo de pœnitentia disp. 35 num. 231.* sine vllo fundamento Suarez *disp. 7. sect. 1.* opus operans appellat dispositionem recipientis, opus autem operatum ipsummet sacramentum collatum; idque ex communi sententia supponit absque vllo fundamento.

Vnde dicatur opus operatum,

Vasquij declaratio, & Fabri.

Declaratio Suarij.

6 Fateor hæc vocabula in ore omnium esse; arbitror tamen non sanè intelligi ab omnibus: supponendum igitur hoc loco nomine operis non quodcunque opus hoc loco intelligi, sed opus meritorium, dum enim de gratia loquimur, ad quam opus valet, de nullo planè opere loqui possumus, nisi de meritorio. Supponendum insuper nomen operis non promiscuè, & æquiuocè sumi; dum de opere operantis loquimur, & de opere operato, at secundum idem significatum, quod suppositum ex eo probatur, quod distinctio huiusmodi operis esset satis imperfecta, si nomen, quod penes operans, vel operatum tantum distinguitur, in ratione nominis etiam non conueniret, & esset distinctio similis huic, si exempli gratia distinguerem hominem videntem à non vidente, & intelligerem hominem videntem eũ, qui viuit, & non videntem intelligerem hominem non viuentem, sed pictum, quæ distinctio satis æquiuoca est, & à scholis aliena; nomen igitur operis, tam in operante, quam in operato vniuocè sumitur, alioquin non posset diuidi in operans, & operatum diuisione generis in species, quod semper vniuocum est.

Declaratio propria.

7 Supponendum tertio ex dicendis, in in sacramentis propriè nullam esse virtutem causandi gratiam, sed gratiam per illa tanquam per dispositiones necessitantes Deum, ex pacto causari, nisi forte virtutem appellare velis pro vltimo de potentia, quemadmodum accepit illam Aristoteles *1. lib. de cælo textu com. 116.* quomodo nihil aliud est virtus in sacramento, nisi conformitas signi ad signatum, quæ est relatio conformitatis; nisi asserere mauis assistentiam Dei in sacramentis ad gratiam causandam virtutem eorum esse, sed hæc est virtus externa, non interna: propriè igitur nulla est virtus de genere qualitatis in sacramentis, sed virtus eorum est virtus passionis Christi, cuius merito agunt, est virtus Dei agentis, cuius institutione agunt.

In sacramentis nulla est virtus interna causandi gratiam

8 Ex his deduci potest nostra sententia de significato vero, & germano harum vocum *operans opus*, & *operatum*, nam si opus pro merito sumitur, & in vtroq; nomine opus non æquiuocè sumitur, ut in sacramentis virtus meritoria est Christi passio; sequitur euidentissimè nomine operis operantis intelligendum esse meritum suscipientis, nomine autem operis operati intelligendum esse me-

Consectaria auctoris sententia

ritum passionis Christi, nec multum distare distinctionem hanc à merito congrui, & merito condigni, cum homines primam gratiam, quæ nata est per sacramenta dari non nisi ex merito congrui possint mereri, Christi autem passio ad eam dicatur meritum de condigno; & quia hoc præstat, & longe antecedit meritum congrui, idcirco opus Christi dicitur operatum, opus suscipientis dicitur opus operantis; adde quod Christi meritum iam exhibitum est, ideo opus operatum dicitur, suscipientis vero meritum exhibetur actu, ideo opus operantis dicitur.

9 Neque putes hanc doctrinam esse superiori contrariam, qua diximus, ideo opus operantis non esse spectandum ex parte ministri, sed ex parte suscipientis; quia minister solum de congruo mereri potest, quasi vero diximus suscipientem mereri de condigno; quia tunc de incremento gratiæ locuti fuimus, nunc vero de prima gratia, refert autem multum de merito penes primam gratiã, & penes incremẽtũ eius eloqui, vt suo loco dicendũ est. Quod si inftes, si opus operatum intelligitur Christi passio, ergo viuente Christo sacramenta nondum ex opere oper to valebant. Responsiones ad hanc difficultatem habes *disp. superiori cap.* 2. loquendo de modo, quo Christi passio fuerit causa meritoria sacramentorum antequam crucifigeretur Seruator, quære ibi: & ex his habes insufficientiam explicationum Fabri, Suarezij, & Vasquezij circa hæc supra memorata vocabula, &c.

Non contradicit sibi Author.

(∗∗∗)

AN SACRAMENTA *omnia æqualem gratiam conferant.*



CAPVT II.



10 Petitio presens non circa sacramenta specie diuersa, sed inter sacramenta solo numero differentia versatur, puta circa duo baptismata, vel Cõfirmationes &c. in qua ordinariè procedentes post rei substantiam, quantitatem potcimus, proinde conflito dari per sacramenta gratiam, iure philosophico, priusquam modum collationis gratiæ posceremus, petenda fuit æqualitas, vel inæqualitas gratiæ collatæ, eo potissimum, quod cum mensura gratiæ vel ex opere operato ducenda sit, vel ex opere operantis, videbatur hac difficultas, quasi superioris capitis appendix, quo præfata nomina memorauimus.

11 Difficultatem hanc prosequitur Scotus *in* 4.*d*.4.*q*.7. loquendo de baptismo; eius tamen doctrina singulis applicari sacramentis potest, cum eædem rationes pro singulis eundem habeant vigorem, eius autem aperiemus mentem primum, mox quid alij sentiant, quidue Scoto tribuant dilucidabimus.

12 Sensit ergo subtilissimus Doctor, non absolutè dubitationi propositæ obsistendum, sed valida distinctione eorum, quæ ad producendum sacramentalem effectum siue gratiam conspirant, esse obuiam eundum. Hæ igitur causæ ad effectum gratiæ animæ inducendum conueniunt, causa instituens Deus, causa meritoria Christus, causa ministrans homo, causa dispositiua suscipiens, seu passum, si & illum causæ nomine cohonestare libeat, & proinde ex singulis causis æqualitas potest, & inæqualitas gratiæ manare. Insuper suscipientium quidam paruuli sunt, quidam

Proponitur opinio Scoti.

tam adulti, siquidem intra sacramentorum numerum primo loco collocatū est baptisma, quod nedum adultis, sed paruulis datur, itidemque sacrum Confirmationis sacramentum vtrisque dari potest.

13 Hisce præhabitis Scoti sententia nonnullis aperitur assertis. Primum est tam ex parte instituentis, quam ex parte merentis causæ fieri potest, vt duo sacramenta solo numero diuersa inæqualem conferant gratiam. Hæc assertio, quæ quid fieri possit, non autem quid actu fiat explicata declarat, probatur primū de causa instituente, quæ Deus est. Et si Deus tantam decreuit gratiam conferri per sacramentum aliquod regulariter, vt nulli velit conferre minorem, attamen quia quos ad maiorem ab æterno elegit gloriam antecedenter ad decretū de instituendis sacramentis, ad maiorem quoque decreuit gratiam, fieri posset, vt destinato ad maiorem gloriam decreuerit maiorem per sacramentum conferre gratiam, non ita tamen vt gratus illi gratia citra determinatos per sacramentum regulariter virtute sacramenti, sed ex Dei liberalitate per sacramenta daretur. De causa merente, quæ fuit Christi passio assertum idem suadetur, Potest Christi passio efficacius pro vno operari, quam pro alio, ergo respectu eius æqualis, vel inæqualis conferri gratia potest per sacramenta aliqua solo numero diuersa consecutio est euidens, antecedens probatur. Christi passio spectari potest, vel vt exhibita, vel vt volita, sed vtroque modo potest pro vno, quam pro alio efficacius operari vt volita quidem, quoniam specialius offerri in intentione offerentis pro vno potuit, quam pro alio, Christus enim, ex quo omnia per scientiam visionis nouit, quæ Deus nouit, nouit etiam nedum electo omnes, sed & certos gloriæ gradus, ad quos decreti fuere electi; potuit ergo pro electo ad maiorem gloriam plenius passionis suæ meritum offerre. Vt exhibita vero, certum est, quod Christi passio efficaciori modo nos iuuat, quam veteris testamenti PP. siquidem obsequium in opere præstitū acceptatur magis, quam præuisum ad maius bonum retribuendum, quale est gratia; ex hac igitur duplici causa diuersitas effectus, eiusque inæqualitas non sine fundamento deriuatur.

14 Hactenus de possibili. Cæterum quid vsu ipso, ac, vt Theologi aiunt, de facto eueniat incertum est primo, an per oblationem specialem in Christi voluntate sit inæqualitas gratiæ certum est au tem secundo, per exhibitionē passionis maius gratiæ pōdus per baptismū, quam per Circumcisionem dari incertum est, tertio quid Deus per sacramenta citra gradus gratiæ certos electis ad maiorem gloriam gratiæ maioris accommodat. Quis enim Domini sensus nouit; aut quis ingressus est thesauros diuinæ sapientiæ? Certum est quarto regulariter effectum, exempli gratia, per baptismū datum esse æqualem simpliciter ex parte causæ principalis; cum, quatenus causa principalis, attenditur, prima gratia de lege communi non detur maior, vel minor.

Assertio prima Scoti.

Eiusque probatio.

De facto quid dicendum.

15 Secundum assertum: si paruulum par nulo conferas, æqualis est in vtroque per sacramenta effectus penes ipsos suscipientes, sed penes potiorem parentum, vel assistentium, vel etiam ministrorum internum animi motum potest esse inæqualis in vtroque gratiæ effectus. Et hoc assertum duplici parte constitutum breuiter ex Scoti doctrina probatur. Prima pars constituens paruulos ex ipsorum parte parem cōsequi effectum, liquet, quia inæqualitas gratiæ ex ordine suscipientium pænes meliorem internum animi motum fluit, at in paruulis nulla diuersitas interni motus, singuli namque nullum habent internum motum; ergo idem in singulis, & æqualis effectus.

Secunda assertio.

Probatur quo ad primam partem.

16 . Altera particula de inæqualitate effectus in ordine ad parentes, ac ministros patet. Possunt parentes paruuli vnius itidem ac ministri potiori motu recto animi affici, & affecti preces pro paruulo effundere; at gratia precibus piorum incrementum in subiecto recipit, vt quid enim sin minus effusæ ad Deum prodessent preces, iteratis precatiunculis antecederet Ecclesia, & subsequeretur actum baptizationis infantum? ergo ministrorum, ac parentum merito inæqualitas deduci effectus in paruulis potest. Verum monet Scotus, & hos citeriores gratiæ gradus, non ex virtute baptismi, sed ex precantum merito dari, & in exemplum adducit Nicolai Mirensis Episcopi singulare gestum, qui adhuc infantulus parentum forte precibus adiutus tanto gratiæ incremento fulcitus est, & bis in hebdomada ieiunaret vnica in dies lactatione contentus; monet proinde Scotus, optandum magis esse sacramentum à bono, quam à prauo Sacerdote ministrari, vt eius pre-

Probatio secundæ partis.

O 2 cibus

cibus incrementum paruulus gratiæ sumat.

17 Tertium assertum; Si paruulum adulto conferas, similiter si adultum adulto pro parte eorum inæqualitas effectus spectari potest. Et hæc assertio duplicem habet partem. Primam de collatione paruuli cum adulto suadet ratio. Maioritas, vel gratiæ minoritas dispositionem in suscipiente sequitur, quoniam ex Augustino qui nos fecit sine nobis, non saluabit nos sine nobis, &c. & nostris meritis respondent cælestia dona; quæ etsi gratis à Deo dantur, at per opera dantur, excipe primam gratiam; at in paruulis nullus motus, in adulto est saltem consensus, qui & rationem meriti subit, nisi per peccatũ obex adsit, ergo dispar in vtrisque sequitur effectus. Simili modo metire partem alteram asserti conferentem adulto adultum; nam ex æquali vtriusque præparatione habebitur gratia mẽsura, etsi autem Scotus de hisce gradibus gratiæ ex dispositione suscipientium nihil vltra diffiniat, attamen ex doctrina eius identidem sentiendum est hos non ex sacramenti virtute, sed ex diuersitate dispositionum metiendos.

Tertia assertio, & eius probatio.

Scoti doctrina epilogo ducta.

Hæc est germana Scoti sententia in hanc formam à nobis distinctiori methodo deducta, vt facilius aduersantium commenta in eam in lucem prodire videmus.

18 Sotus igitur *in 4. d. 6. q. 1.* recensendo Scoti placitum ait, sentire Scotum primo crescere gratiam in suscipiente ex causa principali, & meritoria, circumscripta quacunque recipientis præparatione. Secundo sentire Scotum cumulari per merita ministrorum gratiam in suscipiente, & se se toto stomacho in vtrumq; Scoti effatum inuehit. Suarez etiam *loco citato sect. 5.* Scoti sensum in hanc formam aperit. Scotus licet absolutè non affirmet, dicit tamen rem esse dubiam, an Sacramentum conferat maiorem gratiam vni, quam alteri, vel propter solam Dei voluntatem, vel propter merita ministrorum, & parentum. Vasquez vero *disp. 135. cap. 4.* Scotum ita putat philosophatum, vt simpliciter velit vltra gradum gratiæ, qui sacramenti virtute confertur, conferri aliquando adultis, & paruulis alium gradum peculiarem, licet non eodem modo; nam adultis ex voluntate Dei, qui eos ad sublimiorem gloriæ gradum prædestinauit, paruulis autem ex virtute meritorum baptizantis, exempli gratia, vel ministrantis generice, & assistentium.

Soti in Scoti sensus.

Scotus perperam citatus à Suarez & à Vasquez

19 In hunc modum Auctores isti Scoti sententiam referunt, qui in eo primum hallucinantur, quod Scotum de facto locutum referunt, cum apertissime Scotus, vt patet assertione prima, & secunda de eo, quod fieri potest, loquatur; immo dilucide monet incertum esse, quid in actu fiat, sed possibilitatem à se fuisse ostensam circa incrementum gratiæ penes voluntatem Dei, & meritoriã Christi passionis causam. Hallucinantur secundo, quia Suarez, & Vasquez ne verbum quidem de causa meritoria à Scoto memorata memorant; sed corticetenus fortasse sententiam eius inspicientes pro libito retulerunt. Hallucinatur tertio Suarez, dum ait apud Scotum rẽ esse dubiam, an sacramenta per merita ministrorum augeant gratiam, cum hoc sit planè commentum in sententia Scoti, Is enim vtique dubium esse ait, an de facto Deus per suam voluntatem det vni maiorem gratiam, quam alteri, similiter, an Christus offerat specialius passionem suam pro vno, quam pro alio de facto; sed vt certum ponit per ministrorum preces, & parentum bonorum paruulis dari maiorem gratiam, quoniam monet optandum esse puerum baptizari à bono Sacerdote, eiusque rei rationem adducit; *quia orationes Sacerdotis boni, quas multas facit ante, & post baptismum magis exaudiuntur, quam orationes Sacerdotis mali.* Hæc ille; quibus actum, non possibilitatem in hac parte demonstrat. Hallucinatur quarto Vasquez, dum ait apud Scotum incrementum gratiæ non eodem modo dari paruulis, & adultis; nam adultis per voluntatem Dei, paruulis per merita ministrantium. Sed & hoc commentum est in Scoti doctrina, qui dum de causa instituente, & meritoria differit, nullam habet distinctionẽ de paruulo, ac adulto, scilicet, quia de vtroque eodem modo philosophatur, & sentit, tam si baptizetur paruulus, quam si baptizetur adultus; posse dari ex voluntate Dei gratiam vni maiorem, quam alteri ex Deo volente, vel ex Christo specialius offerente. Dum autem mensuram venatur gratiæ ex parte suscipientium, tunc, ex quo dispositionem poscebat, necessarium illi fuit partiri suscipientes in adultos, & paruulos, vt inæqualitatem effectus ex dispari præparatione deriuaret. Hec dixisse uolui ad ostendendam Aduersariorum in Scoti sententiæ

Lapsus primus Aduersariorum

Secundus Lapsus

Tertius Lapsus Suarij.

Quartus Lapsus Vasquij

stantiæ censura fallaciam; qui nusquam, uel rarò sinceram Scoti opinionem recensendo, pro libertate in illum debacchantur; sed ne uideamur eorum ex hac distinctione, quæ tamen satis esse posset, argumenta effugere, quid ipsi contra Scotum proclament, discutiamus.

20 Et mihi quidem cum uno Vasquezio sit opus; quoniam in Sotum, & Suarezium egregiè digreditur Faber *disp.* 14. *4. sent. cap.* 3. *&* 4. eorumque obiecta dissoluit.

Primum Argumentum Vasquez qui contra Scoticum primum assertum

Vasquez igitur hisce argumentis Scoti sententiam in primo asserto nostro cōstitutam explodendam retur.

Primo, quia dari intensiorem gratiam ex diuina prædestinatione vni, quam alteri, peculiari factum esse diceremus miraculo, at miraculum hoc hactenus factum non constat; ergo Scoti sententia explodenda.

Secundum Secundo, & si Deus elegisset hominē ad tantam gloriam, priusquam eius iustificationem, & sacramentorum institutionem vidisset, non deesset illi modus, quo homo scelestus partim vi baptismi, partim autem postea per aliud sacramentum, vel extra sacramentum per propriam dispositionem ex auxilio gratiæ tantam iustificationem consequeretur, quanta illi necessaria esset ad gradum illum gloriæ consequendum, nisi velles contendere illi electo statim decedendum ex vi electionis ex hac vita recepto baptismo, & propterea gradum illum gratiæ concedendum ex voluntate Dei; quarè quod contendit Scotus hoc discursu reijcitur.

Tertium Tertio: si hæc electio ad gloriam ante merita præuisa concedenda esset, solum concedi deberet, præmissa conditionata scientia, iuxta quam non decerneret Deus aliquem ad tantam gloriam eligere, nisi sub conditione præuidisset modum, quo secundum legem ordinariam absque eo, quod incrementum iustificationis ex Dei voluntate daretur, illam consequeretur.

Quartum 21 Demum Deus ex præuisione meritorum elegit homines ad gloriam, Scoti ergo fundamentum omnino ruit. Hæc Vasquez contra primum assertum Scoti, in quo cū de Christi oblatione habeatur memoria, nequid inexplosum relinquatur: Occurrit hic Auctor. *Solum constat Christum obtulisse merita sua, vt nobis daretur iustificatio, vel per sacramenta, vel per auxilia, quorum gratia ad merita excitamur, quemadmodum nec alio modo Deum qui impiam iustificasse constat; quod si ex sua omnipotentia aliquem extra sacramenta iustificasset; etiam pro eo iustificationis genere merita sua obtulisse, fatendum est.*

22 Vide lector in hisce extremis Vasquezii verbis, quam belle velit, nolit in Scoti opinionem decidat; nonne enim Scotus quoad primum assertum de probabili loquitur? nonne incertum esse ait, ac dubium quid in facto eueniat? ex quo tota res à diuina voluntate pendet; qua potestatem suam sacramentis non alligauit. *Vides* etiam quo coaceruatis verbis diuertat Vasquez, vt à collatione maioris gratiæ per Dei voluntatem vniuersum dubitandi negotium in prædestinationem refundat. Vides, quid compaginata tot verba concludāt. Non (ait primo) constat hoc factum miraculum; sed neque constat (ego inquam) non factum esse, ex quo ipse factum postulat, Scotus possibilitatem venatur; fieri ergo potest; sin minus factum est, & si hoc miraculum retur, minus miraculum reri debet; quam per sacramenta iustificare, de quibus celebre est illud Augustini *hom* 80. *in Ioann.* admirantis testimonium. *Quæ est ista virtus, &c.* Non desunt Deo modi (inquit secundo Vasquez) quibus alio, quam opposito modo Scoti, augeret homini gratiam; sed nec, inquam ego, deesse debet modus Scoti; nisi inopem Deum faciat Vasquez. Tertio demum, & quarto ad prædestinationem ex meritis, & ad conditionalem scientiam effugit; sed ea, qua libertate dicta, pari reiecta legantur *in 1. sent. disputationibus de prædestinatione*. Libuit in hunc modū hoc loco iocari, dum Vasquezii nullam rationem vidimus, & proinde & ipsum iocari credidimus; dum tam ineptè primum Scoti assertum vellicat. *Eluditur unica Responsione omnia*

23 Contra secundum assertum de incremento gratiæ per merita ministrorum, & parentum sola Doctorum, & Patrum testimonia refert Vasquez *in calce cap.* 4. & in primis quod non operetur meliorem effectum sacramentum per bonum ministrum, quam per malum sensit S. Thomas 3. *p. q.* 6. *art.* 1. *ad* 2. Alensis 4. *p. q.* 8. *mem.* 6. *art.* 3. & ex Patribus Augustinus *lib* 4. *de baptismo contra Donatistas cap.* 10. *&* *tract.* 5. *in Ioann.* Cyprianus *de baptismo Christi*, si eius est opus illud. Nazianzenus *oratione* 40. *in Sanctum baptisma*, & Chrisostomus *hom. de reditu suo de Asia in Vrbem Noua Roma & Constantinopolitos*, sensit ergo Vasquez ad summum concedi posse ministrum, vel assistentes impetrare posse aliqua *Contra secundum assertum opponit Vasquez Sanctorum Patrum dicta*

gratia

gratiæ auxilia, protectionem Dei, non autem gratiam iustificantem, quam cum Soto impossibile esse retur posse alio modo vnum mereri pro alio, nisi merendo, vt is bonum aliquem animi motum habeat, igtuitu cuius iustificetur, vel eius iustificatio crescat; quare autē non posit quis alteri merer, gratiam iustificantem, Vasquez non probat, probat autem Sotus multis argumentis, ego vnum afferam, quia si posset mereri, numquid de congruo, an de condigno? non de condigno, quia hoc solum competit Christo ex gratia capitis, non de congruo; alioquin ego possem mereri gratiam alicui non adhuc contrito; item quod paruulus saluaretur absque baptismo; item quod paruuli ante vsum rationis in gratia crescerent; quæ omnia absurda sunt, & contra iustitiam Dei, quæ secundum Paulum reddet vnicuique, prout gessit.

Argumentum Soti.

24 His tamen breuibus occurrendum, PP. in primis non loqui de effectu, qui vel ex Dei liberalitate, vel ex applicatione, vel oblatione peculiari passionis Christi promanat; sed de effectu sacramentorum proprio, qui est certus ille gratiæ gradus per sacramenta collatus; sed & nos cum Scoto monuimus citeriores illos gratiæ gradus, qui per Dei liberalitatem, vel Christi specialem oblationem dari queunt, non ex vi sacramenti conferri. Ad argumenti petionem dico, de congruo quis mereri potest alteri quod primā gratiam, licet hoc loco nō de prima gratia loquatur Scotus; sed de incremento gratiæ, vt dictum est. Ad sequelas illas, & precipue ad primam nego illam, & ratio negationis dilucida est; adultus enim tunc temporis esset ex se indispositus, & incapax, & in huius rei gratiam est illud *Hieremiæ 15. si steterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*; quam sententiā explanans Sanctus Thomas Aduersariorum Achilles *in p. 2. q. 114. art. 6.* postulans, an aliquis alteri primam gratiam mereri posit, & affirmatiue respondens merito congrui, ait quod oratio Sancti alioquin habere potest impedimentum ex parte illius, cuius aliquis Sanctus iustificationem desiderat.

Interpretatio ad Patrū dicta.

Dilutio argumenti.

25 Secunda consequentia conceditur, etenim nisi dormiens obicem posuarit in principio somni, non reor absurdum hominem Deo gratum posse de congruo gratiam illi mereri; congruum enim valde est, vt Sanctus Deo gratus in sua postulatione audiatur à Deo, pro quocunque oret, dummodo obicem ille non ponat, & nolit iustificari, & in hac deductione consequentiæ non est, difformiter philosophandum, ac de amente, vel furioso, de quo illud memoriæ proditum est à scholasticis, effectum baptismi recipere, sin minus in principio dementiæ, vel furiæ obex obstitit.

Ad secundam consequntiam.

26 Tertia sequela falsissima est, cum traditum sit de baptismo præceptū, & sin minus necessitate medij, saltem necessitate præcepti omnes ad baptismum teneantur; quamuis ergo antecedenter ad baptismum quis iustificationem reciperet, non adhuc à lege suscipiendi sacrum baptismi lauacrum esset immunis; quod si casus adesset, vt paruulus morti inhæreret, neque aqua ad baptizandum suppeteret, ex cuius defectu inbaptizatus è vita cæderet, si quis sanctus præsens adesset morti, & periculo, & pro paruulo oraret; fortè etiam saluari posset infans; quia alia remedia tunc temporis adhiberi non possent; vnde præceptum ex impossibilitate impletionis non obligaret infantē; possibilitas igitur adest; quid autē de facto decerneret Deus, ipse nouit, nos autē nouimus Solū à Deo nullū sine remedio relinqui; nouimus etiā inperscrutabilia esse Dei iudicia; secundū quæ nō licet respōdere, cur decedentes in vtero Matris infantes relinquantur sine actuali remedio? Ipse Dominus nouit.

Ad tertiā

27 Neque demum puto inconueniens posse paruulorum gratiam ex merito precantum augeri; cum hoc in collatione baptismi in vsum deducat Ecclesia pro paruulis orans; licet non consueuerit deinde pro paruulis baptizatis orare, quippequæ nouit è statu gratiæ illos ante vsum rationis non posse dilabi, & proinde neutiquam precibus orantum indigere: quod si orant grati Deo homines pro ijs, non vereor quin de congruo augmentum illis gratiæ mereri possent; neque Pauli auctoritas hoc improbat; quæ de retributione secundum legem Dei loquitur in adultis penes maiorem, vel minorem meritorum exigentiam.

Paruulorum gratia an augeatur merito precantū.

28 Hactenus conferendo sacramenta solo numero ad inuicem diuersa; sed quid si ad inuicem sacramenta diuersa specie conferantur? In primis collatio nulla; quia vera comparatio nequit esse inter effecta diuersarum specierum. Secundo si comparatio admittatur, non est

spectan-

spectanda penes alios effectus à gratia; alioquin absolutè dicendum esset non esse omnium sacramentorum æquales effectus; cum tria solum sacramenta, baptismus, Ordo, & Confirmatio characterem cum gratiá imprimant in anima, sed præcisa differentia, & inæqualitas gratiæ per sacramenta consideranda est. Tertio supponendum, duo sacramenta dumtaxat ex institutione vim habere ad primam gratiam causandam, scilicet baptismum, & pœnitentiam; ita siquidem loquuntur Concilia Florentinum, & Tridentinum, ita vt prima gratia nullo modo ex vi aliorum sacramentorum detur; quod etsi contendant aliqui Recentes; propterea quod casum figurant in eo, qui se putat contritum accedere ad aliquod sacramentum, quod primam gratiam ex institutione non potest conferre, vt puta ad Confirmationem, vel aliquod aliud, de quo aiunt excusari eum à culpa propter ignorantiam, & proinde recipere gratiam per Confirmationem; Hoc, inquã, & si aliqui Recentiorum probabile rentur, improbatur omnino; quia si sacramentum ex sui institutione hanc vim non habet, multò minus ex accidenti hoc habet, sicut in casu figurato per aduersarios, in quo si suscipiens gratiam reciperet, puta tu illum gratiam recipere virtute dispositionis, excusante Deo imperfectionem, & proinde perficiente imperfectam suscipientis pœnitentiam; quod si Concilia obijcias indefinite diffinientia sacramenta nouæ legis conferre, & continere gratiam: non dissideo, nam quinque illa sacramenta, præter baptismum, & pœnitentiam, dum gratiam augent, dant gratiam; quia quilibet gradus gratiæ gratia est, sicut quilibet caloris calor.

Prima gratia non ab omnibus confertur sacramentis.

29 Dicendum ergo hoc loco breuiter: si mensura gratiæ petenda est à posterioribus, qui eam consequuntur, effectibus, baptismalem gratiam nulli sacramento comparandam, tum quia gratia illa regeneratiua est hominis omnino soluens cum ab omni culpæ reatu tum originis, tum actualis; tum etiam quia & pœnæ per ipsam tolluntur, nec ad eam consequendam tanta exposcitur dispositio, tum etiam quia sacramentum baptismi ianuam ad cætera sacramenta aperit, estque sacramentum summæ necessitatis, vnde & maiorem per illud gratiam concedere possumus esse ex hac parte promissam, quam cæteris, quæ (vna excepta pœnitentia, ad quam multa requiruntur, vt perfectè fiat) solum ad venialia delenda, si quæ sunt, & ad incrementum gratiæ producendum sunt instituta, vt patet ex Concilijs Florentino, & Tridentino, dum de Eucharistia, de Confirmatione, & Extrema Vnctione loquuntur, vnde valde corrigendus est Suarez *tom. 3. tertiæ p. disp. 43. de sacramento Eucharistiæ sect. 1.* aiens etiam Scotum *sentit. d. 9. 4 q. vnica*, Eucharistiam quandoque conferre primam gratiam; quia vt ex Scoto liquet *ibi*, accedens cum peccato mortali ad Eucharistiam vel debet confiteri, si potest, vel saltem conteri, & proponere se statim velle confiteri cum poterit, ne peccet; at ego petam à Suarez, si prima gratia in illum dabitur, qui sic accedit, núquid ex contritione, & ex pœnitentia interiori, seu ex penitentia in voto, an per sacramentum Eucharistiæ? certe ex vi contritionis, & interioris pœnitentiæ, cuius merito, vt ibi Scotus docet, reconciliatur Deo. Non ergo ita sentit Scotus, vt Suarezio placet.

Gratia baptismalis omnibus præstantior.

Suarez nõ fideliter Scotum citat.

30 Immo tantum abest, ita sensisse Scotum, vt Suarez illi imponit, quod *in eodem 4. d. 23. q. vnica paulo ante litteram C.* loquens de sacramento extremæ vnctionis, eiusque diffinitionem cribrans, in qua dicebatur esse vnctio hominis infirmi pœnitentis hæc habet. *Quod additur pœnitentis patet, quia nullus est capax istius sacramenti dignè, nisi sit in gratia, istud enim sacramentum non est remedium acquirendi gratiam quia ad hoc sunt tantum baptismus, & pœnitentia.* Hæc Scotus ibi; quibus oppositum Suarezianæ, & propositum nostræ sententiæ firmatur; vnde non possum non mirari Radam 4. *p. controuersia 2. art 3.* qui cum *conclus. 3.* hanc Scoticam auctoritatem referat, deinde *conclus. 4.* post Sanctum Thomam comprobet omnia sacramenta posse quandoque primam gratiam conferre, nisi velis eum à contradictione vindicare, quia scilicet de more veritus est à Suarezij doctrina paululum recedere. Verum de hac difficultate alibi Deo dante opportuniori, latiorique campo disceptabimus.

Scoti verba.

Contradictio Radæ.

31 Si vero gratiæ mensuram ex ministri nobilitate aucupemur, nulli dubium est per Confirmationem nobiliorem conferri gratiam, vtpote cuius solus Episcopus ordinarius est minister; at peculiari modo per sacramentum illud Spiritus Sanctus datur; sicut etiam & in ordinatione, cuius minister est solus Episco-

Confirmatio pe- nes ministrum nobilior.

Episcopus, & datur Spiritus Sanctus ad roborandam animam.

Eucharistiæ sacramenti quomodo præstantius?

31 Si denique metiaris effectum penes strictiorem cum Christo nexum, præstare dicendum est tibi sacramenti Eucharistiæ gratiam, quæ in sumente vnionem cum Christo, eiusque corpore perficit, iuxta illud Pauli 1. *Corinth. cap.* 10. *vnum corpus sumus, qui de vno pane, & vno Calice participamus.*

Sotus principem locū tribuit Confirmationi.

32 Scio aliquos absolute locum principem tribuere gratiæ per Confirmationem datæ, tum quia ex Melchiade Confirmatio dicitur maius sacramentum; tum ex Patribus, qui aiunt hominem confirmatum comparari ad se ipsum tamquam virum ad puerum; & vir nō solum magnitudine puerum excedit, sed maior est quantitas, quæ viro additur per augmentum, quam data fuerit per generationem; tum demum, quia Apostolis fuit maior data gratia in die Pentecostes, quam antea per baptismum, atque ita his coniecturis adducti sentiunt cum Sancto Thoma 3. *p. q.* 65. *art.* 3. Dominicus Sotus *d.* 5. 4. *sent. q.* 1. *art.* 6. & alij: sed hæc omnia leuissima sunt, ac futilis momenti; nam confirmatio maius sacramentum dicitur à Melchiade scribente *Episcopis* Hispaniarum ratione ministri, non ratione effectus, vnde rogatus ab eis, quod sacramentum esset præstantius baptismus ne; an Confirmatio? Respondit per hæc verba relata *dist.* 5. *de consecrat cap. de his. Scitote vtrumque magnum esse sacramentum, & sicut vnum a maioribus fit, idest à Pontificibus, ita maiori veneratione tenendum est, &c.* quod si deinde effectum eius exagerat, id citra comparationem facit: Patres vero, dum hominem confirmatum habere se aiunt ita ad se ipsum baptizatum, sicuti se habet vir ad puerum, non conferunt gratiam vnius cum altero sacramento, sed operationes hominis, ex gratia, & comparatio vera est; nam sicuti se habet puer ad hominem in operatione, ita baptizatus ad se ipsum confirmatum; sed puer licet organa corporis habeat, operationes edere non potest, homo vero potest, & edit; ergo & baptizatus, qui regulariter est infans gratiam vtique habet, qua mereri potest, sed non pro illa ætate infantili, qua nondum vsu rationis fruitur; confirmatus vero, qui regulariter est puer supra vsum rationis, vel saltem circum circa gratia vti potest ad merendum, quæ comparatio secundum hanc interpretationem nulla est contra nostram sententiam.

Sed perperam

Auctoritates Patrū non obsunt

Apostoli confirmati non per sacramentum

33 De facto Apostolorum non est laborandum; nam illa non fuit confirmatio instar sacramenti, sed miraculosa; apparuit siquidem Spiritus Sanctus corporali specie in linguis igneis, & tribuit Apostolis plenitudinem gratiæ, & virtutum nobiliori modo, quam per sacramentum Confirmationis fiat, vide Scotū *d.* 7. 4. *sent. q.* 1. *littera B. & C.* vbi docet, ex quo Christus potestatem suam sacramentis non alligauit, alio modo, quam per sacramentum confirmasse Apostolos. Vide etiam quæ habet *d. eadem q.* 3 qua breuiter decernit, quod loquendo de nobilitate sacramenti penes finem principalem sacramenti, qui est collatio gratiæ baptismus simpliciter est Confirmatione nobilior, quia maiorem gratiam, & plures effectus nobiles confert baptismus, quam Confirmatio, & ad nobilitatem ministri respondet, quod hoc non est propter nobilitatem sacramenti, sed propter maiorem necessitatem baptismi, qui propterea pluribus conceditur ministris; Confirmatio verò, quæ non est necessaria solis Episcopis, &c. unde hæc eius nobilitas dicitur secundum quid, non simpliciter, licet Scotus de hac re dubitatiuè loquatur per hoc verbum *potest dici, &c.*



DE

DE MODO, QVO SACRAMENTA *gratiam causant*,

CAP. III.

ALIORVM PLACITA.

ARTICVLVS I.

35 CElebberrimæ huius disputationis statum difficiliorem reddidere semper noua in dies scriptorum inuenta diuersimode causas morales, ac phisicas explicantium; qua nos in re missis aliorum placitis, qua licebit breuitate nostrum sensum aperiemus. Sunt igitur qui velint omnino sacramenta esse veras causas gratiæ phisicas, sed instrumentales. Sunt qui è contra id negent, velintque absolutè ea dumtaxat moraliter gratiam conferre, & vtraque sententia tot habet explicationes, quot explicantium capita. Sanctus Thomas 3. p. q. 62. art. 1. & sequentibus citra dubitationem causalitatem phisicam veram, licet instrumentalem impertitur sacramentis respectu gratiæ, quoniam vero gratia supernaturalis est ordinis, & secundum communem Scholasticorum mentem à Deo creatur, vt explicetur quonammodo vltra suas vires eleuata sacramenta quidpiam operentur Sancti Thomæ discipuli in diuersas sectas opinionem Doctoris Angelici deriuarunt, ipse vtique *art. 4 præfatæ quæstionis* monet esse in sacramentis virtutem quandã supernaturalem, cuius merito ad esse supernaturale tracta gratiam producunt; sed quæ ista sit virtus, digladiantur interpretes: quidam virtutem illam fluentem, non permanentem rati, qualitatem illam appellant supernaturalem, ita Capreolus *in 4. q. 1. art. 1.* alijque nonnulli. Quidam virtutem eam vocant motum quemdam spiritualem, qui non est secundum ipsos aliquid aliud abvsu ipsius instrumenti, sed motus spiritualis appellatur; quia est ad effectum spiritualem, vel dicitur motus intentionalis; quia secundum intentionem agentis, ita Caietanus *in commentario præfati art. 1. & 4.* nec distat Sotus *d. 1. q. 3. art. 1.* Quidam denique hanc virtutem aiunt esse potentiã obedientialem actiuam, per quam sacramenta trahuntur ad ordinem causandi supernaturaliter, hunc modum assignat Suarez *disp. 9. sect. 2.* & in eius inuentione primas sibi deferens admodum inani iactatur gloria.

S. Thomæ, & Thomistarum placito

Capreolus

Caietanus

Suarez

36 Numquid vero ad hunc supernaturalem ordinem sacramenta per hanc qualemcumque virtutem eleuata gratiam immediatè producant, nec ne, adhuc litem agunt Thomistæ. Sunt qui putent gratiam immediatè attingi; sunt qui negent: & Caietanus quidem gratiam ipsam per sacramenta immediatè dari contendit. Ferrariensis autem *4. contra gentes cap. 57.* & Capreolus *loco citato* id negant; sed per sacramenta produci primo credunt ornatum quemdam, qui sit dispositio ad gratiam; siue hic ornatus à Charactere distinctus sit in sacramentis non imprimentibus illum, siue non distinguatur in sacramentis vtpotè, quæ characterem imprimunt: putant igitur præcitati auctores vtiq; gratiam per sacramenta nõ attigi, sed cũ ea dispositio attingatur, quã necessario sequitur gratia; gratiam quoquo modo dicuntur attingere; Sotus autem *loco citato* dispositione hac ipsa neglecta, & è contra gratiam creari per sacramenta immediatè posse non concedens, retur sacramenta efficere non gratiam, sed homines Deo gratos, quod vt faciliori mentis teneatur captu in exemplum humana adducit.

Sotus

37 Homo siquidẽ est alterius hominis causa, non ita ut animam illius creet, sed quia est causa coniunctionis animæ cum corpore, causa hominis dicitur; eodem modo licet sacramenta non creent gratiam, dicuntur tamen causa gratiæ in homine; quia homines faciũt Deo gratos, & quodammodo in nexum amicitiæ iungiũt, qui vtique fit per gratiam; sed gratia illa à Deo, non ab homine creatur. Soti opinionem tuetur Martinus Ledesma *in 4. q. 3. art. 1.* & secundum eam putat se ab omnibus immunem abire difficultatibus; sic enim salua remanet communis assertio, quod gratia creatur; sustinetur Sancti Thomæ placitum, quod sacramenta sint instrumenta Dei phisica; defenditur etiam contra alios, quod sacramenta non sint solum causæ, sine quibus non.

Soto subscribit Ledesma

38 Quicunque etiã modum causandi phisicè à sacramentis ablegarunt non uno cõcordi sensu propriũ firmarunt placitum. Nonnulli efficientiã materialẽ tribuere sacramentis, eo quod sacramenta gratiã continere dicantur, vt causa medica pharmacum,

macum, & medicos liquores quosuis. Hæc tribuitur Antisiodorensi *lib. 4. sum. tract. 3.*

Opinio Antisiodorensis.

39 Nonnulli idcirco rentur sacramenta causare gratiam; quia continent Christum, qui est causa gratiæ, siue realiter, ut in sacramento altaris, siue uirtualiter, ut in alijs, & propterea censent à sacramētis antiquæ legis virtutē causandi gratiā profligari; quia .s. Christū illa non re, nec uirtute continebant, & propterea etiā inter sacramēta celeberrimū est sacramētū altaris, quia in eo solū Christus secundum Dei, & hominis esse realiter continetur, ita putauit disputationi huic occurrendum Henricus Gandauensis *quol. 4. q. 37.* referente Scoto *loco infra citando.* Nonnulli sacramenta putant gratiam efficere per modum impetrationis, siquidem ministrorum, & Ecclesiæ preces sacramentis coniunctæ gratiam in suscipiente producunt. Hæc opinio tribuitur Gulielmo Parisiensi *lib. 1. de sacram. in genere cap. 4.* quamquam Vasquez *disp. 132.* ab hac eum calumnia vindicare contendat; sed cuiuscunque sit sententia, nos contra eam edisserere, non contra auctores proponimus.

Opinio Henrici.

Opinio Gulielmi.

40 Alij sacramenta solummodo causas sine quibus non respectu gratiæ nuncuparunt; ita Durandus *in 4. d. 1. q. 5.* & Gabriel *eadem d. q. 1. art. 2.* et, si Suarezio referenti *loco citato sect. 2.* crediderís, ita Scotus. Alij sacramenta vocant causas gratiæ; quia se habent instar manus porrigentis pretium pro redemptione captiuorum, & instar moneta oblatæ pro captiuorum redemptione, ita ut quemadmodum de manu porrigente pecuniam, deque ipsa pecunia oblata pro captiuis redimendis rectè dicitur esse causas redemptionis, ita idem de sacramentis in ordine ad gratiam dicatur: hoc dixit Melchior Canus *in relect. de sacr. in gen. p. 4. concl. 6,* & infra. Alij ad eum modum impetratorium sacramenta gratiam causare contendunt; quo Sancti, & præcipue Christi Humanitas, vel precando, vel tangendo miracula edebant, ita Gabriel Vasquez *loco citato,* post quam sermone quam longissimo aliorum placita fuit insectatus. Quidam denique hæc ipsa sacramenta fatentur esse causas gratiæ morales quatenus dispositiones quædam sunt necessitantes Deum ex pacto ad causandam gratiam. Hæc est Scotistarum opinio, de qua infra prolixius. Nec desuere ex nostratibus, qui vtrumq; causandi modum sacramentis inueh ere scilicet moralem, ac Phisicum, ita Herrera *in suo 4. & in manuali Theologico.*

Sententia Durandi. & Gabrielis.

Melchioris Cani sensus.

Vasquezij placitum.

Scotistarū mens.

SCOTI SENTENTIA aperitur.



ARTICVLVS II.



41 SVpponendum in primis hoc loco commune assertum distinguens genus causandi effectiuum in principale, & instrumentarium: principale illud dicitur, quod suapte natura producit effectum nullo alterius indigens adiutorio, & hoc dupliciter; quandoq; enim ita alienum contemnit adiutoriū, vt superioris agentis concursum nihilominus patiatur, & hoc modo causa quælibet secunda in ordine ad effectum suum propriam dicitur causa principalis effectiua, quamuis nihil agat sine concursu, & motione primæ causæ, causa autem secunda dicitur hoc modo causa principalis, quatenus scilicet sine alterius secundæ causæ auxilio opus elicit: quandoque principale agens id dicitur, quod simpliciter nullius adminiculam opem exposcit, & hoc modo sola prima causa dicitur causa principalis; quia quidquid causarum secundarum ope gerit, se sola gerere potest, & perfectiori, eminentiorique modo, quēadmodum perfectiorem, eminentioremque continet agendi potestatem: instrumentaria vero causa ea est, quæ effectum vtique producit in virtute tantum causæ principalis, & quoniam hoc multipliciter contingit; propterea obseruandum secundo ex doctrina Scoti tum *d. 1. huius 4. q. 1.* tū *q. 4. & 5.* quod instrumenti nomen latissimè funditur; quandoque enim sumitur pro omni eo, quod cum alio ad effecta producenda conuenit, & secundam hanc acceptionem causa secunda, & instrumentum in idem quandoque decidunt, nam & secundæ causæ ita agunt, vt ad effectum concursū Dei, qui est principalis agens, necessario expostulent. Quandoque sumi-

Distinctio causæ.

Distinctio instrumenti.

sumitur instrumenti nomē presſius, quatenus ſcilicet à cauſa ſecunda diſtinguitur, & quoniā vt diſtinctū à ſecunda cauſa multifariam ſpectari poteſt, hinc fit, vt non vna ſit eius acceptio, generatim autem inſtrumentum à cauſa ſecunda diſtinctum dicitur, quod propriè in virtute alterius agit, quamuis enim & ſecundæ cauſæ ex Deo mouente agant, nihilominus ipſæ virtute ſua agere dicuntur; alioquin operationes veræ non eſſent ab ijs cauſis; inſtrumentum ergo hoc modo ſumptum quandoque ſumitur pro parte aliqua totius, per quam totum ipſum agit, quo ſenſu Ariſtoteles *in 2. lib. de anima tex com. 16.* organa ſenſuum, puta viſus, vel auditus compoſiti inſtrumenta vocauit; quia ſcilicet per eas partes operationes videndi, & audiendi eliciuntur: interdum inſtrumentum dicitur quodcunque agens in alterius virtute effectum principalem attingens, quo ſenſu forma in monetam à monetario inducitur, & ſigillum à ſigillatore in ceram; ſiue hoc exemplum penitus concedendum ſit, ſiue non; quia generatim hoc loco doctrinam de inſtrumento phiſicam, vel planè methaphiſicam ſpectantem ad tractationem de cauſis vſurpamus; quatenus inſtitutum noſtrum de cauſatione gratiæ per ſacramenta iuuat.

Varia nominis inſtrumenti, acceptio.

42 Interdum inſtrumentum diſpoſitionem dumtaxat, & formam principaliter ab agente intentam inducit; quod accidit, quando terminus ab agente principali intentus vnica actione produci nequit, hoc modo *lib. 2. de anima tex.* 50. calor dicitur inſtrumentum animę ad generandum carnem animatam, non ita certè, vt caro animata, quæ eſt terminus principaliter ab anima intentus à calore attingatur; ſed quia calor eſt principium alterandi alterationes præuia ad generationem.

Denũ inſtrumenti vocabulū dicitur quodcunq; artis inſtrumentū, & hęc eſt eius proprijſsima vſurpatio, ex cuius ſimilitudine alias patitur inſtrumenti vocabulum acceptationes, ſic ſerra eſt inſtrumentum artificis ad ſecandum, & ſecuris ad ligna ſcindendum: De hoc inſtrumento artis litem agunt philoſophi, numquid illa verè actiua ſint, nec ne, & quamuis in affirmantem partem plęrique iuerint, Scoto negans arridet magis. Quid enim ſerra in ſecando habet præter figuram, quantitatem, & motum localem? ſed nec ille motus, nec figura, neque quantitas agunt verè, cum nulla harum ſit forma actiua; quare nec agere ſerra vere videtur in ſecando.

Propria inſtrumenti acceptio.

Si dixeris duritiē in ſerra eſſe qualitatē actiuam. Contra durities ſerræ expellit dumtaxat partes ligni ad inuicem, hoc eſt enim ſecare ligna, partes expellere duras duriori aduenienteं corpore; ſed hæc expulſio non eſt effectiua, ſed formalis; ergo in expulſione ſerra actiuitatem veram non videtur habere vllam. Minor, in qua ſita dubitatio eſt, probatur, quia corpora incompoſsibilitatem habent reſpectu eiuſdem vbi talem, qualem habent contrariæ qualitates reſpectu eiuſdem ſubiecti; ſed qualitates contrariæ habent incompoſsibilitatem formalem, non effectiuam, expelluntur ſiquidem adinuicem formaliter, non effectiuè; ergo & corpora ad inuicem reſpectu eiuſdem vbi; ergo ſerra, quæ eſt vnum corpus non effectiue, ſed formaliter expellet partes duras ligni. Dilemmatis huius minor exemplo liquet, exemplo, inquam, caloris, & frigoris, quæ duæ qualitates mutuo ab eodem ſubiecto ſe expellunt, non expulſione effectiua, ſed formali; ſimiliter nigredo albedinem formaliter, non effectiue expellit.

Doctrinā Ariſtotelica adnotabilis.

43 Maior probatur; quia vbicunque eſt formalis incompoſsibilitas inter aliquā, tunc vnum aliud non effectiue, ſed formaliter expellit; ſed inter duo corpora ad idem vbi eſt formaliter incompoſsibilitas; ergo vnum alterum expellit non effectiue. Obſerua autem in hoc argumento frigiditatem, & calorem ſpectari, non qua agere poſſunt, ſed qua adinuicem formaliter repugnant, propterea nos aliud duximus exemplum de nigredine, & albedine, quas certum eſt non eſſe formas adinuicem actiuas; quod dixiſſe volui, vt obſiſtentes Aduerſariorum oppoſitiones euellam contra Scotum probantium frigiditatem eſſe formam actiuam; quod etſi concedatur reſpectu ſubiecti, quod afficit, reſpectu tamen caliditatis, erga quam formalem habet contrarietatem non eſt forma actiua, ſed formaliter repugnans.

44 Si dicas cum *Soto*, & alijs, quibus cordi eſt etiam Scoti exempla vilificare, has omnes eſſe formas actiuas, & præcipuè in inſtrumentis, quia inſtrumenta artis expellunt corpora, expellere autem eſt agere. Reſpondeo *expellere*, vt eſt actus cauſæ mouentis vtique eſt agere, vt eſt quid manans ab inſtrumento eſt actio ſolum grammaticalis penes deſinentiam

Soti oppoſitiones nullius ponderis.

verborum, de qua non laborant philosophi, & multo minus Theologi. Sed ad nostrum institutum reuertendo, ex quo secundum probabiliorem à Scoto sententiam actiua non sunt instrumenta artis vere, & effectus nihilominus ab agente intentus principaliter sequitur, aliquid opus est in ipso instrumento, vt effectus sequatur; illud igitur recipiunt hæc instrumenta ab agente principali ad effectum vltimum ordinatum, quod secundum sensum apparet; hoc autem est motus ipse, qui est effectus principalis agentis ordinatus ad vltimum effectum; exempli gratia, secator lignorum serra vtitur ad ligna serranda, ab eo igitur serra motum recipit effectum primum secatoris ordinatum tamen ad vltimum effectum, qui est lignorum serratio, quo motu recepto serra dicitur artis secatoriæ instrumentum, & hic motus est quædam dispositio ad vltimum illum effectum.

Instrumenta artis non sunt actiua

45 Ex his habes differentias instrumenti à causa secunda, primam, quia causa secunda licet dependenter agat à prima habet formam intrinsecam, per quam agat; instrumentum vero non sic, sed vt dependenter, & sine intrinseca forma agit; secundam, quia causa secunda habet illam formam actiuam in esse quieto, hoc est, antequam exeat in actum, exempli gratia, possum ego elicere intellectionem, quia antequam illam eliciam (& hoc est esse in esse quieto, vt Scoticis vtamur vocabulis) habeo intellectum, qui est forma intrinseca principium intellectionis; instrumentum vero formam illam actiuam in esse quieto non habet, sed solum motionem habet ab agente in fieri; quid enim habet serra antequam artefaciens ea in suum opus vtatur, nisi quantitatem, vt diximus, formam, seu figuram, & duritiem? quæ omnia formas esse actiuas hucusque negauimus.

Instrumentum à causa secunda differt.

46 Ex his differentijs elicitur primo, causam secundam minus dependere à superiori causa, quam instrumentum, quia minus pendet formam habens actiuam in esse quieto, quam non habens. Elicitur secundo, particularem influentiam ad agendum requiri in instrumento ab vte te eo, quam in secunda causa à superiori ad agendum. Sed hæc praelibasse satis, ex quo nosco deduxit oratio, vt concursum primæ causæ cum secundis attingeremus, de qua difficultate Deo, & hominibus concedentibus, alio loco dicendum est, & fusius etiam de mente Scoti.

Corollaria ex dictis

47 Tertio obseruandum, haberi quotidie præ manibus diuisionem instrumenti, & causæ moralis, & phisicæ, neque satis quidditatem distinctionis esse perceptam, vt hoc solum fuerit in causa diuidendi scholasticorum opiniones in sexcentas tricas. Phisici igitur nomen hoc loco non ea latitudine sumitur, qua ens reale dumtaxat explicatur; nam & moralis causa, ac instrumentum huiusmodi realia sunt; sed qua vere, & naturaliter realiter efficiunt effectum causæ Phisicæ dicuntur, siue effectum ipsum in propria virtute attingant, quomodo causæ secundæ dicuntur effectorum suorum phisicæ causæ; siue dispositionem aliquam propria virtute phisicé producant, attingendo scilicet, illam propriè: quomodo etiam causæ secundæ agere dicuntur in ordine ad effecta quædam, siue per nullam propriam virtutem agant, sed in virtute agentis principalis, quemadmodum se habent artefacientium instrumenta, de quibus superiori adnotato exempla tulimus. E conuerso igitur causa moralis ea erit, quæ non phisicè effectum attingit, siuaque naturali uirtute non agit, & nec dispositionem aliquam attingit, nec effectum principaliter intentum ab agente,& generice nec in propria, nec in aliena virtute realiter influit in esse effectus, sed solum moraliter, hoc est, excitando causam per se principalem ad effectum, dicitur autem moralis, quia secundum communem morem disponendo causare dicitur, & reducitur ad causam effectricem, quia eo modo, quo phisica causa efficit effectú, moralis moraliter efficit: de hac causatione morali, & phisica pluribus agendum est. Deo, vt dixi, & hominibus concedentibus in materia de concursu primæ causæ, deque motione eius ad causam secundam respectu effectus; hoc loco crassa quadam minerua hæc diximus, vt saltem quid nominis vtriusque causæ haberemus. Interim obserua etiam, quod etsi causæ nomen latius patet, quam instrumentum, hoc loco promiscuè de vtroque termino loquimur; quia scilicet dicenda sunt sacramenta instrumenta ad causandam gratiam, & omne instrumentum est causa. Hisce suppositis.

Phisica causa quid & quam sit moralis

Causa moralis, quid sit declaratur

48 Asserendum cum Scoto sacramenta esse causas, siue instrumenta moralia ad causandam gratiam. *Habetur* hæc assertio à Scoto *d. 1. q. 5. littera D*, non sub his verbis; quia fortasse moralis causæ nomenclatura nondum aditum in scholas aper-

Assertio principalis

Probatur apparuerat sibi tempore Scoti; est tamen eius omnino vt probatur ex rationibus suis; quarum vna sit satis. Omnis dispositio necessitans ad formam est quodammodo causa actiua instrumentalis respectu formæ: at sacramentum, & eius susceptio est dispositio necessitas ad formam, quæ est gratia; ergo est quodammodo causa actiua instrumentaria ipsius formæ. Argumentum est in forma; ideo si conclusio non sit vera, altera præmissarum necessario deberet esse falsa, veritas autem vtriusque duplici via ostenditur, primo per declarationē, secundo per probationem. *Declaratur maior* Declaratur maior, quæ non est ita apposita, vt loquatur de dispositione præcedente formam, quæ est ratio, vt forma suscipiatur in materia, vt patet de dispositionibus in generatione carnis animatæ, nam hæ dispositiones non appellantur causæ ipsius formæ inducendæ, vel inductæ. *Iisdem & minor* Declaratur minor, quæ ita statuit sacramenta, eorumque susceptionem esse dispositiones ad gratiam, vt non statuat per sacramenta causari aliquam dispositionem intermediam inter ipsam & gratiam; sed absolutè inferat hanc dispositionem esse immediatam, quemadmodum infra vberius probandum est; interim ipsa minor probatur: sacramenta causant gratiam non influendo in ipsam phisice, cum sint quid creatum, & creaturæ potestatem effugiat creandi potestas, ergo disponendo, & necessitando, vt ita dicam, Deum ex pacto cum Ecclesia inito hoc operabitur, nullo enim alio modo excogitare possumus vt contra aliorum sententias infra probabo, per sacramenta gratiam, tanquā per causas dari, nisi quia ipsa dicuntur dispositiones necessitantes Deum ad gratiam non equidem de absoluta, sed de ordinata potestate, de absoluta enim secus dicendum. quæ sicuti nulli creato est alligata, ita nec vlli tenetur, ordinata vero ex pacto tenetur gratiam dare per hæc instrumenta; quia sic ipse sibi complacuit institutor Deus.

Probatur maior dupliciter. Primo 49 Maior autem duplici via probatur, primum exemplis, mox alio dilemmate. Per exempla sic probatur. Sic se habent sacramenta ad gratiam, vt se habet motus ad terminum, & meritum ad gloriā; sed motus conceditur vtique causa esse termini, non quatenus influere queat immediate in terminum, vel intermediam aliquam dispositionem ad terminum gignat; sed quatenus motus ipse est proxima dispositio ad terminum, qui per motum habetur; similiter conceduntur merita causalitatem in ordine ad gloriam, quæ præmium est, habere aliquam, non ita vt merita realiter influant in esse præmij, vel quampiam dispositionem gignant ad præmium; sed quia merita ipsa sunt proximæ dispositiones ad præmium; ergo & sacramenta ita causare dicentur gratiam, non vt ipsam phisicè attingant, nec vt intermediam dispositionem producant ad gratiam; sed quia ipsa, & ipsorum susceptio est immediata dispositio ad gratiam. *Exempla ad rem nostram accommodata.* In hoc dilemmate aduerte paritatem in maiori non esse sumendam penes causandi genus, sed penes causandi modum; etenim motus est causa non moralis, sed phisica termini, sacramentum autem non ita: de præmio, & merito fortasse exemplum non tantam dissimilitudinē haberet; quia meritū non phisicè, sed moraliter præmij causa dicitur effectrix; nisi enim actio meritoria acceptetur non subit rationem meriti, nec habet retributionē præmij, nisi à largitore Deo, qui spopondit.

50 Scio Sotum, & alios exemplum motus etiam illudere, cum putet motum nō esse causam, passiuè namque acceptus ex ipso est acquisitio termini, actiuè autem est ipsa actio: sed non omnia curāda sunt, quæ leuia: quid sit motus, expressum est in phisicis, vbi & pro formali relationem inuolui à motu, non quidem formæ ad agens, vt perperam *in suis Theorematibus* Faber expressit, sed mobilis ad formā dixi: nam propterea motus ab Aristotele finitur, quod sit *actus entis in potentia, seu actus mobilis*; pro materiali vero formam ipsam fluentem, de qua quæro à Soto, sit ne causa termini producti, nec ne? Si afferat, nobiscum ibit; si neget, petam per quid acquiratur terminus? certè in motu, non nisi motor, mobile, & forma incidunt; iam motor cessauit, mobile est, quod acquiritur; forma igitur sub fluxu est causa termini. *Instantia Soti. Reijcitur. Motus quidditas exponitur* Sed considerandum est etiam Soto exēpla ab identitatibus esse diuersa, allata ergo ratiocinatio ab exemplis probat, quantum potest. Addere nos etiam aliud exemplum possumus in multis vtique diuersum, in modo tamen causandi terminum ex pacto simillimum, hoc autem est de productione rationalis animi in homine, homo siquidem hominem generat, nec tamen illi animum, qui caput est, & forma immaterialis, & immixta, vllo modo impertitur, sed dispositiones dumtaxat in materiam inducit tales, quibus necessarium est Deum illi creare animum, & creando animare fœtum.

Ra-

51 Ratione etiam Maior illa probatur. Quādocumque aliquid est causa prioris, nunquam est causa posterioris, seu tertij nisi medium inter ea sit etiam illius tertij causa saltem aliquo modo in eodem genere causæ, quo illud primum est causa tertij, sed agens causans dispositionem proximam ad formam est aliquo modo causa respectu formæ; ergo & dispositio proxima ad formam est aliquo modo causa formæ in eodē genere causæ efficientis; quo agens primum agit; *Minoris huius argumenti probationem indicat Scotus vnico verbo, quod est, secundum eos*, quod est dictū, hæc minor etiā ab Aduersariis conceditur, qui actionem phisicam cōcedentes in sacramentis in ordine ad gratiam aiūt causari per ea dispositionem ad gratiam. Maioris autem probationem suppressit vtpote per se dilucidæ; nam si secundum nullam habebit causæ conditionem in ordine ad tertium frustra intermedium poneretur inter causā agentem & effectum vltimum, sed erunt ambo duo effectus disparati primariæ causæ agentis: similiter de eodem modo causādi secundi in ordine ad tertium patet, quia si difformi causatione secundum se gerat erga tertium, tertium illud non pendebit in genere causæ efficientis à primo; primum enim intelligitur habere influxum in tertium per illud secundum, quod si difformiter agit, actio primi non protrahitur ad tertium.

Probatur secundo maior

52 Ex hac ergo ratione, quæ quo longior, eo acutiori stimulo animos Aduersantium vexat, colligitur, quod sacramenta sunt vtique gratiæ causā, & non per accidens, sed per se, non phisicè, quia effectum non attingunt; sed moraliter; quia scilicet sunt dispositiones quædam proximæ disponentes, excitantes, immo & necessitantes Deum ex promissione, & pacto ad dandam gratiam: causant ergo sacramenta gratiam, non per formam aliquam internam, neque attingendo effectum, aut dispositionem prævium ex sua virtute, sed ex assistentia Dei causantis gratiam necessario necessitate respiciente ordinariam Dei potestatem, & proinde sunt instrumenta ad causandam gratiam non phisica, sed moralia assimilata instrumentis artefacientium, quæ terminum inducunt non per formam propriam, sed in virtute alterius, dissimilia vero sunt sacramenta ab artefactorum instrumentis, quia hæc recipiunt motum ab principali agente, qui est dispositio prævia ad terminum, sacramenta vero nihil recipiunt, sed ipsa recepta sunt dispositiones ad gratiam, vt diximus.

Sacramenta causa gratiæ non physice sed moraliter, & quomodo.

53 Hæc est Scoti sententia, ex qua patet voluntariè locutos Sotum, Suarezium, & alios, quorum alij aliam illi inflexere opinionem, vt in posterum id sentire dicendus sit Scotus, quod ipsis placet. & Sotus quidem Scotum ait sentire, sacramenta esse causas sine quibus non. Hic terminus imprimis à Scoto semel tantum in hac controuersia vsurpatus: deinde postulo à Soto, causa sine qua non est ne secundū ipsum causa per se, an per accidens? si causa per se, ergo ad aliquod causādi genus è quatuor ab Aristotele inductis 2. *phis.* reuocatur, nimirum formale, materiale, efficiens, & finale; quartum enim genus omnino inuoluntarium, nec à Scoto somniatum; ergo si sacramenta diceremur causæ sine qua non per se, ad aliquod ex prænumeratis per se causis reuocanda essent; nihil igitur nouum, nihil dissonum dixisset à communi placito; nam hoc sensu omnis causa cuiusuis generis per se causa sine qua non dici potest; sic pater est causa, sine qua non esset filius, sic albedo, sine qua non esset album, sic cætera: si vero causa sine qua non ponatur causa per accidens, Scotus certè illam à sacramentis omnino profligauit, qui absolutè decernit sacramenta esse causas per se, non tantum per accidens; ita enim loquitur *littera D. Qualiter autem saluetur, quod sacramenta sint causa gratiæ non tantum per accidens. Ratio est &c.* & *in solutione primi argumenti pro prima opinione littera I*, vbi expresse ait sacramentum non esse tantum causam per accidens.

Sotus, ac Suarez, dibere Scotum argu-unt.

Causa, sine qua nō duplex.

54 Præterea *sub initio controuersiæ* referens sententiam Sancti Thomæ ponit sacramenta non posse esse causas, sine quibus non; quia causa sine qua non nihil causalitati habet super effectum, nisi sicut causa per accidens; quod etsi de mente Sancti Thomæ referat, certe ex quo non improbat hoc approbare videtur, qui cætera tum in opinione ipsa, tum in fundamentis improbat: approbare etiam videtur, dum improbat sacramenta esse causas per accidens; Scotus ergo secundum mentem suam nusquam genus causandi tanquam per causam, sine qua non, sacramentis inflexit; non ergo loquendi modum dissimulat Scotus, vt censet Suarez, qui tam aperte sententiā suā expressit, supponēdo nētiā ex aliorum mente causam, sine qua non, esse causam per accidens, dum modum causan-

Sacramenta non sunt causæ sine quibus nō, quia non sunt causæ per accidens.

Carpitur Suarez.

causandi per accidens à sacramentis ablegauit, vtique & rationem causæ, sine qua non ablegauit ab eis; quare dissimulatio si qua est, in Suarezio est, qui Scotum falsò citans, fingit se legisse Scotū, cum oculatus tamen scriptorum eius testis non fuerit; ne dicam, vidisse quidem, ac legisse Scoti sententiam, sed eam dedita opera ad oppositum sensum voluisse detorquere, vt in eam inueheretur.

Replica eius.

55 At (inquit) ita eam refert, ac sequitur Gabriel *d.1.q.5.* Respondeo Gabrielem imprimis non Scoti, sed Occhami Anticolistæ egregij sectatorem fuisse; & proinde quanta illi fides adhibenda sit, apud Lectorem esto; accedit, quod is Auctor potuit non sincerè Scoti mentem percipere, sicuti non sincerè illam retulisse Suarez; certè absque aliorum commentarijs Scotus in hac ipsa controuersia, vt nos aperuimus propriam opinionem absque hæsitatione, vel scrupulo expressit.

Refutatur quia Gabriel fuit Ocbamista.

Alia repliса.

56 At (inquit Suarez) dum Scotus ait sacramenta esse causas morales per se, dilucide asserere tenetur esse causas per accidens; quia vt egregiè notauit Sanctus Bonauentura *d. 1. q. 4. art.* 1. quod est per se causa in genere moris, est per accidens in genere phisico; ergo modum dissimulat loquendi Scotus, & hoc patet exemplo sigilli, vel scripturæ, vtrumque enim est conditio, qua posita effectus sequitur, sed moraliter est causa per se, physicè vero causa per accidens. Vides in hac Suarezii oppositione lapsum eius, & voluntariam detorsionem in Scoti sententia; adducit enim ad probandum sequi ex sententia Scoti sacramenta esse causas per accidens, dictum Bonauenturæ dicentis causam per se moralem esse per accidens causam phisicam, & sic plus probat, quam probandum assumpsit; ego quidem licet concedere possem causam moralem per se esse per accidens causam phisicam; equiuocationem tamen patefacere teneor in oppugnatione Suarezii; aliud est enim esse causam per accidens, aliud esse causam per accidens phisicam, hoc concludendum erat Suarezio non illud, & si ego igitur concederem morales causas per se esse causas per accidens phisicas, cum hoc tamen asserere possum esse causas veras per se, cum reducantur ad genus causandi causę effectricis; allata autem exempla scripturæ, vel sigilli admitterem, si illam pactionem, vel sponsionem haberent connexam;

Nihili est.

alioquin paritas nulla, cùm in sacramentis intercedat diuina promissio, quæ fallere non potest, sitque proinde certitudo effectus secuturi; admitterem, inquā, exempla illa, dummodo connexionem secum gererent promissionis, & pacti; admitterem autem vt sic, quatenus exēpla sunt, quæ vt vulgo aiunt Scholastici, non currunt quatuor pedibus; est enim minus causa sigillum, & scriptura respectu effectus etiam supposità sponsione, & pacto, ex quo in humanis non necessario sequitur effectus, & promissio; & pactum non necessario effecta inducunt possibilitate deficientiæ vndique manante: potest enim falli homo, & fallere, potest decoquere, & decoqui, & proinde solutio, exempli gratia, pecuniæ per ostensionem sigilli, vel scripturæ admodum incerta est; sed in caussatione gratiæ certitudo maxima, quia maximè potens est solutor, maximè verax, maximè bonus, maximè fidelis.

Exempla Suarezij parui ponderis.

57 Vnicum aduersus hanc Scoti sententiam obuium habemus dubiolum à Scoto excitatum, & solutum, sed à Suarezio, & Aduersariis iterum inductum, nouaque difficultate incitatum. Hoc autem est. Dispositio, & forma, cuius est dispositio in eodem subiecto recipi debent; alioquin dispositio illa nullam cum forma connexionem haberet, nullaquè inter vtramque vinculi habitudo intercederet, at sacramenti applicatio fit corpori, gratia infunditur animæ, & per hanc sententiam susceptio sacramenti asseritur esse dispositio ad gratiam; ergo vel assertio falsa, vel in eodem deberent recipi subiecto; quod pari falsitate profligandum est. Occurrit Scotus, imprimis dispositionem esse duplicem, aliam ex sui natura disponentem ad formam, aliam ex voluntate externi agentis; quod est dictu, aliam phisicam, aliam moralem; quidquid sit de phisica, moralem vtique necessario debere in eodem subiecto recipi: Præterea satis esse generatim formas recipi in eodem supposito, non in eodem subiecto.

Dubium ex Scoto auctum à Suarez.

Responsio Scoti.

58 Contra hanc responsionem insultat Suarez probando, neque omnes sacramentorum formas in homine recipi, quoniam cum sit Eucharistia forma nō recipitur in pane, nec in Corpore Christi. Insuper licet Eucharistia recipiatur in homine, quando comeditur ab homine, non tamen in illo, tanquam in subiecto; sed solum applicatur illi, quod

Insultatio Suarij.

non

non satis est, vt vocetur dispositio, alioquin approximatio agentis ad passum posset dici dispositio, quod falsum est.

59 Verum hæc tam futilia sunt, vt redargutione sint penitus indigna. Quid enim per primam insultationem contendit Suarez? suum est probare, quod forma sacramenti Eucharistiæ non recipiatur in homine, & ait non recipi in pane, nec in corpore Christi. Quorsum hæc obseruo Suarezium? quid panis, quid Corporis Christi cum homine; vt subiectum recipiens est? Certè prima hæc obsecro ridicula est, ne dicam, inepta. Altera vero etiam non vacat ioco, vel risu. Si enim homo comedit de illo pane, & de illo calice bibit, quis ire poterit inficias sacramentum ab homine recipi, & in homine, non enim si co meditur, recipitur extra hominem, neque si bibitur, extra hominem bibitur non igitur est sola approximatio: quæ spectatur dumtaxat ratione actus agentis ministri, sed vera susceptio respectu hominis bibentis, & manducantis; quod si contendat omni modo illam dici posse approximationem, non curo, sed cum hoc aio approximationem quo que posse esse causam moralem, vt patet exemplo. Si quis mihi promitteret centum aureos, dummodo approximarer illi, certè approximatio ex voluntate, & pacto causa mihi moralis dici posset donationis centum aureorum. Hactenus Scoti sententiam propugnauimus.

Obiecta Suarij non adrem.

(ssss)



ADVERSARIORVM CONTRA Scotum obiecta diluuntur.



ARTICVLVS III.

60 Superiorem articulum in sola Scoticæ opinionis declaratione consumpsimus; ad hunc autem aliorum obiectiones contra illam reuocamus; quæ etsi facile ex præacta doctrina dilui possunt; postulat tamen quæsiti celebratissimi status, vt peculiarem eis sedem tribuamus. Hæc ergo contra Scotum opponit Suarez *disput. 9. sect. 2.* Primum Scoti modus loquendi gratis, & absque vllo fundamento excogitatur; ergo reijciendus omnino; antecedens patet cur enim dicentur dispositiones illæ ad gratiam, quæ nullam habent connexionem ad gratiam, sed solum requiruntur, quia ad eorum præsentiam voluit dare gratiam? Secundò: si quidquid ex diuina ordinatione extrinseca, & voluntaria necessarium esset ad aliquem effectum, vt illo posito statim poneretur effectus, & non alias, posset dici vltima dispositio ad talem effectum, sequeretur, quod si Deus decerneret me loquente creare Angelum, locutio mea dici posset dispositio vltima ad creationem Angeli; consequens est falsum; quia in casu locutio mea ad summum esset conditio necessaria sine qua non, non autem causa creationis Angeli, ergo & antecedens. Tertium ad hominem. Si hoc satis est ad rationem instrumenti cur negat Scotus posse dari creationis instrumentum? Quartum: cum Scotus ait dispositionem vltimam esse instrumentum ad formam, non satis consequenter dicitur; quoniam vltima dispositio non habet actionem aliquam circa formam introducendam, sed solum informando subiectum illud præparat ad introductionem formæ; vnde licet calor, quo ignis introducit vltimam dispositionem in ligno possit dici instrumentum ignis ad generandum ignem, calor tamen in ligno receptus, qui est vltima dispositio ad ignem introducendum, non potest propriè vocari instrumentum ad generandum ignem; quare si ta-

Argumenta Suarij contra Scotum. Primum.

Secundum

Tertium.

Quartum.

si sacramenta sunt dispositiones, & non habent aliam actionem, non propriè vocabuntur instrumenta: Scotus ergo non est locutus in rigore philosophico.

Obiecta Soti,

61 Hæc sunt obiecta Suarez ad verbum ferè deprompta, ne vel apex falsitatis in nostram relationem incidat. Sotus vero, qui præ alijs Scotimasticè se præbuit in hac controuersia in ea præsertim oppugnatione insistit, quod ex placito Scoti deducatur sacramẽta esse causas solũ per accidẽs gratiæ cõtra sensũ Cõciliorũ omniũ, Ecclesiæ, & Patrũ. Præterea irridẽdo quasi Scoti placitũ ait, *modũ eius esse simi lẽ modo, quo maleficus Dæmonis arte maleficia operatur, dum enim maleficus cãtat, cãtio illa non operatur sua virtute maleficium, sed ope Dæmonis, ita sacramenta non propria virtute, sed Dei ope causare gratiam dicentur ex Scoto.* Hæc ex aduersariis, & horum similia, quæ etsi à *Fabro* ægregiè diluantur, vberioris tamen doctrinæ studio repetita placebunt.

Omnes antiqui Doctores causalitatem moralem augerunt.

62 Miror imprimis, quomodo Catholici isti auctores in vnum Scotum dibaccentur, cum sententiæ de causatione morali in sacramentis antiquissimæ, vt monuit Vasquez (vna Sãcti Thomæ familia dempta, intra quam etiam Melchior Canus moralitatem inuexit) adhæserint Scholastici ferè omnes etiam *Antiquiores* cum Sancto Bonauentura, *Alense*, Richardo, & aliis; licet modum ipsum moraliter causandi superficie tenus, vel parum satis explicauerint, immo etiam ipsum Sanctũ Thomam in eam incidisse multis, nec spernendis auctoritatibus ex ipso Sãcto Thoma elicitis contendit idem Vasquez. Sed hoc duo illi viri cum cæteris fortasse præstiterunt, qui vnum sibi Scotum aduersarium trans, ac citra fas in omnibus constituunt; arbitrantes se tunc sapere, cum contra Scotum sapiunt; vt nouissimè etiam egit quidam Thomista Musitanus Calaber, qui *lib. 1. suarum disp.* non est veritus Doctorem subtilem Doctorem grossum nuncupare, scilicet, vt ex sua Scotum inficeret scientia, & corporea figura: & hæc est Scoti præstantia, vt cum ipso solum digladiantibus singulis, nusquam ipse victus, captusque sit, vt planè in iis ratiocinationibus sine ratione compactis capiuntur Sotus, & Suarez.

Crassum Musitani Calabri de Scoto iudicium

63 Quomodonã.n. sine fundamẽto, & gratis excogitatus est Scoti modus, vt primo corũ argumẽto obicem ponam, qui validissima ratione in superiori articulo ducta simul, ac deducta probatur? Adde ex aliorum dirutis fundamentis materiam fundamentalem suppetere Scoto, & discipulis molem propriæ opinionis construendæ, vt infra monstrabo; antecedẽs igitur primi argumenti tam falsum est, quam falsilimum, & probatio inanis est; nam etsi propria virtute, ac natali ope nullum vinculum sacramentis cum gratia, Deo tamen volente, paciscente, spondente habitudo causæ moralis, & per se inter sacramenta, & gratiam communem effectum intercedit.

Solutio primi argumenti Suarez,

64 Ad secundum concedit *Faber* argumentum totum negando falsitatem consequentis, propriissimè enim dici posset in genere moris locutio mea causa creationis Angeli, seu dispositio ad creationem eius. *Hæc tamen responsio falsa* est in doctrina etiam Scoti *loco citato* qui sustinet saltem in eodem supposito recipiẽdam esse dispositionem ad formam, & propterea sacramentum recipi in homine; quia anima, quæ est pars eius recipit gratiam, quæ est forma, siue effectus per sacramenta, quæ sunt dispositiones, inductus: & propterea Scotus non absolute dixit sacramentum esse dispositionem, sed susceptionem sacramenti esse dispositionem præuiam, ac immediatam ad gratiam. Respondetur igitur paritatem esse nullam, nisi penes sponsionem, & pactum; sed alias non; quia locutio non recipitur in Angelo, quæ à me fluit, & proinde non est dispositio necessitans creationem Angeli: ista igitur exempla, quibus non explicatur dispositio in eodem saltem supposito, in quo recipitur forma, siue terminus non sunt perfecta ad declarandum Scoti modum, qui propterea solo exemplo meriti, & motus vtitur, in quibus dispositio est in supposito, in quem cadit forma; nam beatitudo, quæ est effectus meriti, est in eodem homine, qui meretur, & forma fluens est in eodem mobili, quod acquirere debet motus terminum.

Responsio Fabri ad secundũ in Scoti doctrina inefficax,

Responsio Auctoris

65 Tertium Suarezii postulatum, seu quęsitum potius, quam argumentum breuissimum breuissimè tollitur. Eo modo Scotus negat instrumentum ad creationem, quo negat sacramenta causare gratiam: at negat sacramenta causare gratiam solum phisicè, non moraliter: solum ergo phisicum instrumentum creationis negligit, morale non negligit; nam sic sunt instrumenta sacramenta nouæ legis.

Occurritur tertio Suarij argumenti.

66 Quartum argumentum supponit instrumentum debere omne esse actiuum, quod

Dilutio quarti

quod in Scoti sententia falsum est ne- gantis artium instrumenta esse actiua, vt in phisicis dictum est. In præsentia autem, ne extra controuersiæ statum diuagemur, quidquid sit de instrumentis phisicè agentibus, negandum est vltimam dispositionem nullam actionē habere respectu formæ, habet enim actionem necessitandi agens ad illam ex pacto iuxta doctrinam superiori articulo propugnatam, Scotus igitur philosophicè magis, quam Suarezius locutus est, qui fortiori fundamento instrumenta artium ab actiuitate nudauit, & præter modum agendi phisicum moralem vberiori præ cæteris doctrina inuexit.

Solutio primæ obiectis Soti.

67 Ad solutionem primæ obiectionis Soti recole superiorem doctrinam, qua statutum est cum Scoto sacramenta esse causas per se, non per accidens, neque solum causam sine qua non, vt perperam, & infideliter illi tribuit Sotus; cæterum modum causandi moraliter nusquam Patrum, & Concilia improbarūt.

Reprehenditur Sotus et iniurius Scoto.

Postrema argumentatio Soti Catholicum virum dedecet quippequi infam non leuem Hereticis nostri temporis præbet nostra sacramenta deridendi, & spurcissimis exēplis à Christiano auditu longius arcendis arcanam sacramentorum virtutem declarandi, & me hercle animum horret hōc similitudinē in Catholico nancisci ad solum Scoti pro libertate sententiam eliminandam, Deus bone. Quo zelo? Aio igitur similitudinem reijciendam, quia Magorum, & Veneficorum signa fallacia sunt, ac deceptoria, sicuti eorum causa assistens Dæmon spiritus mendacij nuncupatur; signa vero nostra authentica Christi signata Cruce certissima certissimum pariunt effectum, vt eorum institutor veracissimus est Deus. Nixus est vtique Diabolus, vt Christi opera vili apud sectatores faceret, similia Christi operationibus comminisci opera, vt si Christus beneficia, is ferret maleficia; propterea Idola constituit venerationem sacrarum imaginum æmulatus; & signa maleficis præscripsit benefica inuidens per æmulationem sacramenta; sed inani conatu, ex quo non semper, nec certus ex eis sequitur effectus, vt diximus, & in destructionem, non in ædificationem.

ALLATÆ IN SVPERIORIBVS *aliorum sententiæ impro- bantur.*



ARTICVLVS IV.



68 HActenus Scoti sententiam & explicuimus, & explicitam ab Aduersariorum censura vindicauimus, nunc vero, vt ex aliorū ruinis nostrum firmemus assertum, quid veri, falsique cætera doctorum placita contineant ad præsens caput Cribrandum est. Quicumque imprimis moralem causalitatem sacramentis inuehunt nisi ad bonam reuocentur frugem secundum Scoti huculque decursam opinionem improbantur.

Censura ad opinionem Antisiodorēsis.

69 Altisiodorensis, dum contineri in sacramentis gratiam docuit, sanam doctrinam nos docuit, ita Sacro Tridentino approbante Concilio, contineri in sacramentis gratiam; dum vero causalitatem aliquam à sacramentis proscindit in Concilij censuram dilabitur, quod effici quoque gratiam per sacramenta tradit, quare continentia, quam idem Concilium inuexit, non sola censenda est, vt vasis continentia in ordine ad Pharmacum, vel Medicos liquores, sed continentia virtualis, quia continent, & conferunt, conferunt, & efficiunt; neque in alio sensu putandum est Catholicum Doctorem fuisse locutum, cum etiam ante Tridentinum, Concilium efficientiam in ordine ad causam sacramentis præstiterit; penes hoc enim sacramenta nouæ legis à sacramentis veteris legis secernuntur in Concilio Florentino, *in decreto Eugenij pro Armenis; quia nostra gratiam continent, & conferunt; illa vero (excipe tu Circumcisionem) sacramenta solum significabant gratiam.*

Henrici placitum

70 Henrici etiam sententia vel nihil omnino, vel parum à nostra sententia diuersum

uersum probat. Peto siquidem quid sit inexistere Dei in sacramentis, an inexistentia per essentiam, & potentiam, an per virtutem? si primam: at hæc (inquam) in omnibus rebus est; quoniam Deus vbique esse dicitur per essentiam, potentiam, & præsentiam; quare modus hic non est sacramentorũ peculiaris; si per virtutem, declarandum est *Auctori*, quid sibi velit esse in sacramentis per virtutem? certe nihil præterea hoc sonat, nisi esse in eis tanquam causa est in instrumento suo virtutem illi tradendo, at hanc virtutem ipsemet Henricus ab ipsis sacramentis distinctam neglexerat, referentibus Scoti additionis auctoribus; si quam ergo impropriè virtutem illis impertitur, hæc nihil est aliud, nisi diuina ad causandam gratiam assistentia; proinde verbo tenus à nostra sententia *Henrici* opinio distat. Præterea peto, an Deus sit in sacramento; quia Deus determinatur in sacramento ad causandam gratiam, an quia Deus determinat se cooperari ad effectum per sacramentum; si primum dicat; ergo Deus à causa secunda determinaretur; quod falsum est, & inauditum in philosophia etiam, nedum in Theologia; si secundum, at hoc idem Scotus asserit, rectè ergo diximus, vel nihil omnino, vel parum à Scoto diuersum ex hac opinione deduci.

Henrici positio sub cribro

68 Quicunque per modum impetrationis causalitatem gratiæ sacramentis indiderunt, postulandi sunt: an præcisè per ministrorum preces sacramenta gratiam ferant, an ex se quidem gratiam ferant, sed impetratione ministrorum augeatur effectus? postremus hic sensus verè Catholicus est, etenim ex opere operantis augeri quandoque gratiam superiori capite decurrimus; propterea monebat Scotus *optandum esse, vt sacramentum à bono semper sacerdote administretur*, prior autem sensus omnino à Concilio Tridentino damnatus est *sess. 7. de sacramentis in genere can. 8. si quis dixerit per ipsa sacramenta nouæ legis ex opere operato non conferri gratiam &c. anathema sit*. Si vero huius opinionis assertor impetrationem ad ipsa sacramenta diuertat, ita vt non ex ministrorum imploratione, sed ex sacramentorum impetratione causari gratiam doceat, vel nihil omninò, vel nihil à Scoto diuersum feret: nihil omnino, si putet veram impetrationis speciem sacramentis aptari; siquidem impetratio, vt vocabulum sonat, solius inuocantis sit, inuocatio vero solius vocem habentis sit, sacramenta autem, vt materiales res, sensuque ac ratione carentes, nec vocis, nec inuocationis sint capacia; si vero impetrationis vocem late sumat pro efficacitate per modum meriti, nihil diuersum à Scoto feret.

Causatio per modum impetrationis expenditur

69 Causalitatem causæ, sine qua non; si illa sit eadem cum causalitate per accidens, ægregie improbant Recentes, & non sincerè contra Scotum, quem pro libertate in eam sententiam citant, inuehuntur, & nos etiam in superioribus nonnihil taxauimus, si vero à causalitate per accidens distinguatur, vtique ad aliquod ex quatuor generibus causarum; quæ tum *in phisicis 2. lib. tum In Meth.* partitur Philosophus in effectricem, finem, formam, & materiam, reuocare illam necessarium est; & certè non nisi ad effectricem, vt supra tetigimus: quare & hæc etiam opinio, vel omnino nihil, vel nihil à Scoto diuersum ait: nihil planè, si causam per accidens confundat cum causa, sine qua non, quoniam non satis esse sacramentum dici causam per accidens communis Scholasticorum, & Scoti precipuè sensus probat, asserentibus Concilijs sacramenta verè gratiam continere, conferre, & efficere, quæ locutiones quid maius supra causalitatem per accidens probant. Adde contra communem Scholasticorum sensum ire idem esse, ac temere omnino sentire, dum nulla cogens ratio id faciat, at assertum pones sacramenta per accidens causare obuiat communi asserto scholasticorum, nullique fundamento nexum est, qua ergo temerè iacitur, temere iactum reijcitur.

Causalitas causæ sine qua non reiecta à sacramentis

70 Melchioris Cani opinio verbo tenus à Scoto dissentit; siquidem manus, & porrecta ad redemptionem pecunia ea dumtaxat redemptionem ipsam operatur; qua pactio inter redimentes, & vendentes interesset, ipsa vero pecunia, ac traditio manus instrumẽtum quoddam censentur excitando ad opus; at quis non videt, hunc causandi modum sola voce à nostro distare? Sentit Scotus sacramenta ideo causare gratiam; quia ex pacto sunt dispositiones necessitantes Deum ad causandam gratiam: sentit Canus pecuniam idcirco causare redemptionem; quia sic pacis sunt emptores, ac vendentes, & modum causandi gratiam per sacramenta assimilari modo causandi redemptionem per pecuniam, siue per chirograhum, ac manum: idem ergo Melchior cum Scoto sentit; sed ma-

Melchioris Cani opinandi modus nullus, vel idem cum nostro.

lior Melchiore Scotus nomine dispositionis necessitatis ex pacto vsus est, quia exempla allata de chirographo, & pecunia ex parte deficiunt; nec certè ex eis semper effectus sequitur defectu ex multis causis possibili, vel ex decoctione soluentis, vel ex infidelitate spondentis; quæ omnia in sacramentis nullum habent locum; sicut nec infidelitas, nec egestas locum habet in Deo promittente, ac soluente. Vt quid igitur tot multiplicatis Scotum verbis insequitur Canus, si vel nihil omnino, vel idem omnino cum Scoto sentit, solum in eo diuersus, quod Scoti terminos non approbarit?

Exempla Cani inepta

71 Gabrielis Vasquezij demùm explicatio & ipsa, vel nihil omnino diuersum vel idem omnino nobiscum sentit, & imprimis causalitatem moralem nobiscum propugnat; idem ergo omnino cum Scoto sentit: vtitur deinde exemplo humanitatis Christi, & in eum modum causari per sacramenta gratiam putat, quo mira per Christi inhumanati carnem fiebant; at exemplum omnino simile non est, opera siquidem Christus operabatur, & ex proprio merito implorabat effecta vt homo, & in sacramentis nullum proprium meritum, vnde admirando dictum est. *Quæ est ista virtus aquæ &c.* nihil ergo penes hoc Vasquez ad rem ait. Demum siquid exemplum probat, pro nobis probat, nam Christi humanitas efficientia morali miracula edebat, quare & morali effectrici modo sacramenta gratiam conferunt, quod Scotus induxit. Hæc breuiter contra destructores moralis causæ in sacramentis lusimus potius, quam inueximus, non vt omnium placita in nostrum reuocemus pensum; nunc grandiori, ac validiori pulsu contra propugnatores efficientiæ Phisicæ digladiandum est.

Vasquezij explicatio nulla omnino

72 Asserendum igitur primo, sacramenta actionem phisicam immediatam nullam habere ad gratiam. Assertum hoc Scoticis, iisdemque validissimis argumentis roboratur primo. Nullum ens creatum phisicam habet actiuitatem ad creandū; sed vt in forma construamus argumentum dicamus sic. Terminus creationis nulli creaturæ per actiuitatem phisicam competit neque primario, neque instrumentaliter; at gratia est terminus creationis; ergo nulli creaturæ per actiuitatem phisicam competit; subinfero; sed sacramenta quid creata sunt; ergo eã attingere per phisicam actiuitatem creationis terminum impossibile est: de hoc sub illato dilemmate nullus est ambigendi locus. Argumentationis primæ maiorem probamus hoc loco breuiter; quia vberiori doctrina discutienda est disputatione peculiari, & quoniam in ea duplex inuoluitur actio phisica, altera primaria, altera instrumentalis; de primaria suadetur maior; quoniam creatura vniuersa ad triplex reuocatur genus: puta ad substantiam spirituale͂, ad substantiam corpoream, ad accide͂s; at horum nulli creatio actiua competit, non spirituali; quia spiritualium actio est per volitionem, & intellectionem, quæ duo accidentia sunt, accidens autem nequit creare, immò nec producere substantiam, & hac eadem ratione neque accidens creare poterit, nec denique materialis, & corporea substantia, quia substantia corporea per formam agit, forma autem, per quam substantiæ materiales agunt, ex subiecta materia agit, vt ægregiè Aristoteles *toto 1 libro phisicorum* docet necessitatem venando materiæ, creatio autem cum sit rei ex non subiecta materia productio potestati materialis agentis non subiacet, ne dicere cogamur perfectiorem habere modum operandi, quam modum essendi, sunt.n. formæ in materia, et si extra materiã operari possent, perfectius operari possent, quam essent, quod falsum est, quia operatio sequitur essentiam rei.

Assertum primum reiiciens phisicam à Sacramentis actionē Probatur

Arist. 1. Phis.

73 Atqui hæc tetigisse satis ad probandam maiorem, qua parte primariam actionem phisicam ad creandum à creatura diuellit; quoniam penes hanc partem, etsi circa probationes difficultas vrgeri posset; certè in re cōueniunt omnes. Quod vero nec actione phisica instrumentali creatura queat creare, probatur. Instrumentum phisicum ex dictis *in hoc ipso capite sub initio articuli primi*. vel attingit immediatè terminum principalis agentis, vel dispositionem ad terminum principalis agentis, at nulli creaturæ cō ceditur posse immediatè attingere terminū creationis, nec dispositionē ad ipsū præuiam; ergo creatio nulli creaturę instrumentaliter conceditur. Minor de attingentia termini principalis probatur, quia omne agens instrumentariè phisico modo per aliquid sibi proprium agit; at nihil proprium est in creatura, per quod possit attingere creationis terminum, quid enim est illud? accidens, ne an substantia? si accidens; ergo, cum substantia etiam creatur, accidens posset

Vrgetur probatio

set creare substantiam, quod falsum est; si substantia, ergo illa per formam agit, at vt supra tetigimus formæ substantiarum non nisi in subiecto agunt; & proinde producere queunt quidem, creare nequeunt. Identidem proba de dispositione præuia ad terminum creationis, quia dispositio semper recipitur in subiecto, in quod inducitur forma, sed in creatione nullum est subiectum, cum sit entis de non subiecta materia productio, dispositio ergo phisica ad illam nulla est omnino.

74 Per hunc hucusque decursum sermonem minorem primæ argumentationis probare potes, qua induximus gratiam esse terminum creationis, siquidem quod ex nullo subiecto producitur, & ex nihilo fit, creatur, sed gratia non educitur de subiecto, exque nihilo fit à Deo; ergo gratia creatur. Hæc argumentatio communis est, si formam, ac materiam spectes, si vim vero considerес illius, nuiquam satis est ab aduersariis vel intellecta, vel soluta, idcirco varia dixere secundum vniuscuiusque captum.

Varia aduersantium responsa

Quidam non sunt veriti creationis terminum instrumentariè sacramentis inuehere; sed hi per allatam ratiocinationem, perque ea, quæ suo loco dicenda sunt *m.2. de creatione ipsa* refelluntur. Quidam iuerunt vtique inficias posse creaturam etiam instrumentaliter creare immediatè, & eatenus putant mediatè assumi posse vt diuinum instrumentum ad creandum, quatenus dispositionem aliquam præuiam ad creationis terminum producere possunt, quæ vel character erit, vel ornatus quidam, idque exemplo manifestant ignis, ignis enim ad producendum alium ignem in ligno vtitur calore tanquam instrumento, & calor quidem non attingit productionem formæ ignis, sed productionem caloris in ligno, qui calor est tanquam præuia ad ignem producendum dispositio. Ita censent occurrendum allato Scotico discursui Caprèolus *in 4. d. 1. q. 1.* & qui eius sequuntur partes.

75 Sed hæc cuiuscumque sit responsio ab ipsomet Scoto neglecta est, qui tot antecedentibus sæculis eam subodorasse videbatur; vnde toto stomaco se in hanc dispositionem voluntariè ab Aduersariis excogitatam inuexit.

Interim nos longiori de hac re disputatione apud Fabrum legenda omissa petamus à Capreolo, sit ne hæc dispositio naturalis, an supernaturalis ordinis? si supernaturalis ordinis, ergo & ipsam creari necessarium erit; formæ enim supernaturales de potestate materiæ non educuntur; ergo creationem, quam à creatura immediatè neglexit, in creaturam immediatè respectu dispositionis creatæ inuexit: si naturalis ordinis vtpotè educta de materiæ gremio; ergo & ipsa dispositio creatura erit; quomodo igitur gratiam attingere poterit dispositio absque, eo quod dicamus dispositionem creare gratiam? Adde quod nec in naturalibus dispositio formam facit; sed agens dispositionem inducit, qua intercedente terminum inducit.

Capreoli doctrina refutatur

76 Idcirco alii pedissequas se Caietani *in comm. q. 62. art. 1. 3. p.* constituentes eo diuerterunt opinionem, vt negarent verè gratiam creari, quam aiunt à Deo educi de potentia, seu de anima rationali, tanquam de materia; ita contra communem Theologorum sensum autumat Suarez, quamuis enim primus omnium Caietanus asserti huius defensorem se præbuerit; nihilo tamen minus ob communis oppositi asserti venerationem parum se ab ea tulit; *& in 2. p. q. 110. art. 1.* gratiam confessus est concreari saltem, sin minus creari, ex eo principio, quod putat subsistentium esse creationem. Suarez solus communi asserto se obicem posuit, contra quē illud Iacobi opponere possumus; *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est descendens à Patre luminum*, gratiam autem esse donum ipsum nomen sonat, quod est *gratia* idest gratis data, vel donata; porrò si à Deo datur gratia, deque sursum descendit, non ergo de aliquo tanquam de materia educitur, alioquin de deorsum esset, non de sursum, quod docuit Iacobus.

Caietanistarum responsio cribratur

Conuincitur Suarez

77 Adde quod si gratia annihilatur, parimodo dicēda est creari; quia quomodo res incipit desinit, incępta per generationē desinunt per corruptionē, incæpta per creationē, desinunt regulariter per annihilationem; vnde sicuti creatio est transitus rei de nihilo ad esse, ita annihilatio est rei de esse ad nihilum reditus, porrò gratia annihilari potest in peccatore decedente à gratia per culpam, illa siquidem gratia non transit in rem aliam, vt corrumpi dici queat, sed penitus in nihilum abit; annihilatur igitur, quare in productione, verè creabitur.

De coloribus in Iride hic doctrinam habes.

78 Si instes de Iride, quæ fit à sole, per radios, & nubem generatur; attamen

niem

men non corrumpitur, sed in nihilum vadit: exemplum in primis de coloribus non realibus nullum est; quia propriè creatio, & generatio est entis realis, colores autem illi in Iride non sunt reales, sed intentionales, vt dictum est in phisicis; oritur enim Iris præceptore Aristotele 3. *Metheororum cap.* 4. ex varia affectione nubis ad solem in aere; hinc aliquid flammei, aliquid crocei, aliquid cœrulei, aliquid viridis, aliquid purpurei, aliquid punicei, aliquid lutei in ea cernitur, vt non immerito dixerit Virgilius Æneidos 5.

Aristotelis doctrina de Iride.

Æneidos 5

Mille trahit varios aduerso sole colores.

79 Cuius materia est vapor, vel aqua, efficiens sol, forma lux variè modificata, finis vniuersi pulchritudo, locus aer; certum est autem in solo corpore mixto, ac terminato veros colores cerni; aerem autem non esse corpus mixtū, ac terminatum. Si autem vrgeatur obiectio de illuminatione, quæ est realis, & genita à lumine videtur annihilari, dicendum est nusquam annihilari, sed vel in aliam rem mutari, vel in præiacentē materiam reduci, quoniam vti creatio, ita & reuocatio in nihilum effectiua phisica impossibilis est omnino creaturæ.

80 Hac ergo responsione neglecta alii gratiam quidem à Deo creari senserunt, sed per sacramenta fieri phisicè Deo homines gratos, & ex hoc dici gratiam per sacramenta creari. Sed hæc responsio, quam mordicus propugnauit Sotus rectè ab ipsis etiam Diui Thomæ sectatoribus negligitur; quod enim homo fiat gratus Deo, id bifariam euenire potest, vel homo fit Deo gratus sine gratia inhærente, sed per Dei voluntatem, vel quia per gratiam quidem fieret gratus, sed sacramenta non causarent gratiam, homini iam à Deo creatam, si primum modum intelligat Sotus, non admodū à nostra sententia differret, nam & per solam Dei spondentis voluntatem gratiam per sacramenta dari concessimus; at hæc causatio ad modum causandi moraliter, non ad genus causandi phisice reuocatur. Si secundum modum velit, nimis impropriè veritatem Catholicam de causatione gratiæ per sacramenta incolumem seruabit, eo namque sensu non causarent vllo modo gratiam.

Doctrina Soti ipsis etiam in ulsa Thomistis

81 Adde quod responsio secundum illum inconueniens tum in via Sancti Thomæ, tum in via Scoti inducit, in via Sancti Thomæ, qui accidentis esse putat esse in subiecto, & inesse, implicat ergo duas intelligere actiones, alteram terminatam ad gratiam creatam, alteram ad vnionem eius cum anima; nam in illo priori vbi intelligitur fuisse gratia? In via Scoti etiam, qui etsi putet non esse de essentia accidentis inhærentia subiecto; attamen segregari ab eius essentia inhærentiam, non nisi per miraculum posse credit, quare multiplicanda essent in casu nostro miracula.

Et confutatur

82 Asserendum secundo, nullam actionem phisicam habere sacramenta ad dispositionem ad gratiam, puta ad characterem, & ad ornatum. Elicitur ex Scoto q.c. & probatur argumentis eius. Sacramenta non agunt in instanti, dispositio illa producitur in instanti, ergo nullo modo producitur per sacramenta. Singulæ propositiones probantur, maior quidem ad sensum est euidens, quia multa verba, & res ad conflanda sacramenta conspirant, at verba illa successiuè proferuntur, non potest ergo sacramentum habere esse in instanti, neque proinde agere in instanti, quia quod habet esse successiuum, & dum est agit; ex quo operatio sequitur esse, successiuè aget. Minor probatur, quia quod forma successiuè producatur hoc fit, vel quia subiectum, in quo recipi debet est extensum, & formam recipit prius in vna, quam in alia parte, vel quia forma ipsa partes habet, quarum vna ante aliam producitur, sed neutrum accidit in dispositione, de qua loquimur, quia ea recipitur in anima, quæ est subiectum indiuisibile, & proinde ratione subiecti est inextensa, & ipsa secundum se partes non habet, nisi forte gradus appellare velis partes; sed hoc improbatur, quia possibile est in aliquo minimam gratiam, ac dispositionem recipi patientem gradus, quare & illa partes, & partes non habebit.

Assertio secunda de dispositione ad gratiam

Probatur ex Scoto.

83 Adde, quod si in tempore causaretur dispositio, nimium diuinæ potestati derogaretur, quod probo, quia sacramenta, quæ sunt instrumenta Dei non nisi in virtute Dei operantur, sed Deus non agit in tempore, vel successiuè, ageret autem successiuè, si successiuè virtute eius à sacramentis produceretur dispositio, nec valet responsio, quod Deus potest agere eo modo, quo vult, non valet, inquam, quia quod sic Deus velit, dum forma est indiuisibilis, quæ producitur, dumque subiectū est in extensum, in quo recipitur, hoc probandum est, nempe, quod noua fiant miracula successiuè producendo indiuisibilia.

Iterum conualidatur

Scio

Scio Capreolum, & alios nescio quid etiam huic Scoticæ rationi opponere, afferendo sacramenta causare in vltimo instanti prolationis vltimæ syllabæ, quando habetur completum orationis significatum, sed quia hæc responsio per tinet ad tempus, quo sacramenta agere dicantur, & hæc difficultas proprio capite transigenda est, hoc loco dimittatur, vbi de actione phisica dumtaxat eloquimur, est autem diuersa ratio, dum de actione morali fit mentio.

84 Interim alio argumento afferrum validatur. Præuia hæc dispositio non habet locum in sacrame. tis omnibus; ergo vel inanis omnino, vel nouum quid fingendum in sacramentis, quæ illam desiderant. Antecedens probatur, nam character imprimis solius Baptismi, Cōfirmationis, & Ordinis est effectus proprius, in alijs autem sacramentis non imprimitur. Adde quod ille nullam habet affinitatem cum gratia, vt peculiari disputatione probabimus. Quod vero in alijs sacramentis non character, sed ornatus quidam producatur, imprimis mirabile est; vt monuit Vasquez, quod dispositio ad gratiam sacramentalem multiplicetur ex voluntate Auctorum, vt in aliquibus sit character, in aliquibus sit ornatus; cum tamen diuersitatis huius nulla sit ratio, nisi inuenientiū Auctorum placitum. *Aliud argumentum*

85 Præterea qualitas hæc, quæ ornatus dicitur, disponeret ne ad gratiam naturaliter, an moraliter? si moraliter, decident Auctores à propria sententia; quia non poterunt sacramenta dici phisicè agere ad gratiam, si solam moralem dispositionem causabunt ad gratiam; si vero naturaliter, opus erit dispositionem illam supernaturalis esse ordinis, & quoniam dispositio naturalis est ad formam naturalem sibi possibilem; sic necessarium esset, aut ipsam etiam creari, aut educi de potentia materiæ; quæ supra improbauimus. *Confirmatio.*

86 Demum sciscitor; quid sit hic ornatus, gratia ne habitualis, an aliquid aliud? Capreolus sentiret esse gratiam habitualem distinctam à gratia sacramentali; sed hæc eius responsio contra eiusdem dicta pugnat; ait enim ipse *in fictè accedente hanc dispositionem recipi*: at quomodo gratia recipi potest in fictè accedente? edisserat obsecro Capreolus, edisserat etiam, ex quo duplex genus gratiæ habitualis hauserit, cum hoc sit planè apud Theologos nouum? Scotus etiam hanc partem de dispositione in Eucharistiæ sacramento euellit, vt videre est apud ipsum, & sectatores. *Confirmatio alia.*

87 Nos vltimo loco tam ad hanc, quam ad superiorem assertionem probandam insurgimus. Pluralitas sine necessitate vitanda est; sed nulla suppetit necessitas, aut dicendi sacramenta phisice attingere gratiam, aut afferendi causare phisice dispositionem ad gratiam, ergo vitanda est vtraque aduersariorum assertio. Maiorem tradidere Philosophi cū Aristotele 1. *naturalium Cont. 50.* Minorem probo quoad primam partem, quia aque bene seruatur sacramentorum actio, si moralem illi causalitatem tribuamus, absque eo quod phisicam, contra quam tot difficultates obsistunt, cōminiscamur, vnde ægregiè monuit S. Bonauentura *d. p. q. 4. art. 1. cauendum esse, ne dum nimis damus corporalibus signis; honorem subtrahamus gratiæ curanti*; quo ad aliam vero partem ex superioribus conuicta est, quæ ne iterum repetantur, ad hunc possunt locum à quocunque reuocari. *Vltimo probatio.* *Monitū S. Bonauentura.*

88 Assero tertio, nullam esse supernaturalem virtutem in sacramentis ad gratiam causandam phisice. Hoc assertum prosequitur ex instituto Scotus *in 4. d. 1. q. 5.* ac validissime probatur primo. Siquā virtutē ad causandam gratiam communicamur in sacramento, certe vel illa in eo esset diuisib liter, vel indiuisib liter, diuisibiliter quidem, vt forma materialis in corpore: indiuisibiliter autem, vt anima rationalis in corpore: at neutrum horum; ergo nec vllo modo fingenda est hæc virtus in sacramentis. Antequam singula probemus, obserua in appositione huius rationis duos Fabri lapsus, ait enim *disp. 2. cap. 4. num. 26 Scotum supponere in hoc argumento, quod illa virtus sit spiritualis*, & hic est primus eius lapsus; quia petit hoc Scotus, non supponit, dum sciscitatur, an sit indiuisibilis, an diuisibilis; hoc est enim, ac dicere, & petere, an sit spiritualis, an sit corporea; quia corporeum est, quod diuiditur, incorporeum, quod indiuiduum, quantitas enim est corporis affectio: Postmodum asserit Faber *virtutem hanc recipi in anima intellectiua*, hoc autem est falsissimum in via aduersariorum, qui virtutem sacramentis inuehunt, non animæ. *Assertio tertia Scoti.* *Probatur.* *In eiusbe positione decipitur Faber.*

89 Nunc vero singulæ propositiones probantur, & quidem maior est ex partium diuisione sufficienti notissima, quidquid enim est aut spiritu caret, aut spiritu pollet, & corporeum, & incorporeum

rerum substantiæ; & materiale, & immateriale finiti entis materiam partitur. Minor suadetur per Scotum; *quia esse totam in toto, & in qualibet parte totam, quod conuenit formæ spirituali est solius animæ intellectiuæ, proprium inter omnes formas perficientes materiam*, obserua hæc Scoti verba, & elicies errorem Fabri existimantis hanc virtutem recipi in anima; cum enim Scotus ait solam animam esse totam in toto, & totam in qualibet parte inter omnes formas perficientes materiam, patenter supponit accidens illud virtutis inter formas perficientes materiam poni, non proinde in anima, quæ est immaterialis: quare ex hoc Scoti dilemmate deducitur ipsam virtutem non esse spiritualem, sed nec esse corpoream, seu diuisibilem, totam scilicet in toto, & partem in parte; *quia tunc extenderetur per accidens in subiecto, quod est contra rationem virtutis spiritualis*. Libuit Scoti verba referre, vt Fabri lapsus occasionem venaremur; ex his postremis Scoti verbis non dubiè colligit Faber, Scotum *ibi* spiritualis vocem vsurpasse non prout contra distinguitur contra corporeum, sed prout coincidit cum intentionali; arguit enim Scotus ad hominem accipiendo puta principia etiā ab Aduersariis concessa; sed assertores illius opinionis, quam impugnat, vt ipsemet refert *paulo ante litteram A.* 9. *illo, & si arguitur, quod in corpore, &c.* virtutem illam aiebant esse incompletā, tanquam ens intentionale; quare contra illam Scoto arguenti licuit intentionale cum spirituale confundere ad hominem arguendo.

Scoti verba Fabrum conuincunt

Spiritualis nomen quo modo sumptum à Scoto?

90 Quidquid autem sit de hac Scotica ad hominem probatione, quæ cum ex suppositis per Aduersarios deducatur aliqua possit difficultate torqueri: Minorem probamus nos, supponendo vnum, quod in omni opinione certissimum est, scilicet virtutem illam, qualem cumque ponamus, esse qualitatem, & proinde accidens; tunc sic arguo. Spirituale accidens corpori inhærere non potest, quoniam cum suo accidens proportionatur subiecto, cuius esse secundū aliquos est in esse; præcipuè si Corpus compositum sit, quod dixisse velui propter colores Iridis intētionales, ergo nec virtus illa spiritualis sacramento, quod est corporeum quid, & compositum: si vero corpoream eam dixeris, argumentabor; quia rursum redibit prima difficultas, qui fieri posit, vt qualitas corporea eleuari possit ad causandam gratiam phisicè, vel saltem dispositionem ad gratiam? cum secundum veram philosophiam imperfectius ad perfectius causandum non nisi per aliquam superadditam virtutem eleuari possit, & sic ista virtus alia citeriori virtute indigebit ad causandum, de qua rursum sciscitari licebit; sitne corporea, an incorporea? & sic vsque in infinitum.

Probatur minor ex propriis.

91 Et corroboratur argumentum, quia etsi secundum nos habeat accidens existentiam propriam distinctam ab existē tia subiecti, nihilo tamen minus accidens quodcunque pendet à subiecto in esse; ergo sicuti subiectum est extensū ipsum quoque extendi debet; sicuti namque à toto subiecto pendet quoad esse; ita quoad existere à toto subiecto pendebit; nec à toto accidens ipsum penderet, nisi in toto esset. Nec ualet responsio Aduersariorum qualitatem illam esse spiritualem, sed incompletā, proinde posse esse in subiecto materiali, sicuti species quædam intentionales, & spirituales sunt in aere; immo & in nobis; in aere quidem ut patet de luce, de lumine, &c. in nobis autem, in quibus secundum Auerroem 3. *de Anima cont.* 5. *Species intelligibiles sunt in phantasmate, tamquam in subiecto*. Non ualet, inquam, quia falsum ad falsum assumit probandum; neque enim Auerrois opinio à Phisicis in hoc sustinetur, apud quos hoc certum est inter mille incerta, species intelligibiles in intellectu possibili, qui pars est animæ, subiectari: neque lux, & lumen sunt mere spirituales res, cum organa afficiant, respectu quorum nullam habent spiritualia actionem, sed spirituales forte dicuntur; quia à crassa materia sunt seiunctæ. Ipsa etiam secundum se responsio falsa est; complete tum siquidē, & incōpletū, quē admodū imperfectū, & perfectum non uariant speciem; quare si de ratione accidentis cōpleti est non subiici in corpore, si sit spirituale, quamuis incompletum sit, subiici non poterit, quia non qua incompletum, quod fortasse minorem du rationem in subiectum inducere posset, sed qua spirituale nequit esse in subiecto corporeo.

Argumē tum roboratur

Lux, & lumen nō sunt mere spirituales res

92 Secundo principaliter argumentamur ex Scoto. Da hanc virtutem in sacramē tis, ego petam statim; ex quo multa uerba ad integrandam sacramenti formam expetuntur, sit ne eadem virtus in qualibet syllaba, & quolibet verbo, an vero alia, & alia virtus in alio, & alio verbo, in alia syllaba, & alia: quod s cum-

Secundum Scoti argumentum

cumque dicas euellam, & primo primum; quia tunc duo sequerentur absurda. Primum, quod idem accidens migraret de subiecto in subiectum. Secundum, quod idem accidens maneret deficiente subiecto; quæ duo portenta sunt philosophiæ, & sequela vtraque probatur; prima quidem, quia virtus, quæ est in hoc verbo, exempli gratia. *Ego te baptizo*, cum sit vna vt supponitur, cedentibus illis verbis deberet migrare in hæc subsequentia. Illicet *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & per hoc patet sequela secunda; quia deficientibus illis primis verbis, & subiectum virtutis deficit, ipsa tamen virtus remaneret superstes in sequentibus. Si secundum dicas, nempe esse aliam, aliamque virtutem penes verborum, & syllabarum abiectionem, duo alia sequerentur incommoda, primum, quod sacramentum efficeret unum nec tamen causaret vt vnum, sed, vt plura; quia per plures virtutes, secundum, quod nesciremus quænam illarum virtutum esset immediatum causandæ gratiæ principium. Hanc Scoti secundam rationem diuerso modo efformat Faber, ita plane, vt illam omnino desormet, vt uidere est apud eum.

Argumentur aduersary.

Nec audiendus est Capreolus afferens, esse uirtutem hanc principium, ut in ultima syllaba, non tamen ita ut superflua sint reliquæ, quia manent etiam, illæ si non in se, saltem in significatione, non est, inquam, audiendus, quia, sic uirtus non in sacramento toto, sed in parte collocaretur, nempe in forma, non in materia; sed nec in forma tota, sed in aliqua parte eius, qui omnia uoluntaria sunt, & tunc adinuenta, cum ad soluenda Scoti argumenta fuit opus.

Preoccupatur Capreolus.

Alio etiam argumento hanc uirtutem euellit Scotus, ut est uidere apud ipsum, mihi extrema argumentatio superioris afferti uidetur ualidissima, quia si æquè bene seruare possumus incolumem sacramentorum uim ad gratiam absque præuia dispositione, & uirtute, ex quo entium multitudo sine necessitate uitanda est, superfluum uidetur, & uanum tot comminisci diuersitates, ut phisicam causalitatem moralicus sacramento inducamus, & uel cum Capreolo uirtutem superaddere, uel motum uirtuosum cum Caietano te neamur, de quo quidem motu non minus nostræ argumentationes ualid æ sunt, nec minus contra illum pugnant, quam

Aliud Scoti argumentum.

Cent. de Sac. in Gen.

contra assertam à Capreolo uirtutem. pero enim quid sit iste motus uirtuosus & artificialis? ait quidem Caietanus *motum illum esse motum Dei*, sed ego scitor, an sit corporeus, an spiritualis, & argumenta superius adducta, redibunt.

Franciscus Suarez liber ab ijs euaderet, quia putat munus ating. ndi gratiam phisice sacramento concessu obpotentiam eius uentâ ab eo in sacraméto ob. dientialem, quæ argupotentiam actiuam, de qua multa exempla ab'eo feruntur; primum sciliect del uno corpore, quod immutata sua quantitate potest duo occupare loca. Secundu de multis corporibus, quæ manente quantitate propria possunt vi um occupare locum. Tertium de anima, quæ informare potest corpus maioris, & minoris quantitatis. Quartum de inferni igne, qui agit in corpora, & spiritus. Quintum denique de intellectu, & uoluntate, quæ potest elicere actus beatificos quæ omnia per solam obedientialem potentiam actiuam fieri ait Suarez.

Opinio Suarez.

96 Sed certè si nomen obedientiæ sequundum rem perpessus esset, dignouisset Suarez illud nullo modo ad actionem, sed ad passionem deuoluendum, sicut ergo obedientia est ad pati. ita obedientialis potentia est ad fieri, atque hæc est possibilis, illa omnino est impossibilis, cur enim formicæ repugnat beari? quia implicat formicam operari vltra vires suas absque vllo alio addito, si ipsa formica remanens, potest vtique illi Deus insell ctum, ac volúntatem impertiri, & ad hæc illi esset in obedientiali potestate, sed illa non esset amplius id, quod erat.

Refellitur Suarez.

97 Nec exempla ad rem faciunt. Primum non pertinet ad potentiam actiua internam, sed ad potentiam extrenam Dei, qui facit duas relationes extrinsecus aduenire, similiter & secundum pertinet ad potentiam Dei suspendentis latera quantitatis corporeæ, ne distent. Tertium est ineptum, quia anima ex sui natura potest quantæuis magnitudinis corpus animare, & non ex potentia obedientiali. Quartum petit solutionem difficultatis de actiuitate ignis in animâ de qua alias dicemus. Interim dicito actionem illam esse quasi Metaphoricam, quia non uult scilicet animus ibi detineri, & detentio ipsa in inuito est pœna. Quintum non est ad rem, quia naturaliter actus illos intellectus, & voluntas appetit, & medio lumine gloriæ,

Diluuntur argumenta Suarez.

R & cha-

& charitate elicit non per potentiam obedientialem.

98 Etiam longiori, quam par erat sermone, articulum transegimus, & capiti toti coronidem desideranti nondum fecimus satis: hoc autem fieri deberet per aliarum opinionũ, ac quæstionũ solutionem in sequenti articulo; sed quia Suarezio se nonnulli Scotizantes subscripsere, sunt in inuehenda potentia obedientiali actiua; hinc operepretium duxi paulullum hoc loco de ea digredi.

DIGRESSIO DE POTENTIA

Obedientiali Actiua.



ARTICVLVS V.



99 An hæc potentia obedientialis actiua concedenda sit, quidue, seu quænamue illa sit, Phisicum est opus disceptare profusum, vt autẽ præsentis loci postulat occursus; ne singula supponimus de ea ex 1. *lib. cœli cap.* 11. vbi de potentia notitia agente Philosopho ad naturam potentiæ obedientialis rimandam descendunt Recentes aliqui, & *ex* 1. *de Phisico auditu cap.* 9. occasione præstita ab Aristotele de eductione formarum è gremio materiæ; missis alijs, quæ ferri possent, considerationibus supponendum est, vt ad rem facit, potentiam partitionem pati in naturalem, violentam, & neutram, primam, quæ in vniuscuiusque rei ad ea, quæ sibi consentanea sunt, propensione sita est; & secundam, quæ in contraria propensione constituitur, communiter consentiunt Philosophi sicut enim naturalem censent ignis ad sursum ferri, ita violentam ad deorsum duci potentiam norunt.

Potentia alia naturalis alia violenta alia neutra

100 De neutra, quamuis litem agant cum Scotistis Caietanus, & alij Thomistæ, pluries tamen Scotus meminit, & præcipue *in p. q. prologi littera L*, quam ait esse, *dum subiectum neque ad hanc, neque ad oppositam formam inclinatur, sed naturaliter se habet ad hunc colorem, vel illum*, de cuius positione non immoror in præsentia; obseruo solum diuisionem præcitatam potentiæ esse dumtaxat in ordine ad actus, vel formas, quæ, vel qui licet ab agente naturali, vel supernaturali producatur, non denominat potentiam naturalem, vel supernaturalem, sed solum naturalem, vel neutram, vel violentam, ita vt in ordine ad actus potentiæ rationem supernaturalitatis nõ inducat; supernaturalitas enim in potentia non in ordine ad actum, sed in ordine ad agens consideratur: quoniam aũt ipsamet potentia in ordine etiam ad agens supernaturalitatem nequit inducere, alioquin esset naturalis, & supernaturalis simul; hinc in ordine ad agens illud potestas ipsa eleuata, vel ad actus naturales, vel ad violentos, vel ad neutros potestas vocatur obedientiæ, non ita vt sit quarta potentiæ species, sed ita vt perpetuo sit vna ex tribus, vel sci licet neutra, vel violenta, vel naturalis iuxta variam actuum qualitatem; hinc si eleuetur potentia nostra ad beatitudinem, ad quam naturaliter inclinatur, licet ex naturalibus hoc non possit, dicetur potentia obedientialis naturalis, si eleuetur homo in aerem materialis, & corporeæ grauitatis mole grauatus, potẽtia eius vocatur obedientialis violenta; quia graue naturaliter deorsum tendit, nõ sursum, si eleuetur ad hypostaticam vnionem obedientialis potentia erit neutra, ita vt respectu agentis obedientialis sibi pacificatur uocabulum, respectu uero actus à quocunque sit ille inductus, naturalis, uel uiolentæ, uel neutrius.

Quid sint hæ potentiæ explicatur infra.

101 Ex his ergo, quid sit potentia obedientialis, dignoscés, nõ est n. aliud, nisi potestas receptiua cuiuscũq; actus nõ impossibilis, siue ille neuter sit, siue naturalis, siue uiolentus. Hæc doctrina de potẽtia obedientiali, quæ dumtaxat talis dicitur in ordine ad agens elicitur ex Scoto *in* 3. *sent d.* 3. *q.* 4 *littera A*, his uerbis *potentia obedientialis in creatura respicit efficientiam primi efficientis, non alteram actiuam potentiam &c.* quibus tamen ca- ue pu

Scotus in 3. dist. quest. 4

ne putes non dari aliquam potentiam obedientialem ad actiuas alias potentias; nam & artis materia dicitur in ordine ad agens artefaciens in potentia obedientiali, sed intellige veram obedientialem potentiam secundum totum Phisicum rigorem solum in ordine ad primum agens referri, cui vere subdita est creatura alijs autem proportione quadam: hoc etiam modo loquitur Scotus *in q. 19. quol. littera R*, dum ait potentiam obedientialem creaturæ respicere omnipotentiam Creatoris. Neque de hac potestate hucusque dubitatum est.

Ratio propugnatoris potentiæ obedientialis actiuæ.

102 Cæterum dubium esse posset, numquid cum hæc, quam descripsimus, potestas obedientiæ passiua sit, danda sit etiam potentia actiua obedientialis? & affirmatiua opinio ex illo principio coloratur. Quod vnicuique passiuæ potentiæ actiua correspondere debet, si igitur passiua datur obedientialis potentia, pariter & actiua, quæ erit vis aliqua rebus insita ad producendos supernaturales effectus, & sic in sacramentis ad producendam gratiam virtus posita dici poterit potentia obedientialis actiua.

Propugnatores sunt Suarez, Vasquez, Alarcon.

103 Huius potestatis vocabulum ante hoc sæculum non tam improbabile fuit in scolis, quam inauditum. Franciscus Suarez *3. p. tomo primo disp. 31. sect. 5.* & antea *in meta. disp. 43. sect. 4.* se illius profitetur inuentorem, quem deinde imitati sunt ex eius familia fere omnes Coninch *q. 62. de sacramentis art. 4.* Vasquez *3. p. disp. 132.* eiusque assecla Alarcon *tract. p. de visione Dei cap. 11. sermone quam longissimo;* qui quod caput est partitionem potentiæ obedientialis in actiuam, & passiuam ex omnium doctrina se supponere ait *in ipso capitulus initio.* Decipitur tamen Alarcon, quoniam etsi Thomistæ plerique cum Capreolo, & Ferrariense in hac de sacramentorum causalitate in ordine ad gratiam qualitatē quamdam à Deo sacramentis conferri constituant, per quam eleuantur ad phisice, vt ipsi putant, causandam gratiam; obedientialis tamen potentiæ actiuæ vocem nec somniarunt.

Explicatio Nazarij.

104 Aiet concedi ab ipsis rem, sin minus vocem. Nec consentio; quia vt optime in via Sancti Thomæ explicat Nazarius *p. 1. q. 1. art. etiam 1.* catenus in eorum doctrina *anima* exempli gratia, *dicitur in potentia obedientiali ad formas supernaturales, quatenus non habens ad illas repugnantiam, dum illas à DEO recipit infusas, Dei dicitur obedire imperio,* quo modo explicandi, vt vides, tantum abest ab ijs potentiam agnosci obedientialem actiuam, vt specifice de sola passiua loquantur. Eandem sententiam sequitur Granad. *1. 2. tract. 4. de gratia disp. 8. sect. 3.* & Ægidius Lusitanus *tomo 2. de beatitudine libro 10. quest. 2.* & ex Nostratibus Mastrius, & Bellutus *in phisicis disp. 7. quest. 6. art. 5. conclusione 2.* qui, quod mirum est, eam esse de Scoti mente persuadere conantur.

Suarez sequuti sũt Granados Aegidius Lusitanus Mastrius, & Bellutus.

Quid autem sit hæc potestas, & numquid sit ad omnia? Concertant præfati Auctores ad inuicem. Quidam eam statuunt in genere qualitatis: quidam aiunt eam esse motum transeuntem in creatura, quo eleuatur ad supernaturalem effectum. Quidam cum Suarezio esse prædicatum intrinsecum ipsi creaturæ naturale, vel supernaturale. Quidam cum Granado concedunt esse qualitatem; sed solum formaliter à creatura distinctam. Quidam esse quid negatiuum scilicet, non repugnantiam, vt Deus per illas creaturas agat quid sibi libuerit. Quidam esse ad omnia; quidã ad aliqua, qua in re videri poterit Alarcon idem fusè: nos autem hoc loco breuiter, quantum ad capessendas in sacramentorum causalitate in ordine ad gratiam difficultates est satis.

Dissidium eorum de quidditate huius potentiæ;

105 Et in primis statuendum est, potentiã actiuam obedientialem figmentum esse Recentiorum nullo fundamento. Hoc constitutum inde patet, quod ante hoc seculum nullus sub hoc uocabulo obedientialem potestatem intellexit, ut uidere est apud Classicos Theologos, eorumque sectatores: quamuis enim Caietanus *in opusculis tomo 2. tract. 3. q. 1. &* 2. quibus de potentia agit potentiam ad actus supernaturales quales sunt gratia, & similes vocet non naturalem; sed obedientialem, quod inde multiplici ratione probat, nihilo tamen minus ex ipso petitionis eius titulo patet loquutum eum fuisse de ipsa potentia, quatenus est receptiua, non quatenus est elicitiua actuum illorum. & quamuis *articulo 4.* concludat, *non solum in ordine ad agens, sed etiam in ordine ad ipsum inueniri supernaturalitatem in potentia,* explicite tamen potentia illa supernaturalitate quadam fulcita ex ipso non vocatur potestas obedientialis actiua. Sed quidquid sit de Thomistis ex ipsa Dominicanorum familia, quos inter post Suarezium potentiam obedientialem actiuam pati videtur Aluarez *disp. 68. de*

Hæc potentia meru figmentum est.

Rada
Iribarnes
Aretinus
Vulpes
Faber

auxilijs num. 13. certè in Scotica palestra vocabulum huius potentiæ nonum est; hinc ne verbum de illa quidem Vetustiores: Recentiores autem cum Rada *cont.p.p part. art.* 1. Ioanne Iribarnes *in 4.d.4.sect.* 2. Antonio Aretino *in 4.d. p q 4* Angelo Vulpes *tomo 1.p.p.disp.23. art.13.* Philippo Fabro *in 4.disp.2.* acriter illam infectantur; nec sine fundamento; quia ipsummet nomen pugnat; quid enim obedientia, nisi subiectionem denotat, subiectionem autem aliò referre, quam ad agens, est ipsum subiectionis nomen eliminare: hinc ægregiè Scotus *9.Meth q. 12.* docet *potentiam obedientialem, non in ordine ad formam, sed in ordine ad agens spectari*, quod etiam indicauerat *locis supra citatis q.19 & in 3.d.p.q.4.* hinc duo hac nectere simul actiuitatem & obedientiam est, simul subiectionem, & actionem nectere, quæ implicant.

Alia Scoti auctoritas

106 Prætereà ex Scoto *q.p.prol. citata* potentia in ordine ad actus vel naturalis, vel neutra vel violenta nuncupatur. hac igitur posita peto, quanam esset illa potestas in ordine ad actus supernaturales violenta ne, an neutra, an naturalis? violentam nemo dixerit, qui animum nostrum naturaliter ferri ad bonum philosophicè & Theologicè nouerit; nec proinde neutram; quare naturalem dixerit necessum est: sed contra arguitur; quia potentia naturalis actiua est ad actus naturales dumtaxat. & nullo modo ad superiores se perfectè assequendos. Si dixerint hoc verum non esse de potentia remota, sed de proxima, quia intellectus cum lumine gloriæ est proxima causa visionis beatificæ, quæ est actus supernaturalis: ita enim respondent Mastrius, & Bellutus concedentes effectum dici supernaturalem, quia nequit totaliter à causa remota produci naturali; quæ ebinde completur supernaturaliter, & desumpserunt responsum ex ipsis Recentibus potentiæ obedientialis actiuæ propugnatoribus Suarezio *lib.6 de gratia cap.6.* Fasolo *p.p. q. 12.art.5.dub 7.* Albertino *q. 1.Theologica corellario 1. dub. 2.*

Responsio Mastrij, & Bellutt ex Suarezio Fasolo, & Albertino.

Reijcitur

107 Contra vrgentur etiam ex ipsorum principijs, quibus constituunt potentiã eleuatam per lumen gloriæ dici principium beatificæ visionis, esseque solum principium naturale actus substantialiter naturalis. non autem actus procedentis à principio eleuato, & hoc contra aduersarios Scoticæ doctrinæ: contra Nostrates autem Mastrium, & Bellutum fas erit insurgere; quia in via Scoti intellectus dicitur principium naturale visionis beatificæ remotè, non ita vt fiat principium proximum per lumẽ gloriæ; sed ex concursu speciali obiecti beatifici ad visionem dicitur principiũ proximum illius actus, qui ebinde dicitur supernaturalis denominatione sumpta ex obiecto ipso beatifico; neque tamen in intellectu reperitur in Scoti sententia potentia obedientialis aliqua actiua, nec ipse est ista potentia obedientialis actiua, sed naturalis. vt dixi; vnde igitur ad alios actus naturales necessitas ista actiuæ potentiæ obedientialis aduenit?

108 Aient ex proportione quadam necessaria requisita inter effectum, & causam: in visione autẽ beatifica non ita; quia ad visionem potest conferire intellectus, non sic ad gratiam, ebinde ad hanc causandam indiget potentia obedientiali actiua, non autem ad visionem: sed hoc est penitus a Scoti doctrina, quam profitentur aberrare; quia Scotus *in 4. d.p.q.1.littera V.* fuse probat creaturam nullo modo posse creare, nec vt causa principalis est, nec vt instrumentalis, in horum autem sententia per potentiam obedientialem actiuam attingendo effectum creare posset. Rursum respondери ex horum doctrina quis posset, potentiam hanc obedientialem actiuam esse aliquo modo ordinis supernaturalis, vt sufficienter ex parte sua possit concurrere ad effectum supernaturalem, ita enim illi loquuntur *in responsione ad tertium loco citato.*

Præoccupatio alterius responsi

109 Sed conuincuntur adhuc à Scoti tramite aberrare; Doctor enim *in 4. d. 43. q.4 littera A*, nomen naturalis partitur ægregiè in id, quod opponitur supernaturali, in id, quod opponitur libero, in id, quod opponitur violento, & partitionis suæ rationem reddens docet *naturalitatem quandoque spectari vt pertinet ad principium actiuum, quandoque vt pertinet ad passiuum si spectetur in ordine ad principium actiuum tunc vno modo opponitur principio libero, alio modo principio supernaturali.* Si enim agens agat naturali necessitate, eius oppositum est agens liberum: vnde Aristoteles *in 2. phis cont. 49.* naturam distinxit ab agente à proposito, hoc est libero, & voluntario. Si autem agens naturale spectetur, vt habet ordinem naturalem actiui ad passum, tunc eius oppositum est agens supernaturale; subditque inde Scotus, *hoc modo naturalis omne agens creatum esse agens naturale,*

Iterum cõuincuntur ex Scoto.

Distinctio agentis naturalis

solumque agens increatum esse supernaturale.

110 Rursum in ordine ad passum vno modo naturale opponitur violento, alio modo opponitur neutro; s.n. quod patitur contra propriam inclinationem patitur, oppositum eius est naturale: si ausum neutro modo se habet, quod patitur, vt supra dicebam, naturale ab eo distinguitur: sed nunc ad nostra reuertentes dicimus Recentes istos Scotistas non admodum Scoticam sapere doctrinam eo loci, vbi de naturalitate in ordine ad agens locutus clare docet naturale opponi supernaturali, & id esse omne creatum; hoc autem increatum dumtaxat, & certum est in re nostra nō esse difficultatem præsentem de naturali, vt opponitur libero, sed vt opponitur supernaturali: peto igitur hæc potentia est ne actiua ordinis naturalis, an supernaturalis, cum enim sint hoc sensu opposita non patiuntur medium? Aient esse quoquomodo supernaturalis ordinis: Contra ex Scoto ibi supernaturale id est solum increatum agens; ergo creatura sub hac potentia obedientiali actiua ordinis supernaturalis erit etiam quoquomodo agens increatum. Si enim, quod est simpliciter agens supernaturalis ordinis est simpliciter ens increatum, pariter quod est quoquomodo agens supernaturalis ordinis est quoquomodo ens increatum per regulam logicam; *Sicut simpliciter ad simpliciter, sic taliter ad taliter.* Quod quam inepte dicatur, ipsi viderint.

Isti Recentes non Scotizant

111 Demum sciscitor ab iis. Subiici est ne agere, an pati? Si secundum dixerint iam obedientialem passiuam solum inuehunt potentiam, non autem actiuam; si primum nec apud Grammaticos, nec apud Philosophos recte audient, illi enim subiectionis vocabulum, isti & rem, & quidditatem ad passionem dumtaxat referunt, vnde Scotus potentiam obedientialem solum in ordine ad agens dimensus est *in Methaph.* vt diximus. Sed auderent respondere, vti de facto Respondent Recentes Nostrates illi *in solut. 3 principalis ad sextam* concedendo rationem obedientiæ dicere subiectionem, & proinde quamdam passionem; sed hæc est denominatione extrinseca, cum qua stat quod intrinsece sit actiua, adduntque exemplū serui, qui potest imperari ad agendum, qui tamen agit per uirtutem innatam, non ex imperio receptam, ita potentiæ aliæ à voluntate non dicuntur simpliciter passiuæ, quia subordinātur voluntati, sed sunt vere actiuæ.

Rursum arguuntur

Instantia eorum

112 Arguuntur tamen perbellè contradictionis in hoc responso, quo simul concedunt obedientiam dicere subiectionē, & denominari obedientiam passiuam denominatione extrinseca; quæ duo pugnant, nam ratio alicuius, quæ est idem quod quidditas, non extrinsece denominat, pro inde enim intrinsece homo denominatur animal rationale quia hæc est ratio eius, sed per ipsos ratio obedientiæ est subiectio, seu dicit subiectionem, ergo non extrinsecè, sed intrinsecè subiectionem denominabit, subiici autem non extrinsece, sed formaliter est pati, sicuti subiicere est formaliter agere, non pati. Non equidem inficior potestatem, quam ipsi uocant obedientialem actiuam esse actiuam, at nego esse actiuam, qua obedientialis est, sed qua potentia, seu facultas est; nam qua obedientialis nomen ipsum passionem sonat, & vbi non consentimus in nomine, non est altercandum.

Refellitur

113 Et adducta ab ipsis exempla serui & potentiarum aliarum à voluntate quid quid sit de paritate, nobis melius, quam ipsis fauent; nam seruus, qua imperatur subditus est, ac patitur, qua agens non patitur; sed non agit qua seruus imperatus, sed qua potens agere: similiter & potentiæ aliæ vt imperatæ subiectæ sunt, & pati dicuntur, vt actiuæ propriam exercent facultatem. Non est igitur à communi Scotistarum doctrina recedendum, & certò statuendum potentiam hanc actiuam obedientialem inuoluere ex dictis in voce ipsa repugnantiam.

Exempla Recentiorum inepta.

114 Extra nostrum institutum satis est hoc loco abunde de hac potestate disserere, cum vti in principio diximus, sit res penitus Phisica, vel methaphisica, & qua parte ad Theologos spectās, ad materiam de beatifica visione referenda, idcirco ab vberiori discursu abstinemus, solum hæc, quæ tulimus, libuit proferre, vt eius positionem è Scoticæ palestræ valuis exulem profligemus.

115 Verum eam nituntur Mastrius, & Bellutus ex eiusdem Scoti principiis inuehere. Nam Scotus *in 3. d 4 q vnica* docet, quod B. Virgo ad generationem Christi actiue se habuit per potentiam naturalem actiuam. & quod potuit cooperari Spiritui Sancto ad formationem corporis instantaneam, ita vt per illam virtutem eleuatam à Spiritu Sancto po-

Loca Scoti ab Aduersariis adducta

Primus locus

tuerit

tuerit, seu habuerit actionem, quæ secundum modum excessit vires naturæ, & hæc est obedientialis potentia actiua, quam Scotus proprijs verbis expressit ibi, quæ referunt. *Sicut igitur natura ad quam vt ad formalem terminum erat ista generatio tantum erat in potentia obedientiali, vt vniretur Verbo, ita illa Mater tantum erat in potentia obedientiali, vt esset Mater Verbi.* Hæc Scotus, quibus per potentiam obedientialem vocat Mariam Matrem: sed fuit Mater per potentiam actiuam, ergo clare Scotus potentiam obedientialem actiuam inuexit.

Scoti locus ex eodem 4. 14.

117 Rursum *infra littera G.* addit hæc Scotus *propter istam potentiam actiuam naturalem, qua operabatur, potest dici naturalis Mater Christi, & tamen propter modum exequendi actum huius potentiæ duplicem non naturalem, potest dici non naturaliter, sed miraculose genuisse.* Quid clarius? inquiunt illi.

Tertius Scoti locus est *ex 4. d. 49. q. 14.* vbi docet in anima reperiri virtutem motiuam corporis inorganicè quidem; sed propter impedimenta non posse, nisi organice, quod si vellet Deus cum anima in hac vita concurrere ad motum corporis inorganicum, talis potentia actiua animæ concurreret actiuè, & ideo potentia diceretur actiua, & propter concursum Dei specialem diceretur obedientialis actiua.

Alius locus ex eodem 4.

Quartus locus Scoti *ex eodem 4 eadem d. q. 11. littera* K. patentissime tradit intellectum habere potentiam actiuam remotam respectu visionis beatificæ, non propinquam; quia concursus Dei ad talem actum non est sibi debitus, dat ergo Scotus potentiam obedientialem actiuam, qui si non vtatur hoc termino potentiæ obedientialis nihil est, nam tat est vsurpasse nomen potentiæ remotæ in signum quod hos terminos pro eodem habuit.

118 *H*æc est vniuersa Recentium philosophatio ex litteris Scoti: satis tamen ut reor voluntaria, ne dicam violentam; nam imprimis *in 3. loco citato* docet vtique Scotus Mariã habuisse se actiuè ad generationem filij, & potuisse cooperari Spiritui Sancto ad formationem corporis prætermissis medijs, sed nunquam docuit Mariæ virtutem tunc fuisse à Spiritu Sancto eleuatam, ita vt eleuatione illa diceretur habuisse obedientialem potentiam actiuam, sed perpetuo docet mansisse in ea virtutem naturalem eandem respectu generationis absolutè, & generationis prætermissis medijs, vnde *paulo ante litteram D.* habet hæc verba, *cum hoc stare potest, quod virtus actiua Matris eadem sit, quæ fuisset in termino talis transitus, igitur per illam virtutem actiuam potest æque agere in termino prætermissis medijs, sicuti si ante actionem in terminum transiret per media.* Hæc illi, quibus an alia virtute fuerit, quam naturali illa actiua dotata Virgo ex Scoto legant, si velint, Recentes; immo patenter *littera D.* subdit Scotus ex Damasceno habuisse Mariam, sicuti Matres aliæ in filios potentiam actiuam ad generandum remotam, quæ in alijs Matribus ad propinquitatem reuocatur ex virtute actiua Patris. Mariæ autem immediate propinquitas ista ad agendum venit à Spiritu sancto, qui eatenus ex Damasceno dicitur dedisse Virgini potentiam, seu vim generatiuam, quatenus dedit potentiam propinquam, hoc est egit, vt naturalis illa virtus remota propinqua fieret ad generandum.

Lapsus Recentium.

Explicatur Scoti auctoritas de 3. sent.

119 Cæterum in hac doctrina tantum abest, quod potentiam obedientialem actiuam inuehat Scotus, vt potius eandem vim manere doceat in Virgine, propinquam vero factam ex virtute Spiritus Sancti, sicuti ex virtute viri in aliis Matribus potentia generandi actiua remota fit proxima absque eo, quod illæ dicantur ad generandum habere potentiam obedientialem actiuam. Et Scoti quidem littera adducta verissima est, sed conclusio Recentium mutila, manca, deficiens.

Argumentur Neoterici Scotistæ.

*A*it Scotus naturam fuisse in potentia obedientiali, ut vniretur Verbo, & ita Mariam fuisse in potentia obedientiali, vt esset Mater Verbi: colligunt Recentes; sed fuit Mater per potentiam actiuam, ergo per potentiam obedientialem actiuam, quia per potentiam obedientialem vocat eam Matrem Scotus.

120 Vides defectum lector candide, Scotus loquitur de potentia susceptiua Virginis, & obinde de potentia passiua, Interpretes isti textum diuertunt ad potentiam obedientialem actiuam: Scotus ita ait Mariam habuisse potentiam obedientialem ad Maternitatem Verbi, sicut habuit natura ad vnionẽ, sed natura habuit potentiam obedientialem passiuam, non actiuam, quare passiuam ibi Scotus memorat, non actiuam: Scotus loquitur de potentia obedientiali Virginis, ut esset Mater Dei, & Verbi,

Aucto-

Auctores isti aiunt loqui de potentia, vt esset Mater absolute: quantum autem inter vtrumq. assertum intercedat discriminis patet ex littera Scoti, nam vt esset Mater habuit potentiam actiuam naturalem, quia non fuit sterilis, sed fœcunda, vt esset Mater Verbi habuit vim susceptiuam (obseruent vocem Auctores isti, nec vltra Suarezi abunt in hac inuehenda actiua potentia obedientiali, susceptiuum namque ad passionem, non ad actionem refertur) redditque rationem Scotus: *quia per hoc erat Mater Verbi, quia Verbum subsistebat in natura illa unita*; en igitur quam palam de potentia obedientiali passiua locutus Doctor extorquetur ab istis ad actiuam potentiam obedientialem.

explicatio secundi loci Scoti.

121 Secundus Scoti locus *ex eodem tertio paulò ante solutionem argumentorum* sincere adducitur, sed quod clare, immò sub umbra saltem fiat ibi insinuatio, indicatio huius potentiæ obedientialis, ne dicam assertio, voluntariè infertur. Concedo namque cum Scoto quo ad modum exequendi actum illius potentiæ actiuæ naturalis Virginis intercessisse miraculum, & obinde ex hac parte miraculosè genuisse; quia scilicet, sine intermedijs genuit, clausa peperit &c. & similia alia intercesserunt plura; sed obedientialem actiuam potestatem in ijs non agnosco, quæ à Spiritu Sancto patrata sunt; quod enim Virgo & clausa pepererit manente corpore vno simul cum alio; quod media non intercesserint; Spiritus Sancti virtute creata sunt, manente tamen eadem Virginis ad generandum, & parturiendum naturali virtute actiua absque actiua obedientiali gratis inducta.

Duo alia loca eiusdē explanantur.

122 In duobus alijs locis ex Scoto relatis nec salutatur ab hostio obedientialis actiuæ potestatis vocabulum, dum gratis concedimus propter impedimenta animum non posse mouere inorganicè corpus, manente tamen vi naturali ad mouendum; quæ si auferantur, concurrente specialiter Deo posse mouere inorganicè; at numquid potestate obedientiali actiua, an illamet naturali manente eadem reducta ad propinquitatem ob remotionem impedimentorum, hoc innuit auctor, ac Doctor noster, non illud. Itidem concedo potentiam actiuā remotam in intellectu ad visionem beatificam; propinquam vero factam ex concursu Dei se volentis videri appellari à Scoto obedientialem actiuam nec video, nec percipi posse sentio.

Obiectio.

Præoccupatio

123 At aiunt illi, sat est vsurpasse nomen potentiæ remotæ in signum, quod pro eodem terminos illos vsurpat. Ipsimet contradicunt sibi, vel non intelligunt, quæ scribunt, nam per ipsos potentia propinqua dicitur potentia obedientialis actiua; licet enim non ita patenter loquantur, id tamen clare indicant *in calce illius articuli ante solutionem obiectionum*; quo colligunt potentiam actiuam eleuabilem, quam & eleuatam antea dixerunt reperiri in creatis, ratione cuius possint creata concurrere principaliter ad producendos effectus naturæ vires excedentes, vere appellari potentiam obedientialem actiuam, quā alibi dixerunt potentiam inchoatam; quod etiam dilucide supponunt in recensendo tertio Scoti loco; modo ergo remotam potentiam naturalem vocant obedientialem actiuam, modo propinquam. *A*rcenda igitur à nostris Gymnasijs potentia ista à Recentibus figmentata.

Diluitur ratio Aduersariorū præcipua.

124 Et ad propositionem illam *A*duersariorum Achillem statuentem omni potentiæ passiuæ respondere actiuam, non imus inficias, immo gratis concedimus agens respondens huic potestati esse primum, & increatum, negamus vero respondere actiuam obedientialem passiuæ obedientiali; quia vti diximus in principio huius digressionis hæc potentia obedientialis passiua non est quarta potentiæ species ab illis distincta, sed ipsamet est natura creata susceptiua cuiuscunque actus non incompossibilis, dictaque obedientialis in ordine ad Deum dumtaxat.

125 Hactenus ad eneruandam causalitatem phisicam gratiæ in sacramentis ex potentia obedientiali actiua, quam etiā in ijs negat *A*larcon *loco citato*, in quibus moralem causationem nobiscum licet diuersa explicatione libenter patitur, & Fasolus 3. *tom. p. partis q. 45. art. 5. dubit. 5.* petens, an aliqua creatura possit creare vt instrumentum Dei obedientiale, palinodiam canens negatiue respondet, atque se re melius perspecta sententiam mutasse: vtinam id agerent Nostrates prædicti.

Fasolus se retractauit.



QVID ADVERSARII PRO *Phisica sacramentorum causalitate propugnent.*



ARTICVLVS VI.



126 NVllum finem dicendi facere mus & scribendi, & hic non minus, quam superior articulus breuitatem optaret potius, quam assequeretur si quæ comminiscuntur omnia Phisicæ causalitatis propugnatores in hunc locum coaceruare vellemus; at vero cum in hac disputatione cũ viro Suarezo acrius nobis concertandum sit, quippequi recentior, solummodo allata ab eo argumenta feremus.

127 Is ergo sena profert argumentationum capita phisicam causalitatem inducentia in sacramentis. Primum est sacræ paginæ veritas. In sacris enim litteris dicuntur per sacramenta mundari, regenerari, renasci, si autem verba Scripturæ Sacræ queunt cum omni proprietate intelligi, non est cur recurramus ad sensus improprios; at posita causalitate phisica locutiones in sensu proprissimo intelliguntur, secus verò posita causalitate morali; ergo hæc secludenda, illa includenda.

Argumēta Suarezij. Primum.

Secundum simile huic est ex Conciliis exceptum. Florentinum siquidem, & Tridentinum causari, contineri, conferri gratiam per sacramenta docent, & explicatius Tridentinum *sess. 6. cap. 7.* iustificationis causam instrumentalem vocat Baptismum, similiter Moguntinum *cap. 11. ait Deum per sacramenta tanquam per apta instrumenta suæ gratiæ munera nobis impertiri, esseque illa efficacia signa*. Hoc etiam Senonense *in decretis fidei*; Hoc & Coloniense Concilium; quorum testimonia minus proprio significato intelligunt, qui causalitatem Phisicam in sacramentis negligentes solam illis moralem cum Scoto, & asseclis eius accommodarunt.

Secũdum.

Tertium non dissimile est è sententijs PP, Siluester PP, relatus à Nicephoro *lib. 7. Hist. cap. 33.* alloquens Imperatorem Constantinum, cui elementa fidei tribuebat, *Voluit aquam baptismalem sicut exterius corpus abluit, ita interius animam mundare, & splendidiorem radijs solaribus efficere* Leo PP. *epist. 4. cap. 6.* dicit *baptismo datam virtutem regenerandi hominem*, & *serm. 4. de Nat. homini renascenti dat baptismum esse instar vteri virginalis*, & *serm. 5. Virtus altissimi* (inquit) *quæ fecit vt Maria pareret Saluatorem, facit, vt regeneret vnda credentem*. Id ipsum alij PP. docent, quorum testimonijs relatis integram ipse conscripsit paginam. O omnium autem dilucidè magis Cyrillus *Alex. lib. 7. contra Iulianum* voluit *sacramentis dedisse Deum virtutem mirabilem, ac supernaturalem*.

Tertium.

Quartum arguit ex proprietate sermonum; & ex virtute formæ cuiusuis sacramenti; *ego te baptizo*; *ego te absoluo*; quæ omnia fundantur in Christi institutione. *Quorum remiseritis &c.* ad horum enim veritatem oportet, vt Sacerdos illa proferens verè absoluat: ergo necesse est etiam, vt verè conferat gratiam. quæ est forma, per quam absoluuntur à peccato, sed non potest Sacerdos dici conferre gratiam, nisi saltem suo verbo illam efficiat; nam si solus Deus efficit gratiam solus Deus absoluit, non Sacerdos: vt ergo illæ locutiones veræ sint, necessum est ministrum verè gratiam efficere.

Quartum.

Quintum argumentum sumitur à simili, Christi humanitas tangendo, & loquendo miracula operabatur phisicè, v. de L. c. 6. habemus, *quod virtus de illo exibat, & sanabat omnes*; ergo idem sentiendum est de sacramentis. sequela probatur primo, quia Sancti PP. & scripturæ eodem modo loquuntur de sacramentis, ac de Christi humanitate Secundo, quia sacramenta non reputantur nisi tanquam verba, & actiones ipsiusmet Christi, vnde in Eucharistia verba proferuntur in persona Christi; & ideo eandem nunc habent virtutem, quam habuerunt in nocte cænæ; in alijs etiam sacramentis Christus est, qui principaliter operatur; quare sicut eius humanitas est verum instrumentum Phisicum ad miracula, ita sacramenta ad gratiam.

Quintum.

128 Demum ita fieri decuit, tum ad sacramentorum maiorem dignitatem, & excellentiam, tum ad diuinæ omnipotentiæ ostensionem; aliquid enim amplius tribuendum videtur sacramentis, tanquam diuinis instrumentis etiam in modo

Confirmatio.

modo operandi, quam tribuatur signis teroidatiuis pacti, seu promissionis; nam totum genus causalitatis huius signi, quod est, nō transcendit rationem signi, quo etiam genere vtitur Dæmon in signis suis ad ludificandos miseros homines, qui ei se fidunt.

129 Hæc sunt Suarezij argumenta non sub his; sed longioribus contexta de more sermonibus; hæc tamen quoad rem quin nos quibus obuiam ire facilius, quam referre est. Quid enim si vnica responsione occurrentes dicamus apud scripturam, Concilia, & Patres nomina Phisicæ, & moralis efficientiæ inusitata fuisse, siue minus ignota? proinde quam ex allatis auctoritatibus phisicam Suarez moralem nos æquè bene causalitatem posse deducere; quandoquidem non magis efficientiæ vocabulum effectrici causæ phisicæ, quam morali aptatur, sic enim meritum dicimus causā præmii quemadmodum motum etiam causam termini iuxta Scoti exempla prolata.

Occurritur primo argumento Suarezij.

130 Quid si singula distinctè diluere velimus, quemquid alijs ab hucusque præiactis fundamentis opus erit? Exitus probabit actum, vnde ad primum ex scripturis desumptum, negamus impropriissimè dici nos per sacramenta mundari, regenerari, sanctificari, &c. posita causalitate morali; siquidem tam propriè meritum dicimus præmii causam, quæ tamen moralis est; quam motum termini, qui tamen phisicus est, vtique impropriè dicimur mundari phisicè per sacramenta, sed moraliter proprijssime regenerari dicimur. Et argumentum à negatione causæ phisicæ propriè ad negationem causæ simpliciter fallacia est; non enim destructa specie destruitur genus: neque ab loco [illegible] secundum quid ad simpliciter, [illegible] recta est.

Dicitur 2.

131 Conciliorum [illegible] quorum auctoritas pro secundo [illegible] argumento causalitatem ad [illegible] gratiæ ducit sacramentis, vel continentem, & conferentem, vtrum verò phisicam, an moralem nostra Scholasticorum disputationi reliquere Concilia, quia ob id forte nunquam alio nomine vsa fuere, quam continentiæ, & conferentiæ, vt ostium præcipue Aduersarijs sentiendi sacramenta causare gratiam phisicè; sed & si voce vsa fuerunt causæ, non dissentimus, quæ tam bene causæ morali quadrant, quam phisicæ. Neque audiendi sunt Auctores Suarezij doctrinæ petentes à nobis. Si PP. scripturæ, & Concilia existimarent sacramenta esse instru-

Sant. de Sac. in Gen.

menta phisica, quonam alio modo loquerentur? nam & nos ab eis vicissim petimus. Quid si putarent Patres, Concilia, & scripturæ sacramenta causare moraliter? Quonam alio modo loquerentur? Certè non alio modo; quia æquè rectè causa dicitur, quæ phisica, ac ea quæ moralis; immo satis dilucidè Tridentinum *sess. 6. cap. 7.* quod pro se citat Suarez, contra Suarezium pugnat, siquidem ex passione Christi Domini virtutem sacramenta dicuntur habere; at passio Christi eo loci moralis, siue meritoria causa vocatur; numquid ergo causa moralis fecit sacramenta esse causas phisicas? certè si hoc concedatur plus fecit Christi passio, seu plus dedit sacramētis quā ipsa habuerit, illa si quidē habuit causalitatē moralē, sacramētis dedisset phisicā. At dicet. Deus dedit, nō Christi passio; sed per Christi passionem dedit, & ego repetam plus ergo sacramentis Deus dedit, quam passioni Christi, quæ omnia non libenter cōcederentur. Quare concludamus sacramenta à Concilijs dici instrumentales causas gratiæ, dici efficacia signa, dici instrumenta Dei. Vtique certa sunt hæc omnia, at numquid moralia instrumenta, an phisica, nūmquid efficacia signa phisica, an moralia, numquid Demum causæ instrumentales phisicæ sint, an morales. Hoc disputandum reliquere Concilia.

Occursus, & præoccupatio.

132 Tertium argumentum à Patrum locutionibus depromptum per hæc, quæ diximus eneruatur, & quidem quod de Syluestro Nicephorus refert, non dissentimus aquam baptismalem lauare corpus, & abluere animum, sed particula *sicut*, in qua vim facit Suarezius, rigorem in sacris litteris nouimus, non enim illa dicit similitudinem, sed imitationem, non naturæ, sed proportionis, vt est etiam illud Christi *estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est.* non enim hoc ita intelligitur, vt similis debeat nostra esse perfectio perfectioni Dei, sed vt imitari diuinam perfectionem debeamus, non quidem secundum naturam, sed secundum proportionem, ita in re nostra, Syluester ait aquam ita mundare animum, sicuti corpus; concedimus, quia nitidam à culpis animam, sicuti à deformitate corpus facit; sed nō eodē modo, quia corpus per naturā, animum per Dei voluntatē, corpus phisicè, animū ad instar causæ moralis dumtaxat.

Enodatio 3. argumenti.

Pulchra expositio loci Matthæi 6.

133 Quod Leo Papa nomen virtutis ingerat sacramentis, non obstat; quia virtus nulla phisica ad regenerandum in

Leo Papa exponitur.

eis est; sed virtus, vt Scotus monet *d. p. 4. q. 5. littera H.* aliquando sumitur pro vltimo de potentia, vt patet *primo de Cœlo cont. 116.* vbi Aristoteles nomine virtutis sub hac significatione vsus est, in signo autem practico, quale est sacramentum, vltimum de potentia est, quod efficaciter significet, & hanc nos virtutem in sacramentis concedimus: sed hæc non est qualitas, sed relatio conformitatis signi ad signatum. Vel dicere possumus virtutem sacramentorum esse ipsam ordinationem Dei, quemadmodum nos virtutem tribuimus ieiunio aperiendi Cœlum iuxta illud Ecclesiæ *in off. Dom. primæ Quad. Paradisi portas aperuit nobis ieiunij tempus &c.* quemadmodum etiam lacrimis virtutem placandi Deum tribui musiquæ locutiones de virtute pro forma absoluta metaphoricæ sunt, cum nulla in illis virtus phisica, quippeque moraliter dumtaxat efficiunt.

Virtus est vltimum de potentia quomodo verum in sacramentis

134 *Aliud Leonis Papæ testimonium, ex serm. 4. de Nat.* non est contra nos, quia similitudinē baptismi ad vteri Virginalē cōcedimus quoad generationem; quia per Vterū Matris concipimur, & generamur corporaliter, per baptismū regeneramur spiritualiter, cæterū, an eodē modo vterus generet, & baptismus regeneret, phisice scilicet, an moraliter. Hoc non asserit Leo Pontifex, cuius alia etiā auctoritas *ex serm. 5.* ad rem minime facit, siquidem concedimus uirtutē eandem Dei, quæ fecit, ut Maria conciperet Saluatorem facere, ut unda credentem regeneret, sed quod eodem modo operetur, hoc neque Leo dicit, neque nos concedimus. Pari forma iter occurremus auctoritatibus aliis, siquæ ferentur cæteræ enim a Suarezio allatæ per hæc responsum habent.

Expositio locorum Leonis PP

135 *Ad quartum argumentum egregie* respondet Faber, si Suarezio standum sit rigori sermonis concedendum esse illi Sacerdotem esse, qui principaliter absoluit, & qui baptizat, quia Sacerdos est, qui dicit *ego te baptizo, ego te absoluo,* quamuis enim antea dicat *Dominus noster Iesus Christus te absoluat,* tamen forma sola sacramenti pænitentiæ est, *ego te absoluo ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti* saluatur ergo, sermonis proprietas, etsi dicatur, quod Sacerdos ministerialiter absoluat & in virtute Dei. Quod si dicat Suarez. Concilium Tridentinum *sess. 14. de pœniten. cap. 6.* docet absolutionem Sacerdotis non esse solum ministerium nudū, sed esse ad instar actus iudicialis, quo uelut à Iudice sententia pronunciatur. Vtique, ego inquam, non est nudum ministerium, quia non solum uerba profert, sed proferendo necessitat Deum ad absoluendum pænitentem ab omni culpa; est ergo absoluens Sacerdos; quia necessitat Deum ad absoluendum. Idem puta de sacramentis aliis. In hoc argumento, vt vides, à virtute sacramentorum ad virtutem ministri transiuit Suarez,

Solutio quarti

136 Quintum argumentum assumit antecedens probandum; etenim Christi humanitas non fuit formaliter omnipotens, proinde nec phisica actione miracula edere potuit, neque locus adductus *Lucæ 6* id probat de humanitate; sed de Christo, ait namque *existe de illo virtus*: puta Christo, qui dicit suppositum diuinum in duabus naturis, non autem *ex illa*, scilicet, ex humanitate, Christi, quæ cum fuerit quid creatum, munus creandi formaliter habere non potuit. Quod si vberiori sermone antecedens illud alibi Sua ez probat, nos etiam alio propriori loco argumentationes eius diluemus.

vmbecillitas 5.

137 Sextum argumentum & excellentiam sacramentorum tangit, & omnipotentiam Dei, vtraque tamen coniectura leuis est; nam quod pertinet ad excellentiam optime monuit Sanctus Bonauentura *non esse tantum tribuendum istis signis corporalibus, vt Diuinæ omnipotentiam ledamus proprium illius opus creaturis etiam applicando.* Nisi velimus cum Vasquezio, dicere vilificari potius per asserta Thomistarum sacramenta, quam dignificari quoniam nemo ipsorum attingi gratiam phisica, & immediata actione à sacramentis voluit, sed per quandam virtutem ad instar fo. ni, ad instar motus, ad instar in entionalis accidentis, & solam dispositionem attingi voluerunt omnes; quæ omnia, quam vilificent sacramentorum virtutem difficile patent; & per hæc patet ad coniecturam de omnipotentia, quæ si communicaretur creaturis non esset solius Dei attributum proprium incommunicabile. Adde quod omnipotentia Dei ad ea se vehit, quæ fieri contradictionem non inuoluunt; at quod creatura creet implicat contradictionē; quia implicat esse creaturam, & non esse creaturam; creator enim non est creatura; quare ad hoc se vehere nequit diuina potestas.

Inanitas sexti

138 At qui hæc de perdifficili, ac longissima disputatione, in qua cauendum à Basso-

à Baſſolio *in 4. diſt. 1. quaſt. 1.* non enim admodum Scotizat, dum planè negat ſacramenta eſſe veras gratiæ cauſas; ſed ſolum impropriè, & large loquendo, & modo populari, & vulgari, ſicuti bulla Papæ dicitur cauſa adeptionis præbendæ, vel beneficij; veras eſſe enim cauſas hactenus ex ipſis Concilijs oſtenſum eſt Florentino, ac Tridentino, hoc precipue *ſeſſ. 6. de Iuſtificatione, cap. 7.* & exemplum ineptum eſt, quia multoties bulla Papæ poteſt ſuum non ſortiri effectũ; ſiue à contradictione poſſidentium, ſiue à prætenſione aliorum, ſiue ob ſubreptionem prætenſam, ſiue ob alias cauſas, ſacramentum verò infallibiliter effectum ſuum producit. Porrò à Scotica ſententia non abhorrent Recentiores cũ Salas *diſp. 24. de legibus ſect. 6.* & Lugo *diſp. 4. ſect. etiam 4.* & alijs.

Baſſolius non Scotizat.

Salas, & Lugo nobiſcum ſunt.

DE TEMPORE, QVO SACRAmenta gratiam Conferunt.



CAPVT EXTREMVM.



139 Difficultatem hanc nullibi ex inſtituto proſequitur Scotus; proinde breuitati ſtudebimus, dum Doctorem ab aliorum cenſuris vindicare non indigemus: & imprimis ſupponendum eſt, non loqui nos hoc loco de effectu, qui per votum ſacramenti recipitur; ſed de effectu ipſo, quem ſacramentum ex opere operato conferre dicitur, ſi enim loqueremur de effectu per votum ſacramenti, certum eſt ipſum, ſicuti votum rem ipſam antecedit, ipſam ſuſceptionem ſacramenti antecedere. Obſeruandum tamen effectum illum etſi per votum ſacramenti datur, non dici ſacramenti illius effectum, niſi impropriè; quatenus ſcilicet homo per votum alicuius ſacramenti coniungitur quidem Deò, quæ coniunctio eſt finis omnium ſacramentorum, ſed non per opus ſacramenti, quod nondum collatum eſt, ſed per contritionem includentem votum ſacramenti. Exempli gratia: Ethnicus quiſpiam, cui deeſt occaſio recipiendi ſacramenti baptiſmatis lauacrum, per fidem attritionem, immo & quoquomodo contritionẽ habens de ſuo Ethniciſmo, deque peccatis ſingulis iuſtificationem, quæ eſt baptiſmi effectus, recipere poſſet, non quidem ex vi baptiſmi, qui nondum habitus eſſet, ſed ex vi interni doloris cum voto baptiſmatis: hoc ſuppoſuiſſe volui ob nonnullas Conciliorum, & Patrum auctoritates, quæ ſonare videntur per ſolum ſacramenti deſiderium, effectum ſacramenti conſequi, vnde Concilium Trid. *ſeſſ. 13. cap. 8.* de ſacramento altaris loquens ait, *eos qui voto cæleſtem panem edunt fide vera, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem ſentire.*

Obſeruatio vtilis.

140 Porro ſimiles locutiones ſecundum præexplicatum ſenſum interpretari ſe poſtulant, ideoque Concilium ibi docere nos dicendum, per votum ſacramenti Euchariſtiæ homines augmentum charitatis adipiſci, & arctius Deo vniri, quæ vnio eſt quidem ſacramenti illius effectus, ſed in caſu propoſito non à ſacramento manaret, tanquam à cauſa.

Hoc igitur ſenſu, vt ſatis improprio dimiſſo. Franciſcus Suarez, qui inter Recentes fuſius hanc diſputationem ex profeſſo inſtitutam *diſp. 8. ſect. 2. loco citato* proſequitur, varios refert dicendi modos. *Narratio Suarezij.*

141 Quidam aſſerunt ſacramenta cauſare gratiam in tempore illo antecedenti ad vltimum inſtans, quod eſt primum non eſſe ſacramenti, quod quidem tempus indeterminatum ab eis appellatur, quorum ratio eſt, quia ſacramentum ab illo inſtanti extrinſece conſumitur; ergo intrinſecè conſumatur in tempore antecedenti; ergo in illo gratiam cauſat, cum enim ſit cauſa efficax, dum etiam eſt ſtatim operatur. Hoc tempus indeterminatum dicitur; quia nulla pars temporis ſecundum ſe totum immediatè coniungitur, ſeu antecedit ante aliquod inſtans, *Modus primus dicendi.*

instans;sacramentum ergo gratiam confert in tempore indeterminato, ita vt qualibet particula temporis designatæ non fiat gratia in tota illa;sed in minori, vel minori, quo magis acceditur ad vltimum illud instans.

142 Altera ratio pro hoc dicendi modo est à contrario deducta. *Ratio secundo pro hoc modo* Peccatum committi potest in tempore immediatè ante hoc instans, & non antea, neque postea, ergo & gratia potest desinere in tempore hoc immediato ante hoc instans; ergo in eodem tempore potest incipere esse, quia sicut potest desinere esse, ita incipere esse. Antecedens probatur exemplo. Constituamus hominem iustum habentem præceptum diligendi Deum ante primum instans mortis, si hic homo toto hoc tempore ante primũ instans mortis non diligat, lethaliter peccat. & proinde gratiam amittit, & non amittit eam in instanti mortis, quia antea transgressus fuerat præceptum, quod pro tempore antecedente obligabat, neque gratiam potuit amittere in aliquo instanti ante instans mortis, quia inter instans, & instans mediat tempus. Ex loco igitur à contrario pariformiter philosophandum de causatione gratiæ per sacramenta.

143 Quidam è contra consentientes gratiam dari per sacramenta in tempore, *Opinio Ioannis a Lugo.* illud tamen tempus certum esse aiunt, ac determinatum, in quo scilicet vltima particula sacramentum conficit, quæ licet successiua sit partes habens, gratia tamen per totam illam fit, quia per illam particulam sacramentum consumatur. Hanc sequitur Lugo *disputat. 4. sect. 6.*

144 Quidam tertio, adhuc consentientes gratiam dari per sacramenta in tempore, & tempus illud indeterminatum appellantes diuerso modo à prima sententia indeterminationem temporis declarant, volunt autem per vltimum non *Aliorum modus dicendi* esse ipsius gratiæ, quod in tempore indeterminato est, gratiam incipere esse; exempli gratia, facta minima ablutione, quæ non sit satis ad sacramenti baptismatis materiam, verum est dicere, nunc non est sacramentum, & immediatè post hoc erit, & eadem ratione verum erit dicere, nunc non est gratia, & immediate post hoc erit, gratia ergo inciperet per primum sui non esse, quod est tempus indeterminatum, quia illud loquendi genus *immediatè post hoc erit, &c.* non designat quantitatem temporis certam.

145 Alii sacramenta causare gratiam aiũt in instanti, sed quale sit hoc instans nõ conueniunt. Suarez ait hoc instans esse *Opinio Suarij* illud, in quo intrinsece sacramentum consumatur, quod quidem est primum instans sui non esse, & instans vltimum sui esse. Alii vero sacramenta gratiam conferre volunt in primo instanti, in quo ipsa non sunt.

146 Qui Scoti litteram percurret *q. 5. littera A.* autumabit profectò sacramenta *Scoti sensus si non recte speculeris* gratiam causare in tempore, siue illud determinatum sit, siue indeterminatum; ait enim *ibi* quod sacramenta actionem suam non possunt habere in instãti; quia non possunt habere esse in instanti; cum ex multis coalescant verbis; quare nec habere possunt actionem in instanti. Sed si attentè Scoti sensus introspiciatur, apparebit eum locutum *ibi* argumentatiuè ad hominem ad euellendam causalitatem phisicam à sacramentis, & dispositionem præuiam ab eis causatam per Aduersarios.

147 Vt meam aperiam mentem obseruo *Obseruatio prima pro sententia authoris* primum, de sacramentis hoc loco loquẽdum, quorum esse in vsu positum est & in fieri, non vero de sacramento Eucharistiæ, quod cum singulariter sit permanens, & ipsum factum sacramentum appelletur, quando gratiam causet peculiari disputatione indigebit: de iis igitur sacramentis aliis supponendum illa omnino esse successiuis rebus similia, ex quo multis conflantur partibus nedum in materia, quæ manet, sed in forma, quæ cum sita sit in verbis, & verba etiam quoad syllabas successiuè proferantur, ideo factum est, vt non difformiter ab *Sacramentum est ad instar entis successiuorum* entibus successiuis de sacramentis ipsis loquendum sit, ideo sicuti natura entis successiui est, vt tunc esse dicatur, quando aliquid ipsius factum est, & aliquid faciendum remanet, ita sacramenta omnia, dempta Eucharistia, tunc dicenda sunt esse, cum fiunt, expleta autem vltima orationis particula cum nihil formæ sit, nihil sacramenti remanet: porro quod ad instar successiuorum entium sacramenta se habeant, non dubiè Scotus nos docuit tum sæpe, tum præcipue *in 4. dist. 8. quæst. 1. littera Z.* vbi inter cæteras differentias Eucharistiæ ab aliis sacramentis hanc postremo loco statuit; *quia omnia alia sacramenta consistunt in fieri, ita quod cessante vsu nihil remanet, Sacramentum vero Eucharistiæ est permanens, & vsus verborum sacramentalium in ipso est quædam via ad sacramentum; quia in termino prolationis verborum inci-*

pit

pit esse sacramentum.

Hinc Scotus, è quibus edac in cæteris sacramentis, in quibus contrarium euenit, cum sint in fieri, in termino prolationis verborum desinere esse sacramentum, & proinde esse illa dum fiunt; & esse entia successiua.

148 Obseruo secundum, à Scoto modum causandi gratiam per sacramenta assimilari modo inducendi terminum per motum, motus autem nedum quid successiuum est, sed in tempore fit, & eo completo succedit terminus, proinde discutiendum est quonam modo definiant esse successiua, vt definitionem sacramenti aucupari possimus. Scotus in quolib. 11. non nihil agit de rerum inceptione, & desitione, & ex communi philosophorum asserto supponit duos esse modos inceptionis rerum scilicet per primum sui esse, & per primum sui non esse, & isti modi ad inuicem respondent, ita vt desitio per primum sui non esse respondeat inceptioni per vltimum sui non esse, desitio per vltimum sui esse respondeat inceptioni per primum sui esse. Duos istos modos inceptionis Scotus loco citato littera M. Sic exponit docens, quod incipere esse dupliciter exponitur primo cum positione præsentis, & negatione præteriti, vt dicendo, *nunc est motus, & antea non fuit*. Secundo cum negatione præsentis, & positione futuri, vt dicendo, *nunc non est motus, post hoc erit*, similiter & desinere esse dupliciter exponitur, vno modo cū positione præsentis & negatione futuri, vt dicēdo *est, & non erit*, alio modo cum negatione præsentis, & positione præteriti, vt dicendo, *fuit & non est*, natura vero successiuorum ea est per philosophos, vt consumentur vtique in instanti, quod non est, neque dicitur esse vltimum instans sui esse, sed primum instans sui non esse, & huius ratio est, quia & inceptionis eorum modus est, vt incipiant per vltimum sui non esse, atq; vt diximus, vltimum non esse in inceptione respondet primo instanti non esse in desitione.

Obseruatio secunda De rerum inceptione ac desitione ex doctrina Scoti

149. Ex his duobus obseruatis, vtroque ex philosophia, dicendum mihi videtur sacramenta, ex quo entia successiua sunt, & eorum esse à Scoto dicitur esse cum fiunt, qui propterea sacramenta alia omnia ab vnico sacramento Eucharistiæ distinguit in modo essendi, quia hoc solum permanens est, dicendum inquam, mihi videtur ex sententia Scoti sacramenta tunc verè causare gratiam cum primo non sunt, in illo scilicet instanti, quod est primum esse gratiæ, & primum non esse sacramenti.

Resolutio dubii, & conclusio

150 Hic modus dicendi ex eo mihi probatur primò, quia motus, & terminus, quibus sacramenta, & gratia assimilantur in efficacia à Scoto ita se habent, quod in illo instanti, quo primo non est motus, est terminus, quare & in eo instanti, quo primo non est sacramentum ex Scoto, adest gratia. Probatur secundo; nam ante illud instans, cum nondum completum sit sacramentum, non est collata gratia, alioquin posset ex non expleto etiam sacramento gratia sacramentalis haberi, quod inauditum est; ergo tunc vere causabit sacramentu, cū totū cōpletum erit. at sacramentū in successione situm est, & in fieri, vt diximus, & quæ in fieri, vt diximus, sūt sita consumantur per primum instans sui nō esse; ergo in primo instanti sui non esse sacramenta gratiam causabunt.

Probatur primo

Probatio alia

Probatur tertio, quia alij modi addu-cti satis insufficienter modum causationis, ac tempus præscribunt; & Suarez imprimis in eas deuenit angustias, vt modum suum asserendi tutius propugnaret, vt sacramentum non omnino simile entibus successiuis assereret; cum tamen disparitatis nullam rationem ferat, ex quo sicuti de cæteris successiuis ita fas est de sacramento asserere, tunc esse, cum fit, & tunc fieri, cum quidpiam eius est factum, & quidpiam faciendum; insuper cum sacramentum formam habeat verbis plurima, & oratio suapte natura quid successiuum sit, & in instanti primo sui non esse habeat completam significationē ex doctrina Scot. in 4. dist. 8. quæst. 2. littera G, & sequentibus. Omnia hæc conuincunt non esse sacramenta à ratione entium successiuorum ablegenda, cum eorum esse sit in usu, & fieri positum.

Tertia probatio ex ratione opinionum externarum

151 Assertores etiam tertij modi eò delapsi sunt, vt modum inceptionis rerum permanentium peruerterint. Res permanens per philosophos nequit incipere per vltimum sui esse; ratio autem est, quia res permanens tota simul fit, & propterea incipere debet per primū sui esse, vt è contra successiuum, cum non sit totum simul, incipit per vltimum sui non esse, at nunc verò gratia est qualitas, & quid permanens, non ergo potest incipere esse per vltimum sui non esse.

Tertius modus refellitur

Assertores primi, & secundi modi conuincuntur.

152 Assertores demum primi, & secundi modi eo lati sunt, vt gratiam dari putent

tent in tempore, siue illud determinatū sit cum secunda sententia, siue indeterminatum cum prima. Sed hoc penitus est in Theologia nouum, gratiam, quæ creatur à Deo, creari in tempore, cum operationes causæ primæ, quæ infinita est, non sint in tempore, sed in instanti. Vberius contra alios modos inuehitur Suarez: assertoribus illorum erit Suarezio facere satis. Nos hoc loco, quid vel ille pro sua, vel per ipsum contra nostram sententiam opponat aliquis enucleemus.

Suarezij modus probatur primo.

153 Modum suum Suarezius triplici argumento probat. Primum est, in omni motu deueniendum est ad aliquam instantaneam mutationem qua terminus motus consumatur; at sacramenta per modum motus fiunt, ergo ad aliquam instantaneam mutationem deuenient, qua consumantur, & gratiam conferunt.

Probatur secundo.

Secundum argumentum est; necesse est signare aliquod instans in quo sit verum dicere sacramentum esse; quia videtur inconueniens rem aliquam realiter fieri, & nunquam de ea aseri posse, quod existat; sed sacramentum realiter fit, & quamdiu aliquid illius faciendū superest nondum existere dicitur, cum nondum tota sit eius essentia completa; ergo est signare aliquod instans, in quo perficiatur, & post quod non erit sacramentum.

Probatur tertio.

Tertium, dato hoc modo omnia concurrunt, vt effectus fieri possit, quæ neque ante, neque post illud instans conuenire potuerūt. puta, quia in eo instāti causa est essētialiter perfecta, & antea nō fuit, & postea nō est duratura; in illo instāti, vt supponimus subiectū non ponit obice, in illo instāti postulat effectus natura sua indiuisibilis, vt fiat; quare omnia per hunc modum aptantur.

Primum Suarij argumentum contra nos.

154 Modum nostrum etiam triplici argumento vellicat Suarez. Primo nihil potest efficere, nisi habeat virtutem agendi, vel naturalem, vel obedientialem, sed quod non est non habet virtutem agendi naturalem; vt patet, neque obedientialem, quia hæc fundatur in esse rei; ergo quod non est agere non potest, sed sacramenta in illo instanti non sunt; ergo agere non possunt.

Secundum.

Secundo, quod fit ab alio, pendet ab illo in suo esse, sed res, quæ existit non potest à re non existente pendere, quia rem vnam ab alia pendere includit, vt existētia vnius ablata auferatur existētia alterius; ergo gratia, quæ existit, non potest à sacramento non existente pendere.

Tertium.

155 Tertio fieri non potest, vt res, quæ futura est, efficiat antequam sit; ergo pariter repugnat rem, quæ iam præterijt habere actionem; patet consequentia, quia res, quæ fuit, tam est omnino nihil, quam res, quæ non est, sed erit: immo illa magis ab esse distat, quam ista, quia hæc per causas naturales esse potest, præterita vero esse non potest.

Solutio primi.

Hæc omnia diluo. Primum pro modo Suarez j reflectitur, in quo imprimis id supponit quod postea negat, supponit enim assimilatum sacramentum motui, quod deinde negat, dum non esse omnem paritatem inter sacramenta, & res successiuas monet: reflectitur autem, quia illud instans non est intrinsecum motui, sed est primum instans non esse motus, & primum esse termini, ergo argumentum contra argumentantem directo pugnat.

Solutio secundi.

Secundum argumentum de rebus permanentibus verum esset, de successiuis, quæ nusquam sunt totæ simul, falsum est: nam nunquam verum est dicere, sacramentum esse, nisi dum fit, & dum fit modo successiuorum existere.

Dilutio tertij.

Tertium friuolum est, nam hæc omnia seruantur in nostro dicendi modo, & rectius; quia per nostrum assertum non obuiamus philosophia docenti successiua terminari per primum sui non esse, quemadmodum obuius iuit Suarez.

Primum contra nos tollitur.

156 Argumenta contra nostrum modum ex falso ducuntur fundamento, nimirū causare sacramenta gratiam phisicè. Vnde ad primum dic, imprimis maiorem difficultatem pati de potentia obedientiali actiua, quæ in solis Suarezij adibus diuerticatum posuit, de potentia vero naturali dicendum, argumentū non esse ad rem, cum neque per naturalē, neque per supernaturalē virtutem sacramenta efficiant gratiā, sed per diuinā pactionē, cū ergo ait, *quod non est, agere non potest.* Phisicè transeat, moraliter nego, in causis enim moralibus etiā ipso Suarezio confitente nullū incōmodū est conferri effectus desinentibus causis.

Tollitur secūdum.

157 Simili modo soluitur argumentū secundū, in quo maior multas patitur dubitationes. Minor vero de causis moralibus omnino falsa, à quibus non ita pendent effecta, vt iis ablatis auferantur

iuentur effectus, qui non à causa, sed à Deo dantur paciscente, & in tantum à causa dari dicuntur, quatenus Deum necessitant ad conferendum effectum, seu vt rectius loquar, quatenus iis positis ex pacto tenetur Deus dare effectum.

Tertium solut. Ad tertium nego paritatem; ratio discriminis est, quod nusquam est, vel fuit causa esse non potest; at res futura nondum est, vel fuit, res autem praeterita habuit esse, & idcirco potuit esse causa, vt Deus gratiam daret, neque vis est facienda in actuali existentia, quae ad causandum moraliter non requiritur, sed sufficit, vt aliquando fuerit. Sed reflecto argumentum de motu. Motus non est, & in primo instanti sui non esse adest eius terminus; cur ergo non potest esse terminus motus antequam motus fiat, si post quam praecessit motus successit terminus? *Hactenus de hac disputatione, quae vniuersam sacramentorum efficaciam penes communem singulorum sacramentorum effectum prosequuta est.*





DE

DE PECVLIARI QVORVNDAM Sacramentum effectu, qui est Character.



DISPVT. VI.



DE CHARACTERIS NOMINE.

1 
Vsquam fusè magis, ac distinctè, quam in hac disputatione proposita Scotus, qui propterea tres integras disputationes de charactere consumpsit *d. 1. huius 4. sent. q. 5. 9. 10. & 11.* in singulis tamé ita loquitur, vt cum problematicè in diuersas loquatur partes, non facile constet, quid senserit, at nos præmissa vocis characteris notitia, mentem eius pro facultate explicabimus.

2 Est ergo *character* Græcum vocabulum, quod Latine redditum figuram sonat, quo sensu alphabeti notas, & quascunque litteras etiam manu scriptas characteres nuncupamus, & secundum hanc interpretationem Latinus interpres vertit verba Pauli *Heb. 1. Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ, &c.* vbi græca lectio pro voce *figura*, characterem posuit. Secundum hunc quoque sensum Magorum, ac cantatorum hominum signa characteres appellantur. Latiori vero significato character sumitur pro signo ad quempiam de sua familia agnoscendum; quo sensu characterem sumpsisse videtur Ioannes *in sua Apocal. cap. 14. cap. 16. & sequentibus* dum de charactere bestiæ loqueretur. Hoc etiam modo oues quibusdam signaculis obsignantur, quæ characteres dicuntur quorum merito à non suis ouibus ò pastoribus segregantur, secundum quam interpretationem locutus est Hieronymus *lib. de formis interpretationis*, dum dixit, *Character ferrum coloratum, quo notæ pecudibus inuruntur, character græcè forma latinè dicitur, &c.* quibus videtur intellexisse Hieronymus nedum impressas notas characteres posse dici; quæ figuræ dicuntur; sed & ipsum imprimens signitum ferrum characterem dici, quod est forma notarum; sicuti, & nos sigillum dicimus tam ferreum instrumentum imprimens, quam notas sigillo impressas.

Nominis characteris varietas, & significata.

3 Apposite tamen hoc loco characteris vocabulum pro signo sumitur, non generatim; quia sic & baptismus, & forma sacramentorum quæuis characteris voce designantur à Magistro sent. *d. 6. cap. 1. infra*, dum dixit, *non esse rebaptizandos, qui sunt ab Hereticis baptizati seruato charactere Christi*, hoc est, *seruata forma baptismi Christi &c.* non generatim ergo sumitur hoc loco characteris vox pro signo quouis, sed pro aliquo spirituali signo impresso animæ à Deo, animæ, inquam, recipientis sacramentum non iterabile. Hac nominis notitia habita, quæ singulis quæstionibus anteponitur cum philosopho *2. de Post. resolutione* petemus primo, an character sit, seu an detur per aliqua sacramenta. Secundo, quid character sit. Tertio in quo sit. Quarto, ad quid, seu per quid sit, & omnes de eo petitiones sub his quæsitis complectemur.

Significatum nostrum.

(520)



AN CHARACTEREM ALIQVA *sacramenta imprimant.*



CAPVT I.



4 SI in hoc capite aduersarios tibi Catholicos constituas, incruento bello certabis, siquidè concordi sensu eandem Catholici posuere affirmantem sententiam fidei monitis edo-

Innocentius 3. cap. maio. 178

cti, quæ nedum per Innocentium tertiū relatum *extra de baptismo, & eius effectu capite Maiores* decernit accedentem ad baptismum characterem suscipere Christianitatis impressum, & infra, *tunc characterem imprimit sacramentalis operatio, cum obicem, voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem &c.* sed in Florentino primum, mox in Tridentino Concilio

Concilia Florent. & Trident.

hanc veritatem constituit, & in Tridentino precipue sub anathematis pæna hoc docuit *sess. 7. de sacramentis in genere can. 9 si quis dixerit in tribus sacramentis baptismo, Confirmatione, & ordine non imprimi characterem &c. anathema sit*; quamuis ante Concilium nonnulli de charactere, tanquam de re noua murmurauerint, vt de Caietano refert Sua-

Caietanus de charactere dubius

rez *art. 1. q. 63. 3. p. Sancti Thomæ*, licet in articulis ijs hoc minime inueniatur, nec mirum, nam & Scotum de essentia characteris dubitasse Suarez credit, eo quod ad illum constituendum nullum inuenit firmum fundamentum, sed egregiè imposturam Scoto inurit Suarez: Scotus enim noster *per totam q. 9. dist. 6.* probare nitatur existentiam characteris in anima nulla posse ratione naturali con-

Impostura Suarez ad Scotum

cludi, sed nec euidenter è Scripturis, & Patribus deduci, nihilo tamen minus *ante litteram I*, & characterem ponit, & positionis fundamentum habet, quia scilicet sic Romana sentit Ecclesia, & sicut habetur *extra de Heret. cap. ad abolendam, de sacramentis Ecclesiæ sentiendum est, sicuti Romana sentit Ecclesia*: ex quo hæc verba Scotus habet *littera I, propter ego solam Ecclesiæ auctoritatem ponendum characterem imprimi &c.* & in fi-

Sac. in Gen.

ne litteræ K. paulo ante litteram L, habet. *Ad illam rationem primam de necessitate ponendi plura: Respondeo quod & si istud non possit necessario euidenter probari ex creditis; tamen necessitas ponendi est hæc, quia Ecclesia ponit &c.* & paucis interiectis, *sufficit*, inquit, *auctoritas Ecclesiæ, quia ait Augustinus contra epistolam fundamenti de moribus Manichæorum, Euangelio non crederem, nisi crederem Ecclesiæ &c.* Hæc Scotus, quæ percurrisse debuit Suarez, ne tam inique de Catholico Doctore, cuius nulla adhuc retractata sententia est, sentiret. *Conuincitur ex littera Scoti*

Abest ergo tantum, vt de characteris existentia dubitarit Scotus, vt potius eius vindex fuerit precipuus & assertor; quia sic Ecclesia adhuc tempestate Scoti sentiebat, licet nondum sub anathematismo oppositam damnasset sententiam.

5 Dubitasse etiam de existentia characteris Gabrielem Suarez *ait d. 6 q. 2.* sed & illius viri sensum non æquo iudicio interpretatur, quoniam Gabriel, licet cum Scoto consentiat ad necessitatem characteris inducendam nullam suppetere euidentem Sanctorum Patrum auctoritatem, aut rationem, attamen *dubitatione 1. art. 3.* docet, præsumptuosum fore characterem negare quod quidem sua tempestate verum fuit, qua vidisse Concilium Florentinum potuit, quod characterem constituit quidem in Decreto Eugenij, sed non tam euidenter sub anathemate oppositam refellit sententiam, quod fecit Concilium Tridentinum, quod temporibus Gabrielis successit. neque illud Gabriel vidisse potuit. Nec ergo vlla censura, nisi iniquè hoc fiat, corrigenda est Gabrielis opinio. *Suarez de Biele censura* *Voluntaria omnino*

6 Hæretici ergo dumtaxat contra hanc veritatem oblatrant, & quidem non solum Antiquiores cum Vuiclepho, quem refert, ac reijcit Vualdensis *tomo 2. de sacramentis cap. 109.* sed Recentes Caluini sectatores, qui Caluino præceptore *in Antidoto Concilij Tridentini sess. 7. can. 9.* characteris doctrinam contemnunt; quippe quæ voluntaria est nullum habens in Patribus fundamentum, ex capite primum Innocentij deducta, qui multa perperam diffiniuit, ac egit, & præsertim pro & contra Imperatorem Ottonem. *Errores Vuiclephi & Caluinistarum*

7 Contra vero Recentes Scolastici cum Suarezio, Vasquezio Lugo, & alijs *in disp. supra q. 63. tertiæ partis Sancti Thomæ* toto spiritu probare anhelant doctrinā

de charactere ab Ecclesia sub diffinitione fidei traditam in duobus Concilijs Florentino scilicet, ac Tridentino esse antiquissimam, & validum habere apud Sacram Scripturam, & Sanctos Patres fundamentum, quod si ad alium sensū Scripturarum, ac Patrum testimonia Scotus, Gabriel, & sectatores diuertunt neque illa pie volunt interpretari de vero charactere, sed vel de baptismo secundum suum subiectum, vel de signatione gratiæ, ipsi etiam corrigendi sunt, quia non semper habere possumus contra Hereticos auctoritates ita dilucidas, vt nulla explicatione, vel interpretatione indigeant. Porro quod hæc doctrina antiquissima sit in Ecclesia patet ex testimonijs scripturarum. Paulus 2. capite 2. Epist. ad Corinthios. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, vnxit nos Deus, & signauit nos & dedit pignus spiritus in corbus nostris.* Quem locum siue de baptismo intelligas cum Ambrosio *lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 6.* siue de confirmatione cum nonnullis Scholasticis interpreteris, perpetuam habes de Græco hoc vocabulo Characteris doctrinam per verbum illud, *signauit nos &c.* Idem Paulus *cap. 1. epistola ad Ephesios. In quo,* inquit, *credentes signati estis spiritu promissionis sancto &c.* & *cap. 4. nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis &c* quæ loca non obscure de sacramento Baptismi intelligit Suarez *disp. 11. sect. 1.* sicuti locum *ad Corinth.* de Confirmatione interpretatur, quibus locis omnibus obsignatio ad effectum characteris deuolui intelligenda est.

Iudicium Vasquez de Scoto, & Gabriele.

Primum Chorint. 2.

Ephes. 1.

8 Clariora sunt Sanctorum Patrum testimonia inducentia characterem sacramentalem, quorum longam seriem contexit Vasquez *disp. 134 cap. 1.* & Fusius, quam Suarez interpretatur *ibi*, & Lugo *disp. 6. sect. 1.* nos vna, vel alia contenti erimus auctoritate, quam ex ipsis maiorem vim habere colligemus. Primo loco adducitur Cyrillus Hyerosolimitanus *præfat. in Cathecheses*, vbi ait; *Magnum est sanè propositum hoc baptisma, captiuitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum, & indelebile.* Hæc ille, quibus nomen signaculi non potuit ad aliquem alium significandum effectum deuoluere; quia omnes alij effectus delebiles sunt, vno dēpto charactere. Neque ibi potest Cyrillus de ipso sacramento baptismi loqui; quoniam idem Cyrillus ibi baptismum diffiniuit per effecta, & sicuti illum vocat remissionem peccatorum, ita vocat signaculum indelebile.

Auctoritas Cyrilli.

9 Alterum testimonium est Basilij *homil. 13. ex varijs ad populum*, qua docet sumpto exemplo ex Duce, & militibus; quod *sicuti tesseram duces sub se militantibus dant, vt amici facilius se noscentes exhortentur, & si cum hostibus commisceantur, eo facilius discerni & separari possint, sic Deus cum nobis. Quod si forte commilitonum separatio fiat, nemo se, quarum, nostrarum, an aduersarij partium sis, nouerit nisi mysticis signis familiaritatem prefeseras, nisi signatum super te lumen vultus Domini, nisi characterem in te cognoscat Angelus &c.* libuit hanc auctoritatem fusius recitare, quia eius testimonium maxime omnium perspicuum reputetur Vasquez, & subdit Basilius. *Quonam modo pro te pugnabit Angelus, absque inimicis vindicabit? Quomodo dices Dei sum, signa non ostendens? Thesaurus non obsignatus furibus patet, ouis absque nota insidijs obnoxia est &c.* Quæ duo exempla tacitam responsionem euertunt dicentiū loqui Basiliū de fide, vel gratia, quæ animū signant; quia spoliati fide, vel gratia nō possūt assimilari ouibus non obsignatis, oues n. errantes signa nō amittūt; at errātes in articulis signū fidei, errātes in preceptis signū gratiæ amittūt; quare de obsignatis signo indelebili loquitur Basilius, sicuti oues, quæ cūmodo obsignatæ sint, etiam si aberrauerint, vbique Domini esse dignoscuntur. Testimonium simile huic habet Nazianzenus oratione *40. in sanctum baptisma*, cuius auctoritatem Nicetas explanans ait, *nos sigillo consignatos dignosci cuiusnam Domini sumus, & ab insidijs tutos conseruari. Quod enim sigillo aliquo notatum est, furum aggressioni non patet.*

Auctoritas Basilij

Auctoritas Nazianzeni, & expositio Nicetæ.

10 Clarius Augustinus *lib. 6. de baptismo contra Donat. cap. 1.* characteris etiam meminit; docens *Dominicum characterem accipi in baptismo dato ab Hereticis.* Id ipsum repetit *epistola 23. & mille in locis*, quæ à Vasquez non referuntur, eo quod (ipse ait) res hæc apud Augustinum manifestissima sit; colligit in fine Vasquez Scotum proinde errasse nihil ex Patribus, & scriptura de charactere deduci posse contendentem, cum allata testimonia optima sint. *Vtique* (inquit ipse) *fateor testimonia, quę adduci solebant à Scholasticis tempore Scoti nullius esse momenti, verum adducta à nobis magni æstimanda sunt.* Hæc itaque quibus non modicum blanditur sibi; quasi

Augustini testimonia.

vero

vero acriori vel ingenio, vel labore præ cæteris antiquioribus Theologis characterem ex certa Patrum, & scripturarum doctrina elicere sciuerit.

11 Dicendum tamen pro Scoti sententia, Characterem imprimis dari per aliqua sacramenta, & rationes congruentes ad positionem eius suppetere; sed neque ex Patribus, neque ex scriptura explicitam de charactere doctrinam tradi, eo sensu, quo characterem recipit Ecclesia, & de charactere loquuntur Theologi Scholastici. Probo singula. Primo characterem per aliqua sacramenta dari, sanciuit Eugenius *in decreto pro Armenis in calce Florentini Concily* § 5. *Ecclesiasticorum &c.* per hæc verba. *Inter hæc sacramenta tria sunt, baptismus, confirmatio, & ordo, quæ characterem, idest spirituale quoddam signum, à cæteris distinctiuum imprimunt in anima indelebile, vnde in eadem persona non reiterantur &c.* Postmodum Concilium Tridentinum contra Nouatores *anathematismo illo* 9. eandem sententiam ita diffiniuit, vt oppositum sub errore concluserit. Ante hæc Ecclesiæ decreta Innocentius Tertius *loco citato supra* characteris doctrinam tradidit, cui, nequam Nouatores detrahere student oblatrando, quod multa perperam gesserit, sed oblatratio inanis est, & natiuæ procacitatis sine effectu effectus. Quid enim vitæ cum decretis Pontificum? ij ergo vt homines peccare possunt agendo, at Spiritu sancto assistente errare diffiniendo non possunt. Adde, posse nos si per tempus liceret, vitam Innocentij à confictis Nouatorum iniurijs maculis abstergere, & præcipue, quæ de ipso contra Othonem Imperatorem gesta feruntur, quia ex ipsis etiam Germanis pater, vt videre est apud Krantium *lib. 7. saxoniæ cap. 37.* Othonem ab Ecclesia defecisse, atque rebellem eius multa aduersa perpessum fuisse.

Assertum affirmans.

Probatur ex Concilijs.

12 Prima congruentia est ex mente Sancti Thomæ, & aliorum, qui characterē ponunt esse dispositionem ad gratiam. Congruit ad perfectam formam poni dispositionem aliquam; at gratia forma est perfecta; quare aliquam ad gratiam dispositionem ponere congruum est. Cumque gratia sit forma supernaturalis, decens est, vt supernaturalem formā per dispositionem ad eā ponamus, qualis est character. Augetur autem probabilitas congruentiæ huius, quia dispositio semper est minus perfecta, quam forma, & ab eodem agente causari dispositionē, & formam maxime rationi congruum est; à Deo autem in sacramentis causatur gratia, & character, & hic est imperfectior, quam gratia; hic ergo erit dispositio ad illam. Hæc congruentia, si de solo baptismate loqueremur, euidentiorem haberet probabilitatem; quia cum sacramentum illud sit omniū primum, in ipso magis, quam in alijs quæ iam baptismum supponunt, gratiæ dispositionem poni congruere videtur, ne dicamus nude gratiam ipsam recipi in anima baptizati; si verò ad genericam rationem characteris, & gratiæ congruentiam extendamus, plus probat, quam necessum sit, quoniam eadem congruentiam de omnibus sacramentis vrgere posset quis; quæ tamen characterem nō imprimunt.

Prima congruentia.

Exilis.

13 Secunda congruentia est aliquorum paulo à superiori diuersorum in sensu, & est. Congruit Deum non instituere sacramenta nouæ legis vana, cum hæc sit lex perfecta; sed recipientes sacramenta sine dispositione sacramenta vana essent, nisi aliquem alium causarent effectum, quod patet, quia indispositus, vel obicem ponens gratiam non recipit per sacramenta; ne ergo illa vana sint aliquem alium producent effectum, qui communiter vocatur character.

Secunda.

Debilis.

14 Hæc etiam congruentia plus probat, quam debeat: quia æque, si quid valet, de cæteris vrgeri posset sacramentis; ac de baptismo, confirmatione, & ordine, nisi quis cum Thomistis in alijs sacramentis signi ornatum quemdam velit loco, ac vice characteris, quod falsum esse monstratum est supra. Tertia congruentia fertur à Scoto de baptismo dumtaxat, at nos eam de cōfirmatione etiam, & ordine vrgere possumus in hunc modum. Congruit receptum in familiam Christi, & positum in custodia Domus Dei, & constitutum in officio præpositi in eadem familia, ac domo, distingui à non recepto, & à non posito in custodia, ac tutela, à non constituto in officio præpositi per aliquid intrinsecum sibi: sed in baptismate homo recipitur in familiam Christi, in cōfirmatione datur ei robur ad custodiendam fidem Christi, in ordine constituitur in officio introducendi in familiam Christi: ergo hominem in baptismate, in confirmatione, & ordine congruum est distingui à non baptizato, à non confirmato, & à non ordinato per aliquid intrinsecum sibi, & hoc intrinsecum signum

Tertia congruentia.

gnum distinctiuum ponitur communiter character, quare characterem poni congruum est. Maior probatur; quamuis enim distinctio illa possit fieri à Christo sine tali signo; attamen perfectior est si fiat per aliquod intrinsecum tum, vt dignoscatur in militante, tum in triumphante Ecclesia. Minor autem probatur ex doctrina eiusdem Scoti *d. 6. q. 10. littera* K, vbi postulans, cur sint tantum tres characteres, ait, quod ex humana politia arguere Christianam politiam possumus; sed in istis humanis politijs nullus dicitur habere peculiarem gradum in familia Regis, vel Pontificis, eo quia manducat, vel bibit de eorum mensa, vel quia filios gignit subditos Regi, & Pontifici vel quia Dominum habet mitem, qui post offensam facile sibi ignoscat; in siquidem actus cõmunes sunt omnibus, absque eo quod constituti sint in aliquo gradu; solum ergo in gradu constituitur, qui in familiam Regis, vel Pontificis adscribitur, qui constituitur miles ad tuendam rempublicam; qui præponitur supremus ad constituendos alios in gradus; vt qui fit Dux ad scribendos milites, & vexilliferos: ita in politia Christiana, qui bibit, & comedit in Eucharistia non est positus in aliquo gradu sub hac ratione præcisa quia bibit, vel comedit de corpore Christi; neque qui reconciliatur Christo per pœnitentiam, neque qui filios per generationem ex matrimonio gignit, neque qui ad roborandum se vngitur; sed qui baptismate in Christi familiã recipitur; qui in confirmatione armatur vt miles ad tuendam fidem, & Ecclesiam, qui in ordine ponitur Dux ad recipiendos alios in Christi familiã, & ad constituendos in ea milites, & vexilliferos; quare in his tribus constitutos homines in aliquo certo gradu congruum est à non constitutis per aliquod signum distingui, & hæc congruentia potior est, quam licet mutatis verbis à Scoto mutuauit Lugo *loco citato*, vtinam grato animo.

Tertia coniectura suasorgetur

Probatur Lugo

Ratio à priori ex Deo petenda est

14 Ratio autẽ à priori ducẽda est ex Christi instituentis voluntate; quia scilicet sic Christo libuit; quare autem, si petas, sic Christo libuit, ipsum interroga, nos congruentiam metimur dumtaxat. Aliqui Recentes cum Vasquezio rationem aliã institutionis characteris ferunt pro sacramento baptismi, confirmationis, & ordinis.

Tria hæc sacramenta iterari non possunt, ergo characterem imprimunt, consequentia probatur primo ex Concilijs Florentino, & Tridentino, quæ idcirco statuunt iterari non posse tria illa sacramenta; quia characterem imprimunt, & verba Conciliorum sunt *si quis dixerit tribus sacramentis baptismo, confirmatione, & ordine non imprimi characterem, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, vnde illa iterari non possunt, anathema sit &c.* quibus verbis sine obscuritate docent à posteriori iterari non posse illa tria sacramenta; quia characterem indelebilem imprimunt.

Ratio Vasquezij

15 Secũdo probatur illa consequentia; quia non suppetit alia ratio, quare reiterari illa non possunt, nisi quia imprimunt characterem indelebilem, ne videlicet duplex character frustra ponatur. Hæc tamen ratio non tam facili transitu admittenda est, ne Scotum in errorem a Concilijs postea damnatum incidisse immeritò à Vasquezio notatum *disp. 136. cap. 3.* relinquamus. Scotus ergo *d. 6. q. 7.* rationem hanc paruipendit, quippe quæ ignotum ad ignotius probandum inducit; quoniam sub initio Ecclesiæ manifestum fuit sacramentum baptismi iterari non posse, quod vero characterem imprimat non sic est notum ex scriptura, & Patribus, sed solum ex Ecclesia, & *q. 9 littera* G, ait. *Respondeo quod non est sacramentum initerabile propter quod imprimat effectum indelebilem, sed ex ordinatione diuina &c.* quibus locis oppositum illius, quod postmodum Concilia sanxerunt, sensisse visus est. Occurrit huic Scoticæ difficultati, seu huic doctrinæ Scoti, quæ cum Concilio pugnare videtur, *Faber disp. 21.* asserendo Concilium non adducere pro ratione irreiterabilitatis impressionem characteris; sed docere dumtaxat illa sacramenta non posse iterari, quæ imprimunt characterem.

Reijcitur

Scotus quo modo vin dicetur à Fabro à nota.

16 His tamen Fabri occursus est potius à difficultate subterfugium, quia Cõcilium habet particulam illam, *vnde iterari non possunt &c.* aduerbium vero illud *vnde* videtur aliqualem causæ rationem reddere; æquipollet enim his particulis scilicet *ex quo, quare, propterea &c.* quæ omnes aliqualis causæ rationem reddunt. Aio igitur rationem posse paruipendi; nec tamen obuiam ire nos, aut Scotũ assertioni Concilij; quia Scotus rationem potissimam quærit, quam nos deficere ait, à sola diuina institutione petendam, & inter rationes à posteriori minimum locum rationi præ-

Reijcitur Faber

Vindicatur ab Auctore

fatæ

ſitæ aſſignat, quæ tempeſtate Scoti, & in primitiua Eccleſia ignotum per ignotius probabat: neque Concilium eo loquendi genere euchere intendit rationem, ob quam iterari non poſſunt ſacramenta, eſſe, quia characterem imprimunt; rationem inquam à priori; quia hanc eſſe Chriſti inſtituentis voluntatem nemo hæſitauit; ſed neque eſſe rationem à poſteriori, ſeu probabilem potiorem ex eo apparet; quod non ait Concilium propterea non poſſe iterari, quia characterem imprimunt; ſed decernit imprimere characterem; vnde non poſſunt iterari, quaſi vero per hoc loquendi genus aliqualem coniecturam duntaxat inreiterabilitatis venatum fuerit, non vero rationem veram probantem. Accedit, quod Scotum locutum ſolum de ratione à priori patet; quia ſolum pro cauſa adducit inſtitutionem Dei, quæ eſt ratio à priori. Sed iam reuertamur ad inſtitutum noſtrum. Ex his aliqualem habes impreſſi per tria ſacramenta characteris coniecturam.

17 Porro quod explicite doctrina de charactere non educatur ex ſcripturis patet; quia loca omnia allata à Vaſquezio, quibus mentio de ſignatione fit, congrue interpretari poſſunt de ſignatione per gratiam, ſicuti idem etiam Sanctus Thomas illa interpretatus eſt 3. p. q. 63. art. 3 Neque alibi expreſse meminit de charactere ſub noſtra hac ſignificatione ſcriptura. Immo, quod nec Patres exactam de eo doctrinam tradiderint patet, quia Auguſtinus, qui omnium diſertiſsime, ac fuſiſsime locutus eſt de baptiſmo ſexcentis in locis non tacuiſſet hunc eius effectum, si Antiquioribus Auguſtiño Patribus, aut Auguſtino ipſi notus fuiſſet: quod vero aliqua ex Auguſtino loca exceperit Vaſquez, valde friuolum eſt, cum illa, ipſo etiam interpretante Soto, de baptiſmo ſecundum ſe interpretari queant, qui character, hoc eſt Chriſti ſignum dicitur.

Interpretationes ad Patrum dicta.

Auguſtini

Cæteri Patres Auguſtino iuniores nec Verbum quidem in hoc ſignificato de charactere dilucide prodiderunt. Auctoritates à Vaſquezio adductæ facile ſolutionem patiuntur. Cyrilli teſtimonium intelligitur de ipſo baptiſmo, quatenus iterari non poteſt, qui propterea ſignaculum indelebile dicitur: nec refert quod antea effectus memorauerit baptiſmi, quia orationis lepore quodam vſus Cyrillus poſt effectorum enumerationem ipſum baptiſmum potuit ſecū dum ſe repetere ſub appellatione ſignaculi Sancti, & indelebilis, sicuti nos ornate loquentes dicere poſſumus, quod ſacramentū baptiſmi eſt hominis regeneratio, peccati originalis vlceratio, magnū ac primum ſacramentum: en quomodo extremo loco recapitulando quaſi eandem rem dicere poſſumus ſub diuerſo vocabulo; cuius effecta prius recenſuimus.

Cyrilli

18 Teſtimonium Baſilii interpretatur Faber dicendo, quod ſi illud formaliter intelligitur, pro ſignaculo baptiſmum ſumit, ſi cauſaliter pro ſignaculo gratiam intelligit. Hæc tamen reſponſio per adducta a Vaſquezio in oppoſitum reijcitur; nam peccator aſſimilatus oui erranti amittit quidem gratiam, ſed ſignum non dicitur amittere, per quod dignoſcitur. Ideo dicendum arbitror Baſilium loqui de peccatore fideli, cuius character eſt fides, quæ per lapſum voluntatis non amittitur, niſi in articulis peccet, hoc autem ſenſu auctoritas nullam nobis operam faceſſit, & hoc etiam modo intelligi poteſt Nazianzeni locus, niſi mauis illum intelligere de Cruce, cuius merito conſeruamur ab inſidiis diaboli toties incolumes, vel de electione diuina, quæ paſſionis Chriſti ſignum in nobis poſuit, de quo ſigno fit mentio in Apocal. Ioannis cap 7. *Quoadusque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum, nolite nocere terræ, & mari, &c.* & hæc interpretatio ſatis videtur eſſe ad literā contextui, & expoſitioni Nicetæ à Vaſquezio adductæ.

Baſilij

Nazianzeni

Nicetæ

19 Demum quod ait Vaſqu z ſanctorum auctoritates interpretatione noſtra adiutas contra Hæreticos vrgendas eſſe, non paruipendendas, ne anſa detur aduerſariis detorquendi ſanctorum teſtimonia, reijciendum eſt; nam pari modo non debemus contra Hereticos Sanctorum Patrum auctoritates, & ſcripturæ teſtimonia in alio, quam in ſincero, & formali ſenſu opponere, ne vel illi noſtrum laborem derideant, vel Patrum teſtimonia noſtro exemplo detorqueant; explicitas ergo auctoritates vrgere pro explicitis poſſumus; dubias pro certis non poſſumus ſine nota.

Vrgetur Vaſquez

Nec magnum quid eſt aſſerere doctrinam de charactere non fuiſſe ſæculis antiquis adeo dilucidam, cum ſucceſſiue Eccleſia Spiritu ſancto edocta noua fidei decreta pandat, iuxta nouam rerum exigentiam. Habes ex his Catholicam veritatem, cui nec apicem, aut iota con-

tra-

trarium Catholicus Auctor Scotus vmquam opposuit; Quæ vltro, citroque obijcit Scotus in hac disputatione patent in littera.

DE QVIDDITATE CHARACTERIS

An Character sit forma absoluta, an respectiua realis, an rationalis.



CAPVT II.



20 Controuersum est hoc caput inter Scholasticos. Quibusdam characterem inter reales; alijs inter rationales, seu intentionales entitates referentibus: & qui rursum inter realia entia characterem admiscent diuisi sunt. Nonnulli ad formarum absolutarum seriem reuocant eum nonnul li inter relatiuas connumerant.

Durandi opinio. Sensit imprimis Durãdus characterẽ nõ esse quid reale, sed rationis; nõ absolutũ, sed respectiuũ, ita loquitur *in 4 d. 4. q. 2.* ex eo fũdamẽto, quod denominationes extrinsecæ in subiecto ad summũ relationẽ rationis dicunt; sicut denominatio Prætoris in habente, ac fungente hoc munere solũ in eo relationẽ rationis indicat; quare cum character sit ex diuina institutione denominatio quædam externa, qua quis dicitur ad certas operationes destinatus, ac constitutus, non nisi in habente relationem rationis arguet. In hanc etiam sententiam citat Vasquezius Scotum nostrum *d. 6. q. 10.* licet alio fundamento: Scotus enim, vt putat hic Recens auctor, ex quo importari per characterem putat relationem quandam extrinsecam, tenetur necessariò asserere solam per eum relationem rationis importari; siquidem relatio realis nulla est extrinsecus adueniens.

Vasquez perperam citat Scotum.

Contra Durandum vniuersa Theologorum capita proclamant; quasi vero non solum nouam, ac temerariam, sed erroneam, immo hoc tempore hæreticã sententiam inuexerit; quamuis enim opinio eius potuerit fine errore defendi suo tempore, nunc vero non potest ab errore in fide vindicari, quæ expressè pugnat contra duo Concilia Florentinum ac Tridentinum, quæ docent characterem esse signum spirituale animæ impressum, quæ conditio enti, ac relationi rationis conuenire non potest, quæ non est quid spirituale animæ impressum.

In hunc modum contra Durandum Recentes præcipuè cum Suarezio inuehuntur *disput. 11. sect. 2.* qui & ait adhuc tempestate Durandi opinionem eius temerariam fuisse, quippequæ nedum contra communem sensum Theologorum lata; sed & Innocentio Tertio *in capit. maiores de baptismo* penitus aduersa; vbi Pontifex decernit per sacramentalem operationem characterem imprimi.

21 Duo viri dumtaxat Durandi partes susceperunt. Primus fuit Sotus *in 4 d. 1. q. 4.* qui sub hoc moderamine non solum non esse reijciendam, sed approbandam retur Durandi sententiam, quatenus scilicet per eam asseritur characterem non esse aliquam realem entitatem ab anima realiter distinctam; non enim multiplicanda sunt entia sine necessitate; quare si Durandus dixisset characterem esse absolutam formam, quæ nõ tamen realiter ab anima distinctam; veram secundum interpretationem Soti opinionem defendisset. Hoc ergo modo Durandi sententia approbatur; quatenus nihil ab anima distinctum realiter importari per characterem putauit; sed quatenus asseruit importari entitatem rationis improbatur. Alter sententiæ Durandi tutelaris Patronus est Vasquez, qui pro viribus *disp. supra citata cap. 7.* vindicare conatur Durandi opinionem à tanta censura, vt censeri omnino debeat contra fidem. Nec dissimili et loquitur Lucius Turrianus *in lib. select. disp. Scholast. in suis Centuriis censurarum.*

Tutelares Durandi, Sotus V. s. Turrianus

22 In oppositum, quicunque realem entitatem

entita-

bitatem inuehere voluere characteri, digladiantur adinuicem. Aliqui ad genus relationis realis vtique characterem reuocant, sed illum omnino à cathegoria ad aliquid ablegant arbitrati in genere ad aliquid solas relationes intrinsecus aduenientes computari; relationes vero extrinsecus aduenientes ad cætera sex prædicamenta reuocandas.

25 Aliqui è conuerso inter absolutas formas sacramentalem characterem adnumerant cum communi Scholasticorum placito, & quoniam forma substantialis nequit esse character, neque ad genus quantitatis reuocari potest, consentiunt omnes reuocandum ad chategoriam qualitatis; sed ad quodnam genus, seu ad quam speciem è quatuor assignatis ab Aristotele non conueniunt. Absolute arbitratur Sanctus Thomas *q. 63. art. 2. in corpore* characterem in nullo genere per se poni, sed reductiue ad primam qualitatis speciem reduci, subscribit se huic opinioni Richardus *d. 5. art. 2. q. 1.* nec sine fundaměto, quia corruptibile, & incorruptibili plusquã genere differunt per philosophũ 10. *Meth. cont.* 26. sed character est forma incorruptibilis, quare in nullo genere corruptibiliũ collocatur Adde quod character est forma supernaturalis, & supernaturale à naturali plus differt, quam incorruptibile à corruptibili, quare si corruptibile differt genere à corruptibili, multo magis supernaturale à naturali.

Opinio Sancti Thomæ.

26 Marsilius *in 4. q. 4. art. 1.* quem sequutus est *peculiari de charactere opusculo* Ambrosius Chatermus, & Annibal, & Salas in 4. qualitatis specie characterem collocauit, quia scilicet in eadem specie sita est figura spiritualis, ac corporalis, & character figura est spiritualis.

Opinio Marsilij Catherini, Annibalis & Salas.

27 Alij characterem miserum in omnes qualitatis species diffundunt, quia quatenus est principium configurandi potest poni in 4. specie, quatenus est principium assimilandi potest poni in tertia, quatenus est potestas quædam in secunda, quatenus est dispositio ad gratiam in prima specie qualitatis, & rursum quatenus est indelebilis, in specie prima, quæ est habitus, collocatur: sic miseram characteris naturam per omnes qualitatis species vagari permisit Gabriel *d. 6. q. 1. art. 3.* Nec admodum distat Lugo *disp. 6. sect. 3.* qui licet proprie in tertia specie qualitatis characterem collocet *numero* 48. deinde tamen *numero* 69. libenter patitur illum per tres alias qualitatis species vagari, licet impropriè.

Opinio Gabrielis, & Lugo.

28 Alij hoc munus collocandi characteris ad tertiam speciem qualitatis reducunt, aiuntque eum esse passibilem qualitatem, eo quod est quoddam spirituale lumě quo anima illuminatur, vt synderesis intellectus melius, quæ sunt agěda perspiciat. Citatur pro hac sententia Altissiodorensis *lib. 4. tractatu 3. cap. 2.* & Ochamus *in 4. quæst.* 2. Alensis, & S. Bonauentura.

Altissiodorensis Ochams, Alensis, S. Bonauenturæ.

Thomistæ fere omnes id munus secundæ speciei deferunt; arbitrati characterem esse potentiam ad agendum; proinde sub naturali potentia collocandum: his subscribit Henriquez, & Valentia. Soli Recentes cum Vasquezio, ac Suarezio in primam qualitatis speciem characterem redigunt, ita etiam Bellarminus *cap.* 19. ita quoque ex Nostratibus sensit Bassolus *in 4. d. 5. & 6. q. 3. art.* & Maironus *in 4. d. 4. q. 8. art.* 10.

Opinio Thomistarum.

Opinio Vasquij, Suarij Bassolis, & Maironis.

29 Scotus noster in hac re tam belle in vtrâque parté ludit, vt quid ipse senserit non sit dijudicatu facile. Ego dicam primo, quid in eius positione sit certum; deinde quid incertum asseram. Certum est imprimis apud Scotum, characterem ob solam Ecclesiæ diffinitionem esse ponendum, vt *superiori capite* dicebamus. Certum est secundo, ipsum esse formam quamdam spiritualem à Deo impressam animæ in susceptione sacramenti non iterabilis. Certum tertio aliquo modo disponere ad gratiam illius sacramenti, in quo imprimitur, cum sit opus eiusdem agentis, & sit forma imperfectior, quam gratia. Certum est quarto characterem esse formam indelebilem, non quidem per absolutam Dei potestatem; quia nulla est contradictio, quod character deleatur, sed per ordinariam potestatem, quæ ordinauit nullam formam supernaturalem animæ inhærentem posse deleri, nisi per aliquod demeritum, respectu autem characteris delendi nulla potest esse causa demeritoria, ex quo etiam in statu peccati imprimitur. Certum est quinto characterem esse signum rememoratiuum sacramenti suscepti, configuratiuũ animæ ad Christum, assimilatiuum subiecti habentis alteri etiam habenti, distinctiuum à non habente.

Opinio Scoti incerta.

Nonnulla præcipua ex Scoto.

Hæc, inquam, omnia apud Scotum certa sunt; hoc est explicite à Scoto concessa supposita characteris existentia. Quæ omnia cum indubie arguant characterem esse formam realem, non obscure indicant apud Scotum certum fuisse,

chara-

et per Thomistas relatio non potest esse relationis fundamentum, quare illa prima responsio in ipsorum sententia enervatur. Quoad actionem agentis externi, illa certe cessat statim; quare nec fundare potest relationem; quia quod non est fundamentum relationis realis, neque agere potest, vt aliquid aliud sit fundamentum nulla nouitate manente in subiecto. Actio ignis ipsa est relatio, cuius fundamentum nos postulamus; petendo, cur ignis nunc agat, non prius? & vnde relatio actionis in ipso insurgat? quare & responsio Soti nulla est, qui si dicat non actionem, aut passionem esse fundamentum, sed ipsum agere, & pati, insurgam, vel enim agere, & pati sumitur pro ipsa actione, & passione, vel pro effectu illarum, si primum iam reiectum est. Si secundum velit, ipse sibi contradicit; nam agere, & pati hoc modo effectus sunt consequentes formam ignis, & paleæ, quatenus subsunt relationibus actionis, & passionis.

Arguitur Sotus

36 Neque approbandæ sunt conditiones, dispositionesque à Caietano inuentæ, quæ nondum constat quid sint formæ ne absolutæ, an relatiuæ: si relatiuæ. Contra relatio non fundat relationem per ipsos. Si absolutæ: ergo subiectum mutaretur, antequam ageret, quia per illam dispositionem iam esset mutatum. Superest ergo, vt relationibus iis aditum in scholas aperiamus; eoque id magis, quo rationibus aliis earũ naturam declarat, & existentiam probat Scotus *in litera*, in cuius expositione nõ est immorandum, cum sit res penitus methaphisica, & Scoti *litera* patenter eius mentem aperiat.

Arguitur Caietanus

37 Interim & si opinio asserens characterem esse formam absolutam sua probabilitate non careat; quia tamen communis est, & communiter ab omnibus (excipe Nostrates) defenditur, & sententia ponens characterem esse relationem subtilior est; inque eam magis propendere videtur Scotus, licet problematice ludens, quia scilicet partem hanc vberiori, ac subtiliori tramite prosequitur, eo potissimum, quod ex eius asseueratione concertationem Scholasticorum euitamus circa locum assignandum characteri inter qualitatis species; quæ concertatio non leuis est, vt videbimus.

38 . Asserendũ ergo characterẽ esse realẽ relationẽ extrinsecus aduenientem. Probo singula. Primum, quod character sit relatio. Nihil est ponendum perfectius, quam ratio exigat, propter quam illud ponitur, sed ratio ponendi characterem non exigit, vt ipse sit relatione perfectior, atque adeo forma absoluta, quam esse perfectiorem relatiua citra cõtrouersiam est. ergo non est character ponendus perfectior relatione, atque adeo realiter ponendus erit character, nõ absoluta forma. Maior probatur ex celebratissimo illo Aristotelis effato *in primo naturalium, cont. 50. Non sunt entia sine necessitate multiplicanda*, multiplicaretur autem si perfectius esse characteri, quam vel ipsa characteris natura, vel ratio positionis eius exquireret. Minor ostenditur; quoniam hæ sunt rationes potissimæ characteris ponendi, & conditiones eius naturæ. Prima, quod sit spiritualis forma à Deo impressa cuicunque suscipienti sacramentum, quod iterari denuo nequit. Secunda, quod sit significatiuum gratiæ, vel habitæ, vel habendæ. Tertia quod sit dispositio quædam præuia ad gratiam. Quarta quod sit indelebilis, & hæ quatuor conditiones ad naturam ipsam characteris spectant. *Quinta*, quod sit signum rememoratiuum. Sexta, quod sit configuratiuum. Septima quod sit assimilatiuum. Octaua, quod sit distinctiuum; quæ quatuor conditiones extremæ non solum ad ipsam characteris naturam, sed ad necessitatem, seu ad rationem positionis spectare dicuntur ab Auctoribus illas ponentibus. Subinferamus huic longissimæ subductæ maiori minorem sic. Sed hæ conditiones omnes æque bene characteri aptantur, ponendo ipsum esse relationem, ac si poneretur forma absoluta; ergo non est cur entia multiplicantes ipsum ad formarum absolutarum genus reuocemus.

Afferitur ponens characterem esse relationem probatur

Aristotelis effatum

Rationes ponendi characteris

39 Subducti dilemmatis minor probatur. Prima siquidem conditio egregiè relationi aptatur, quæ sicuti causatur in corpore, ita potest causari in anima, non enim constitutum est solum corpus pro relationum subiecto, vel fundamento; sed multas esse relationes in anima in confesso est. Secundam conditionẽ ei competere posse, si relatio ponatur, probatur, quia nihil est ex cuius cognitione non possit deueniri in cognitionem alterius, sed signum ex Augustino *lib. de doctrina Christiana*, est id, quod in alterius facit cognitionem venire; ergo cum relatio non sit nihil poterit esse signum, seu fundare relationem signi; hinc si quis posset paternitatem videre in patre habere posset signum rememorati-

Singula characteri aptantur

Augustin. lib. de doctr. Christiana

Characterem esse formam realẽ probatur

44 Nos, quod character sit relatio realis, vti secundo loco in asserto dicebamus, probamus primo ex communi Scholasticorum consensu, qui ita de charactere loquuntur, vt de reali re, siue absoluta, siue respectiua. Probamus secundo. Mutatio realis non est nisi ad formam realem, sed ad characterem est mutatio, ergo character est forma realis.

Probatur secundo

Maiorem tradunt philosophi, qui motum à termino præcipuè metiuntur, à quo motus ipse nomenclaturam trahit, vnde ad terminum realẽ realem motum ponunt, tradunt & Theologi, qui per accessum relationis rationis nullam mutationem in Deo realem agnoscunt, alioquin Deus, qui nunc per conseruationis relationem terminat realiter esset mutatus, quia ante annos quadraginta me nondum mẽ nato, non terminabat. Minor est euidens, quia sicut accedens ad baptismum mutatur, attamen solum characterem suscipit, quare in eo ad solum characterem est mutatio.

Tertio probatur

45 Probamus tertio, quia locutiones Conciliorum eæ sunt, quæ entitati reali magis, quam rationali conueniant, puta quod sit spirituale quid animæ impressum, quod sit indelebile, quæ conditiones satis indicant esse entitatem realem, non rationis, quæ non verè imprimitur, nec est verè spiritualis, nec verè indelebilis. Caue tamen putes cum Soto characterem esse idem, quid realiter cum anima, ita enim Sotus sentit in moderatione sententiæ Durandi; at Soti moderatio satis immoderata est, quoniam diuersorum generum entia esse eadẽ realiter inter se incredibile est omnino. Adde, quod ea realiter distinguuntur, quorum vnum esse potest sine altero, vt patet ex regulis distinctionum; at licet character sine anima esse nequeat, cum sit accidens, quod sine subiecto naturaliter esse non potest; è contra animam sine charactere esse posse patet in nondum baptizatis.

Quarta probatio

Adde, quod inintelligibile est animã denuo realiter mutari, & tamen non per formam realem ab ea realiter distinctam; insuper res ordinis supernaturalis esse realiter easdem cum rebus naturalis ordinis, insuper accidentia esse eadem realiter cum substantia; quæ omnia vera essent, si cum Soto putares characterem, ad quem realiter anima mutatur, characterẽ, qui est supernaturalis ordinis, characterem, qui est forma accidentalis, esse realiter eundem animæ, quæ realiter mutatur, animæ, quæ est ordinis naturalis, animæ, quæ est forma substantialis, minus ergo philosophicè Sotus, quam Durandus locutus est.

Probatur vltimo

46 Demum characterem non esse relationem intrinsecus aduenientem, sed extrinsecus, probant argumenta illa omnia, quæ persuadere videntur absolutè characterem non esse relationem, & primo, quia ad aliquid non est motus ex Aristotele 5. phys. cont. 19. sed relationes intrinsecus aduenientes sunt in genere ad aliquid, ergo cum ad characterem sit mutatio, character non est in genere ad aliquid; neque proinde est relatio intrinsecus aduenens. Adde relationem illam dici extrinsecus aduenire, quæ positis fundamento, ac termino non necessario insurgit; sed ope indiget externi agentis, talis est autem character, cuius relatio, posito baptismo, confirmatione, vel ordine, & posita gratia, & cæteris, ad qua refertur non insurgit, nisi sacramentum à ministro applicetur suscipienti, nec imprimitur ab alio, quam à Deo externo agente.

47 Contra hæc dicta mitto rationes persuadentes characterem esse formam absolutam, quas tum Scotus, tum Faber, ac cæteri Recentes Scotistæ dissoluunt: sola hæc relationem nostram characteris conturbantia feram.

Argumentum primum Suarez

Primum ex Suarez. Relatio sine fundamento intelligi nequit sed character si ponatur relatio non haberet fundamentum; quæro enim quidnam esset rei illud? numquid anima? si sic dicatur; ergo, inquit Suarez posita anima statim poneretur character, atque adeo in omni animam habente esset, quod est falsum.

Secundum argumentum

Secundum: si character est relatio, certe dicenda esset relatio signi: quæro ergo, an sit relatio signi ad placitum, an signi naturalis? nõ primum, quia illa est relatio rationis solum siquidem signa ad placitum ex sola hominum impositione significant; non secundum, quia signum naturale fundatur, vel super rationem effectus, vt fumus est signum ignis, vel super aliquam vnitatem, vel super aliquam similitudinem signi ad signatum, & quocunque modo ponatur semper formam realem præsupponit, vt patet, realem, inquam, absolutam, super quam fundetur, & sic non erit primo relatio, sed absolutum.

Argumẽtum tertiũ

Tertium: assigna huius relationis terminum? numquid Deum? contra sciscitor, quæ sit ista relatio ad Deum, an simi-

similitudinis per aliquam diuinæ perfectionis participationem, an dicit habitudinem ad Christum, vt ad terminum, an ad actus futuros diuini cultus, quales sunt recipere, & conferre sacramenta: at hæc omnia falsa sunt: ergo & falsum est, characterem esse formam relatiuam. Quod non respiciat Deum sub ratione causæ probat Suarez, quia hæc relatio est communis omni effectui diuino; non ergo huic operi peculiaris. Quod non sub ratione similitudinis per aliquam participationem probat, quia hæc relatio supponit naturam aliquam, & vnitatem, in qua fundetur; alioquin & ipsa gratia, quæ est participatio quædam diuinæ naturæ posset dici relatio, quod falsum est. Quod non respiciat Christum vt terminum, probat, quia non potest intelligi, nisi per modum effectus, vel similitudinis, vel conformitatis cum Christo, sed huiusmodi quæcunque relatio fundamentum requirit formam absolutam, implicat enim intelligere animam in omnibus absolutis immutatam recipere realem relationem similitudinis. Denique non posse respicere futuros actus diuini cultus probat sciscitando, quomodo illos respiciat, an per modum potentiæ realis, & ita non erit relatio, sed potentia, & qualitas; an per modum signi, & redeunt argumenta facta. Adde quod tunc non esset relatio realis; quia termini nondum sunt in esse, sed solum sunt futuri. Hæc Suarez.

Argumentum Suarezij.

38 Vasquez autem vnicam rationem arbitratur validam pro sua sententia, nempe, quia ad relationem non est motus: sed hanc minoris esse momenti tetigimus; cum de sola relatione in genere ad aliquid vera sit Aristotelis propositio; qui secus *in eodem 5. phys.* ad vbi reposuit motum, cum tamen vbi dicat solam relationem, vt patet in physicis.

Ratio Vasquezij.

Quartum ex aliis. Relatio non potest esse actiua, aut passiua potestas, character est actiua potestas, & passiua; ergo character non est relatio. Maior vera est, quia relatio nequit esse principium agendi, aut patiendi. Minor etiã est euidens; quia character ordinis dicit potestatem actiuam ad exercenda specialia munera, character baptismalis dicit potestatem passiuam ad recipienda alia sacramenta.

Argumentum aliorũ.

40 Hæc dilue. Primum negando characterem fundamento destitui, siquidem fundatur in anima: neque oppositio Suarez quidpiam probat de relatione extrinsecus adueniente, quæ posito fundamento, ac termino ex extremorum virtute minime insurgit, vt supra dictum est. Habes in littera Scoti longam concertationem *à littera G. vsque ad litteram I. inclusiuè* de fundamento proximo istius relationis; quod non potest esse actus susceptionis sacramenti transiens in præteritum, quia non ens non est fundamentum entis realis, actus autem transiens post quam transiuit simpliciter non est; quo loco redarguitur Thomistarum opinio arbitrantium actum generandi in patre etsi præteritum fundare relationẽ paternitatis. Vide Scotum ibi, & quæ in sequenti capite à nobis de huius relationis fundamento dicentur.

Responsio ad primum

Secundum dilue negãdo characterem esse primo relationem signi, sic enim esset ens rationis, sed dic esse relationem realem, super quam fundatur relatio signi non naturalis, sed ad placitum, nempe tum ex ordinatione diuina. *Dilutio 2.*

Tertium dilue constituendo huius relationis terminum Christum, vt Dominum, & caput, vt egregie notat Faber, quia per characterem baptismi homo peculiariter refertur Christo, vt Domino, cum adscriptus sit de familia: per characterem confirmationis refertur eidem; quia est peculiariter constitutus in defensione fidei: per characterem ordinis Christo, quia est peculiariter deputatus ad actus introductionis aliorum in familiam & in gradus familiæ Christi, & sic ruunt coagmentatæ Suarezii probationes, quæ ad rem non faciunt. *Enodatio 3.*

Quartum argumentum diluit Scotus *litt. E.* negando minorem de potestate simpliciter, & absolute: nam baptizatus in nullum actum simpliciter potest in quem non possit non baptizatus, tam actiuã, quam passiuè; loquendo vero de potestate ministerii conuenientis; etiamsi conceditur minor, maior est falsa, & probatio non facit ad rem; quia assumitur ad probandam potestatem absolute, non potestatem conuenientem ministerio; quæ non necessariò debet esse forma absoluta; immo satis est quandoque vt sit relatio rationis, vt patet per Aduersarios cõstituentes Episcopatum non esse ordinem distinctum à Sacerdotio, & tamen Episcopus habet potestatem talem, qualem non habet simplex sacerdos; nempe consecrandi, ordinandi, &c. vt patet etiam in Prætore, qui per simplicem relationem rationis dat sententiam capitis, quam sine illa relatione dare non potuisset licite: multo ergo magis si *Responsio Scoti ad quartum*

gis si

gis si relatio sit realis, inesse poterit hæc potestas, vt in casu nostro, & non sub forma absoluta, Vide Scotum ibi fusè & vberrime disputantem. Nostra interim disputatio huius capitis finem postulat occurrendo aliquibus à Ioanne à Lugo contra Scotum inductis.

Additio Ioannis à Lugo

50 Pater Ioannes à Lugo *disp. 6. sect. 2.* postquam acerrimè Durandi insectatus est sententiam vtpote contra Conciliorum mentem *numero* 23. opinionem Scoti sub cribro ponens distinctione vtitur, vel enim loquimur de relatione prædicamentali, vel de transcendentali, si primo modo nulla est difficultas; quia characterem nõ esse hanc relationem patet; quia ad relationẽ per Aristotelẽ non est per se motus, & rursum, quia totum esse relationis prædicamentalis est referri, & esse ad aliud, vt patet ex ipsa quidditate relationis: character autem præter hoc decorat, & ornat animum, in quo ponitur, quare non dat illi solum dici ad aliud. Si vero loquamur de relatione trãscendentali, concedit Lugo characterem esse ordinem trãscendentalem, tum ad operationes, ad quas vel exercendas, vel recipiendas subiectum destinatur, tum ad auxilia, quæ ratione sacramenti debentur, tum ad Christum, cuius characterem homo recipit.

Ex dictis negligitur

51 Satis tamen hucusque decisum est characterem non esse rem extra prædicamenta, ex quo relatio est externè adueniens, vt dixi, vnde quidquid sit de distinctione à Lugo allata, quæ nõ est per opposita, cũ hæc relatio possit penes diuersas rationes prædicamenti sibi seriem nancisci, vel respuere, ea tamen admissa statuendum relationem characteris esse prædicamentalem, & sitam vel in genere habitus, vel actionis, vel passionis: nec refert ad aliquid non esse motum ex Aristotele, loquitur enim Aristoteles, vt dixi, de relationibus in genere ad aliquid sitis, quæ sunt intrinsecè aduenientes, non de relationibus extrinsece aduenientibus, ad quas motum esse testimonio est prædicamentum vbi, ad quod esse motum nemo parum in philosophia versatus ignorat.

Relatio refert potius quam refertur

52 Quodue addit Lugo totum esse relationis esse referri, perperam dicitur, quia relatio non refertur verè, sed refert, relatiuum autem ad suum correlatiuum refertur, hinc relationis esse est referre, non referri: nec implicat quoquomodo relationem ornare, ac decorare subiectum modo præexposito de perfectione eius supplente videlicet imperfectionẽ, quia quæ forma est ornare potest, quæ relatiua forma referre potest. Et quæ de ordine transcendentali à Lugo dicuntur non vrgent, nam nec operationes ministerii conuenientis, quas homo charactere insignitus edit, transcendentales sunt, vt patet, nec auxilia, nec Christus, vt homo specificatiuè quamuis vt Deus non sit in genere: nec refert auxilia dari à Deo; hoc enim conuincit ad summũ modũ esse illa ordinis supernaturalis, multa tamen eiusmodi ordinis collocari posse in genere alibi ostensum est; & apposite Scotus *in 4. dist. 6. q. 10. littera L.* respondens argumentis Sancti Bonauenturæ, & Richardi fidem, spem, & charitatem propriè in genere qualitatis collocat quamquam sunt supernaturales formæ; vbi etiam auctoritatem illam Aristotelis interpretatur *ex 10. Meth. cont. 26. Corruptibile, & incorruptibile differunt plusquam genere* vt veram concedens de genere physico, vt falsam negans de genere logico. Noster Faber *in 4. disp.* 21. *num.* 21. non veretur concedere hanc characteris relationem dici transcendentem, quatenus non continetur sub prædicamento ad aliquid, ita enim loquitur de relationibus singulis extrinsecè aduenientibus; sed à nimis remota appellatione nomenclaturam transcendentalis relationis petit, quasi vero quamcumque relationem solam intrinsecè prædicamentalem vocare deberemus sitque necessum alia prædicamenta relatiua à serie prædicamentorum ablegare. Quod si contendas characterem esse formam absolutam, collocandus est tibi in genere qualitatis, & in prima specie. Vide Scotum *loco citato quest.* 10. aliorum placita refellentem, quæ characterem autumantia esse formam absolutam, ad alias à prima species qualitatis illum referebant.

Character non est ordinis transcendentalis statut non collocetur in genere

Corrigitur Faber



DE PROXIMO CHARACTERIS *subiecto, & fundamento.*

CAPUT III.

53 IN hac disputatione nullus Scholasticorum, quem viderim, fundamentum characteris postulat; sed subiectum, quia nullus relatiuum esse charácteri tribuit, sed absolutum, excipe Scotum, & Scotistas, qui etiam sub dubio rem indecisam omittunt, vt per ipsos liceat cuicunque quomodocunque sentire, ex quo vtramque opinionem probabilem rentur, neutram certam: at nos, qui parti illi adhæsimus *superiori capite*, quæ characterem inter formas collocauit relatiuas, fundamenti quoque nomen vsurpare debemus, quamuis dũ particulam illam *proximo* in titulo capitis apposuimus, hoc idem intellectum voluerimus, quia in relationibus extrinsecè aduenientibus, de quarũ numero est character nõ est petẽdũ quid à fundamẽto distinctum pro subiecto, aut è contra, sicut accidit in relationibus intrinsecis, nã in pariete dealbato, & carẽte albedine diximus *supra* ortu relationem similitudinis apposito fundamento albedinis. Insuper particulam illam, *proximo* apposuimus, vt euidenter patefaceremus de subiecto remoto, quod est totum hominis suppositum sacramentum recipiens nullam esse nobiscum litem hoc loco.

Titulus exponitur.

54 De subiecto igitur proximo, & fundamento huius characteris duplex esse potest opinio; prima asserentium corpus hominis recipientis sacramentum subiectare, vel fundare hoc accidens, seu hanc relationem characteris. Altera opinantium characterem in sola anima fundari, & quoniam anima tribus prædita est potestatibus, nimirum intelligendi, volendi, & reminiscendi, hæc opinio tripartita est; nonnullis in anima immediate subiectantibus characterem; alijs in voluntate, plerisque in intellectu. Adde his quartum genus docentium in tota Sanctissimæ Trinitatis imagine characterem esse situm.

Triplex dicendi modus.

Quarta sententia.

Charactere in corpore subiectari sensisse Durãdũ putant Sotus *d. 1. q. 4. art. 4.* & Franciscus Suarez *disp. 11. sect. 4.* sed diuersimode, nam Sotus ait sensisse Durandum characterem esse in facultate corporis humani exequente actus sacramentales; puta in lingua, & manibus. Franciscus verò Suarez putat tribui posse Durando, quod senserit characterem esse in toto corpore recipientis, ex quo secundum ipsum character est solù relatio rationis, & relatio rationis nulli subiecto inhæret, & si cui inhæret, cum sit relatio denominationis in toto corpore, seu toto supposito inhærebit.

Soti, & Suarezij impostura ad sententiam Durandi.

55 Vterq. tamẽ labitur, imposturã Durando tribuẽtes & eius sententiã iniquo animo sigillãtes, qui nusquã subiectũ characteris inquisiuit, cũ charactere negauit, & si quid entitatis illi tribuit, si quod illi subiectum tribuit ex illorum potius sententia illud educit, qui characterem dari concesserunt; secundum ipsum vero cum character sit relatio rationis, seu denominatio extrinseca, seu deputatio quadam hominis ad sacras actiones non eget subiecto, vt ipse dilucide docet *d. 4. q. 1. in solutione secundi principalis*. Cuius sententia quam sit hoc tempore falsa, ex Concilijs Florentino, & Tridentino patet statuentibus characterem in anima imprimi: fortasse autem Durandi sententia ab errore immunis esse poterit, si dicamus ipsum non subiectum characteris, sed reale subiectum negasse, seu iuisse solum inficias realiter characterem alicui tanquam subiecto inesse, quod etsi falsum est, tamen ad suam opinionem consequenter dicitur, qua constitutum erat characterem esse relationem rationis: sed hæc Durandi asseclæ videant.

Durandi opinio

56 Characterem in anima immediate fundari, vel subiectari senserunt Nominales, quorum pedissequam se præstitit Gabriel *d. 6. q. 2.* & ante ipsum Marsilius *in 4. q. 4. art. 1. ad secundum dubium*, & Recenter eis subscripsere Vasquez *disp. 134. cap. 4.* & Suarez *loco citato supra*.

Opinio Gabrielis Marsilij, Vasquij, & Suarij.

Contra characterem in intellectu subiectauit Sanctus Thomas *3. p. q. 62. art. 4. extremis verbis* concludentibus non minus characterem esse in potentia cognitiua, in qua est fides, quam articulum vniuersum. Subscribunt Thomistæ *ibi*,

Sensus Thomistarum cum S. Thoma

& in

& in 4. d. 7. cum Soto, vel d. 4. & 6. cum Capreolo, & alijs. E conuerso Scotistæ in voluntate characterem subijciunt, tanquam in proximo fundamento, ac subiecto. Sanctus Bonauentura vero in 4. d. 6. p. 1. q. 5. characterem in essentiali intellectu, ac voluntate, ac plane in tota Trinitatis imagine singulariter reposuit, quod enim Recentes pro hac sententia Alexandrum Alensem citent, arbitrarie id faciunt, nam Alensis p. 4. q. 8. memb. 8. art. 1. in anima mediantibus potentiis, & præcipue intellectiua characterem fundat, vnde potius sententiam deinde à diuo Thoma propugnatam insinuasse visus est: singulæ opiniones probabilibus nituntur coniecturis, vt infra dicemus. Interim in re incerta pro Scoto dicendum, Admodum probabile esse characterem in voluntate fundari.

Scotica sententia.

Opinio S. Bonauenturæ.

57 Affertum hoc dupliciter Scotus probat: primo, Dispositio, & forma in eodē collocatur subiecto; sed character est dispositio ad gratiam; ergo in eodem collocatur subiecto; sed gratia, quæ est eadem secundum ipsum cum charitate in voluntate collocatur; ergo & in voluntate collocatur character. Non eo inficias, hoc argumentum non esse admodum validum, cum multa supponat discutienda; nempe, & præcipue quod gratia, & charitas sint eadem res; rursum quod sint proxime in voluntate, de quibus agendum est alio in loco; insuper eum maiorem in sententiam sua Scotus dubiam ponat, qui d. 1. quæst. 5. littera E. aperte docet dispositionem, & formam non necessario debere esse in eodem subiecto, cum sufficiat, vt sint in eodem supposito: maxime, quando dispositio non est talis ex natura rei; sed ex sola voluntate agentis causantis terminum. Insuper minorem declarandam assumit; quoniam si de vera dispositione loquamur, Scotus ipse à sacramentis illam ablegauit, (excipe dispositionem ex parte recipientis) & eo sensu dumtaxat characterem asseruit esse dispositionem, quo sustinet esse formam quamdam gratia priorem, & illa imperfectiorem, & regulariter euenit, vt quandocunque duæ imprimuntur formæ, quarum vna praeuia est, & imperfectior, altera perfectior, prior possit dici quoquo modo dispositio ad secundam, quo sensu forma prior non est vere dispositio, sed communiter accepta.

Assertum Scoti. Eius probatio.

Infirma.

58 Dicendum igitur hanc rationem à Scoto disputatiue potius, & ad hominem adduci; quia nonnulli discipuli Sancti Thomæ, vt in disputatione de causalitate gratiæ dictum est, putabant per sacramenta dari dispositionem phisicè ad gratiam; quam dispositionem in tribus initerabilibus sacramentis characterem, in aliis autem ornatum esse volebant, argumentatiuè ex concessis ab Aduersariis primam hanc rationem Scotus tulit.

Sed lata ex concessis.

59 Adde, perpetuò Scotum in hac materia de charactere ex aliorum opinione locutum, cum in sententia ipsius per solam Ecclesiæ auctoritatem characterem esse concedendum sit; non est ergo cur tempus teramus in defensione huius primæ Scoticæ rationis, quæ ex nostra hac declaratione, & censura ab omnibus Aduersariorum cauillis eruitur, & præcipuè à Soto, qui contendit Scotum ad contradictionem reuocare, quasi vero in hac ratione supponat dari dispositionem ad gratiam, quam in disputatione de causalitate sacramentorum negat.

Loquitur Scotus in hac materia ex aliorum placito.

60 Secundum argumentum Scoti est. Character est signum, & fundamentum obligationis animæ ad Deum, ergo congruit in illa potentia poni, cui primo cōuenit obligatio sed vera obligatio est in voluntate, quæ promittit, vel vouet, ergo cōgruū est in ea characterem collocari. Et hæc etiā ratio ex cōcessis deducitur nimirum; quod character sit signum obligationis animæ ad Deum; ideo congruentia dicitur, & certè maioris est valoris, quam prima. Scio Caietanum, Sotum, Vasquezium, Suarezium, & alios illi variè occurrere, & præcipuè eo deduci omnes, quod non necessario concludatur, dato quod character sit signū obligatiuum, debere esse in voluntate, è qua pendet obligatio; cum seruus se voluntariè vendat, & signum obligationis, non in anima, sed in corpore gerat, sed neque Scotus vnquam putauit hoc argumentum esse ostensiuum, propterea visus est verbo congruit, &c. non ergo necessariam rationem, sed maiorem congruentiam poscimus. Quid quod neque eorum obiectio vllius est ponderis?

Altera Scoti ratio.

Ad hue ex concessis.

61 Quæ enim paritas serui vnundati cum homine obligante se Deo? cum ille corpus obliget, & propterea in corpore signum gerat, homo animum Deo vouear, & proinde in animo signum gerat, & hinc vrgere Scoti rationem potes, quod obligans se Deo voluntatem illi voluntariè dicat, inque ea, à qua cæteræ actiones meritoriæ, vel demeritoriæ promanant, obligatio actiua, ac passiua constituta

Recentiorum oppositione infra.

ſtituta eſt; non ſic autem in ſeruo, qui etſi voluntariè ſe vendat, corporeum obſequium mancipat, non animum, neque operationes animi debentur Domino; proinde obligatio paſſiua eſt in corpore, & in corpore ſignum illius gerit; qui ſi mancipaſſet animum, & animus videri poſſet, forte in animo haberet obligationis ſignum, relationem ſaltem rationis. Quidquid ſit de hac re ſatis dubia, in qua per Concilia hoc ſolum certum eſt, quod character ſit in anima; an verò in anima immediatè, an in potentiis, prò libito philoſophari licet congruenter arguendo. Hoc etiam certum eſt, quod ſi Scoticæ rationes non multi fiunt ab Aduerſariis; minori ego faciam ipſorum argumenta.

Ratio prima Suarij

62 Hinc occurram Suarezio, qui in anima immediatè characterem collocat his argumentis. Primo; quando signum imprimitur alicui rei manifeſtans rem illam ad aliquod munus diſtinctam, & à cæteris diſtinctam, reponi debet in parte notioris & aptiori ad notificandum rem ipſam, ac diſtinctionem eius; ſed anima eſt notior, & aptior potentiis; ergo character, qui eſt signum, in anima ſitus eſt, non in potentiis.

Ratio ſecunda

Secundum: character non eſt principium alicuius actus intellectus, vel voluntatis pertinentis ad cultum Dei, vel vſum ſacramentorum ergo non eſt in intellectu, neque in voluntate. Antecedens ab eo fuſe probatur; ſed quia nos cum eo ſentimus arbitrati characterem non eſſe elicitiuum alicuius actus; ſed ſolum aliquo modo concurrere; vt actus à miniſtro manantes idonei ſint; vt *ſuperiori capite* dicebamus, omittuntur rationes eius.

Soluitur. 1.

63 Occurram, inquam, huic ſecundæ illam non militare aduerſus noſtram ſententiam conſtituentem characterem non eſſe qualitatem, aut principium elicitiuum alicuius actus, vt dictum eſt. Occurram

Diluitur ſecunda

ſecundo primæ dicendo; quod ſi quid argumentum probat, ad oppoſitum probat; quia cum noſtra cognitio oriatur à ſenſibus, ſeu à notioribus, & actus potentiarum notiores ſint actibus animæ ſecundum ſe, notiores videntur potentiæ, quam anima, ſed re verà argumentum eſt nullum; quia anima, & potentiæ non diſtinguuntur realiter, & in eſſe, quare neque in cognoſci; æque ergo poteſtas nota eſt, ac anima ipſa. Adde relationem signi non eſſe formaliter completiuam characteris, alioquin eſſet ens rationis.

64 Occurram Vaſquezio arguenti. Quod cum character non ſit principium alicuius actus, ſed tantum habitus diſponens animam, non ad operandum, ſed bene ſe habere, nullo modo in potētia, ſed in eſſentia animæ ſitus eſt, quia habitus, qui ſunt in potentiis, ſunt principia ſaltem diſpoſitiua operationum.

Argumentum Vaſquez refellitur.

65 Occurram, inquam, negando characterem eſſe habitum, cum ſit relatio vt dictum eſt ſupra. Adde quod ſi eſſet habitus, ne fruſtra poneretur, ſaltem remotiſſime diſponere poſſet, ſeu inclinare ad actus bonos, & religionis, & proinde ad eadem poteſtatem ſpectare deberet, cui propriè Religionis virtus ineſt, ſeu à qua actus religionis emanant, quæ eſt voluntas; ſuppoſito tanquam indice intellectu.

Alia petitio

Rationes pro ſententia conſtituente characterem in intellectu, vel in tota imagine Trinitatis ab aliis, & præcipue à Recentibus noſtræ ſcholæ aſseclis Scoticis videlicet diluuntur, vide Fabrum *diſp. 26. in quartum ſent. cap. 2. & 3.* Supereſset quartū caput de quęſito propter quid ipſius characteris, ſed quia hæc etiam difficultas ex decurſu primi, & ſecundi capitis exactè inducta eſt, non eſt cur diſputationem inani labore eadē repetendo optato fine priuemus.

Quomodo character ſit indelebilis

66 Poſtulant inſuper hoc loco Scholaſtici, an character ſit indelebilis? qua de re ſtatuit vtriuſq. toties citati Concilii decretum, ipſum eſſe ſignum in anima indelebile, non ita quidem, vt per abſolutā Dei poteſtatem tolli nequeat, quia cum hæc ad ea ſe ferat omnia, quæ contradictionem nullam inuoluunt, neque ullum ſit inconueniens hoc ſignum ab anima deleri poſſe, cum ſit relatio externa noua nulla nouitate inducta, abſque vlla etiam nouitate ab animo tolli poterit.

67 Dicitur autem indelebile ſignum de ordinaria poteſtate; quia ſcilicet ex inſtitutione diuina habet quod ſit indelebile, inſuper & in ordine ad creata agētia indelebile eſt, cum nullum habeat contrarium vincens, & cum formæ ſupernaturales non tollantur ab anima niſi per demeritum, cum nulla cauſa demeritoria eſſe queat ad deſtructionem characteris, propterea indelebilis dicitur. Et hæc ratio etiam conuincit characterem non eſſe delendum in patria, neque in inferno poſt hanc vitam; quia in vtroque termino nulla eſt eius deſtructionis cauſa demeritoria; ideo ſuapte natura manebit in beato quidem ad maiorem gloriam, in damnato ad maiorem confuſio-

fusionem, vt Scotus indicat *in 4. dist. 6. ante litterã M.* Si dicas ergo Christus, & Beata Virgo, quoniam nullo charactere insigniti fuerunt, hac maioritate gloriæ carebunt. Non desunt Recentes, qui Christum charactere etiam saltem Sacerdotali fateantur insignitum, quamuis non habuerit characterem baptismi, ex quo solo Ioannis baptismo baptizatus est. Hanc tamen sententiam Luysius Turianus *loco citato in superioribus peculiari quæsito*, non patitur abire incolumem à censura, Scotus etiam noster *loco citato* pro certo supponit nullum in Christo characterem fuisse, quia non baptizatus baptismo suo, non confirmatus confirmatione sacramentali, non Sacerdos sacerdotio, quod confertur per ordinem; quia non ordinatus. Vide ipsum *littera L.* vnde ad propositum dubium *littera M.*

Obsignatus non fuit Christus vllo charactere.

68 Respondet Scotus, quod habere characterem non dicit absolutam perfectionem, sed perfectionem supplentem imperfectionem; si igitur in aliquibus sit perfectio maior, quam sit ista supplens imperfectioné, hæc non est necessaria, in Christo ergo, in quo fuit summa gratia, summa est gloria absque istis creatis adminiculis; in Virgine ex plenitudine gratiæ consecutio deducitur plenitudinis gloriæ vltra beatos omnes, quare cum perfectione maiori polleat, quam sit ista de habitu characteris in anima, seu de relatione eius supplente imperfectionem, non est imputandum ad maiorem gloriam in vtroque characteris defectus.

Responsio Scoti.

69 Si dicas, non manet fides, neque spes, quæ tamen sunt perfectiones maiores. Respondeo, quod virtutes sunt ad actus eliciendos, non ad rememorandum, seu non sunt signa rememoratiua, sicuti character, neque per virtutes quis in determinato Ecclesiæ gradu constituitur, sicuti per sacramenta illa, quæ characterem imprimunt, Adde quod virtutes amittuntur in via etiam, multo magis igitur cessare possunt in patria, vel in inferno, quibus in locis nullus est eorum vsus.

De virtutibus & charactere ratio diuersa

70 Scio aliquos contendere è contra, neque virtute diuina characterem posse tolli, quia anima charactere obsignata assimilatur Ecclesiæ consecratæ, quæ semper remanet consecrata, nisi destruatur, & implicat non esse consecratam. Coniectura hæc tamen leuis est; nam consecratio in Ecclesia nihil dicit, nisi denominationem extrinsecam, neque vllus in ea character imprimitur; hæc autem denominatio iuxta voluntatem denominantium auferri potest. Vtique fieri non potest, quin aliquandò fuerit consecrata, quia ad præteritum non est potestas; sed quod sit semper consecrata nihil est, nisi extrinseca denominetio, Similiter, neque fieri potest, quin anima charactere obsignata fuerit obsignata; neque enim fieri potest, vt infectum sit non infectum, & factum sit non factum; sed quod factum maneat semper, hoc destrui potest: quod factum non semper maneat, hoc fieri potest.

Obiectio sit satis.

71 Demum dubitari solet, an character intendi possit, vel remitti? & Ratio dubitandi est; quia characterem perfici posse docet Scotus *d. 6. q. 9. in solutione primi principalis littera O.* Cõtra vero exclamant Scholastici omnes. Res tamen incerta est, & sub dubio loquitur Scotus, vnde ait *posset dici &c.* cum res ex Dei voluntate pendeat. Hoc tamen certum esse debet, minus debere de eius intensione dubitare ponentes characterem esse qualitatem, quam ponentes esse relationem quia certius est qualitatem, quam relationem intendi; immo hæc est qualitatis proprietas; quod suscipiat magis, & minus. In ordinatione, an diuersi imprimantur characteres iuxta diuersitatem susceptorum ordinum, an vero intendatur, ac perficiatur semper character idem, dicendum est Deo dante suo loco; interim vno verbo habe ex Scoto *d. 24. 4. sent q. vnica in solutione secundi* in singulis ordinibus singulos characteres imprimi, & inde educ, Scotum non affirmando, sed dubitandò *d. 6. q. 9.* dixisse perfici posse characteres; alioquin non essent multiplicandi in ordinibus characteres; si posset vnus, idemque character perfici, seu intendi, vel remitti. *Hactenus de charactere prout est sacramentorum nouæ legis effectus.*

An character possit intendi, vel remitti.

72 Sed quid de sacramentis veteris legis? numquid illa characterem impresserũt? Absolutè omnes negant, ex eo, vt puta rim fundamento, quod omnia in veteri lege sacramenta nuncupata à ratione veri sacramenti resiliant. Contra vero Scotus *d. 6. q. 9. in solutione primi* concedit impressum fuisse characterem per Circumcisionem, quæ fuit verum sacramentum scriptæ legis, ex eo fundamento, quod circumcisio ita in antiqua lege erat ianua salutis, sicuti baptismus in noua lege; quare sicut baptismus characterem imprimit, ita dici potest impres-

An sacramenta veteris legis characterem impresserint

An Circumcisus debuerit baptizari.

sum fuisse characterem per circumcisionem. Quod si instes, ergo circumcisus non debuisset baptizari, quia iam habuisset characterem circumcisionis in anima eiusdem rationis. Respondet Scotus triplici responsione, vt patet *in textu*, quarum secunda melior est, & conformis doctrinæ eius *d. 24. supra citata*, scilicet, quod baptismus etiam suum characterem impressisset, nec enim verum est, quod duæ formæ eiusdem rationis nequeant esse in eodem subiecto; quia in Christo sunt duæ filiationes, vt patet *in 3. sent. d.* 8.

Vindicatur Scotus à Recentiorũ conturatione.

73 Contendunt Recentes Scoti sententiam à Scholis eliminare, quasi singularem; sed inani labore, cum sit licitum Doctori Classico singulariter sentire, vbi ratio sententiæ suppetit, alioquin idem omnibus dicendum esset, & sic scholastica rueret Theologica.

Aiunt futuratorũ fuisse characterẽ circumcisionis, quia non deputati sunt homines ad certum Dei cultum per circumcisionem. Respondeo, hoc falsissimum esse; quia in lege eadem scripta diuinus cultus à Deo decretus fuit, vt patet in libro Leuitici. Aiunt ex Sancto Ioanne Crisost. *homil. 2. in Ephesios* haberi *Israelitas per Circumcisionem fuisse obsignatos, vt Pecudes*, Non eo inficias, quia Circumcisio fuit etiam signum in corpore; sed non obinde negatur fuisse signum in anima.

Obiectum Lugo

74 Aies ex Lugo *disp. 6. sect. 1. numero 10*, per circumcisionem nullum factum fuisse ex familia Christi, nec eius militem, vel ministrum neque obinde opus fuisse aliquem designari charactere Christi. Occurro, sat esse fuisse circumcisos effectos de familia dilecti Deo populi *Hæbrei*, illiusque milites, ac ministros, quia Christus nondum aduenerat.

Nullum

75 Aies ex Becano *cap. 4. de sacramentis in communi quæst. 1.* Circumcisionem nõ fuisse institutam ad conferendum effectum spiritualem ex opere operato, sed legalem tantum. Respondeo id fuisse Becano probandum, quod pro principio sumpsit: etenim circumcisio, vt probatum est, gratiam ex opere operato conferebat.

Obiectio Becani

Principiũ petit

76 Egregiè autem adnotauit in hac re Gabriel Biel. *d. 6. q. 2.* inter vtramque allatam sententiam nihil certi posse decerni; quia quæ ex diuina pendent voluntate, non possunt sciri certò, nisi reuelatione media, quæ pro vtraque parte desideratur in hac petitione: suppetit tamen pro Scoti opinione congruentia, quam tulimus, vnde satis probabiliter queat sustineri, & hic toti tractationi de sacramentis in genere coronidem appingere; quoniam si quæ de suscipientibus sacramenta dicenda essent, distinctiori methodo in singulis singulorum sacramentorum disputationibus, ac tractatibus exigenda forent, nisi nonnihil de numero, & ordine eorum dicenda essent.

Gabrielis monitum

DE NVMERO, ET ORDINE SACRAMENTORVM NOVÆ LEGIS.



DISPVT. VII.

DE NVMERO.



CAPVT I.

1 Ppositè numerum sacramentorum nouæ legis exposcimus; quia cum ex decursu *disp.* 1. huius operis lex naturalis vnico sacramento donata fuerit, deque lege Moysis, eiusque sacramentorum serie nonnisi peculiari capite disceptatum fuerit: solum hoc supererat de nouæ legis Euangelicæ statu disquirendum, & petitio quidem, vt vides, sub ipsorum sacramentorum existentia, ac necessitate ventilanda erat, nisi in hunc locum disputationes subsequentes de sacramentis in specie repulissent, nec insano consilio, quia numerum, & partitionem ipsorum genericam præpositam immediata partitarum specierum tractatio insequi debebat.

2 Titulus cuipiam videri poterit ineptus; cum hic in genere, in sequentibus de sacramentorum speciebus scripturi insulsè numerum, qui ad indiuidua spectare videtur, postulare hic videamur non idem tamen de nobis iudicium feret, qui nouerit non hic numerum indiuidualem logicum, vel Methaphisicum spectari; sed Mathematicum potius, quem & in generibus, ac ipsis reperiri speciebus nemo ibit inficias, qui quot sint rerum genera, quot species inuestigantes non ineptè postulare se cognouerint.

Tituli expositio

3 Hoc supposito: fide constitutum est septeno numero sacramentorum nouæ legis species esse reclusas. Ita loquitur Florentinum Concilium *in decreto pro Armenis*, ita decernit Tridentinum *sess. 7, de sacramentis in genere*. Ita Patres, & Scolastici passim: ita communis Ecclesiæ traditio, quam veritatem etsi explicitè nequimus ex scripturis elicere, certe nec illius oppositum ex ijs educimus, quidquid mendaces in oppositum oblatrent *Hæretici*. Ratio asserti potissima ex Deo instituente petenda, cuius arcana ignorantes rationem à priori nescire nos confitentes aliquid nos scire profitebimur.

Statuitur numerus septenarius sacramentorum

4 Non desunt tamen septenarij huius numeri sacramentorum instituendorum rationes probabiles. Prima erit ex virtutum respondentia, ac vicissitudine; sunt illæ enim hoc numero septeno exposita, quarum tres Theologicæ quatuor Cardinales, hoc est, principales appellantur; illæ fides, spes, charitas, hæ autem prudentia, fortitudo, iustitia, temperantia. En autem respondentia sacramentorum virtutibus; Baptismus quippe fidei, cuius est largitor; Confirmatio spei quam roborat. Eucharistia charitati quam fouet; Pœnitentia iustitiæ, cuius est actus; vocatur enim illa à Scoto sacramentum iudiciale, extrema vnctio fortitudini, quam in laborantibus extremè auget, sicut ad bellandum singulari certamine vnguntur atletæ; ordo prudentiæ, quam inculcat in regendis, augendisque Christo populis, ac fidelibus; Matrimonium denique temperantiæ; quippe quod inter cæteros fines repressionem fomitis concupiscentiæ cognoscit. Hanc congruentiam licet non sub his forma, & verbis profitentur Thomistæ post Sanctum Thomam 3. *p. & lib. 4. cont. gentes.*

Ratio prima

5 Alia probabilior ratio ex ipsa numeri septenarij celebritate duci potest, cũ enim Euangelica lex cæteras antecellat, æquũ etiam fuisse dicendum est, vt perfectissimo sacramentorum donaretur numero; porrò numeri huius celebritatem, ne in auctoritatẽ feramus *Arithmeticos* solũ, videre quis poterit apud scripturas, in quibus *4. Regum cap. 4.* septies iuxta prophetæ monitũ in Iordane lotus est Nahaman Sirus, vt à lepra mũdaretur *exodi 19. numero pariter 19. Le-*

Alia ratio

Auctor in Concionibus suis impressis.

tit.4.& Deuteronomij 15. septem animalia ad expiationem, septem sanguinis aspersiones expetebantur: porrò de hac numeri huius septenarii celebritate vltra Macrobium in somnio Scipionis, & suis Saturnalibus, vide, quæ scripsimus nos *in nostra Enneade sacra sermone primo*, qui inter Aduentus Conciones impressas circumfertur; vbi etiam consonantiam huius sacramentorum numeri ad septenas Maiores antiphonas elicies.

Tertia congruentia.

6 Tertia congruentia, & prælatio præstantior ex ipsis sacramentorum effectibus vrgetur. Instituta sunt vtique sacramenta hæc in remedium, ac medelam non minus sequelarum ad culpam, quam culpæ ipsius; at culpa alia originalis, alia actualis, & hæc vel læthalis, vel venialis, sequela autem peccati pœna est, & hæc quatruplex, nimirum pronitas ad malum, infirmitas, ignorantia, concupiscentia; pronitas siquidem est in voluntate sita, infirmitas in irascibili, ignorantia in rationali, concupiscentia in concupiscibili, en autem sacramentorum respondentia. Curat Baptismus originale. Pœnitentia læthale. Vnctio extrema veniale peccatum. Medela ignorantiæ Ordo, pronitatis ad malum Eucharistiæ boni nutrix, infirmitatis Confirmatio, concupiscentiæ Matrimonium.

S. Thomas.

Bassolij nostri congruentia.

7 Hanc etiam congruentiam vrget Sanctus Thomas *locis citatis*, & ex Nostratibus Bassolus *in 4.d.1.q.3 art.3.* qui aliam etiam suggerit coniecturam ex ipsis sacramentorum effectibus. Sunt enim effectus sacramentorum largitiones gratiarum; harum autem actus triplex est; primus est purgatio, secundus illuminatio, tertius perfectio: sed actus purgationis est triplex, sicut triplex est peccatum originale scilicet, lethale, & malæ concupiscentiæ, actus illuminationis duplex alter in via per gratiam, alter in patria per gloriam; actus perfectionis duplex alter ad resistendum malo terribili, alter ad perficiendum in bono amabili. Ad purgationem originalis institutus est Baptismus ad lethalis purgationem Pœnitentia; ad malæ concupiscentiæ purgationē Matrimonium. Ad illuminandum in via Ordo; ad illuminandum in exitu prope patriam Extrema vnctio. Ad perficiendum resistendo malo Cōfirmatio, ad perficiendum in bono Eucharistia.

Primò, ac secundò non 8 malis ponderis.

8 Paritio tamen, vt vides deficit, quia peccatum concupiscentiæ non est quid diuersum à lethali: similiter & prima; quia non sola Extrema Vnctio venialia delet.

Melior ratio ex Bassolo & Rada.

9 Potissima congruentiæ ratio vrgens à Scoto nostro *in 4. disp.2.q. 1. littera B.* quam in hunc modum nos prosequi, ac declarare possumus; quam etiam ipse Baudus pulchram vocat, & sequitur Maironus *d.2.q.1. sub initio*, & Recentes cum Rada *4.p.contr.1.art.1.* Ars imitatur naturam communi asserto philosophico, & sicut se habent media ad vitam naturalem, ita media spiritualia ad spiritualem, & rursum sicut humana politia, ita & spiritualis regitur; at in natura seruatur hic ordo, similiter in humana politia, & vita naturali, vt prima sit generatio. Secunda corroboratio. Tertia nutritio. Quarta sanctitatis perditæ recuperatio. Quinta præparatio, & cōtra morbi reliquias medicatio. Sexta carnalis multiplicatio. Septima spiritualis multiplicatio, quorum omnium hæc est series, vt quinque priora spectent ad bonum singularis personæ, duo reliqua ad bonum vniuersitatis, nisi enim detur corporea propagatio deficiat vniuersitas necessum est, nisi spiritualis multiplicatio deficiet fides Religionis in vniuersitate, ergo similis erit in vita spirituali, in politia, & arte spirituali incessus, vt prior sit regeneratio in Baptismo, deinde roboratio in Confirmatione, nutritio in Eucharistia, sanitatis recuperatio in Pœnitentia, præparatio ad aliam vitam, & reliquiarum morbi curatio in Extrema vnctione, Corporalis multiplicatio in Matrimonio, spiritualis in Ordine, quæ duo extrema sacramenta ad bonum vniuersitatis, reliqua ad bonum singularis personæ reuocantur. Ecce igitur quam bellè septeno hoc numero sint sacramentorum nostræ legis species inclusæ.

Errores Lutheri Kemnitij & Caluini.

10 Veritatem propositam duo oppositi dicendi modi vexare videntur, alter constituens pauciora sacramenta, quam septem, alter, qui plura. Primum modum inuexere Nouatores, hinc Lutherani solum baptismum agnoscunt sacramentum cum Magistro eorū Luthero *lib. de c. babilonica in principio* Kemnitiani addunt Eucharistiam. Zuingliani Cænam, Matrimonium, & Baptismum. Caluinistæ addunt Ordinationem, & alij aliter loquuntur tam à se ipsis diuersi, vt si contra fidem perperam sentientes hæresim suscitarunt, contra seipsos scisma induxerint.

Alter error.

11 Secundus modus elicitur ex diuersis Sanctorum Patrum dictis, præsertim Augustini *lib. 4. de Symbolo* vbi exorcismos;

nos, & in insufflationes sacramenta vocat & *lib. 19. contra Faustum cap. 14.* ad numerātis inter sacramenta crucis signum; & aliorum putantium sacramentum Eucharistiæ esse duplex, alterum vini, alterum panis sub specie; & sacramenta Ordinis tot esse, quod ordines: & aliorum addentium cum Alexandro Papa aquā benedictam.

Coloratæ rationes Hæreticorum.

12 Habet & primus modus ex Sanctorum, & scripturarum dictis colorem: Primum ex scriptura, quæ nullibi septem statuit sacramenta; & rursum, quia scriptura ad summum duo statuit sacramenta, Eucharistiam scilicet, & Baptismum. *Ioannis 19. vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua &c.* vbi per aquam Baptismum, per sanguinem Eucharistiam intelligunt Patres.

13 Secundum ex Patribus, qui ante Augustinum solum duo illa sacramenta agnouerunt, vt patet apud Iustinum Martyrem *in apologia pro Christianis*, Tertullianum *lib 1 cōtra Marcionem* Cyrillum *in Cathechesibus* Ambrosium *in libro de sacramentis*.

Diluuntur coniecturæ pro secundo modo.

14 Leuia tamen tam sunt hæc omnia, vt solutionē respuant; hinc vno, vel altero verbo eneruabuntur, & quæ pro secundo modo lata sunt refelluntur distinctione proposita de sacramentis propriè, vel impropriè sumptis; hinc Crucis signum, & aqua lustralis sacramenta dicuntur impropriè, quo etiam modo nonnulli Patres appellarunt sacramentum lotionem pedum à Christo actam in discipulos nocte cœnæ, quæ tamen mysterium fuit humilitatis, non sacramentum; aqua autem lustralis, & Crucis signa sacramentalia dicenda sunt verius; quam sacramenta etiam lato modo sumpta. Insufflationes quoque, & exorcismi latè sacramenta vocentur; nisi mauis dicere Exorcismos sacramenta vocari, causam pro effectu sumendo; sunt enim effectus Ordinationis in Exorcistatus ordinem.

15 Ad obiectum de sacramento sub specie panis, & vini plura dicenda sunt suo loco, interim vide Scotum *in 4. d. 8. q. 1. littera B. & C.* statuentem sacramentum Eucharistiæ esse vnum non vnitate indiuisibilitatis, sed integritatis. Similiter de Ordine vide Scotum *in eodem 4. d. 24. q. vnica art. 3. & 4.* vbi statut Ordinem propriè sumptum non esse sacramentum sed Ordinationem, post cuius dicta sacrum Cōcilium Tridentinum de Ordine loquens anathema dicit negantibus Ordinē, seu Ordinationem sacram non esse verum sacramentum, & rursum statuit vnitate generis propinqui ordinis sacramentum esse vnum.

16 Ad obiecta Hæreticorum, primum ruit, quia argumentum ab auctoritate negatiua nullum est; vnde arguendo; scriptura nō recenset hæc septem sacramēta, ergo non sunt septem, conclusio falsa; sed nec verum est, quod additur ex Christi latere duo tantum fluxisse sacramenta alibi namque explicitum est, quid Patres senserint circa interpretationem verborum Ioann. 19.

Hæreticorum luduntur obiecta.

17. Secundum floccisit eodem modo, quia Patres illi meminerunt solum duorum illorum sacramentorum; quia ita loci, & argumētationis Aduersariorum ferebat occasio; cæterum memorantes duo illa tantum, non obinde alia negauerunt. Vide Recentes post Bellarminum, Becanum, & alios contra Hæreticos disceptantes.




DE ORDINE HORUM *sacramentorum.*



CAP. II.



Numerus sacramentorum. Ex Scoto, & Concilijs

18 SVperest vt nõnihil de ordine inter hæc sacramenta loquamur, & quidē Scotus *d.2.q.1. littera C.* ita sacramenta recenset, vt præsit Baptismus, sequatur Eucharistia, hinc Confirmatio, Pænitentia, Extrema vnctio, Matrimonium, & Ordo. Concilium tamen Tridentinum *sess. 7. de sacramentis in genere cap 1.* & Florentinum in decreto Eugenii hoc ordine sacramenta enumerarunt. Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pænitentia, Extrema Vnctio, Ordo, Matrimonium.

Non pugnant, quia Ordo multiplex

19 Neque tamen dicenda sunt hæc Concilia Scoti ordinem confutasse; quia ordo est multiplex, & vt ad rem nostram facit: alius est ordo enumerationis; alius est ordo respondentiæ vitæ spiritualis ad vitam naturalem, respondentiæ artis ad naturam, respondentiæ politiç Christianæ ad humanam: porrò Concilia dicenda sunt sequuta fuisse ordinem enumerationis, Scotus autem noster sequutus dicetur ordinem triplicis præfatæ respondentiæ.

Ordo necessitatis

20 His adde ordinem necessitatis, secundũ quem ita enumeranda sunt sacramenta, vt primum locum obtineat Baptismus, quia est singulariter ad salutem necessarius tam necessitate medii, quam præcepti, subsequatur Pænitentia, quæ est secunda tabula post lapsum æquè necessaria, ac Baptismus; hinc Eucharistia, quam necessariam saltem ex præcepto nemo iuit inficias; postmodũ Confirmatio, & Extrema vnctio, & hæc quoad singulares personas; Vniuersitati autem tam est necessarius Ordo, quam Matrimonium, hoc ad Vitam corporalem, is ad spiritum.

Ordo excellentiæ

21 Adde his ordinem excellentiæ, & nobilitatis, secundum quem, licet vnum sacramentum alii præstet iuxta diuersam exigentiam, quia Baptismus quoad effectum dimittendi peccata, & pænas excellit omnibus. Eucharistia ratione præsentiæ Christi excellit omnibus. Confirmatio, & Ordo saltem ratione ministri excellit aliis. Extrema Vnctio plerisque excellit, quia tollit peccatorum reliquias. Pænitentia aliis, dempto baptismo, in effectu excellit. Matrimonium præest aliis ubus ob significatam coniunctionem Christi cum Ecclesia: simpliciter tamen loquendo Eucharistia præest omnibus, tũ ob Christi existentiam, ac præsentiam realem, tum quia ad ipsam ordinantur ferè sacramenta alia, vt arguit Sanctus Thomas, quamuis enim dubitatio vrgeri posset de Vnctione extrema, quæ cum sit vltimum sacramentum, quod confertur tantum iis, qui in extremo vitæ agone luctantur; attamen à propugnatoribus istius sententiæ cum Caietano diceretur, quod & ipsa Vnctio Extrema quodammodo, dici potest ad sacramentum Eucharistiæ ordinari; quatenus reliquias aufert peccatorum; & ita animum disponit, vt post illam animus ipse censeatur perfectè ad Eucharistiam dispositus. Sed hæc viderint illi: tum denique, quia hoc sacramentum nunquam caret suo signato, sicut cætera, quç propter indispositionem suscipientium quandoque effectum signatum non habent, & rursum, quia hoc sacramentum realiter continet; quod significat, alia non: & rursum quia alia significant gratiam inhærentem, hoc vero subsistentem: & rursum; quia cætera sunt in fieri, hoc in facto esse; vnde iuxta hunc ordinem enumeratio accipienda esset ab Eucharistia.

Quomodo Eucharistia cæteris præstet

Obiectum

22 Vigeri adhuc dubium contra præfatum ordinem posset; quia ex Moralibus communitatis bonum perfectius censetur ac diuinius, quam bonum singularis personæ, quam ob causam videbitur primo loco ponendum sacramentum Matrimonii, quod etiam prius aliis in ipso voluptatis Paradiso inter Euam, & Adam institutũ est; quia hoc ad propagãdũ humanũ genus institutũ nemo negare potest, post quod insequi deberet Ordo Vniuersitati fidelium necessarius.

Eiusque dilutio

23 Occurrendum tamen, quod etsi vniuersitatis bonum maius sit extensiuè, ac etiam in perfectione; quia tamen prius generatione est bonum singularis personæ; quoniam prior est homo, quam familia, prior familia; quam domus, vel Ciuitas; vnde ortum traxit Philosophicum pronunciatum, *quæ sunt vltima generatione sunt priora perfectione, & è conuerso.* Hinc optimo factum iure, vt prius ponantur sacramenta ordinata ad bonum singularis personæ, quam ordinata


nata ad bonum vniuersitatis, & inter sacramenta ordinata ad bonum personæ singularis iure prior sit baptismus, quia est sacramentum intrantium, vltima Vnctio Extrema; quia est sacramentum exeuntium, progredientium verò Confirmatio, Eucharistia, & pænitentia, inter quæ prior Confirmatio, quia est ad robur gratiæ, secunda Eucharistia, quæ est ad auctionem gratiæ, tertia pænitentia, quæ est ad recuperationem gratiæ deperditæ. Inter sacramenta demum Vniuersitatis antecedit Ordo Matrimonium, quia hoc illo mediante ministratur.

At nos ordinem enumerationis Conciliorum, respondentiæ Scoticæ, & necessitatis inspectantes à baptismo disputationes nostras de sacramentis in specie Deo dante auspicabimur, illi interim Laus, & gloria, qui dedit nos in disputationibus de sacramentis in genere optato fine potiri. Amen.

FINIS DISPVTATIONVM
DE SACRAMENTIS IN GENERE.




TRACTATVS DE SACRAMENTO BAPTISMATIS





XACTAM de Sacramentis in genere tractationē disceptationes de sacramentis specificè sumptis ordine doctrinæ proposito insequuntur; quoniam autem Baptismi sacramentum, quod est salutis Ianua, & Sanctæ Religionis fundamentum *Auctore* Cypriano Martire, principem sibi, sin minus nobilitatis, ac præstantiæ, loco cedens sacramentum corporis, ac sanguinis Domini, saltem necessitate obtinet locum; ab ipso baptismate disputationes sacramentorum specificas auspicabimur. Rursus autem, quoniam Baptismi Christi intellectum doctrinæ iuuat Ioannis Baptistæ lauacri cognitio; futurum est enim, vt eius quandoque in tota hac tractatione meminisse sit opus, ideo, quæ de eo vel sparsim à Scholasticis nulli magistro addictis, vel à Scoto, ac asseclis *in 4.d.2.q. 2.* & à Diuo Thoma, & Thomistis *3 p. q. 38. per totam* feruntur in hanc vniuersæ tractationis frontem redigendum duximus.

DISPVTATIO I.

DE BAPTISMO IOANNIS

eiusque in ordine.



AN IOANNIS BAPTISMVS

fuerit ad salutem necessarius.

CAPVT I.

EXistentiam propositi lauacri discutiendam omittimus; quippequi ex Ioannis Euangelio passim operis actum elicimus; necnon & ex cæteris Euangelistis, ad eam vero de more necessitatem illius deducimus, deinde ad quidditatem, effectum, & effectrices eius causas descensuri. Propositum interea caput supposita distinctione, cuius alias meminimus, facilè enodatur; necessitas siquidem ad salutem duplex, altera medii, altera præcepti, & hanc dixerim ortam ex voluntate præcipientis Dei, qui simpliciter gloriam, vel gratiam sine tali lauacro, vel medio se non daturum decreuerit, illam vero ortam ex ipsa secundum se operis necessitate, sine quo nequit haberi gratia, vel gloria. Rursum vero constituendum procerto hoc loco, ac deinceps in vniuerso opere, dum necessitatem inquirimus non absolutam necessitatem inuestigare; quoniam si de Dei absoluta potestate loquamur, tam impium est asserere aliquod creatū opus esse necessarium ad gloriam percipiendam, quam impium credere, Deum potestatem suā caducis hisce signis alligasse. Et quidem non defuerunt in proposita difficultate, qui sentirent Baptismum Ioannis fuisse ad salutem necessarium, ex

Necessitas medii, & præcepti.

Necessitas absoluta, & secundum quid,

Cenl. di Sacram. Baptismi.

Y quo

quo *Matth.* 3. Renuenti Ioanni baptizare Christum occurrit Christus (*sine*) inquiens) *oportet nos implere omnem iustitiam*, quem locum explanans Euthemius sensit peculiare quoddam à Deo manasse præceptum de suscipiendo Ioannis baptismate. Theophilatus autem Bulgarorum Antistes, & Hieronymus iustitiæ nomen in præallegata *Matth.* 3. auctoritate vel de iustitia naturali, & legali, vel saltem de legali iustitia interpretantur; ita vt per ipsos necessarium videri possit baptisma Ioannis quoquo modo necessitate medij, quod Euthemius arbitrabatur necessarium necessitate præcepti.

Euthimius
Theophil.
Hieronym.

2 Contra Recentes nullam suscipiendi Ioannis baptismatis necessitaté agnoscunt, atque in hunc precipuè modum loquitur Vasquez *3.p.d.140. numero* 43. qui allatam *Matth.* 3. auctoritatem interpretatur ita, vt pronomé illud *nos* nô intellexerit Christus homines singulos, sed nec seipsum, & Ioannem simul, & sed seipsum dumtaxat, quem Ioannes impedire volebat, ne baptizaretur; est enim magnatorum hominum loquendi genus, vt seipsos plurali numero designent, designantes in vnitate personæ connexionem numeri, ac dignitatis.

Interpretatio Vasquez

3 Ego hac in re dicendum arbitror nulla vtiquè lege communi præceptum à Deo Ioannis Baptismum, non enim noua lege, quia nondum à Christo lex data erat, cum baptizaret Ioannes; immò manifestationis Christi per prędicationé initium subsecutum fuisse baptizationé eiusdem Christi in Iordane, liquido constat *Matth.* 4. sed nec veteri lege naturali; alioquin omnes æque homines baptizari eo baptismo coacti naturali lege fuissent, sed nec lege scripta, non est enim facile apponenda obligatio si non cőstat de præcepto, atqui lege per Moysen tradita nulla fit huius lauacri memoria: quare nulla lege communi præceptum fuisse videtur Ioannis baptisma; non ausim tamen negare nullum ad illud vel dandum, vel recipiendum interuenisse præceptum.

Auctoris opinio

4 Arbitror igitur in primis Ioanni ad baptizandum datum à Deo præceptum. Colligitur hæc assertio ex variis Euangelistarum testimoniis *Matt. loco præallegato: sine modo sic.n. decet nos implere omnem iustitiam* quibus verbis, & se ipsum, & Ioannem per pronomen illud *nos* expressit; alioquin ad interrogata Ioannis non respondisset, dixerat enim Ioannes *ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me*; innuens se teneri baptizari baptismo Christi, Christum autem non teneri baptizari baptismo suo, & propterea & sui, & Christi meminit. Christus autem ad rogata respondens, *decet*, inquit, *nos implere &c.* quasi diceret, *& te decet baptizare, & me baptizari vsque modo*; interpretationem autem Vasquezij rideo circa pronomen illud, *nos*, humilitatis enim magister Christus non hoc tribuit ostentationis exemplum, vt se plurali Neutericorum more describeret numero, qui semper singulari est vsus, vt patet in Euangelijs. Rursum *Lucæ* 3 *factum dicitur verbum Domini super Ioannem*; & proinde secessisse ad baptizandum in deserta loca; hoc autem loquendi genus idem est, ac si diceret diuino præcepto Ioannem ad baptizandű accessisse, qui & propterea Baptistæ nomen consequutus est.

Præceptum Ioanni datum ad baptizãdũ

Luditur expositio Vasquezij

5 Demum *Ioan.* 1. ipsemet Ioannes à Deo se missum confitetur ad baptizandum dicens. *Qui me misit baptizare in aqua &c.* quem paucis supra verbis Euãgelista à Deo missum innuerat. *Fuit homo missus à Deo &c.* Hisce igitur coniecturis adducor, vt poté vocatű à Deo Ioãnem è latebris Iudeæ, vt per baptismum suum ad Christi baptismum homines prapararet, quod & ipse Ioannes expressit *Ioann.* 1. *sed vt manifestetur in Israel, propterea ego veni in aqua baptizans*, cum ergo præcursores quæ agenda sunt eis singula habeãt in mandatis, & in mandatis à Deo Christi præcursorem baptismum suum habuisse dicemus.

Dicta probantur.

6 Arbitror secundo etiam ad baptismű Ioannis recipiendum præceptum à Deo per Ioannem datum; non quidem omnibus, sed Iudeis; sed nec Iudeis singulis, sed adultis dumtaxat: & quidem, quod adultis solum liquet, nam si baptismus ille dabatur in pœnitentiam, & recipientes singuli confitebantur peccata sua, vt referunt Euangelistæ. Marcus præcipuè in vestibulo sui Euangelij bis verbis. *Et egrediebantur ad eum Hierosolomita vniuersi, & baptizabantur ab illo in Iordanis Flumine confitentes peccata sua &c.* cum paruuli peccato nulli essent obnoxij; originale per circumcisionem deleto, neque vlla indigerent pœnitentia, neque lauati Ioannis baptismate dicendi sunt.

Datum Iudæis adultis præceptum de recipiendo baptismate Ioannis

7 Rursum, quod nec omnibus hominibus necessarium fuerit baptisma Ioannis ex præcepto patet; quia non gentibus ipse enim Ioannes *loco citato supra* se venisse ad baptizandum vt manifestaret

Chri-

Christum Israeli; quare Israelitis tantum præcipiebatur lauacri illius susceptio?

8 Demum, quod Israelitæ ex præcepto tenerentur adire baptismum Ioannis; suadetur primo, nam si ex solo consilio, qui factum putes vt gens Hæbrea duræ ceruicis, que vix ad seruanda mandata allici poterat, vnico allato à Ioanne consilio tota ad baptismi susceptioně rueret? porrò omnes ad eum conuenisse, vt baptizarentur, Marcus non obscurè *cap. 1.* tradidit, & clarius Lucas *cap. 3. Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus &c.* Nec valet, si dixeris hyperbolice locutos Euangelistas, quia paucos baptizasse Ioăně, siue pauciores, quă Christus, patet Ioannis 4. *Audierunt Pharisei quod Iesus plures discipulos facit, & baptizat quam Ioannes,* & tamen Christus non omnem populum baptizauit, non valet (inquam) nam etsi & ego cősentio non singulos fuisse à Ioanne baptizatos, quia non Pharisæorum capita præcipua, vt patet *Lucæ 7.* attamen vniuersalitatis vocabulo vniuersam ferè Hebræorum multitudinem intelligendă esse, nemo vereri debet; nec locus Ioan. 4. officit, nam ibi loquitur de tempore, ex quo Christus baptizare cæpit, quo certè Ioannis baptismus refriguerat, vt ita dicam; & plures vtique ad Christum, quam ad Ioannem accedebant; sed antequam Christus suum institueret baptismum, vniuersas ferè Hebræorum gětes ad recipiendum Ioannis baptisma fluxisse clarè indicant Euangelistæ. Qui ergo fluxerunt, nisi aliquo præcepti vinculo adstricti?

Baptismum hunc non fuisse solum de consilio probatur.

9 Præterea Ioannes ipsemet Phariseos quosdam, ac Sadduceos venientes ad suum baptismum *Matt. 3.* in hunc modum allocutus est. *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Quibus verbis non dubiè expressit venturam Dei iram super eos, qui baptisma suum non reciperent; at quomodo venturam? An quia per baptisma illud gratia conferebatur? Minimè quidem, vt infra dicendum est; sed ob spretum de eo accipiendo præceptum.

Alia probatio.

Insuper Christus Dominus *Lucæ 7.* grauiter obiurgasse Phariseos, ac legisperitos non baptizatos Ioannis baptismo & Dei de eo consilium spernentes legitur.

10 Demum *Matt. 3.* dum Christus opus esse dixit impleri omnem iustitiam, vt egregiè sensit Euthimius, patenter ostendit, aliquod de illo suscipiendo baptismate intercessisse preceptum, cui etsi non esset Christus ipse legislator subditus; subiici tamen ex humilitate voluit, sicut se cæteris subiecit præceptis legis, ne ansam tribueret loquaci Hebræorum genti contra ipsum susurrandi; & hæc est iustitia impleta, vt indicat Augustinus *serm. 2. Dom. inf. oct. Epiph* qui est sermo 37. *in ordine de tempore* his verbis *sic decet nos implere omnem iustitiam, idest propositum susceptæ humilitatis implendum est, &c.*

Confirmatio.

11 Et confirmatur; nam si Ioanni præceptum latum est de ferendo, & aliis de suscipiendo baptismate latum fuisse dicendum est, sic enim loquitur Christus *oportet nos implere, &c.* tam scilicet dantem, quam suscipientem; at dantem ex præcepto, vt supra innuimus; ergo & suscipientes ex præcepto. Ex his elice capitis vniuersi solutionem, baptismum quidě Ioannis non fuisse sua vi ad salutě necessarium; quia nullam ex sua vi ferebat gratiam: quatenus autem pænitentiam admixtam habuit, & præceptum, ob non seruatum præceptum, ob spretam pænitentiam in iram Dei negligentes illum incidisse.

Vltimo probatur.

DE MATERIA, AC FORMA

Baptismi Ioannis.



CAPVT II.



13 FRustratoria cuipiam videri poterit capitis huius disquisitio: ex quo Ioannis baptismus nullam veri sacramenti naturam induit; non enim sacramenti nouæ legis; quorum numerus septenarius solum à fide sancitur; quæ inter locum non habet baptismus Ioannis; neque veteris scriptæ, vel naturalis legis; quo tempore nec ille baptismus in vsu fuit; nec aliud sacramentum agnouimus in superioribus dempta Circumcisione, & sacramento legis, cuius adhuc nomen latet.

Ioannis baptismus sacramētum verè non fuit

14 Insuper, quia sacramentum propriè, ac vere sumptum suapte natura gratiam conferre debet, atqui Ioannis Lauacrum gratiam non conferebat ex vi sua; quare sacramentum verè non fuit; Maiorem *tract. de sacramentis in genere* abunde fuimus prosequuti: Minorem ipsemet Ioann. expressit dum *Matth 7.* se baptizare ait in aqua, sed Christum baptizare in Spiritu Sancto, quod est dictu per suum baptismum non daturum gratiam, sed Christi baptismate Spiritum sanctum, & gratiam dandam, & *Augustinus* minorem illam sexcentis in locis tradidit præcipuè vero *lib. 5. de baptismo contra donatistas cap. 10. & serm. 2. in Dom. inf. oct. epiph superiori capite citato.*

Sed. solum l:o modo contra Fabrum.

15 Non ausim tamē negare baptismum illum quoquomodo saltem impropriè sacramentum dici potuisse, prout quælibet sacra ceremonia, ac ritus sacramentum dici large potest, sicut etiam & sacramentalia quæcunque nuncupari solent sacramenta, quod optimè aduertit S. Bonauentura *in 4 d. 2.* post Magistrum, ac S. Thomas licet *in 3 p.* sententiam videatur retractasse, nec Scotus de hac acceptione sacramenti impropriè meminit dum *d. 2. q. 2. 4. sent.* rationem sacramenti veri à baptismo Ioannis excludit, quidquid Faber asserat *disp. 6.* docens Scotum clarè supponere baptismum Ioannis non fuisse sacramentum impropriè; cum tamen vi litteram Doctoris intuenti patet ne verbum quidē hac re Scotus *ibi*.

15 His igitur decursis superflua, vti diximus, capitis huius disquisitio censeri poterit, cum sacramenta vera consientur ex materia, & forma, nihilo tamen minus non irritum esse patet consideranti: & sacramentalia quædam saltem impropriè formam, ac materiam, siue vt verius loquar, res & verba habent, vt aspersio aquæ lustralis, quæ & per aquam, & per verba fit in ecclesia, & consecrationes calicis, & vasorum in ministerium altaris; non ergo solis sacramentis res, & verba, tanquam forma, & materia insunt: esto igitur Baptismus Ioannis sacramentum nec fuerit, nec aliquid sacramenti, adhuc non implicat potuisse per aliqua verba, quæ materiam ablutionis contraherent, dari; & proinde materiam, ac formam pacisci; quia in hoc sensu de forma, ac materia sacramentorum loquimur.

Sacramentalia multa habent materiam & formam

16 In hoc ergo capite supponendum materiam cuiuscunque sacramenti, vel instar sacramenti esse duplicem: quædam enim proxima, quædam remota; & quæ primo contrahitur per verba, proxima, quæ remote remota nuncupatur; cum ergo nedum aqua ad Ioannis baptismum, sed & ipsa ablutio, seu baptizatio concurrerit, & si quæ infuissent verba contrahentia primo, ac proxime ablutionem illam, remote vero ipsam aquam Iordanis, vel fluuij cuiusuis contractura fuissent, fit, vt aqua remota dicenda sit eius materia, exterior autem ablutio proxima, sicuti in tractatione de baptismo Christi abunde dicendum erit: hæc vtraque materia baptismi Ioannis ex ipsius Baptistæ verbis elicitur *Ioann. 1. ego baptizo vos aqua, &c.* vbi & ablutionem, & aquam expressit, alteram vt proximam, alteram, vt remotam materiam, neque de hac vsquam fuit inter Scolasticos, sed neque cum Hereticis concertatum.

Materia duplex, proxima, & remota

17 An autem baptismus is aliqua forma datus fuerit, litem agunt scolastici. Sunt qui nullam in eo baptismate verborum formam agnoscant: Sunt qui aliquam agnoscant, & hi opinionem suam partiti dixerunt formam baptismi Ioannis eandem fuisse cum forma baptismatis Christi, quam ab Apostolis didicisse potuit Ioannes: alii vero diuersa aiunt in suo baptismate forma vsum fuisse Ioannem

Opiniones variæ de forma huius baptismi.

ita

ita vt baptizaret in nomine venturi dicens *Ego te baptizo in nomine venturi*, vel *in nomine eius, qui venturus est*. Qui nulla putet forma vsum in suo baptismate Ioannem, est Scotus *loco citato litera C.* vbi bis repetit ablutionem sine verbis, & intentione determinata prolatis nihil esse sacramenti baptismi, qualem ait fuisse Ioannis ablutionem; vnde Scotum non percepit Faber *loco citato*, dum ait Scotum reliquisse sub dubio, qua forma sit vsus Ioannes; cum tamen *in solut. secundi loco citato* aperte supponat ablutionem illam factam fuisse sine verbis, quod si *litera A.* duos illos modos relatos de forma Ioannis non redarguit; factum puta; quia id locus non exigebat, qui dumtaxat petebat, an Ioannis baptismate baptizatus baptizari debuisset baptismo Christi: vel puta ex concessis Scotum quæsitum dirimere voluisse; quasi diceret, quod si considerentur illæ duæ sententiæ de forma in baptismo Ioannis, vel altera, vel vtraque, quæsito proposito faciendum esset diuerso modo satis, vt ipse deinde facit & *in secundo argumento* petitus ex propria sententia, quid desideraretur in lauacro Ioannis, vt compleretur in baptismo Christi. Respondet non potuisse quidpiam suppleri per baptismum Christi ad baptismum Ioannis; *quia nihil sacramenti baptismi confertur in baptismo Ioannis; ablutio enim exterior sine determinatis verbis, & debita intentione prolatis nihil est sacramenti baptismi*. Hæc ille, quibus sub luce, non sub dubio opinionem suam negantem expressit. Sunt etiam pro eadem sententia Gabriel, Durandus, & alii *in 4. d. 2.* & Recentiores *sup. 3. p. Sancti Thomæ q. 38. art. 6.*

Opinio Scoti.

Error Fabri

18 Qui vero usum fuisse Ioannem forma Christi putent sunt Lutherani referente Suarez *3. p. tom. 2. disp. 25.* & Cardinale Bellarmino: uerum hanc sententiam lutheranorum tempora anteiisse patet ex Scoto, qui Lutherum ducentis circiter annis antecessit, hanc sententiam referente, illã igitur rediuiuam Lutherani fecerũt, non inuexerunt, si uera est Suarezii, ac Bellarmini relatio. Demum Ioannem baptizasse in nomine uenturi nedũ præcipua Theologorum inuexere capita, ut Magister *in 4. d. 2.* S. Bonauentura, & Alensis, ille *in explicatione litteræ* hic vero *4. p. q. 9. memb. 3.* Sanctus Thomas *in 3. p. q. 38. art. 6. in solut. 5. & vltimi argumenti*, sed & Patrum plerique ita sentiunt Ambrosius præcipue *lib. de Spiritu Sancto*, & Hieronymus *in cap. 1. Ioelis Proph.* qui uno ore proclamant Ioannem baptizasse in nomine uenturi; immo hæc uidetur aperta scripturarum sententia Actorum 19. ubi Paulus quosdam rogans, quonam essent baptismate linti, iisque respondentibus, se Ioannis baptismo lotos tantum ait, *Ioannes quidem baptizauit baptismo pænitentiæ populo dicens in eum qui venturus est, vt crederent*. Quibus, & formam, & materiam Ioannis baptismatis non dubie Paulus expressisse uidetur.

Lutheranorum errores

Sensus Antiquiorum scolasticorum.

Hanc etiam sententiam uisus est propugnasse Scotus noster *in Reportatis dist. 2. quæst. 2. 4. sent.* quem deinde sectatus est, *ibi* Maironus, unde cum is locus Scoti uisus fuerit pugnare cum scripto Oxoniensi statuente nullam à Ioanne in baptizando formam adhibitam, ansam arripuere Tataretus, & Faber constituendi Scotum hac in re ancipitem fuisse, ac dubium. Hallucinatos tamen fuisse patet ex dictis, quia in Reportatis non ex sua, sed ex concessis ab aliena sententia locutus est Doctor, quem hac in re secutus est etiam Cardinalis Aureolus *d. 2. q. 2. art. 3.*

Contradictio Scoti apparens nulla

Tataretus labitur.

19 Nihilo tamen minus non arbitror à prima sententia recedendum asserente nulla forma usum fuisse Ioannem in suo baptismate. Quod facile probatur primo, quia lauacrum illud ueram sacramenti rationem non induit, quare nec forma adiuncta materiæ indiguit, sed simpliciter per solam ablutionem compleri debuit, alioquin nihil à nostro baptismate diuersum fuisset, cum tamen discrepantiam hanc præcipuam inter vtrumque baptismum ipsemet indicauerit Ioannes Ioann. 1. dicens, *ego baptizo vos aqua*, supple *tantum*, ut notant omnes eo loci, consecutio argumenti probatur, quia nomen materiæ, & formæ per tropum in hisce sensibilibus signis ad effectus insensibiles producendos ad sola sacramenta translatum esse uidetur; hinc in benedictionibus aquæ, & calicis, & similibus formæ illæ non dicuntur nisi abusiue, cum non induant formæ rationem, sicuti sacramentorum formæ, quæ minui, ac variari non possunt, ut suo loco dictum est.

Statuitur opinio negans, & Probatur primo

20 Præterea, etsi argumentum à negatiua auctoritate non multi sit ponderis apud logicos, attamen in iis, quæ factum concernunt maxime attendenda est expressa, uel tacita scripturarum memoria, nec pro libito philosophandum, quare cum formæ huius nullam Euangelistæ tradant memoriam, qui tamen materiam memorant Ioannis baptismatis; vero

Probatur secundo

vero similiter credendum est formam, in eo nullam fuisse adhibitam.

21 Adde, quod infructuosa futura fuisset hæc forma; atqui entium multiplicitas sine necessitate vitanda est Aristotele magistro *1. naturaliũ cont. 41.* porrò futurã fuisse infructuosã formã patet, quia tam formam in baptismo Ioannis agnoscentes, quam formam in eo non agnoscentes consentiunt Ioannis lauacro nullum spiritualem effectum productum fuisse, quare si æque bene incolumem seruamus Ioannis baptismum dempta forma, non est cur formam in eo comminiscamur.

Iterum probatur

22 Præterea: si qua forma vsus fuisset Ioannes in suo baptismo, peto an illa eadem fuerit cum forma baptismi Christi, an diuersa? & rursum si diuersa, an simpliciter dabatur ille baptismus in nomine alicuius diuinæ personæ, prout subsistens est, an in nomine Christi, vt baptizasse dicuntur in primitiua Ecclesia fideles, an in nomine Christi venturi, an alio modo: si alio modo, edissere, & impugnabo: interim, quod non fuerit vsus Christi forma probatur, quia tunc baptismus Ioannis, & baptismus Christi non fuissent distincti, quod falsum esse patet ex Euangelistis singulis edisserentibus solum baptismum Christi duraturum, Ioannis autem defecturum iuxta illud oraculum *illum oportet crescere, me minui*, Christi baptismum in aqua, & Spiritu sancto, Ioannis autem in aqua, lege Augustinum *tract. 4. in Ioan.* & edisseret tibi vtriusque baptismi differentiam, & quo modo constituto Ioanne in vinculis baptismus eius expirauerit: porrò si eadem forma fuisset vsus, cum & eadem aquæ materia vsus fuerit, nouum Christus nõ instituisset baptismum, sed Ioannis baptismum continuatò perpetuasset, quod hucusque inauditum est, non enim aliud ad constituendum baptismum cõspirat intrinsecè nisi forma verborum, & aquæ materia; quæ duo non defuissent in baptismate Ioannis.

Probatur alio argumento.

23 Præterea: in Christi baptismate Trinitatis Personarum expressa fit memoria, atqui baptizati baptismo Ioannis nec si essent plures personæ diuinæ vsquam se audiuisse confessi sunt; quare ridiculum est asserere Ioannem Christi forma in baptismate suo fuisse vsum: Minor habetur *act. 19.* quo loco quosdam Recenter ad fidem accedentes roganti Paulo, *an Spiritum sanctum accepissent* legimus respondisse se solo Ioannis baptismate tinitos, *neq; si Spiritus sãctus esset audiuisse vnquã*, at si in forma Christi in Ioannis baptismate tincti fuissent, qui fieri potuisset, vt nec nomen Spiritus sancti audissent, quod in forma Christi specifice inuocatur? Quod nec in nomine alicuius diuinæ personæ vt subsistentis, probatur; quia iam diximus quod Spiritus sancti nomen ignorabant baptizati illo baptismate; quod si solius Patris; vel Filij, vel amborum excluso Spiritu sancto vsurpasset nomen, in mille quærentes deduxisset dubia, cur vnius non alterius, cur amborum, non trium vocabula assumpsisset; quasi vero Trinitatem Personarum non æqualem faceret; & alia id genus incommoda. Adde, quod tam bene ignotum erat Patris, & Filij ad intra in diuinis nomen Hebræis, quam Spiritus sancti; alioquin non multum de personarum Trinitate contra ipsos laborandum fuisset Apostolis in primitiua Ecclesia.

Aliud vano.

Argumentum à sufficienti partium enumeratione.

24 Quod nec vsus fuerit nomine Christi, patet, quia rogauerunt Iudæi, an Ioannes esset Christus *Ioan. 1.* interrogantes *tu quis es?* ergo indicarunt ipsum non baptizasse in nomine Christi; quia non est creditu dignum quempiam in nomine suo baptizare voluisse; si ergo Iudæi verebantur, ne Ioannes esset Christus, profectò nouerant, quod Ioannes in baptismate Christi nomen non vsurpauerat; alioquin putassent Ioannem in nomine suo proprio baptismum dedisse; quod falsum est, cum nec ipse Christus in nomine suo, vsquam baptizasse legatur.

25 Quod neque vsus fuerit nomine venturi patet, quia Ioannes baptizauit Christum, vt patet ex Euãgelistis, quare si vsus fuisset forma in nomine venturi præsentem baptizasset in nomine sui ipsius venturi, quod ridiculum est, & hãc eandem obiectionem, siue probationem vrgere possumus contra asserentes baptizasse in nomine Christi, nam sic Ioannes Christum in nomine Christi baptizasset.

26 Quod si dicas cum Paludano, & alijs existimantibus Ioannem baptizasse in nomine venturi, non tamen in ea forma baptizasse Christum: obijcio; an Christum sine forma, an cum forma alia diuersa baptizauerit; quodcumque dicas, insurgam, si primũ ergo inquam Christus non fuit baptismo Ioãnis baptizatus, quod est nedum contra intentionem Euangelistarum, qui eo modo narrant Christum, ac cæteros à Ioanne baptizatum; sed est contra doctrinam Patrum, Augustini præcipuè *tract. 5. in Ioannem*,

Paludani occursus nullus.

Ioannem, & locis supra citatis quibus inculcat baptizatum esse Dominum Ioannis baptismo. Si secundum dicas, ergo inquam, nulla certa forma conspirabat ad constituendum Ioannis baptismum, quodcumque enim pro libertate mutatur certum, ac definitum non est, at forma illa alia in Christo, alia futura fuisse dicitur in aliis, vel ergo non idem baptismus, qui ex forma, & materia integratur; vel nulla forma certa, sed pro personarum qualitate diuersa.

Fabri, & Paludani instantia debilis

27 Si dicas cum Fabro Paludani sententiam approbante, Christum baptizatum à Ioanne, sed non baptismo Ioannis; insurgam petendo, at quo baptismo? certè vel Christi, vel Ioannis, nec enim plures baptismos nouit Ecclesia, nisi ad ablutiones illas Moysis, & legales confugias, quas non adhibuisse Ioannem dilucide docuit Nazianzenus *orat. 39. in sancta lumina* dicens *Baptizauit Moyses in aqua prius etiam in nube, & mari, baptizauit Ioannes non tam quidem illo Iudaico more &c.* Christi ergo, vel Ioannis baptismate Christus baptizatus est; quod vero non Christi, hucusque probauimus; quare leuis est *Fabri* euasio, dum ait baptizatum à Ioanne baptismo, sed non baptizatum Ioannis baptismo.

Ambrosij, & Hieronymi dicta explicantur.

28 Quid ergo dicendum auctoritatibus *Ambrosij*, vt *Hieronymi* pro ea opinione citatis, quæ Ioannem statuit baptizasse in nomine venturi? Omissa Recentiorum prolixitate dicendum Patres, illos non de forma lauacri, sed doctrinæ loquutos, quasi dicerent baptizasse Ioannem nomen venturi manifestando, vt ipsemet de se expressit Ioannis primò *vt manifestetur Israel propterea veni baptizãs in aqua &c.* baptizando igitur Christi aduentum prædicabat, & pænitentiam, & ad eam hortabatur populos, vt digne Christi baptismum susciperent; quare venturi meminerat Ioannes in baptizando, non per modum formæ, sed per modum adhortationis, ac doctrinæ, quã interpretationem patentissime indicat locus ex lib. Act. Apostolorum pro opposita sententia citatus, sic enim habemus ibi. *Ioannes quidem baptizauit baptismo pænitentiæ populo dicens in eum, qui venturus est, vt crederent, &c.* quibus patet per verbum illud *dicens* quomodo per modum hortationis Christi aduenturi, seu mox manifestandi meminerit, dum dicebat, vt crederent in eum venturum.

30 Habes igitur ex hoc capite, & quod baptismus Ioannis sacramentum non fuerit, enitentibus Patribus illum fuisse solum quoddam Euangelicæ legis præludium, vt præcipue loquitur Iustinus Martir *quæst. 37.* & quod sub nulla fuerit forma datus, & quod denique Christus eo baptismo linitus fuerit, quod etsi non ex instituto traditum fuerit; quoniam tamen in sequentibus locus ei dubitationi peculiaris tradendus non est, huc illam inseruimus.

Auctoritas Damasceni fauet Fabro

31 Contra hanc autem assertionem, licet incidenter in hunc locum lapsam, pro Fabro existimante Christum non baptizatum Ioannis baptismate quispiam insurget auctoritate Damasceni suffultus, qui dilucidè *lib. 4. de fide cap. 10.* monet Christum baptizatum baptismate suo, non verò baptismate Ioannis, post quam enim sex baptismatum genera enumerauit, & quarto loco Ioannis meminit baptismi, quem ipse rudimentarium vocat; quinto loco numerat baptismum Domini, *quo ipse tinctus est non quod ipsi purgatione esset opus* (sunt verba ipsius) *sed purgationem meam sibi adsciscens, vt capita Draconum in aqua contereret &c.*

32 Hac igitur auctoritate suffulti aduersæ partis auctores, & doctrinam à nobis latam de Christo baptizato baptismate Ioannis, & obiectionem contra eorum responsum docens Christum à Ioanne, sed non Ioannis lauacro linitum infringere possunt.

Vasquez Damascenum parui facit

Et quidem si cum Gabriele Vasquezio *disp. 140 cap. 6. 3. p. Sancti Thomæ* paruifaciente Damasceni testimonium sentire velimus, occursare possemus doctrinam eius aduersam esse doctrinæ *Augustini loco citato* & Hieronymi *in cap. 3. Matth.* dicentium Christum non suo, sed Ioannis baptismo linitum. Damasceni tamen placitum æquo animo ferre possumus, nec nobis aduersum; nã dum Christi baptismum à Ioannis baptismo distinxit non ea ex causa id fecit, quasi verò Christus suo, non verò Ioannis baptismo sit linitus; baptismum enim à Christo institutum locat sexto loco, quare euidenter indicat neque baptismo à se instituto Christum baptizatum fuisse, sed baptismo quinto loco numerato, qui non est diuersus à baptismo Ioannis, nisi ex fine, nam baptizabat Ioannes rudimenta præbens pænitentiæ, & præludium Euangelicæ legis per pænitentiam daturus; baptizauit autem & Christum, sed non ob causas præfatas; quia Christus, vt ipse notat, purgatione non indigebat, sed vt capita Draconis cõtereret,

Exponitur Damascenus ab Auctore.

tereret,

cereret, hoc est, vt sanctificaret quoquemodo aquas, quas sui baptismatis decreuerat fore materiam; & vt nobis exemplum præberet; quod ipse Damascenus per sequentia verba mõstrauit dicens, *vt denique nobis suscipiendi baptismi formam, atque exemplum se præberet*. Hac ille, quibus non exprimit baptismum à Christo susceptum fuisse diuersum quo ad substantiam à baptismo Ioannis; immo fuisse eundem, licet ob alium finem susceptum à Christo. Porro in hunc quoque modum Augustinus loquitur *sermone illo* quem supra retulimus *dom. inf. oct. epiphaniæ &c.*

Augustinus.

32 Quod si dicas, at Christus sacramentum sui corporis, ac sanguinis sumpsit; cur ergo, & suum baptimum suscipere non potuit, eo magis, quo & cæteris legibus se subiecit Circũcisionis, & huiusmodi similium, quibus peccatores subijciebantur? Respondeo disparem in primis esse rationem de sacramento altaris, & baptismi; hoc enim in remedium institutum est peccati potissimè, illud autem non ita, sed ad perfectissimam Christi vnionem, & vinculum in anima suscipientis faciendum, etsi ergo dicatur conueniens, Christum sumere sacramentum sui corporis, & sanguinis, non tamen expediebat, vt suum baptismi sacramentum sumeret.

Obiectum.

Responsio.

33 Adde quod nec facile cõcedet Theologus Christum suum sanguinem bibisse, & suum manducasse corpus; hoc enim Euangelistæ non referunt, vt suo loco Deo dante dicendum est, quod si Christus se alijs legibus subiecit, hoc factum puta, ne offensioni, & scandalo Iudæis esset, quippequi eorum legis violator poterat transgressor, quæ omnia non accidunt si dicamus nouæ legis sacramenta nulla à Christo in se sumpta, immo oppositũ videtur necessario deducendum, nam ex quo se nostrum in sacramentis instituendis medicum, ac Redemptorem profitebatur, minime decebat sacramenta passiuæ redemptionis media in se recipere.

Alia responsio.

DE INSTITVTORE
Baptismi Ioannis.

CAPVT III.

34 IOannis Baptistæ lauacrum non à Deo, sed ab ipso Ioanne immediate institutum singulariter propugnat Fauentinus *in 4. sent. in calce disp. 6.* eo fortassis fundamento ductus, quod inter cætera baptismata hoc priuilegio donatus fuit Ioannis baptismus, vt ipsius baptismus vocaretur, vnde sic pro eo quispiam arguere posset. Baptismus ab eo, à quo instituitur nomenclaturam trahit, at baptismus, de quo loquimur, à solo Ioanne appellationem trahit; quare à Ioanne solum censetur institutus. Maior videtur euidens, nam ex Augustino *tract. 5 in Ioannem* etsi Petrus baptizat, & Paulus, eorum tamen baptismi non dicuntur baptismi Pauli, & Petri, sed Christi, puta, quia Christus instituit, cum ergo baptismus, de quo sermo est, singulari appellatione Ioannis dicatur; consequens est vt à Ioanne putetur institutus. Adde quod ex Augustino *loco citato*, baptisma est tale, qualis est ille, in cuius potestate datur, non qualis est ille, per cuius ministerium datur; ergo ille baptismus Ioannis est, non quia per ipsum tanquam per ministrum dabatur; sed tanquam per habentem potestatem dandi baptisma, & hęc videtur esse expressa mens Augustini *loco citato*.

Singularis Fabri, opinio de institutore baptismi Ioannis quibus coloretur fucosis argumentis

35 Oppositæ nihilominus assertioni adhærendum, ac statuendum simpliciter, Ioannis baptismum à Deo institutum; quam assertionem non sine euidenti deductione ex scripturis elicimus; & in primis Lucæ 3. habemus, quod tunc primum baptismi prædicator, ac dator factus est Ioannes in deserto, cum factum est verbum Domini super ipsum, quod est idem, ac si dicatur, cum à Deo missus est prædicare, & baptizare; non est autem

Statuitur opposita sententia contra Fabrum.

autem verosimile missionem dumtaxat à Deo factam, terminum autem missionis, qui fuit baptismus, non fuisse specifice, & ordinate praeceptum.

Instantia

36 Quod si dixeris factum fuisse praeceptum, non modum: non dissentio, at factum fuit ipse baptizationis actus, modus autem vel per aspersionem, vel per immersionem, vel per infusionem: de hoc non est mihi concertatio, cui satis est indicasse actum ipsum baptizandi fuisse praeceptum, nam nihil aliud in eo baptismo inuoluebatur, nisi actus, qui est materia proxima & aqua, quam etiã à Deo decretam patet ex eo loco; quo ex eodem verbo facto dicitur Ioannes venisse in regiones Iordanis, ad aquas scilicet, ad quas eodem praecepto iussus accessisse videtur: quia copulatiue post verbum à Domino factum eo venisse, & baptizasse Ioannem legimus, quae res coniecturam non leuem ingerit, asserendi et à Deo ablutionem ipsam, & per aquam fuisse praeceptam, ac proinde institutionem baptismi eius à Deo fluxisse.

Praeoccupatio

37 Rursum Matth. 21. Marci 11. & Lucae 20. Rogatus Christus à Iudaeis, in qua potestate signa faceret interrogationem interrogatione conuicit dicens, *rogabo & ego vos: baptisma Ioannis è caelo est, an ab hominibus &c.* quibus verbis satis aperte indicauit Saluator, quod sicuti potestas miraculi edendi erat illi è caelo quia omnipotens Deus erat, ita & Ioanni potestas à Deo data erat baptizandi, & proinde è caelo erat baptismus, non ex hominibus. Hoc etiam ipsemet Ioannes videtur Ioan. 1. *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit &c.* Hac auctoritate nihil clarius ad rem duci poterat, nam & actum, & materiam designatam indicat per missionem dicens, *qui misit me baptizare in aqua &c.* Rursum Ioan. 3. discipulis Ioannis ab eo petentibus cur baptizaret Christus &c. Respondet Ioannes *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de caelo;* quem locum explicans Augustinus loco citato tract. 5. in Ioannem monet à Christo Ioannem accepisse, vt baptizaret, à Christo inquam, vt Deo ait enim quod sicut Christus Mariam creauit, quia scilicet omnia per ipsum facta sunt, & creatus est per Mariam, quia ex ea natus, sic dedit baptismum Ioanni, & à Ioanne baptizatus est. Immo euidentissime ibi Augustinus hanc potestatem dandi baptismum è caelo fluxisse Ioanni docet.

Probatio aliunde ex scripturis

38 Quod si pro Fauentino dicas, datam

Subterfugium pro Fabro intercluditur

vtique hanc potestatem instituendi baptismum Ioanni à Deo, at non per decretum institutum fuisse à Ioanne baptismum, ego petam: quid per institutionem intelligas baptismi, numquid potestatem dandi baptismum, an vero designationem materiae illius baptismi, & actus? nihil enim aliud ad illum integrandum expetebatur ex superiori capite: si primum dicas, rursum petam, quid sibi haec potestas velit; numquid potestatem ministrandi tantum, an instituendi tantum, an vtriusque faciendi simul? si potestatem designet ministrandi, non dissentio Ioanni ministerium sui baptismi datum: si potestatem instituendi tantum, at haec, inquam, determinationem materiae, & actus petit; quare si probauero materiam, & actum à Deo decretum, non est cur dicam hanc potestatem Ioanni concessam: si vtriusque simul per haec eadem arguitur.

Alia obiectio pro diluitio

39 Si dixeris hanc potestatem designare potentiam Ioanni concessam decernendae materiae sui baptismi. Contra ex dictis liquet Ioanni praeceptum à Deo ablutionis actum, praeceptam & materiam Ioan. 1. *Qui me misit baptizare in aqua*, quasi diceret *Deus praecepit mihi, Vade baptiza populos in aqua &c.* ac proinde tam actum, quam materiam, seu quod mauis asserere, tam proximam, quam remotam baptismo illi materiam non Ioannes, sed Christus, siue Deus è caelo praescripsit, & hanc puto virgentissimam rationem contra Fabri sententiam, cuius ratio in principio capitis adducta nullius est ponderis. Quod enim ablutio illa à Ioanne data potissimum Ioannis vocabulo decoretur, hoc non ideo factum puta, quasi vero Ioannes auctor, & institutor immediatus baptismi illius fuerit, sed quia sic voluit Deus decorare seruum suum, vt peculiaris illa ablutio à ministro vocabulum traheret, & à Ioanne data Ioannis diceretur, & hoc asserit Augustinus tract. 5. in Ioannem praecitato, exponens contradicentia illa, vt videntur, verba, quae tamen non contradicunt ipsius Ioannis: qui Ioannis 1. ait *& ego nesciebam eum:* vnde petit Augustinus si non sciuit at quare dicebat Christo venienti ad Iordanem, *ego debeo à te baptizari:* hoc est, *scio qui sis.* Quod si dicas cognouit à columba, occurrit Augustinus contra, non nisi baptizato Christo descendisse columbam.

40 Huic, inquam, quaestio obuius Augustinus per longam verborum congeriẽ

tandem colligit aliquid nouisse, aliquid ignorasse Ioannem; & à columba edoctum didicisse, & nouisse quidem Christum verum Dei filiũ, ignorasse autem, an sic daturus esset baptisma suum, vt à dante nomen acciperet, an vero semper Christi instituentis nomen retineret; didicit autem per columbam, quod quamuis Christi baptismus daretur à malo, vel bono, semper Christi baptismus diceretur; quia is est qui baptizat dando principaliter effectum, non vero minister; vnde Ioan. primo dicitur *ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua ille mihi dixit super quem videris columbam descendentem, ac manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto &c.* Hoc ergo (colligit Augustinus) didicit Ioannes per columbam; nimirum Christum à quocumque daretur baptismus suus, semper baptizare in Spiritu sancto. Ex hac Augustini concertatione elicitur datũ peculiari dono Ioanni, vt ab eo datus baptismus ipsius diceretur; quia scilicet non dabat ille baptismus Spiritum sanctum; immò nihil gratiæ dabat ex opere suo; ex qua doctrina Augustini ansam fortasse arripuit S. Thomas asserendi *3. p. q. 38* Ioannis baptismum quo ad ritum à Deo institutum; quo ad effectum vero à Ioanne penderet; quoniam nullum spirituale donum ex eo manabat.

Exponitur Augustin.

41 Ad argumentationem igitur pro Fabro reuertendo, cum dicitur, Baptismus ab eo denominationem trahit, à quo trahit originem. Maior cum hac appendice conceditur; nisi scilicet aliter à Deo decernatur specialem ob gratiam; at ex Augustino singulariter Ioanni concessum, vt baptismus ab ipso datus ipsius diceretur; quare autem id Deus seruo suo concesserit, non est cur diuina arcana rimantes causam postulemus, nisi dicamus id actum; quia baptismus ille nihil spirituale ex vi sua largiri debebat; quare non fuit incommodum, nec indecens appellationem à ministro sumere; secus autem de baptismo Christi, qui est gratiæ ferax ex vi sua; quare ne Petrus, ne Paulus, neue alii blandiri sibi de effectu illo spirituali possent, noluit Deus, vt baptismus à Petro, vel Paulo datus, Pauli, aut Petri baptismus diceretur, vt egregiè docet *loco citato* Augustinus.

Fabri ratio enodatur.

42 In hunc ergo modũ allata in oppositum ratiocinatio infringetur. Sed & confirmatio etiam infirmatur; nam cum ait Augustinus tale esse baptisma, qualis est ille in cuius potestate datur; non qualis est ille, per cuius ministerium datur; ac proinde cum tale fuerit Ioannis baptisma, qualis Ioannes iustum scilicet tamquam iusti, clare docuisse visus est Ioannem non solum ministrum sui baptismi fuisse. Infirmatur, inquam, quoniam Augustini institutum est palam facere baptismi effectus, qui non à ministro; sed ab eo qui potestatem habet dandi effectum mensuram trahunt, adque id probandum assumit tale esse, baptisma, qualis est is qui eius effectum tradit; qui cum diuinus sit in baptismo Christi; Deus etiam concluditur esse, qui effectum tradit; Ioannis vero baptisma vtique tale est, qualis Ioannes; quia effectus eius humanus humanum esse datorem designat; & hominem etiam, qui appellationem dat baptismo, cuius effectus exit ab homine, vt docet Sanctus Thomas; quatenus scilicet nihil spirituale gignebat; nomine igitur potestatis in illa auctoritate Augustini non instituendi potentiam, sed denominandi intellexit, vt nos etiam alibi declarauimus. Adde his Augustinum *tract. 4. in Ioann.* dicentem Ioannem ministerium baptismi accepisse.

Confirmatio eluditur.

Duo superessent ad exactam vniuersæ disputationis sigillandum doctrinam dubiola. Alterum de Tempore, quo cessauerit Ioannis baptismus; alterum vero de fine ipsius, at quoniam non longam hic disceptationem exposcunt pro appendice hujus capitis, & disputationis vniuersæ uno vel altero verbo dilucidantur.

Soluitur dubium de duratione baptismi Ioannis.

43 Et quidem in solutione prioris dubioli constans est Scolasticorum consensus inchoatum à Ioanne baptismum *anno 15. Tiberij Cæsaris* auctore Luca *cap. 3.* vsque ad detentionem eius ab Herode factam perseuerasse, atque adeo non diu durasse, quod apertis verbis tradidit Augustinus *tract. 4. in Ioann.* quo loco etsi dicat baptizatum Dominum Ioannis baptismo, & cessasse baptismum Ioannis, non est putandum statim baptizato Domino Ioannis baptismum defecisse, ipse enim Augustinus *ibi* docet perseuerasse baptismum Ioannis vsque ad custodiam eius in carcere, dum ait, *deinde iam missus est in carcerem Ioannis & deinceps nemo baptizatus inuenitur illo baptismate, &c.* Porro inter baptismum Christi, & detentionem Ioannis in carcere aliquid temporis intercessisse totoque illius curriculo Ioannem baptiz-

fuisse liquet ex Euang. nam apud Ioan. cap. 1. baptismus Christis exponitur, & cap. 3. Ioannes legitur baptizasse in Aenon iuxta Salem, & apud Marcum 1. cap. Christi baptismus exponitur, detentio autem Ioann. cap. 6. similiter apud cæteros Euang. patet toto illo tempore Ioannis baptismum perseuerasse.

S. Thomæ obiectum tollitur. Scio Sanctum Thomam in 4 d. 2. q. 2. art. 1. velle saltem quoad præstantiam baptizato Domino cessasse baptismum Ioannis, at nos hoc loco non præstantiam, aut vtriusque baptismatis excellentiam comparatiuè metimur, sed baptismi Ioannis durationem dumtaxat, quæ potissimum ex causa, siue fine institutionis eius deducenda est, quod postulat alterum à nobis propositum dubiolum.

45 Ad cuius eneruationem supponendum Ioannis baptismum non fuisse à Deo institutum ad dandam gratiam ex vi sua; quod patet quia sacramentum illud verum non fuit, vt dictum est, atqui sacramenta solum vim habent inter sensibilia signa gratiam ex opere, quod vocant operatum, producendi.

46 Quod si dicas ex Euang. Lucæ cap. 3. *Alia instantia.* constat datum fuisse baptismum illum in remissionem peccatorum; atqui peccata communi iure absque gratiæ infusione non dimittuntur; quare & gratiam vt pareret institutus videtur ille baptismus; Maior patet; nam ait Lucas, venisse Ioannem in omnem Regionē Iordanis prædicantem baptismum pænitentiæ, in remissionē peccatorū, & rursum Lucæ 7. habet quod baptizati baptismo Ioannis iustificauerunt Deum qui modus loquēdi in sacris scripturis indicat, per tropum illos apud Deum iustificatos.

47 *Occursus.* Respondeo citra controuersiam esse baptismum Ioannis gratiam non contulisse, quod & ipse declarauit, dum differentiam sui baptismi à Christi baptismo ferens ait Marci 1. & Lucę 3. *ego baptizo vos aqua, ille autem vos baptizabit in Spiritu Sancto, &c.* quibus indicauit suum baptisma in Spiritu Sancto, idest, in gratia non fuisse. Qui si dicatur baptismum prædicasse pænitentiæ: in primis baptismus pænitentiæ ipsamet, quam prædicabat, pænitentia per tropum dici potest, vnde sensus illorum verborum esse potest *prædicans baptismum pænitentiæ* hoc est *prædicans pænitentiam*, quod ipse Ioannes declarauit subdens Iudæis, *facite fructus dignos penitentiæ*: vel secundo dici potest Ioannis baptismus prædicatus, ac datus in pœnitentiam in remissionem peccatorum, vt ipse dixit Lucæ 3. *ego baptizo vos in aqua in pænitentiam* hoc est, hortando vos ad pænitentiam, vt remissionem peccatorum adipiscamini; quare in allatis testimoniis remissio peccatorum non ad Ioannis baptismum, sed ad pænitentiam, quam Ioannes inculcabat Iudæis, referenda est.

48 Et locus alter Lucæ 7. in oppositum *Exponitur locus Lucæ 7.* allatus exponitur primo, vt iustificasse Deum dicantur publicani baptizati Ioannis baptismo, hoc est, laudasse Deum, vt proprius sensus esse videtur verborum illorum. Quod si contendas iustificari Deum per tropum esse idem, ac iustificari apud Deum. Respondeo, exponi secundo locum illum de iustificatione non per opus baptismi Ioannis, sed per opus pænitentiæ, contriti namque ex Christi disserentis sermone publicani iustificati sunt, qui antea Ioannis erant baptismo liniti, & hic sensus maximè quadrat litteræ, habetur enim ibi, & *omnis populus audiens & publicani iustificauerunt Deum baptizati baptismo Ioannis*. Hoc est audientes Dei verbum laudauerunt Deum illi solum, qui Ioannis baptismo abluti erant, quia de baptismo Ioannis, eiusque virtutibus disseruerat Christus, vel iustificati sunt apud Deum cordis contritione moti ex Christi verbis Ioannis acta memorantis. Supponendum ergo, vt diximus non fuisse institutum Ioannis baptisma ad gratiam dandam, & ad dimittenda peccata.

49 Finis ergo instituti Ioannis baptismatis, quadruplex recensetur à S. Th. 3. p. *Finis baptismi Ioānnis quadruplex.* q. 38. art. 1. primus, vt baptizaretur Christus secundus, vt manifestaretur Christus tertius, vt assuefierent homines ad Christi baptismū accedere; quartus, vt ad pænitentiam inducens homines præpararet ad Christi baptismū, & singulos ex Patribus elicit, vt patet *loco citato Augustinus etiam tract. 4 & 5. in Ioann. & serm. 2. Dominicæ inf. oct. Epiph.* singulos allatos fines expressit.

50 Mihi tamen præcipuus baptismi Ioannis finis esse videtur Christi Dei manifestatio, & baptismi ipsius virtutis *Sensus Auctoris* ostensio; quæ duo ex dictis à Ioanne dilucidè colliguntur, & primo per Christi manifestationem institutum Ioannis baptismum Ioann. 1. habetur, *sed vt manifestetur in Israel propterea veni ego in aqua baptizans*; secundo propter ostensionem virtutis baptismi Christi institutum ibidem habetur. *Qui misit me baptizare in aqua ille mihi dixit super quem videris*

columbam descendentem, seu spiritum descendentem, & super eum manentem hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. Et vera plane opinio, quia cum Ioannes missus fuerit, vt Christum populo manifestaret iuxta illud Ioann. 1. *Hic venit in testimonium,* confluentibus ad baptismum tanquam ad nouum ritum cunctis gentibus, quibus noua semper placent, latus sese Ioanni obtulit Christi manifestandi campus: similiter ex diminutione sui baptismi, dum sæpe dixit se solum baptizare in aqua, & de Christo loquens *illum* (inquiebat) *oportet crescere, me autem minui.* quem locum interpretatus est vtique *sermone 21. de sanctis*, & rursum *serm. 116. in nouis sermonibus*. Augustinus de Christi in crucis ligno exaltatione, & Ioannis minutione in capite, de incremento dierum, quod in Christi natalitio die ortum trahit, deque etiam decremento in natalitiis Ioannis diebus quem & nos in nostris epigrammatibus imitati ita aliquando lusimus.

Exposita opinio placet Auctori

Dū caput ense cadit moritur Baptista minutus,
Et crescit dū dat crux tibi, Christe necem.
Numine nā quoniam cecinit Baptista superno,
Sic opus est Christum crescere, me minui?
Longior insequitur Christo nascente, Ioannes
Nascitur, & breuior continet hora dies.
Numine nā quoniam cecinit Baptista superno
Sic opus est Christum crescere, me minui?

Auctor in suis poematibus sacris

Attamen & de suo locutum baptismo, illiusque casum prececinisse Ioannem ob Christi nascentem baptismum, non incongrue dicere possumus, in suique lauacri occasu ortum, & subsequentem baptismatis Christi valorem vaticinatum fuisse.

Cæteri fines à Sancto Thoma adducti vrgeri difficultatibus possunt. Primus, quia si propter baptizandum Christum institutus fuisset ille baptismus, vt quid omnis populus eo baptizatus est? rursum, vt quid Christo baptizato non statim cessauit, fine enim obtento desinit actus, qui ob finem instituitur ex philosophis? Si dicas cum Augustino baptizatos fuisse alios à Christo, ne diceretur Ioannis baptismus Christi baptismo nobilior: hoc nihil est, nam ex suscipiente baptismus nobilitatem non habet, sed à fine, & ab effectu loquendo de causis externis. Tertius etiam finis vrgetur; nam Christi baptismus non erat difficilis ad suscipiendum, vt ad eum assuefactionem exquirerent homines, sed nec erat tam difficilis creditu, quod ipsius vi remitterentur peccata, vt quadam quasi manuductione indigerent homines, creditu difficile erat sacramentum Eucharistiæ, ad quod tamen tantam manuductionem nō legimus institutam: quod si Scotus noster hunc etiam finem indicauit *d. 2. q. 2.* ex mente aliorū locutum puta. Quartus denique finis vrgetur, quia pænitentiam etiam sine baptismo prædicauit Ioannes, & per eam dempto suo baptismate æque bene parauit homines ad Christum, & ad eius baptisma suscipiendum.

Fines institutionis baptismi Ioānis ex S. Thoma vrgentur

Ex his deduc vno verbo Christi baptismi, & Ioannis discrimen: nam hic à solo Ioanne datus est, qui propterea Ioannis dictus est, ille à discipulis Christi, retenta tamen ipsius instituentis nominatione; ille gratiam non dabat, Christi baptismus gratiam parit, ille non diū durauit, hic ad finem vsque mundi perseuerabit, ille solum Iudeis, hic omni genti datus est, ille Iudæis adultis tantū, hic & paruulis, ille vix necessarius necessitate præcepti, hic vero & necessitate medii. Cæterum de hoc abundantius in sequentibus, &c.

Discrimina vtriusque baptismi





DE BAPTISMO CHRISTI





OPVS vniuersum, cuius explicationem, ac dubitationes enodandas Deo dante molimur, tantum est, vt in eius elucidationem tot Augustinus volumina expleuerit; edidit enim & libros septem de Baptismo contra Donatistas, & lib. vnum de vnico baptismo contra Petilianum, & librum alterum de paruulorum baptismo, & in tract. super Euangel. Ioann. de Christi baptismo passim; siquidem tantæ erat molis sacramentum summè necessarium complecti, Christianæ Religionis ianuam aperire, & redemptionis nostræ primum explicare signaculum; at nos vero potioribus difficultatum nodis exponendis impliciti quæ moralium, ac Parochorum sunt propria, sin minus sicco pede transeuntes, saltem breui prælibatione transmittentes ampliora visuri opus vniuersum in has præcipuè tractationes secabimus, quas disputationis genericæ vocabulo insignimus. In primam, quæ existentiam baptismi, in secundam, quæ quidditatem eius, in tertiam, quæ effectrices sacramenti huius causas; in quartam, quæ subiectum baptismi, seu suscipientes ipsos exponet. Siquè demum pro tempore, vel opportunitate licebit, baptismi effectus, & exinde ritus tamquam appendices enucleabuntur. Et hæc omnia iuxta præscriptum semel à nobis ordinem ab Aristotele 2. *Posteriorum sub initio* cui adhærere perpetuus nobis mos fuit.

DE BAPTISMI EXISTENTIA

DISPVTATIO I.

Nona in ordine.

AN A CHRISTO, ET QVANDO *sacramentum hoc fuerit institutum.*

CAPVT I.

1 IN rebus, quæ existunt, actum ipsum existentiæ perscrutari vanum est; propterea corditi viri ad caput quæsiti an sit rerum existentium inceptionē esse rerum earumdem reuocant, cumque sacramenta non nisi ex institutione esse habeant, factum hinc est, vt ad hanc disputationem institutionis auctorem, & tempus institutionis reuocaremus: & quoniam postulatio illa an Christus sacramentum baptismi instituerit ad causas sacramenti huius effectrices redigitur, idcirco præaccipientes hoc ex iis, quæ loco suo dicenda sunt, disquirimus solum tempus instituti baptismi, quando scilicet à Christo fuerit institutus, & proinde esse inceperit. *Institutum capitis.*

2 Mittimus autem hoc loco varias nominis baptismi acceptiones, quæ ex doctrina Aristotelis in cuiusuis fronte operis necessaria est rei disquirendæ, ne in incertum vagetur disquirens animus,

mit-

mittimus, inquam, legédas apud Damascenum *lib. 4. de fide cap.* 10. apud Nazianzenum *oratione* 40. & alios præcipuè Recentes, supposito solum nos baptismi nomine hoc loco ablutionem illam intelligere, quam in certa verborum forma Christus instituit ad regenerandam animam, quæ ablutio græco vocabulo *baptisma*, vel *baptismos* dicitur, quæ voces, vel immersionem, vel lotionem significant, & hæc omnia fusius perquirenda sunt disputatione de quidditate Methaphisica baptismi; si quidem in habentibus esse præceptore Scoto in hoc 4 *d.* 2. idem est quid rei, & quid nominis.

Baptismi significatio.

3 Postulantibus igitur quando sacramentum baptismi institutum fuerit non vna occurrit opinio; Nonnullis asserentibus institutum formaliter baptismum post Christi à mortuis surrectionem Matt. vlt. dum discipulos in orbem misit dicens, *Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris &c.* quo tempore, & non prius formam sacramenti huius designauit Christus, & proinde ipsum formaliter instituit, nam sola materiæ designatio quæ communiter facta dicitur in Iordane, dum Christus à Ioanne baptizatus aquas mundissimæ carnis suæ contactu sanctificauit, non potest dici sacramenti huius institutio, si quidem sola materia sacramentum non facit.

Prima opinio de tempore institutionis baptismi.

4 Sententiam hanc à Patribus Græcis acceptam, præcipue à Crisost. homil. 28. in Ioan. à Theophilacto *cap. 3. & 4. in Ioan.* quibus ex Latinis addi possit Leo Papa primus *in 4. epistola decretali*, & Tertullianus *lib. de baptismo capit* 15. & Rupertus Abbas *lib. 4. in Ioannem*, propugnarunt ex Scholasticis saltem, vt probabilem Sanctus Thomas 3. *p. quæst.* 28. *art. 5. in solutione vltima* docens sacramentum Eucharistię prius institutum, quam baptismus, licet in secunda responsione contrarium iuxta doctrinam *quæst. 66. art. 2. eiusdem tertiæ partis* tueatur, Canus *lib. 8. de locis cap. 5.* & ante vtrumque si Recentioribus credas Alensis 4. *p. q. 12. memb. 3. art. 1.* licet is re vera tam subobscure loquatur ibi, vt obseruauit Gabriel *in 4. d. 3. q. vnica*, vt non facile sentias, quid senserit.

Leo. Tertullianus, Rupertus S. Thomas.

Canus.

5 Contra vero alij ante Christi passionem tam mordicus tuentur baptismum Christi institutum, vt superiori sententiæ sin minus erroris, saltem improbabilitatis notam inurant, vt refert *loco citato* Melchior Canus.

Secunda opinio.

6 Alij denique opinionem primam non tam acri censura castigantes aiunt quidem baptismum Christi ante passionem institutum, sed primã quoque sententiam nota plectendam; sed si ab ijs petas, at quonam potissimum tempore institutum fuerit hoc sacramentum, non vna confessione sententiam aperient. Thomistæ post præceptoris doct. *q* 66. 3 *p.* autumant statim baptizato Christo in Iordane baptismi sacramẽtum ab eo institutum, ita præcipue loquitur Vasquez *disp. 140. cap. 6. à num. 35. vsque ad finem.* S. Bonauẽtura & post ipsum Richardus *d. 3. 4. sent.* ille quidem 2. *p. dist. art. 1 q. 1.* hic autem *art. 5.* docent facto Christum instituisse hoc sacramentum, primo, cum per discipulos baptizare cœpit; verbo autem quando misit eos binos prædicare.

Vasquez, S. Bonauentura, Richardus.

7 Alij quorum sententiam referunt Scotus *d. 3. q. 4.* & Gabriel *q. vnica art. 3.* suppresso tamen auctorum nomine tũc primo crediderunt hoc sacramentum institutum, cum Christus Nicodemo dixit *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.*

Tertia opinio.

8 In hac tanta opinionum varietate, hoc mihi certum esse videtur quod Scotus, *loco citato* docet, cui subscribit Gabriel, & ex Recentibus Suarez 3. *tomo 3 p disp.* 19 *sect.* 3. hoc, inquam, certum duco, quod nihil certi decerni potest de tempore, ac die, seu hora præcisa institutionis sacramentis huius; at vt ordinata methodo mentem aperiam meam.

9 Obseruo primo, non hic esse sermonem de adumbratione, vt vocant, & indicatione huius sacramenti, seu de promissione eius, sed de vera institutione, quæ requirit impositionem talis ritus exterioris, & non in solo instituentis arbitrio; cum enim sacramentum quoad vsum, & exhibitionem in actu situm sit externo; quippe quod sensibile est signũ, tunc institutum primo dicendum est, cũ eius ritus externus cum debita forma declaratus est, eo magis, quo sacramentum est Ecclesiæ visibilis, tunc ergo inquam institutum est primo cum ritũ eius externũ tradidit Christus, & exercuit siue per se, siue per discipulos docens esse exercitiũ ritus, ac ceremonias, vt factũ esse legitur in institutione sacramenti Eucharistiæ, quæ etsi passim adumbrata fuerit, ac promissa à Christo sub tipo manducationis panis à cælo descendentis, tunc tamen primo consummata est eius institutio, cum in cæna ritum Christus

Obseruatio prima.

ctus tradidit, ac de ea conficienda præceptum; quare quod in Iordane aquas dicatur mundasse Christus, & pro suo baptismo idoneam constituisse materiã, quodue Paterna vox audita fuerit, & sub columbæ specie visus Spiritus sanctus aperto cælo, itaut tres diuinæ adstitisse visibiliter dicantur personæ, non obinde licebit inferre tunc formam sacramenti huius verè institutam, cum vix ad summum colligi queat adumbrata, ac sub mysterio figurata.

Obseruatio secunda

10 Obserua secundo, nec esse hoc loco sermonem de institutione præceptiua obligante, sed de institutione præceptiua quoad ritum, & modum, & etiam quo ad efficaciam, quamuis enim ex Christi passione efficaciam traxerint sacramenta omnia; hoc tamen non officit quominus ante, vel post eam dici queant sacramenta quo ad efficaciam instituta, cum tam opere tunc passio exhibita, quam præuisa; eo potissimum quoniam iam quasi inchoata dici poterat Christi passio, siquidem à principio suæ Incarnationis passionē acceptauit iuxta illud Psalm 39 *Ingressus in mundum dixit Holocaustum & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi*; vt legit Paulus Heb. 10. & vniuersum vitæ Christi curriculum perpetuum appellari potest sacrificium.

Petitio curiosa

11 Quod si dicas, at per passionem Domini ianua cælorum aperta est; quare non nisi ab exhibita efficaciam sacramentum hoc habere potuit, cuius inter cætera munus est cælestis ianuæ apertio, & proinde si hoc loco sermo est de institutione quo ad efficaciam, maxime officit si dicatur ante, & non post passionem institutum. Habes duplex responsum ex doctrina Scoti *in hoc 4. d. 2. q. 2. littera* K. vel dicendo, quod cum in actu interiori exhibita semper à primo instanti conceptionis Christi dici queat passio ipsius respectu effectus primarii, qui erat gratiæ, efficaciam non minorem habuerunt sacramenta ante, quam post exhibitam passionem in actu exteriori; quia in illo actu interiori ratio meriti principaliter sita erat; respectu autem aliorum effectorum, quoad consumationem vtique magis postea, quam antea, vel dicendo, quod sacramenta ante passionem exhibitam in actu exteriori instituta non erant instituta vt pro tunc, sed vt pro tempore post eius mortem ablato scilicet impedimento effectus omnes operarentur; ex quibus non licet inferre non habuisse proinde efficaciam, neque quo ad efficaciam institui ante passionem potuisse.

Respondet Scotus bifariam

12 Hisce decursis asserendum primo, baptismi Christi institutionem vsque ad Christi à mortuis ad viuos reditum non fuisse dilatam; & proinde ante eius passionem institutum baptismũ. Hanc tradunt communiter Scolastici, quos inter Scotus *d. 3. q. 4. littera A*, tradidit que ante Scholasticos Augustinus *tract. 15. in Ioannem*, immo tradidit Ioannes Euang. *cap. 3. sui Euang.* vbi post exactum Christi cum Nicodemo sermonem ventum fuisse in Iudeã, ibique baptizantem legimus, similiter, *& sub initio cap. 4.* plures à Christi discipulis baptizatos nouimus, quam à Ioanne, vnde lis, ac dissensio inter vtriusque discipulos orta est singulis de Magistri sui baptismo blandientibus sibi, totaque litis decisio ad Ioannem ipsum deducta est *cap. illo 3.*

Baptismus non fuit institutus post Christi Resurrectionem.

Probatur primo.

13 Quibus auctoritatibus non alio modo occurri potest nisi vel asserendo Christi discipulos vsos fuisse baptismo Ioannis ante Christi mortem, vel alium similem sine forma, & sine effectu institutum à Christo baptismum tradidisse, quorum vtrumque falsũ esse conuincitur; primum quidem, quia in hoc baptismus Ioannis à Christi baptismo differre inter cætera discrimina ponitur; quod ille à solo Ioanne dabatur, hic verò à quocunque ministro; at si Christus, & discipuli eius Ioannis baptismo baptizassent; certè non solus Ioannes baptismi à se nomen trahentis minister fuisset.

14 Adde, quod si Christus, & discipuli eius baptizassent toto illo tempore Ioannis baptismo, conquestio discipulorum Ioannis, & Phariseorum murmur, cuius euitandi gratia dicitur Christus Iudæam reliquisse, & in Galileam abiisse Ioan. 4. vana fuissent, vt quid enim tædere illos debuit plures discipulos, & plures baptizatos à Christo, & discipulos fieri, quam à Ioanne, si Ioannis omnes baptisma dedissent, cum potius de incremento nominis baptismi sui Magistri lætari debuissent Ioan. discipuli; quippequi à tantis viris ministraretur, quanti erant Christus, & Apostoli!

Probatur [illegible]

15 Adde præterea, quod ex æquo curarunt discipulos facere, & baptizare, de vtroque enim effectu conquesti sunt Ioannis discipuli, quare si Christus, & Apostoli Ioannis Baptismum dabant, cuius merito fiebant dantis discipuli, discipuli facti à Christo fuissent nomine Ioãnis facti, nõ nomine Christi, sicuti modo quos

Tertia probatio.

ego baptizo, discipulos Christi facio, non meos, quia scilicet Christi baptismum, non meum trado, quod inauditum est omnino.

15 Adde demum baptismum à Christo, ac discipulis datum feracem fuisse gratiæ, cuius ferax non erat baptismus Ioannis; quare non Ioannis, sed Christi proprio baptismate locis citatis baptizabant Apostoli, antecedens patet ex ipsa Ioannis vaticinatione dicentis, *ille vos baptizabit in Spiritu sancto*, ac si diceret ille gratiam per baptismum dabit, & ex hoc eluditur etiam secundum responsum, quo dici poterant Apostoli alio simili baptismo baptizasse ante Christi mortem gratiam non causante, præterquamquod enim hæc tanta baptismatum multitudo sine vlla necessitate efficta dici potest, adhuc aduersatur Ioannis vaticinio dicenti baptismum à Christo dandum fore in Spiritu sancto, quod si intelligas de baptismo Christi alio, quem deinde à mortuis resurgens instituit, & ego primum à te confictum baptismum tunc dicam inuentum, cum tibi fuit opus.

Apostolos non Ioannis, sed Christi baptismo baptizasse ostenditur

16 Superesse adhuc aliud posset effugiū, quo & aduersa sententia fulciri posset, & insimul probari baptismum à Christo datum, ac discipulis fuisse solum baptismum Ioannis, & hoc est, si dicatur Christum quidem non baptizasse unquam suis manibus, sed discipulos Christi baptizasse Ioannis baptismo, de cuius munere ab ijs vsurpato conqueri potuerunt Ioannis discipuli.

Effugium

17 Huic autem effugio obuiam se faceret Vasquez *loco citato cap.* 1. negans Christū suis manibus nō baptizasse, baptizasse n. legitur Ioann. 3. nec est credibile baptismū Christi gratiam conferentem etiam ante Christi mortem nunquam ab ipso Christo fuisse collatum; nec rursum credibile est nunquam Christum eo fuisse vsum, cum tamen, vt ostenderet Christus baptismum suum præstare Ioannis baptismo, decens fuerit, vt propriis manibus traderetur, ac ministraretur.

Obuiatur à Vasquez

18 Verum ego non arbitror recedendum à communi Patrum sententia, præcipue Chrysostomi, ac Theophilacti inter Græcos *loco citato*, & Augustini inter Latinos *tract.* 15 *in Ioannem* proclamantium Christum per discipulos, nō vero per se ipsum baptizasse; quod clare tradidit Ioannes *cap.* 4. vbi postquam semel *eo capite*, & semel, ac iterum *superiori capite* Christum baptizasse commemorauit, ne quis putaret propriis manibus sacramentum illud à Christo ministratum habet hæc verba *Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius, &c.* quæ interpretatus Augustinus *loco citato* ait, *non oblinione, aut dementatione, vel errore factum ab Euangelista, vt hæc adderentur verba sed summo mysterio ad ostendendum, quod quocunque ministro detur baptismus Christi semper à Christo datur*, quod sæpe etiam inculcat *tract.* 5. *& sequentibus*, quæ Augustini doctrina obiectionem Vasquezij infringit; nam si Christus quocunque ministro baptizante baptizare dicitur præstantior arguitur baptismus Christi baptismo Ioannis qui in solo nomine Ioannis dari poterat, vt notauit Cyrillus *lib.* 2 *in Ioannē cap* 57. & in hoc præstantia elucescit maior, quod gratia per illum datur à quocunque ministretur baptismus.

Auctoris placitum.

19 Ergo effugio illi adducto aliter occurrendum, ac dicendum, quod etsi concedamus Christum suis manibus baptismum suum non ministrasse, concedere tamen nequimus discipulos Christi vsos fuisse baptismo Ioannis, quia illo baptismo vtebantur, quo baptizabat Christus licet non suis manibus, hoc est, quo effectum dabat Christus, at hic est baptismus Christi, non Ioannis, per cuius baptismum nulla dabatur gratia, ergo Christi, & non Ioannis baptismum ministrasse discipulos conuincit aperte obseruatio illa Ioannis 4. *Quamquam Iesus non baptizaret, &c.* quomodo enim non baptizabat, qui baptizabat eo capite, & superiori? nisi quia suis manibus non vtique baptismum dabat interprete Augustino, sed verum ipse baptismi à quocunque dati producebat effectum.

Occurritur effugio.

20 Non me latet Vasquezium cum Maldonato verba illa Ioannis interpretari de frequenti baptizatione, vt putent baptizasse quidem Christum, sed non frequenter, quam ob causam dixit Euangelista Iesum non baptizasse, sed discipulos, hoc est baptizationis frequentiam delatam Apostolis. Sed quis non videt quam voluntaria hæc interpretatio Ioannis testimonio aptetur, qui absolute obseruat Christum non baptizasse, hoc est suis manibus non tradidisse baptismum præceptore Augustino, neque si penes Apostolos tanto erat frequentia baptizandi, vt putatur, obseruantissimus Ioannes, qui distinctionem tradidit actionum à Christo singulatim recen-

Maldonatus, & Vasquez carpitur

recensuit, hanc frequentiam per illud loquedi genus expressá prætermisisset.

21 Concludendum igitur, institutionem baptismi ante Christi passionem factam; quippe qui apud Christi discipulos in vsu erat Ioan 3. & 4. nec deesse putes coniecturam. Primo namque certum est, Christum Apostolis in vltima cæna sacramentum sui sanguinis, & corporis tradidisse; indecens autem videtur dicere datum tantum sacramentũ, non baptizatis, quare si ante illud tẽporis baptizati erant Apostoli Christi baptismo, præiuit institutio baptismi passionẽ Christi; porrò baptizatos ante illud tẽporis fuisse Apostolos dilucidè colligi potest ex illo Christi ad Petrum Ioan. 13. *Qui lotus est non indiget, nisi vt pedes lauet, &c.* vt colligit Augustinus *lib. 2. contr. epistolas Pitiliani cap. 22.* non vero *epist.* 162. vt perperam citatur à Suarez, interpretans etiam Iudam baptizatum fuisse; sed non mundum fuisse, quando cæna facta est; *propterea dixit vos mundi estis, sed non omnes.*

Conclusio dictorum

22 Secundo incredibile est Christum prius instituisse discipulos Sacerdotes, quam baptismum illis dedisse, atqui Apostolos in vltima cæna Sacerdotio insigniuit, vt suo loco dicendum est; ante ergo illud temporis iam baptizatis Apostolis præfuit Christi baptismus. Demum baptismum esse omnis legis nostræ, & sacramentorũ ianuam nulli dubium est; at Christus nouum testamentum in suo sanguine confirmauit, & inchoatam nouæ legis normam passionis suæ sigillo exarauit; ergo ante illam vtique baptismum instituit, quo aditum & ad legem ipsam, & fores, & cætera sacramenta aperiret.

Corroboratio conclusionis

23 Asserendum secundo, baptismum nõ fuisse institutum vere cum Christus in Iordane baptizatus est. Hanc tradidit Scotus *loco citato*, & probatione indiget non leui, dum graues habet aduersæ partis propugnatores S. Thomam, ac Sequaces. Probatur autem à Scoto, quia baptismus, quo in Iordane baptizatus est Chistus, non Christi ipsius, sed Ioannis baptismus fuit; quare tunc temporis dici non potest institutio facta baptismi Christi. Quod si cum Vasquezio dicas factam tunc vtique fuisse, quia baptizato Christo Ioanni à Christo eodem datus fuit baptismus verus; quod explicant illa verba Ioannis prohibentis Christum *ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me*, cui respondit Christus *sine modo*, ac si diceret siste parum, donec me baptizes ad implendam omnem virtutem, postmodum vero ego te baptizabo. Voluntaria responsio, nullo enim fundamento asserta Ioannis à Christo baptizatio nullo negotio reijcitur; Ioannes enim vix Christi legem prædicantis initia vidit, & in custodiam est constitutus: porrò in Iordane ipso Christi baptismo initum ipse solus dixerit; & verba allata, *sine modo &c.* egregiè interpretatur Augustinus *serm. 2. dom. inf. oct. epiph. sine modo &c.* hoc est, *quid hæc modo commemoras &c.* commemorauerat enim Ioannes auctoritatẽ, ac potestatem Christi, qui suum baptismum daturus erat in Spiritu sancto, & nullo indigebat baptismo in se ipso. Hanc commemorationem redarguens Christus *sine*, inquit, *modo &c. sic decet nos implere omnem iustitiam.*

Constituitur non fuisse baptismũ Christi institutum in Iordane

Satisfit Vasquio

24 Probamus & nos assertum ex ipsa ratione institutionis. Institutio baptismi hoc loco intelligitur præscriptio ritus ipsius sub debita materia, ac forma: at hæc præscriptio neutiquam facta fuit in Iordane: ergo nec institutio ipsa baptismi. Maiorem habes ex obseruationibus hoc ipso capite propositis. Minor probatur; nam si præscriptio hæc facta fuit, rogo quemnam docuit illam Christus? cui nam præcepit adhuc nullum habens comitem, & cum solo Ioanne constitutus? an docuit Ioannem ipsum? atqui præscriptio ritus illi tradenda, qui ritum seruare debet, vel aliis promulgare, quorum neutrum Ioanni concessum nouimus; hic enim neque sacramenti huius minister vsquam fuit, neque nouæ legis promulgator, puta nondum inchoatæ; sed vates dumtaxat, ac præco fuit. Adde, quod nec forma ipsa vlla in Iordane adhibita; quod enim paterna vox audita fuerit, & visus in columbæ Spiritus sanctus amor; hæc omnia in testimonium deitatis Christi facta narrantur ab Euangelistis. Ait enim Pater *Hic est filius meus dilectus*; Spiritus vero index fuit efficacitatis baptismi Christi à quocunque daretur iuxta illud Ioan. 1. *qui misit me baptizare &c.* quemadmodum exponit *loco citato* Augustinus.

Probatio Auctoris

25 Denique: Ioannis baptismus fuit quędam baptismi Christi figura, & vmbra, eiusque isagoge, ac præludium ex Iustini præcipue doctrina in superioribus citata; at vmbra, ac figura accedente imagine, ac luce euanescit; & habita re principali euanescit præludium; ergo si in Iordane instituit suum Christus, de-

Alia probatio

institutum fuisse dicere necessum esset, quoniam, vt diximus, immediate subsequenti tempore, quod notatur per illam particulam *Post hac &c.* Christum ipsum in Iudeam terram progressum baptizasse legimus.

31 Contra primam assertionem obiicies PP. quos citauimus testimonia dilucidè probantia sacramentum hoc expletis à Christo in cœnæ mysteriis post Resurrectionem à mortuis institutum Matth. vlt. *Baptizantes eos &c.* Respondendum tamen, loquutos Patres de institutione obligatiua necessariò, quia scilicet post Christi mortem euacuata lege cœpisse necessarium esse baptisma putarunt, non vero de institutione primaria pro decretatione ritus sub certa forma, ac materia; vel dicendum plerosque Patres fuisse illius sententiæ, cuius oppositum propugnat Augustinus *locis citatis*, aliique cum eo, & illi planè ex eo principio, quo putarunt toto vitæ labentis tempore Christum, ac discipulos vsos fuisse baptismo Ioannis, deduxerunt postmodum institutionem veri baptismi factã à Christo rediuiuo è mortuis; ex principio igitur improbabili sententiam patris censuræ proferre potuerunt.

Obiecta contra primum assertum.

Responsio.

32 Obiicies rursum, non legi apud Euangelistas amplius baptizasse Apostolos tradito in custodiam Ioanne; quare hoc ex hoc videtur deduci illos Ioannis baptismo baptizasse prius; & cõfirmatur, quia mittens Christus ad prædicandum discipulos, mandata singula de curationibus, de obsessis à Dæmone curandis iniunxit; de baptismo autem ne verbũ tradidit quidem, quod factum videtur; quia scilicet nondum institutum erat baptismo Christi. Confirmatur secundo, quia ex sola glorificatione Christi dandum Spiritum sanctum tradidit Ioannes 7. *Spiritus nondum erat datus: quia Iesus nondum erat glorificatus.*

Aliud obiectum.

33 Occurro nec etiam legi apud Euangelistas custodito Ioanne iam amplius non baptizasse Christi discipulos; negans ergo auctoritas nullius est ponderis; potuerunt enim baptizare, & non baptizare pro voto, & opportunitate, nec enim omnia Euangelistæ scripserũt. Et confirmationi primæ dicendum, non fuisse opus iterato sermone potestatem baptizandi conferre discipulis, dum ad prædicandum destinarentur, siquidem illam in ipsa sui institutione receperant; eaque in actu exercito vsi fuerant. Altera denique confirmatio de visibili collatione Spiritus sancti in die Pentecostes tradendi intelligitur à Patribus, & à Scolasticis.

Occursum.

34 Obiicies contra secundum assertum multe Sanctorum Patrum testimonia, quæ congerit Vasquez *loco citato cap. 6.* quorum aliqua innuunt aquas mundatas per Christi carnis contactum, vt baptismi ius induerent; vt loquitur Hieronymus *in cap. 3. Matthæi. & in 3. cap. Lucæ*; & Ambrosius *lib. 2. in Lucam cap. 2.*; aliqua vero docent, Christum peccata in Iordane abluisse, quod non nisi per suum baptismum institutum factũ fuisse putandum est, vt loquitur Augustinus *multis in locis* & præcipuè *sermone 1. Dominicę infra octauam epiph.* vbi Christum in Iordane renatum sacramẽtis docet, & aquæ donatum, vt non sua sed aliena peccata deleret, & *sermone secundo Baptizatur nouus homo, vt noui baptismatis constituat sacramentum &c.* Ecclesia etiam in officio Ephiphanię id tradidisse dicenda est, dum ait. *Hodie cælesti sponso iuncta est Ecclesia; quia in Iordane lauit Christus eius crimina &c.*

Obiecta contra secundum assertum.

35 Occurro, nec Scotum negasse ex contactu carnis Christi aquam constitutam huius sacramenti materiam, quod non ita intelligendum putes, quasi vero qualitate aliqua noua affecta fuerit aqua, remansit enim naturalis aqua, vt prius, sed dicitur sanctificata, mundata per tropum quia scilicet digna facta est sacra Christi membra tangere; verum vtique concedimus destinari potuisse aquã tunc in voluntate Christi materiam sui sacramenti; at non obinde probari sacramentum ipsũ ex forma, & materia conflatum tunc primo institui debuisse.

Soluuntur

36 Sed quid dicendum Augustino, qui *quæst. 28. ex nouo test. tom. 4. operum eius* docet baptismum Ioannis non cessasse; sed additum ei quod deerat; formã nimirum, & effectus; quæ duo satis aperte in Iordane astiterunt, nam & peccata deleta sunt ex officio Ecclesiæ citato; & personæ diuinæ visæ sunt, in voce Pater, in columba Spiritus, in se ipso Filius.

Oppositio ex Augustino.

37 Respondeo, & Augustinum abusiuè locutum; nam reuera simplices ablutiones, nisi copulentur verbis, non sunt partes baptismi; alioquin & mea manuum ablutio pars baptismi dici posset, cui addi possent verba; cessauit ergo baptismus Ioannis, vt ipse Augustinus dixerat *tract. 4. in Ioan.* his verbis, *Baptizatus est Dominus baptismo Ioannis, & cessauit baptismus Ioannis.* Quare ne dicatur

Augustinus interpretatur.

tim post Christi mortem, etenim Paulus, vt habemus *in actibus Apost. cap. 16.* circumcidit Timothæum, quæ circumcisio mortifera non fuit, vt tradunt omnes, & incidit in annum 16. vel 17. post passionem Christi; incidit enim post tertiã Synodum actam Hyerosolimis ab Apostolis, quæ Synodus coacta fuit post Christi mortem anno circiter 15. iuxta Magistrum historiarum, quo circa egregie Scotus monet, quatuor tempora in circumcisione permittenda, vel abolenda distingui: primum pro quo fuit necessaria: secundum pro quo fuit vtilis, & non necessaria: tertium pro quo nec fuit vtilis, nec necessaria, sed licita: quartum denique, pro quo simpliciter illicita, non necessaria, & inutilis: quæ distinctio quamquam à Diuo Hieronymo ægrè feratur, qui duo tempora dumtaxat in circumcisione distinxit, primum quidem pro quo vtilis, ac necessaria ab institutione videlicet ipsius vsq; ad promulgatum Euangeliũ. Secundum vero, quo illicita, & mortifera fuit, quod capit prima die promulgati Euangelij; quamuis inquam, allatam Scoti distinctionem iuxta diui Hieronymi doctrinam ferre nequeamus æquo tamen illam animo feremus Augustini vestigiis inhærentes, qui diu cõtra Hieronymum contendit adhuc post promulgatum Euangelium licuisse Petro, & Paulo seruare legalia, non quidem per simulationem, vt putabat Hieronymus, sed verè; & non simulatè iuxta illud Augustini diuulgatum elogiũ, *si vnum admittas in scriptura mendacium, tota scriptura peribit.*

Quatuor temporã in circumcisione obseruanda.

Hieronymus & Augustinus in hac re discordes.

46 Hac igitur distinctione supposita, & Augustini in litteris ad Hieronymum sententiam præ oculis habentes dicimus, quod primũ tempus ab instituta circumcisione vsque ad institutionem baptismi cucurrit; secundum tempus ab institutione baptismi vsque ad promulgationem eius delatum est, tertium tempus totum illud fuit, quousque specificè circumcisionem prohibuit Ecclia, quod, quale, quantumque fuerit, scriptura non memorat, protrahuntur enim actus Apostolici ad 30. annum à passione Christi, qui fuit quintus, vel sextus Neronis Imperij, quo tempore adhuc circumcisio sub licentia erat, vt patet *actor. 16.*

Subscribit Auctor Augustino

47 Quod si dicas *cap. 2. epistola ad Galatas* dici Paulum restitisse in faciem Petri, quia reprehensibilis erat subtrahẽs se à cibis in lege prohibitis, ex quo patet legalia ante illud tempus fuisse prohibita, quod quidem tempus incidit in 15. annũ post passionẽ Christi, qui fuit quartus Claudij Neronis annus. Respondeo non dici reprehensibilem Petrum, quia obseruabat legalia, alioquin & ipse reprehensor Paulus maiori reprehensione dignus fuisset qui post illud factum circumcidit Timotheum *act. 16.* & rursus post quatuor annos Paulus se purificauit secundum legem, & purificatus intrauit Templũ, similiter, & multitudo ad Christi fidẽ conuersa legalia seruabat *act. 21.* sed dice reprehensibilem, vel quia cũ esset superior, & summus Pontifex nõ vtebatur auctoritate Prælati, subtraxit e se comedendo cum Gentilib. à cibis à lege prohibitis, quando aduenerunt Nuntij Iacobi Episcopi Hierosolymorum, qui erant Iudæi, cum tamen ante illorum aduentum Epulis à lege prohibitis licitè vesceretur, timore igitur Iudæorum perculsus ab ijs, quibus vtebatur cibis, abstinuit, in hoc igitur errauit Petrus, quod timore subditurum affectus est, quibus tamen ratione prælationis ipse timori esse debuit, & hanc rationem tetigit Paulus *loco citato*, dicens *segregabat se timens eos, qui ex circumcisione erant*, vel secundo dici reprehensibilem Petrum, quia exemplo suo gentes nuper ad Christum conuersæ ad seruanda legalia ducebantur, quæ tamen gentibus prohibita in tertio Concilio *Hierosolymis* habito ab ipsis Apostolis erant, vnde consideratione dignum est disparem fuisse rationem de gentibus, ac Iudæis de legalium obseruãtia, suscitata namque quorundam Pharisæorum hæresi, qua sentiebant necessariam esse circumcisionem Gentilibus antequam Christi baptismo imbuentur, decreuerunt Apostoli *act. 15.* ex voto Iacobi, & Petri illicitam esse legem Gentilibus, & præcipuè quoad circumcisionẽ, Iudæis autem hæc eadem licentia seruandæ legis minimè abrogata fuit. Petrus ergo, qui Iudæus licitè adhuc seruare legalia poterat cum Iudæis, & adhuc licitè poterat non seruare legẽ cum gentibus; quoniam *act. 10.* ostensum est sibi linteum magnum plenum serpentibus, & quadrupedibus immundis, ac volatilibus cæli, quibus tota gentium vniuersitas designabatur, & iussus est ea commedere, errauit, dũ inter gentes prius legem non seruans accessione quorundam Iudæorum legem

Exponitur, quomodo pæcauerit Petrus à Paulo correptus.

gem seruare cœpit, quæ tanti viri inconstantia exemplo esse poterat gentibus, vt & ipsæ contra decretum tertij Concilij Hyerosolimitani legem seruarent, & hanc rationem tetigit Paulus *loco citato* dicens, *si tu Iudæus cum sis gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo gentes cogis iudaizare?*

Augustini sententia Auctori placet.

48 Vt igitur ad nostrum institutum reuertamur, dicendum est in hac duorum Apostolorum controuersia, quæ Augustini, & Hieronymi contentionis, ac litis seminarium fuit, adhærendum esse Augustino magis, salua Hieronymi reuerentia, ac dicendum nondum defecisse legis licentiã, cum Paulus sese increpando in Petrum tulit, sed ob aliquas ex prænumeratis causis reprehensioni Pauli Petrũ fuisse subiectum, vel quia scilicet timiditate defecit, vel quia exemplo suo ad seruanda legalia vehebat gentes, quibus, & non Iudæis iam dudum fuerant interdicta.

Præcepta legis triplicis generis.

49 Obseruandum tertio, vniuersam pæne Moysis legem e triplici præceptorum genere fuisse conflatam, iudicialium nempe, moralium, & cæremonialium: voco autem iudicialia, quæ ad vniuersitatem gubernandam necessaria sunt, decet enim pæna, vel præmio afficere pro recto populorum regimine merentes, vel demerentes, & horum præceptorum plenus est liber Leuitici: cæremonialia voco quæcunque præcepta ad diuinum referuntur honorem, quæ ceremoniæ dictæ sunt ex Diuo Thoma 1. 2. *quæst.* 99. *art.* 3. quasi Cereris, quæ frugum Dea nuncupabatur, munera; eo quod primæ frugum oblationes Deo offerebantur: nisi mauis ceremoniæ vocabulum à Cere oppido non procul ab Vrbe desumere; quandoquidem, si Valerio Maximo id referenti credimus, illic Romanorum sacra Roma capta oblata sunt, & reuerenter habita. Moralia denique, quæ in Decalogo continentur, quæ in liberis Leuitici, & exodi leguntur; quare si conuenerimus hæc præcepta omnia à Christo aduentu suo in Terras per legem gratiæ sublata fuisse, vel mansisse, vniuersam de licentia, vel abolitione legalium controuersiam eliminabimus.

Ceremonia vnde dicta

05 Supponendum igitur est Christum non eo carnis humanæ exuuiis se circumdedisse, vt antiquæ legi sigillum imponeret, ipse enim Math. 5. exclamat, *non veni soluere legem, sed adimplere*, quod de moralibus præceptis Decalogi intelligendum est, illa enim eadem manet, licet perfectiori sensu explicata, vt patet *Matth.* 5. iudicialia autem penitus sublata sunt; quia Christus nulla iudicialia imposuit, quamuis à principibus et à Christi fidelibus pro pacifica hominum cohabitatione iudicialia multa constituta sint, quæ iam dudum constituta erant in lege Moysi, verum hæc, vt egregiè monet Scotus *in 4. dist. 3. q. 4 in solut. 1. principalis* non auctoritate legis Moysis, sed constituentium principũ auctoritate ligant, nullũ .n. iudiciale antiquæ legis obligat nunc, quia erat antiquæ legis præceptum, sed quia per municipales leges constitutum est, vt patet etiam in humanis; legunt enim præcepta quædam in Regno Galliæ, ad quæ tenentur etiam in Hispaniarum Regnis, in quibus tamen non tenentur, quatenus constituta sunt à Rege Galliæ, sed quia à proprio Rege emanarunt. Simpliciter igitur iudicialia omnia legis antiquæ Christus aduentu suo sigillauit. Cæremonialia omnia etiã e medio tulit, quæ iuxta communem opinionem ex ipsis Hæbreorum magistris habitam *in lib. exod. leuit. & Deut.* ad sexcenta præcepta numerantur; lex autem nostra septem dumtaxat sacramenta instituit, inter quæ duo tantum simpliciter necessaria, baptismum scilicet, & pænitentiã post lapsum, & de ijs veritatem habet illud *Matth.* 11. *lex & Profetæ vsque ad Ioannem &c.* & rursum *iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.*

Quomodo intelligatur assertum illud Non veni soluere legem, sed adimplere.

Iudicialia abrogata similiter, & Ceremoniæ.

51 Quod si contra hæc vrgeas auctoritatem illam Matth. 5. *non veni soluere &c.* vel dicam locum illum exponi de moralibus, vt dictum est, vel si de iudicialibus, & cæremonialibus etiam intelligatur, dicam iudicialia etiam, & ceremonialia manere, non quidem secundum se, sed alio modo; manent enim iudicialia quoad finem in æquipollenti, illa siquidem instituta erant ad pacem seruandam inter populos, cuius certè feraxerat talionis pæna, sed siquis Euangelium seruaret pænis hisce non indigeret; mores enim Euangelici plus valent, quam pæna talionis: rursum manent ceremonialia non in se, sed in significatis suis; quia illa erant vmbra, & figuræ; quid enim tot purificationes, quid tot oblationes, nisi purificationem à peccato,

Iudicialia, & ceremonialia quomodo maneant.

& obla-

& oblationem Christi perfectam, actusque latriæ in Deum significabant: at iam verò hostia oblata in ara Crucis, purgatis eius merito peccatorum maculis, mentibusque in Deum directis, iure in nihilum abire debuerunt vmbræ, & figuræ, dum veritas ipsa successit.

Baptismus Christi statim, ac institutus non fuit sub præcepto

51 Hisce decursis asserendum primo baptismum Christi non statim, ac institutum cæpisse esse sub præcepto. Probatur, quia baptismus Christi ex dictis superiori cap. institutus est Ioan. tertio, dum Christus necessitatem eius Nicodemo expressit, at tunc verò non statim cæpit in præceptum cadere; ergo non statim, ac institutum cæpit esse sub præcepto; minor probatur, quia necessitas præcepti oritur ex lege, lex verò necessitatem non inducit nisi promulgata, vt norunt Iuris periti, apud quos maioris est ponderis quoad necessitatem obseruantiæ promulgatio legis, quã conditio: porrò, quod tunc temporis promulgatus baptismus non fuerit, euidens est, quia nec ipsi Apostoli habuerunt adhuc de illius ministerio præceptum, nec vllibi Christus necessitatem eius expressit: quod.n. Nicodemo dixerit, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto nõ potest introire Regnum Dei*, communis est Scholasticorum responsio ex Bernardo accepta *epistola 77.* verba illa esse ità intelligenda, vt ab eo tempore quo Christus ea protulit induxerint obligationem, sed pro futuro tempore, quo post Christi mortem dandum erat baptisma sub præcepto, sicuti intelliguntur verba illa Ioan. 6. nisi *manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem*, quæ non ita vera sunt, vt quando prolata fuerunt, necessitatem indicarent manducandi tunc Christi corporis, & sanguinis bibendi, quia tunc illud erat impossibile omnino, nondum instituto Eucharistiæ sacramento, sed pro debito tempore futuro. Responderem, & ego etiam allata Christi comminatione necessitatem quidem baptismi inuolui non pro delendo peccato, nec pro seruando præcepto, sed pro reserandis cæli foribus; hoc enim præcipuum est baptismi munus, vt ianuam cæli aperiat, quod videtur ex ipsis Christi verbis elici, quibus, non asseritur impossibilitas gratiæ sine baptismo, sed impossibilitas ingressus cæli, ait enim *nisi quis renatus erit ex aqua Spiritus sancti non potest introire in Regnum Dei*, non ait, quod non possit haberi gratia, & in hoc sensu, & ante Christi mortem, & quocunque tempore vera fuit assertio; quia aperitio cælestis ianuæ inter cætera baptismi effecta numeratur propria, & primaria; & elicitur hæc responsio ex sequentibus Christi verbis, cum Nicodemo loquentis, *nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo*.

Probatur assertio

Obiectum ex euangelio

Responsio Auctoris

Baptismus non statim in Christi morte sub præcepto

53 Asserendum secundo, nec statim à morte Christi cecidisse baptismum in necessitatẽ. Probatur primo ex Conc. Trid. *sess. 6. c. 4.* vbi loquendo de iustificatione, quam vocat translationem à statu filij Adæ in statum gratiæ Christi, subdit; *quæ translatio post Euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis aut eius voto fieri non potest, &c.* hæc ibi, quibus dilucidè necessitas baptismi traditur non statim a Christi morte, sed post Euangelium promulgatum, ex quo loco secundum argumentum conflare possemus in hũc modum. Baptismus ante Christi mortem non statim ac institutus fuit sub præcepto, sed sub Consilio ergo nec statim à morte Christi cepit sub præcepto esse, sed sub consilio: antecedens quoad primam partem probatur superiori asserto, quoad alteram verò patet, quod scilicet fuerit saltem sub consilio, quia quæ imponuntur homini altero, vel altero modo imponuntur, sub præcepto scilicet, vel sub consilio. Præterea, quia lex Euangelica, cuius præceptum est baptismus non debuit præcipitanter imponi, sed per consilium ad eius obseruantiam allici debuerũt homines, vt paulatim assuescerent seruare mãdata, ipsa etiam vetusta lex, in qua circumcisio necessitatem inuoluens in præceptum cadebat, non erat suopte ingenio mala, quæ statim respuenda esset, sed fas erat honorabili synagogam vniuersam condire sepulcro; consequentia primæ ratiocinationis probatur. Nemo aliter se habet nunc quam prius ad aliquod præceptum, & genericè ad aliquam legem, nisi cui præceptum, & lex aliter fuerint promulgata; sed à passione Christi statim Euangelica lex, & baptismi præceptum promulgatum aliter non fuit, ac ante Christi mortem: ergo respectu eius non aliter se habuit quam ante Christi mortem vniuersa gentium, & Iudæorum multitudo.

Prima probatio ex Concilio Trid.

Secunda probatio

Tertium argumentum

Probatio maioris

54 *Maior* secundi huius dilemmatis probatur ex communi illo iure consultorum effato, quod *lex nō obligat nisi promulgata*, quod adeò verum est, vt iure consulti aliqui *in decr. dist. 4.* putarint tunc leges primo institui, cum promulgantur, & hæc promulgatio tanta esse debet, vt solemnis sit, nec satis est vt in vna, vel altera Regni parte fiat, vt vniuersum Regnum in præceptum inducat, propter quod ipse etiā Caietanus fatetur, quod si noua lex promulgatur in principali ciuitate Regni, vt exempli gratia Romæ, nec Curia ipsa Romana procurat, vt promulgatio ad cæteras Cathedrales Ecclesias feratur; accusari nec apud Deum, nec apud homines possunt absentes neicu.

Minoris Suasio

55 Minor verò secundi illius argumenti, quia statuebatur non aliter promulgatum Euangelium post Christi mortem statim, quam prius, probatur; quia in passione Christi tantum abest, quod publica quædam, ac solemnis promulgatio facta fuerit Euangelii, vt ipsi eum præcones futuri occultè latitarint ob metum Iudæorum, nec fuerint nisi maiori spiritus munimine acti in die Pentecostes è cœnaculo egressi, quemadmodum etiam post resurrectionem suam præcepit eis Dominus, vt sederent in Ciuitate, donec inducerentur virtute ex alto, quod in die Sancto Pentecostes euenit: notanter dixi non egressos præcones è cœnaculo ante diem Pentecostes, quoniam etsi Apostolorum aliqui egressi fuerint post triduum sepulturę Christi, & interfuerint omnes ascensioni Christi ad Cælos, nullus tamē præco egressus est, quia nullus adhuc legem Christi promulgare audebat.

Responsum Aduersariorum

56 Scio aduersæ sententiæ propugnatores huic rationi vniuersæ occursuros, illam ad rem non esse, quoniam baptismi præceptum, quod est præcipuum nouæ legis mandatum solemni promulgatione non indiguisse putandum est, denique quod suaptè natura in illa earum Christi morte promulgabatur, in qua vetusta lex euanuit in illo præcipuè Christi verbo, *consumatum est*, & cum *velum templi scissum est à summo vsque ad deorsum*

Dilutio

57 Verum occursatio hæc quemadmodum gratis, & absque fundamento excogitatur, ità pari facilitate refellitur; siquidem inintelligibile omnino est præceptum aliquod suaptè natura promulgari, sine promulgatione, sicuti implicat intelligere denominatum aliquod sine forma denominante; certum est enim, quod quidquid promulgatur, promulgatione promulgatur, qui ergo fieri poterit, vt baptismi præceptum in Christi morte promulgaretur, & quod promulgatione non indigeret? an quia mors ipsa promulgabat per illa verba Christi *consumatum est*, & per præcisionem veli, vt Aduersarii rentur? at mors quidem Christi merens causa fuit institutionis euangelicæ destructionis Mosaicæ legis, vt pluries alibi dictum est, promulgatio non fuit; nam veli templaris conscissio typus erat remoti impedimenti inter nos & Deum, typus erat eneruationis virium Inferni, typus erat dimissionis culparum, si sique ad veterem referebatur legem typus erat desitionis obligantiæ legalis sua tempestate promulgandæ, & uerba illa Christi *consumatum est*, non ad antiquam legem, sed ad opus redemptionis deuolui Euangelista Ioannes cap. 19 dum exactis verbis illis tradit Christum inclinato capite expirasse.

Velum templi scissum in Christi morte mysteriorum typus

Assertum tertium

58 Asserendū tertiò baptismum Christi post solemnem Euangelii promulgationē statim cæpisse esse sub præcepto. Probatur ex superioribus, quoniam non prius lex ad obseruantiam ligat, quam debitè innotescat; innotescente autem lege nullus à præcepti obseruantia excusari potest; quare cum nec ante Christi obitum, nec post mortem eius statim ligare cæperit baptismus ea ratione potissimum, quia nondum promulgatus erat; fit necessario, vt statim promulgatus in præceptum ceciderit; quia ex logicis *sicuti negatio est causa negationis, ita affirmatio est causa affirmationis*; ergo si non ligauit, quia non promulgatus, planè ligauit, quia promulgatus.

Probatio prima.

59 Ad hanc assertionem probādā reuocari possunt sexcenta scripturarum, ac Patrum testimonia necessitatem baptismi inuehentia; quæ apud alios missa leguntur, nobis vnica Bedæ auctoritate cōtētis asserētis super illud Ioann. 3. *nisi quis renatus &c.* quod *ille, qui iam dudum per legem clamabat. Masculus, cuius caro præputii circumcisa non fuerit, peribit anima eius de populo suo, nunc per Euangelium suum clamat terribiliter & salubriter nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sācto, &c* quibus vir ille similem necessitatem in baptis-

mo noue legis agnoscit, qualem in circumcisione veteris legis; at illa statim promulgata Abrahæ primum, mox Iudæis, Abrahæ semen, & Iudæos ligare cæpit, ergo & baptismus statim, ac promulgatus in præceptum cecidisse dicendus est; Baptismus igitur Hyerosolimis cæpit tunc primum necessarius esse ad salutem, cum ab Apostolis, qui iamdudum resurgente Christo præceptum de illius promul

Resolutio petitionis. gatione susceperant, virtute sancti spiritus, & cælesti dono plenis promulgata lex fuit, quod accidit ipsa die Pentecostes, cum ad tria millia virorũ baptismũ susceperũt *act.* 2. tunc.n. primo requirẽtib. Iudæis, quid eis esset pro salute agendum? Respondit instar omnium Petrus *baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi*; cæteris autem in locis à Ierusalem tunc cæpit baptismus esse sub præcepto, cum publicè, & solemniter Euangelium innotuit; hinc fit, vt aliqui necessitati baptismi subiecti fuerint post annum, alij post decem annos, alij post longioris temporis spatium; immò & nunc temporis, siquæ sunt gentes, quibus nondum legitimè promulgatum fuerit Euangelium, nec illæ adhuc baptismi præcepto subijciuntur iuxta illud Pau

Rom. 10. li Rom. 10. *Quomodo credent quem non audierunt? quomodo audient sine prædicante? quomodo prædicabunt nisi mittantur*, nec refert, quod eo loci auctoritas Psalmi legatur *In omnem terram exiuit sonus eorum, &c.* nomine enim *omnis terræ* non singulæ terrarum orbis vniuersi particulæ intelligi possunt, quæ nedũ Apostolis, sed nec nobis hac tẽpestate innotuerunt; ijs ergo in locis

Quid de gentibus noua legis ignaris. siqui sunt gentiles legis naturæ adiutorio suffulti possent nõ dãnari, nisi alia perpetrarent peccata: si qui etiam essent, qui nullius legis rudimenta percepissent, puta inter syluas, & feras nutriti, & isti per Dei adiutorium, fidemque implicitam iuxta etiam rationis dictamen non necessariò damnarentur; quia nec Deus potestatem suã sacramentis alligauit, nec miseri illi homines carere deberent communi auxilio, siquidem Deus nulli denegat sufficientia adiutoria ad salutem, nec lex vim habet nisi nota. Casus tamen impossibilis est diffusa in vniuersum orbẽ Ecclesia.

60 Fateor vtique hanc solemnem legis promulgationem non debere esse tantam vt vnicuiq; singillatim fieri debeat ad aures; sufficit enim, vt publica habeatur per publicos præcones legis præconizatio in publicis mundi plagis, vt moraliter loquendo vel in omnium notitiam præcepta deueniant, vel deuenire possint; secus enim ignorantia iuris a peccato minimè excusaret, quẽ ius facti ignorantia excusare posset, quę tamen nullum habet in præsentia locum, quo de præcepti necessitate locuti sumus.

61 Asserendum quarto, circumcisionem ante Christi mortem i instituto baptismate vsque ad Christi mortem non fuisse necessariam, sed vtilem: & rursum post Christi mortem fuisse adhuc vtilem vsque ad baptismatis notitiam, & rursus habita baptismatis notitia per aliquod tempus licitam Hebræis fuisse. Hæc assertio vniuersa penè in obseruationibus nostris explicita est. Constat autem triplici particula, prima est, quod circũcisio ab instituto baptismo vsq; ad Christi mortẽ necessaria non fuit; hæc probatur. Quãdocunque præceptum aliquod constituitur, vt totaliter aliud simile præceptum reuocet, consilium de posteriori præcepto reuocatorio prioris facit præceptum illud prius non necessarium, sed sub consilio; sed præceptum de baptismo reuocare totaliter debuit circumcisionis præceptum; ergo consilium de baptismo suscipiendo reddidit circumcisionis præceptum non necessarium. Subinferamus modo aliud dilemma, ac dicamus. At baptismus à prima suæ institutionis die, vsque ad Christi mortem sub consilio fuit, non sub præcepto, ergo & circumcisio ab institutione baptismatis vsque ad mortem Christi non fuit sub præcepto.

Assertio 4. tres habens partes.

Probatur prima pars.

62 Maior, primi argumenti probatur, quia si remaneret præceptum illud prius necessarium, certè vel necessarium esset necessitate præcepti, vel necessitate finis assequendi, at neutro modo, quod probatur; quia deficit necessitas assequendi finis; etenim si ille finis per illa duo media haberi potest fine obtento per alterum medium, alterum medium remanet superuacaneum, si enim exempli gratia, duplici via Lauretum tendere possum, mihi vnam arripienti altera superflua est: deficit etiam necessitas pręcepti, siquidem, dum auctor nouum consulit medium, necessi-

Probatio maioris.

tatem

rarent tollit prioris medij; dum enim licentia impertitur omittendi prius medium, planè censetur necessitatem eius destruere. Rem declaramus exemplo: si Deus abstergendam peccati mortalis maculam præcepisset ieiunio, deinde verò ad eundem effectum assequendum eleemosinæ elargitionem consuluisset, certè & necessitatem præcepti de ieiunio pro fine assequendo medio tolleret; quoniam eleemosinæ elargitio sufficiens medium esset ad illum, rueret etiam ieiunij necessitas, quatenus præceptum est; quandoquidem, cessante necessitate finis, & necessitas præcepti propter illam necessitatem finis impositam deficiat necessum est.

Exemplum ad rem propositum

63 Minor primi illius argumenti patentissima est, & traditur ex Augustino *epist.* 108. dicente Christum *pro circumcisione carnis baptismum dedisse*, & rursum *epist.* 200. id clarius expressit; & ex effecto illo Beda superius allato deducitur. Mitto mille scripturarum testimonia præcipuè ad Galatas 5. *in Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet &c.* & rursum *si circumcidamini Christus nihil vobis proderit*, quæ non tam destructionem circumcisionis per baptismū, quā circumcisionis ipsius abolitionem declarant. Secundi dilemmatis antecedens hactenus abundè probatum est.

Aug. epist. 108

Scio è Diui Thomæ familia nonnullos propositionem primam maiorem primi argumenti negare falsissimum existimant enim ipsi veram illam esse dumtaxat de illis rebus, quæ incompossibiles sunt omnino, quemadmodum se habent præcepta virginitatis, & matrimonij, cui enim præcipitur virginitas, omnino interdicuntur nuptiæ; & ideo consilium virginitatis tollit præceptum de matrimonio; at verò ubi mutuò se inuicem patiuntur, sicuti se habent circumcisio, & baptismus, res aliter se habet, & maior illa falsa est.

Oppositio.

64 Hæc tamen oppositio violenta fertis esse dignoscitur ex probatione propositionis propositæ, quæ nedum in pugnantibus, sed etiam non pugnantibus locum habet iuxta probationem, & explicationem à nobis hucusque deductam; quod in occursatione ipsa dicti nolunt falsissima; asseritur enim primò virginitatem, & matrimonium pugnare, quod quam falsum sit norunt, qui verum agnoscunt matrimonium inter Mariam, & Ioseph, cum tamen illa perpetuò Virgo fuerit; asseritur secundo circumcisionem, & baptismum non repugnare, quod etiam falsitate non caret, siquidem ad euacuandam circumcisionē institutum esse baptismum sine difficultate concedendum est ex doctrina Pauli *Hebr.* 8. docentis veteratum fuisse, & antiquatum prius testamentum à nouo.

Retūditur.

Matrimonium inter Mariam, & Ioseph verum

65 Præterea principaliter; si Iudæus aliquis Christi, vel Discipulorum eius monitis edoctus paruulum suum sacro baptismo linisset, sciscitor; num quid, si paruulus decessisset salutem consequutus esset æternam, nec ne? quodcumque dixeris impugnabo: si primo ergo (inquam) circumcisio illi necessaria non fuit (& loquimur de toto tempore ab institutione baptismi vsque ad Christi passionem decurrente) si secundum dicas, efficaciam eneruas baptismi, quia prima sua origine sua & conferendæ gratiæ, & delendi peccatum virtutem habuit.

Alia ratio

65 Neque audiendi sunt Aduersarij dicentes, paruulum quidem eo casu salute donandum æterna, sed peccatorū fuisse alioqui patrem non circumcidendo filium, & proinde per mansuram præcepti necessitatem saltem, sin minus medij; etenim & ad alium finē instituta circumcisio primaria fuit puta, vt segregaretur Abrahæ genus à gente, quemadmodum patet *Gen.* 17. Non sunt inquam audiendi; quia deficiente necessitate finis ex obseruatione præcepti, præceptum ipsum deficiat necessum est, ne frustratorium & inane præceptum dicatur, atqui finis necessitas ex circumcisione per sumptionem baptismatis defecit; quarè & ipsum circumcisionis præceptum defecisse putandum est: quod verò de altero fine circumcisionis adiungitur, qui erat Israelitici populi segregatio à gentibus ridendum est, siquidem ille paruulus per baptismum in Christianorum ordinem, ac cæterorū redactus Hebraico signo non indigebat, sicuti nec nos illius egemus. Ex ijs ergo inconcussa remanet veritas primæ partis assertionis vniuersæ.

Responsio Aduersariorum

Reijcitur.

67 Secunda pars assertionis probatur; certum est Deum nusquam temporis, & gentium dereliquisse humanum genus absque remedio certo ad salutem consequendam, quæ certitudo non solum ex parte remedij attendenda

Probatio secundæ partis asserti

 est, sed

est, sed ex parte etiam generis humani, ita vt & certum semper paratum fuerit pro salute remedium, & certũ fuerit de illa certitudine humanum genus; ergo idem sentiendum est de toto illo tempore, quod à Christi morte vsque ad baptismatis promulgationem defluxit; sub infero, at nullum nouum remedium traditum est humano generi præfato tempore; idem igitur, quod fuerat certum in eadem certitudine permansit, nempè circumcisio. Dices, non esse opus remedium huiusmodi singulis hominibus esse paratum, quoniam nec modo baptismus paruulis decedẽtibus in materno vtero pro remedio paratur: at hæc cauillatio est, quamuis enim ob inscrutabiles diuini iudicij causas paruulorum nonnulli in materna aluo decedentes baptismi remedio frustrentur nihilo tamen minus baptismus ipse toti humano generi paratus est in certũ adipiscendæ salutis remedium, quæ certitudo defecisset vtique in casu allato in argumento; quoniam per Aduersarios circumcisio iam fuerat per Christi mortem ablegata, & baptismus sine promulgatione incertus erat.

Praeoccupatio obiectionis.

68 Quod si dicas cum Soto, & alijs, nec tunc temporis desideratum fuisse certum salutis remedium ab humano genere, quoniam euangelicæ legis gnari vti poterant baptismate; Hæbrei autem gnari circumcisione, non tanquam sacramento legis Moysis, sed tanquam sacramento legis naturæ, quę secundum ipsos vsque ad promulgationem Euangelij permansit; & rursus Gentiles ignari sacramento legis naturæ vti poterant. Argueris tamquam propriæ doctrinæ immemor, quippequi, qui euacuatam per Christi mortem circumcisionem putaras, iam in remedium assumi potuisse fateris: adde quod antiquam omnem legem nouum testamentum veterauit, alioquin & nunc temporis etiam naturalis legis præcepta, & sacramenta vigerent.

Instantia pro Soto.

Neglecta.

69 Tertiam denique asserti particulam ex Apostolorum actibus comprobabis *cap. enim.* 15. interdicta primo legitur circumcisio Gentilibus habito peculiari de hac re consilio Hyerosolimis, *& cap.* 16. Paulus circũcidit Timothæum *& cap.* 21. sicuti, & cæteri legalia seruabat Paulus, quare vniuerso illo tempore defluente circumcisio tanquam licita Iudæis occurrit, at quãtum tempus hoc fuerit, egregiè edocet Scotus statui pro certo non posse, siquidem nec Scriptura, nec Patres præcisum interdictæ circumcisionis tempus testantur; quare dicendum specialis aliqua reuelatione ductos Apostolos, vel successores eorum statuto tempore, quod tamen quale, quantumque fuerit ignoratur; circumcisionis, ac legalium licentiam de medio tulisse.

Probatio tertiæ partis asserti.

70 Veritatem hisce pronunciatis effatam hæc ex Aduersarijs conturbant obiecta; primo ex auctoritatibus sacrę Scripturæ pronunciantibus legem veterem in Christi morte expirasse, quales sunt *Rom.* 7. vbi Paulus per Christi mortem nos à peccato, & iugo legis proclamat exemptos, & rursus *Hab.* 7. docet legem fuisse translatam translato Sacerdotio; & rursum reprobatum fuisse præcedens mandatum, *& cap.* 8. antiquatum fuisse testamentum prius à nouo testamento, quod confirmatum fuisse in morte eius *cap.* 9. expresse Paulus docet.

Argumentum primum in oppositum ex scripturis.

71 Secũdũ ex Patribus, inter quos præcipuè Augustinus, & Hieronymus cõuenisse videntur *epist.* 19. quod lex vetus expirante Christo expirauit, & ipse Augustinus *q.* 21. *noui testamenti* patentissimè docet circumcisionem vsque ad Christum indultam fuisse (sũt autem Augustini verba hæc) *Abrabam circumcisionem in Christo promisso accepit, vt tamdiu circumcisio curreret, quamdiu Christus nasceretur promissus Habrahæ &c.* & post pauca, *ideo Christus debuit circumcidi, vt ipse probaretur esse promissus Habrahæ, ita vt de cætero circumcisio cessaret, impleta promissione.* Quæ Augustini verba ante mortem etiam Christi euacuatam circumcisionem fuisse testantur.

Argumentatio 2. ex Patribus.

72 Tertio ex rationibus; quia nullus inferior legem superioris abrogare potest; at Mosaycam legem, & circumcisionem instituit Deus in fœdus sempiternum *Gen.* 17. ergo nullus inferior à Deo illam potuit ablegare, Christus enim non ablegauit, qui & Matth. 5. dixit venisse se, *vt adimpleret, non vt solueret legem.* & secundum se ipsum vniuersę legi se subiecit.

Argumentũ 3. a ratione

73 Hæc tamen ex doctrina præiacta vno, vel altero verbo diruet, etenim scripturarum testimonia conuincunt ad summum expirasse legalia in morte Christi tamquam in causa, similiter, & transla-

translatum fuisse sacerdotium, & non obinde obligationem nouæ legis; & veteris ablegationem in ipso Christi mortis articulo expirasse contendunt.

74 Ad Patrum placita dicendum, Hieronymum vtique ità sensisse, vt putaret post Christi mortem legalia statim mortifera fuisse, Augustinum è contra sensisse, nos autem hoc loco Augustini sententiā amplectimur fideliter ex Apostolicis actibus excerptā, quibus non simulatè ad auferendum Iudæis Scandalum, vt Hieronymus sensit, sed verè à fidelibus seruata legalia vsque ad secundum Hyerosolimis habitum Concilium, & post aliquod etiam subsequens tempus à Iudæis ad fidem conuersis legalia seruata conspicimus: quapropter ex his elici potest Augustinum *q. 21. noui testamenti* non existimasse statim ac natus est Christus, & circumcisus, circumcisioné inhibitam fuisse, sed putasse per aduentum Christi, qui fuit Abrahæ promissus, ablegatam vtiquè circumcisionem, sed non statim; alioquin Augustinus esset sibi ipsi contrarius.

Patrum sē-tentia ex-plicata.

75 Ratio in oppositum adducta facile ruit; quia idem, qui fecit legem, legem destruxit siue per se, siue per Apostolos; quoad verò cessationis legalium causam iam dictum est, causaliter expirasse legem in morte Christi, licet non prò tunc, sed pro tempore promulgationis noui testamenti, & mortis Christi, quæ fuit causa destitionis eius: re vera autem quo ad gentes reuocatum fuit circumcisionis præceptum, abrogata licentia *Act. 15.* ab Apostolis Petro, & Iacobo Spiritu sancto dictante: habetur enim ibi *visum est nobis, & Spiritui sancto, &c.* en quomodo vsus est Spiritus sanctus Apostolorum ministerio ad reuocandā veterem legem; licet ipse, qui fecit, reuocauerit: idem puta factum succedenti labente tempore quoad Iudæos quamuis tempus hoc præcisum scriptura non memoret.

Soluitur ratio in oppositum.

76 Quod dicitur circumcisionem datam in sempiternum fœdus; exponit Scotus primo, vt fædus hoc, vel futurum esset sempiternum in se, & hoc non, nisi vsque ad promulgationem Euangelij, vel in æquiualente, & hoc conceditur; quia fœdus remanet in baptismate. Exponit secundo, quod fœdus illud sempiternum dicitur inter Deum, & Abraham; quia semen illud nullum aliud speciale signum habuit interesse, & Deum; sed quoniam futurum erat, vt quoddam signum fœderis traderetur commune inter Deū, & humanum genus vniuersum; melius fuit illi semini Abrahæ subire commune fœdus, quam remanere sub signo speciali; quia melius est partem esse in toto, cui simpliciter benè fit; quam distingui à cæteris partibus, quod alijs malè fit.

Responsio Scoti duplex.

77 Exponi à nobis potest tertio vocabulum sempiterni sicuti, & æterni vocabulum interpretatur Sanctus Bonauentura *in 2. dist. 19.* non pro eo, quod in perpetuas ducitur æternitates, sed pro eo, quod longissimo tempore perseuerat, quæ acceptio, ac nominis æterni interpretatio satis communis est apud sacræ paginæ interpretes.

Expositio nominis sēpiterni ex Auctore.

Quod postremo additur, quod Christus *non venit soluere legem, sed adimplere*: habes responsum ex dictis moralia scilicet non fuisse soluta, cæremonialia vero, ac iudicialia soluta fuisse in se, sed non in æquiualenti; proinde dicas circumcisionem, ac legem quantum ad fructum, cuius merito instituta erat, non destitutam, sed instituto copiosiori, ac perfectiori remedio fuisse adimpletam.

Ad vltimum oblectum.

Ex his habes, quænam ex propositis in vestibulo capitis opinionibus prima ne, an tertia veritati magis accedat.

78 Quod Patres nonnulli piè de Sancto Latrone comminiscuntur, excessiuè dictum puta iuxta eam fortasse sententiam, quæ tempestate eorum vagabatur in vulgus; pius etenim latro nullo (me iudice) fluminis baptismo lotus est; nam si lotus; dic (amabo te) quando lotus, in cruce ne, an ante crucem? si in cruce, dic rursus, quo ministro? qua forma? qua aqua? numquid ea, quę mixta sanguine è latere Christi effluxit? at si ea, quis tamquam minister vsus est iam mortuo Christo? is enim post exalatam animam vulneratus in latere fuit, dic rursus, quomodo nosti effluente e Christi latere aqua sanguine mixta latronem superstitem fuisse, cui iam dudum fregerūt milites crura? Si ante crucem, dic rursus, numquid in carcere constitutus, an dum inter nemora, & syluas in prædam debacchraretur? hæc certe omnia ludenda potius sunt, quam eludenda; iustificatus enim ex propria confessione fuit latro *dum dixit, memento mei, &c.* nec vllum recepit baptismū

Solutio difficultatis de pio latrone, an decesserit baptizatus.

dum

dum nullum adhuc non promulgatæ lege necessarium erat; & sane, vt hucusque decursum est, fluminis baptismo non eguit, nec habuit, nec dicendus est proinde flaminis baptismo baptizatus, qui in voto baptismum fluminis includit, qui tamen, vt diximus necessarius non erat, nec baptismi licet cruentatus in corpore, sanguinis accepit: præterquam quod enim ante lethale vulnus iustificatus est in Christi

Luca 23

verbo, *hodie mecum eris in Paradiso*; ipse etiã non propter Deum, aut propter iustitiam legis passus est, sed propter sua scelera, nec mors illa necessitatem baptismi aquæ suppleuit, quæ tamen supplenda est à morte, vt martyrij nomen subeat; quoniam scilicet sine promulgatione Euangelij nulla capessendi baptismi necessitas fuit.

75. Ex his habes etiam secundum dicendi modum non solum erroneum, sed Hæreticum esse; quia scilicet patenter admodum hoc sensu locutus est Innocentius, quem videre, & non contendere debuit Caietanus parum, me iudice, rituum gentis Africæ gnarus: similiter & Surius, & Goes; nam isti in primis, qui Dauidi (ita enim nuncupabatur Pretiosus ille, seu Præsbiter Ioannes Surij, ac Damiani Goes tempore) Nubiæ Regi parent, non Indi, sed *Afri* sunt; vt patet apud Gerographos, situm est enim Nubiæ, & Æthiopum latissimum Imperium in *Africa* inter Monopotamam, Ægyptum, & Rubri fines Maris, Nilo fluminum maximo totam pene Regni oram intersecante;

Secundus modus dicendi hæreticus

erroris autem prædictorum Auctorũ causa fuit antiquioris orbis descriptio, secundum quam Presbiter Ioannes in extremis *Asię* oris principatus, fuisse dicebatur post magni Cani *Tartarorum* Principis Imperium; cæterum huius sæculi descriptores orbis, & peragratores singuli, Presbiteri Ioannis Regna in extremis ferè Africæ limitibus collocarunt, vt videre est apud Annuales Patres Societatis Iesu litteras inde Romam directas Patri Generali, Labuntur insuper Caietanus & Goes existimantes non ex superstitione, sed ex Religione circumcisione populos illos vti; etenim oculati testes *Maronitæ* à *Libano* Gabriel Sionita, & Ioannes Hesronita in tractatu de Vrbibus, & moribus orientalium *cap.* 14. patenter monent Copsitas, qui & Euthichiani sunt Ægypti, Nubię, & Æthiopiæ indigenas esse; & circumcisionem Iudaico more adhibere cum baptismo, quam ad salutem necessariam esse rentur, hinc & perperam illud Ioannis interpretantes *ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne*, elementarem aquam non esse satis ad baptisma rati ignitum adhibent ferrum, quo baptizatorum fronti Crucis signum nouo charactere inurunt. *An* hæc autem Religio sit, an error, & hæresis, vide lector candide. Argumentationi autem Caietanicæ dicendum, quod præter distinctionẽ ab ipso latam, actus etiam dicitur malus, quia prohibitus, qualis est Circumcisio, quã nec ad sufferendum Christi dolorem, neque ob imitationem eius modo licet adhibere.

Error Caietani Surij, & Goes.

Gabriel Sionita & Ioannes Hesronita

Æthiopum insania.

QVA

QVA NECESSITATE NE-
cessarius sit Baptis-
mus.



CAPVT IIII.



75 AD hanc etiam disputationem de baptismi existentia ex proposito quondam à nobis instituto postulationem necessitatis baptismi reuocamus, quam etsi Recentes per mille quæsita prosequuntur *in 3. p. q. 68. art. 3.* nos in re morali, & Parochorum, & ad summum positiuorum Theologorum propria breuibus agendum duximus. Et pro veritatis enucleatione supponendum est primo ex communiter effatis, sacramentorum necessitatem duplicem esse, quarum altera necessitas medij, altera præcepti appellatur; quid vtraque sit vno verbo expressimus *disp. 1. de Sacramentis in Genere capite 5.* nunc vero, dum proprius de ijs loquendi apponitur locus vberius explicanda est vtraque necessitatis conditio, & necessitatem medij vocandam volumus eam, quam alij vna adiecta syllaba remedij necessitatem appellant, quæ, vt ex ipsa voce sonat, ea est, qua quidpiam ad finem assequendum suapte natura, vel ex diuina voluntate necessarium est, ita vt de communi lege alio medio finis haberi nequeat, vel ex rei ipsius natura, vel ex disponeneute Deo, qui finem illum non alio decreuit medio dandum; præcepti necessitatem vocamus eã, qua aliquid ex iure sibi imposito necessariũ est, nã etsi finis alio medio quandoq; acquiri queat, potest tamen in assecutione illius quippiam constitui ex præcepto, & penes hoc vtraque secernitur necessitas, quod illa circa ea versatur solum, quæ pro finis assecutione simpliciter expetuntur; hæc autem circa ius à legislatore institutum: videntur aut hæc duo necessitatis vocabula ad inuicem se habere tanquam includens, & inclusum; nam quæ sunt necessaria necessitate remedij simpliciter necessitatem præcepti inuoluunt; at non è contra; nisi quatenus præuaricator præcepti indignus efficitur consecutionis finis, propter quem latum fuit mandatum.

Necessitas medij, & præcepti quid.

Discrimē vtriusque necessitatis ad inuicem.

76 Rursum necessitas remedij latius patere inde dignoscitur, quod respectu omnium æqua est, præcepti vero necessitas vel non est respectu omnium; quia scilicet non æque omnes iussis obtemperare tenentur; sicuti si dicamus necessarium esse ordinem necessitate præcepti similiter, & matrimonium; quia hoc in mandatis dedit Adamo Deus dicens, *crescite, & multiplicamini*, de illo autem Moysi siue Aaroni; mandatum hoc peculiares ligat personas, non vniuersam humani generis prolem; alioquin vel omnes tenerentur non nubere, vel omnes tenerentur nubere; vel si præceptum omnibus dater, quemadmodum de baptismo dicitur latum præceptum, deque penitentia item, obseruatio eius æqualiter omnes ligat; quoniã infantes etsi non baptizati damnantur, hoc autem non ideo fit, quia flocci mandatum baptismi, vel penitentiæ faciunt, sed quia baptismus necessarius est illis necessitate medij; nam preuaricatio præceptorum non imputatur eis; quia nondum apti sunt nati seruare mandata.

77 Supponendum secundo indiscriminatim hoc loco peti necessitatem baptismi in ordine ad personas, siue illæ adultæ sint, siue paruulæ, & infantes; rursum & sub hoc ipso petitionis titulo inuolui tempus dilationis in suscipiendo baptismum; an scilicet differri possit, an præfinitum fuerit susceptionis eius tempus, hæc enim omnia ad idem necessitatis caput vocantur.

Tituli que sit explicatio.

78 Mittimus hoc loco Pelagianorum hæreses negantes, simpliciter baptismum necessarium esse ad salutem; quia ex alio errore, quo statuebant originale peccatum nullum paruulis imputari, hunc secundum inuexerunt negligentem baptismi necessitatem.

Pelagij error.

79 Mittimus & Vuiclephi errasum negantis ex alio capite baptismi necessitatem; quia scilicet arbitratus est nimium diuinæ potentiæ derogari necessitatē inuehendo baptismatis, quasi vero alio modo nequeat Deus seruare paruulum, vel adultum, nisi manibus vetulæ obstetricis, vel alterius abluatur.

Error Vuiclephi.

80 Mit-

Caluini, Zuinglij et Buceri errores

88 Mittimus denique Recentium Nouatorum errorem, nempe Caluini *in Antidoto Concilij Tridentini sess. 6* Zuinglij *in lib. de vera, & falsa Religione* Buceri *in cap. 3. Matthæi*, & aliorum asserentium pueris prædestinatis non esse necessarium baptisma; quia scilicet & sine illo saluantur, nec etiam præscitis prodesse; nã & cum illo damnantur: contra quos vide Cardinalem Bellarminum *lib. de sacramentis*, Valdensem *tom. 3. de sacramentalibus*. & alios; etenim dogma fidei de baptismi necessitate traditur in Concilio Tridentino, quod prius tradiderat Eugenius Quartus in Florentina Synodo instruendo *Armenos in parag. primum omnium &c.* in Tridentino autem Concilio apertius dicitur *sess. 7. can. 5. si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est non esse necessarium ad salutem anathema sit &c.* Immo & Christus ipse seruator Ioan. 5. tam dilucide, ac patenter necessitatem baptismi declarauit dicens *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in Regnum Dei &c.* vt nefas sit de hac veritate amplius dubitare.

Pelagii erratum

89 Quod enim somniabat Pelagius, baptismum esse vtique ad assecutionem Regni cælestis necessarium, non vero ad assequendam fælicitatem æternam, ridendum est, quasi vero æterna fælicitas alibi haberi posset, quam in Regno Dei, & notanter dicitur, *in Regno Dei*; quia vbi Deus est, ibi & fælicitas, & vbi Deo fruitur, beatus est fruens, siue in Cælis sit, siue in terris; quoniam Dei visio, & fruitio rationem beatitatis complet.

Obiectum.

90 Quod si dicas allatum Ioannis testimonium à nobis *superiori capite* interpretatum de necessitate baptismi, quo ad reserandas cæli fores, non quo ad delendum originale peccatũ, quod videtur cõtraire Concilio Tridentino *sess. 6. de iustifica. cap. 4.* vbi describendo iustificationem; *quod sit translatio ab eo statu in quo quis nascitur primi Adæ filius in statum gratiæ &c.* quam traslationem sine lauacro regenerationis fieri non posse declarat, addit in huius comprobationem; *sicut scriptum est, Nisi quis renatus fuerit, ex aqua &c.* atque adeo cõminationem illam Christi non ad aperiendas cæli Ianuas, sed ad iustificandum per baptismum refert.

Soluitur.

91 Non obstat, non etũ dicatur baptismus ibi necessarius ad aperiendos cælos, & ad aditum hominibus in eos præbendum, cum hoc etiam implicite, immò satis aperte necessarius dicitur ad iustificationem adipiscendam; siquidem sine ea aditus homini in cælos non patet. Adde quod nomine Regni Dei vt diximus beatitatem intelligimus æternam, hæc autem à non iustificatis haberi nequit, quare idem erit asserere necessarium esse baptismum ad cæli aditum præbendum, siue ad beatitudine donandum homines, ac dicere necessarium esse ad iustificandos homines, siquidem iustificati tantum ianuas cæli ingrediuntur, & æterna fælicitate donantur, non iustificati vero nequaquam ex regula illa, *quod est causa posterioris, quod necessario à priori pendet, est etiam causa prioris iuxta illud, propter quod, vnumquodque tale, & illud magis*.

Caietani modus dicendi.

92 Missis ergo Hæreticorũ nugis cũ Catholicis videnda res est. Caietanus igitur loquendo de paruulis *in art. 1. q. 68. 3. p. S. Thomæ* tam exiguæ necessitatis arbitratus est esse baptismum, vt nedum putarit sine baptismo, aut martirio re ipsa suscepto saluari posse paruulum aliquem de speciali Dei priuilegio, sed paruulos omnes, quibus nequit applicari baptismus ex fide parentum saluari posse, quoniam in hac ipsa fide visum est illi inclusum esse votum baptismi fluminis: in hanc autem opinionem eo iuit lubentius, quo visum est sibi impium asserere Deum, cuius natura bonitas est, & misericordia paruulos in vtero materno periclitantes sine remedio nulla supposita peculiari ipsorum causa damnari.

Gersonis & Gabrielis placitũ

93 Gerson autem Cancellarius Parisiensis & ipse vir summæ eruditionis *tom. 3. suorum operum quodam sermone de Natiuitate B. Mariæ* post quem Gabriel Biel *in 4. d. 4. q. 2. art. 3.* licet id omnibus accedere infantibus negarint, non esse tamẽ desperandum monent de diuina misericordia, & orandum, vt Deus supplere in ijs velit defectum baptismi, siquidẽ potest, si vult ex peculiari gratiæ dono iustificare in materno vtero infantes; quare & isti necessitatẽ baptismi in paruulis restringere videntur: idem sentire visi sunt *Altisidiorensis in sua summa lib. 4. tract. 3.* & *Syluester verbo baptismus &c.* non quidem de pueris in aluo materno decedentibus, sed de ijs, quibus vel ob formæ, vel ob intẽtionis defectũ in ministro applicatus baptismus nullus est, & in infantili ætate decedunt, hoc enim casu Deum putant vices supplere baptismi.

Vasquezij sententia.

94 E contra vero Gabriel Vasquez *disp. 151. cap. 3. supra quæst. 68. 3. p. S. Tho-*

ma tantam huius sacramenti necessitatem agnoscens tanx facit, vt temerarium putet asserere posse Deum al quem infantem sine baptismo saluare. Atqui hæc de infantibus.

95 De adultis vero, tantæ apud quosdam necessitatis fuit baptismus, vt referente Bernardo *epist. 77.* crediderint, nullum posse adultum saluari sine baptismo re ipsa suscepto, quamuis desiderio flagrarent baptismi, & per eos non staret quominus sacro illo lauacro regenerarentur; in hunc etiam errorem lapsus est *Michael* quidam *Baius* Louaniensis professor, contra quem duo Pontifices summi rescripserunt, Pius videlicet V. & Gregorius XIII. Hæc de necessitate baptismi secundum se.

Error Michaelis Baij

96 Cæterum de necessitate temporis suscipiendi baptismatis non leuis vrget difficultas, nam de paruulis quod veteres aliqui senserunt Hæretici referente Bernardo *epistola* 140. nuper Anabaptistæ validiori conatu sibi persuasum habuerunt in ea etate non esse nessarium infantibus baptismum; nec propterea dandum tanquam inutilem, ac frustratorium, sed in adulta, & proinde infantes baptizatos in infantili ætate postmodum in adulta iterum rebaptizandos.

De tempore difficultas.

97 De adultis autem duo sunt certa: primum in extremo saltem vitæ periculo præceptum baptismi adimplendum esse, cum enim sit homini necessarium renasci, & natiuitas iterata in hoc sæculo locum habeat dumtaxat, ad minimum in extremo vitæ periculo præceptum recipiendi baptismi ligabit adultos. Secundum certum est, non esse espectādum extremum vitæ discrimen ad receptionem baptismi, vt communi voce proclamant Patres præcipue Nazianzenus *orat. 40. in sanctum Baptismum.* & Crisostomus *homil. 1 in acta Apostolorum & homil. 13. in epist. ad Hæbreos*, vt habetur *dist. 4. de consecratione capite quando quis.*

De adultis

98 Incertum est autem, quousque differre sine imputatione culpæ possit adultus baptismum suum; differri enim per aliquod spatium temporis posse acta Sanctorum ostendunt, nam præcipuè Beatus Martinus decem annos natus Christo nomen dedit; attamen baptismi susceptionē vsque ad expletū decimum octauum annum distulit, quod etiam ab alijs factum nouimus. Sunt in primis; qui putent idem ferendum esse iudicium de baptismo, ac de sacramento pænitentiæ, cuius præceptum non creditur obligare nisi in certo tempore decernendo, vel decreto ab Ecclesia; hinc sin minus Ecclesia sacramentalem confessionem saltem semel in anno in mandatis dedisset, non arbitratur isti præceptum de illo sacramentum suscipiendo ligare; ac proinde isti putant posse certum tempus suscipiendi baptismatis ab Ecclesia signari.

Quousque liceat differre baptismum.

Sententia varia.

99 Alijs vero contra videtur, nullam habere Ecclesiam potestatem decernendi temporis erga baptismi susceptionem, sed interpretandæ dumtaxat diffinitionis temporis à Christo præcepti inadeundo baptismate. Hæc sunt varia variè opinantium circa necessitatem baptismatis placita.

Iam nostram in medium proferre debemus sententiam. Hanc vero, vt mechanismo nostra progrediamus, obseruemus primo extra huius quæsiti statum esse petitionem illam de duplici baptismo flaminis, scilicet, ac sanguinis, quonam modo baptismi aquæ vices supplere queant, quam in hunc etiam materiam Recentis introducunt, de ijs enim baptismatibus; quæ, & quomodo baptismi nomen patiantur per analogiam dicendū est suo loco, quidue operentur; nunc vero temporis intra baptismi aquæ solas angustias diuagantes eius necessitatem metimur. Hæc autem necessitas, præter allatam in capitis vestibulo distinctionem adhuc bifariam spectari potest, præcipue, quæ ad temporis decretum spectant, vel enim ad recipientes, vel ad ministrantes reuocari potest; sicut & ipse baptismus, vt ita dicam actiuè, ac passiuè considerari potest, nec enim vna est, eademque de vtrisque petitio; nam fortasse initijs is certum quandoque baptizandi decretum est tempus, quod baptizandis ipsis recipiendi baptismatis non præscribitur; quamuis enim sicuti sine recipiente, sic sine ministro baptismo esse nequeat datus, præceptum tamen vni potius, quā alteri potuit esse impositum.

Pro sententia Authoris.

Obseruatio prima

100 Rursum obserua quod etsi in Deo penes attributa, quę illi conueniunt omnia vnum sint, neque proinde multiplicitatem venari possimus potestatum Dei; quia timē præceptore Paulo ex visibilibus inuisibilia capessuntur, ex effectibus ipsis multiplicarunt potestates in Deo, Theologi, non ita quidem, vt non vna tantum sit ibi potestas, sed vt in ordine ad effecta non vnico appelletur vocabulo; siquæ igitur effecta sunt

Obseruatio secunda.

que communi iuri constituto à Deo iuxta & rerum exigentiam ab ipso iura dari e promanant, potestatem indicant effectricem Dei ordinatam, vel ordinariam, ordinariam, inquam, quatenus ordinariis, & communibus iuribus respondet, ordinatam vero, quatenus statutis legibus respondet, sunt enim termini fere vniuoci; siquæ verò effecta manant citra ordinatas, vel ordinarias leges, effectricem Dei potestatem absolutam indicant, qua quidem pro libertate vtitur Deus; sicut; ipse nulli debitor, nullius vinculo adstringitur; quamuis de hac temerè non sit quidpiam asserendum à Deo manare, nisi per ipsius Dei speciale monitum liqueat, sic enim Deus res, quas condidit administrat, vt suos cursus agere sinat.

Quid potestas ordinaria, & ordinata.

101 Tertio, quoniam tota difficultas ex notitia legum patet; vno, vel altero verbo hoc loco repetimus, quæ alibi suo loco dicenda sunt; quare obseruandum legem esse generatim duplicem, alteram naturalem, alteram positiuam; naturalem legem voco inditum, ac innatum lumen, & notitiam boni, & mali ipsi naturæ à conditore Deo; itaut illud sit verum ex lege naturæ, quod est notum ex terminis, & nota ex terminis ipsis sint iuris naturæ propria. Descriptio hæc legis naturalis patet; quia lex in communi describitur, quod sit regula quædam, & mensura, secundum quam dirigimur ad opus; cum ergo indita sit quædam naturalis homini regula, & suarum operationum mensura, applicando diffinitionem sui generis speciei cum differentia contrahente fit, vt talis regula, ac mensura dicatur lex naturalis. Legem positiuam diuidimus, vel enim est diuina, vel humana, & rursum humanam partimur in Ecclesiasticam, & politicam; diuina lex positiua est regula è Deo data, & operationum mensura, quæ non est suapte natura cognitio veri noti ex terminis, sed nec repugnans illi, qualis est lex à Deo tradita in veteri, ac nouo testamento, in quo præcepta dantur ad mensurandas operationes humanas, & eorum lumen non quidem ex terminis notitiam parit, sed nec lumini naturali aduersatur. Ecclesiastica lex positiua dicitur regula illa, quam pro moderamine operationum tradunt Ecclesiæ Prælati, similiter & Politica, quam temporales principes condunt pro recta subditorum morum moderatione.

Partitio legis contracta per breuis.

Lex positiua duplex

102 Hæc vno verbo, & crassa quadam Minerua in hunc locum inserimus, quatenus instituto nostro fauent: & rursum præcepta cuiuscumque legis positiuæ præsertim partiri possunt in affirmatiua, & negatiua: ipsũ nomẽ sonat quid sit præceptũ affirmans, quid negãs, & hoc quidẽ asseritur ligare semper, & pro sẽper, illud uero semper quidẽ, sed nõ pro semper, sed opportune, ut in tractatu de fraterna correctione sentiunt Theologi.

103 Hisce decursis. Assero primo, baptismum tam paruulis, quam adultis necessarium esse necessitate medii. Assertio est de fide, & habetur in Concilio Tridentino in sess. 5. de peccato originali ubi & pueros etiam à piis parentibus originem trahentes hac originis macula infici; & per lauacrum regenerationis à peccato originali mundari sub anathematismo decernit, similiter & adultos hoc indigere remedio, & sess. 7. de sacramentis can. 5. de baptismo, sub simili anathematismo decernit baptismum necessarium esse ad salutem, Immo & ipsa ueritas Christus Dominus Ioann. 3. perditionem cõminatur æternam non renatis lauacro baptismatis, & paulo superius dixerat oportet vos nasci denuò, quæ uerba explanans Concilium Florentinum in decreto Eugenii uocat *baptismum spiritualis vitæ ianuam*.

Necessitas medii in baptismo probatur ex Concilio.

104 Hanc eandem uirtutem scripturæ proclamant. Petri 1. *can. cap. 3.* assimilatur baptismus *Arcæ Noeticæ*, in qua salui facti sunt confugientes, quaue egerunt, qui salui facti sunt; ad eundem philosophare modum de baptismo, quo indigent, qui salutem non negligunt animi: & *Act. 2.* rogatus Petrus, quid agendum esset ad salutem. *Pœnitemini*, inquit, *& baptizetur vnusquisque vestrum*. Hanc & Patres uno ore nos docent. Augustinus præcipuè *lib. 1. de anima, & eius origine cap. 10. & lib. 2. cap. 12.* quibus in locis tantam baptismi necessitatẽ agnouit, ut non sit veritus assentiri illis; qui & pium latronem eguisse baptismo docebant. Greg. 4. *Mor. cap. 2.* Hieronymus *dialogo contra Pelagianos 3. & alii* & hucusque loquimur de baptismi necessitate passiue loquendo, hoc est, dicimus hoc assero, ad salutem adipiscendum æternam teneri vnumquemque sacro lauacro regenerari tamquam vero medio. Quod si dicas, at iustificati in materno vtero, vel extra illum regenerari non indigent, & proinde non est illis necessarium necessitate medii. Respondeo, quod si Iustificati sint adulti; quia illis in obseruantia præcepti lati imputari potest, indigent hoc lauacro ex vi præcepti, quod lauacrum ipsum tradidit

Probatur ex scripturis

Probatur ex Patribus

uidit, vt medium; si sint paruuli, & in ea ætate decedant; casus imprimis non dum euenit; sed nec regulariter euenire potest; sed ex dispensatione diuina dumtaxat, qua supposita non est laborandum; quia & ex dispensatione is vita donaretur æterna, vt infra dicetur.

Ratio congruentia

105 Ratio congruens pro asserto sumi potest ex illo communi effato, quo dicimus Deum nunquam reliquisse humanum genus sine necessario auxilio ad salutem; ablegatis igitur antiquæ legis præceptis, ac sacramentis ad originale peccatum delendum congruum fuit aliquod commune singulis necessarium remedium, quod & medium esset ad salutem preparari; qualis est baptismus. A priori rationem si petas, diuinæ sapientiæ arcana timeris oportet, sic enim Deo libuit, dum sacramentum hoc ipsum instituit.

Assertio 2

106 Assero secundo, necessitatem hanc medii in baptismo suscipiendo tantisaciendam, vt regulariter, & de communi lege neque paruulos decedentes sine eo saluari, quamuis de absoluta Dei potestate secus dicendum sit. Hæc assertio duplici parte constatur, altera statuit de communi lege nullum paruulum posse saluari sine baptismo, & est contra Caietanum; altera constituit secus esse dicendum de absoluta Dei potestate: & militat contra Vasquez, & duo citati Auctores extreme pugnant; nam Caietanus dum vili baptismum facit, nimis potestati Dei ordinatæ tribuit, Vasquez vero, dum tanti baptismum facit, absolutam Dei potestatem in nihilum, vt ita dicam, redigit. Vtriusque sententia correptione digna est, & Caietani placitum nonnulli temerarium vocant cum Alfonso de Castro *lib. aduersus hæreses cap. sequenti Baptismus*, & Francisco Suarez *3. tom 3. p. S. Thomæ disp. 27 sect.* [illegible] nouum, & inauditum solum cum Catherino *in adnotationibus contra Caietanum titulo de Sacramentis*. Alii erroneum vocant cum Gabriele Vasquezio *disp. 141. cap. 3.* Alii hæresim apertam appellare non verentur. Siquidem temeritatis [illegible], qui pro libidine nouas inuehit opiniones aduersum communem Scholasticorum, & Patrum sententiam; nouitatis, qui ex cerebro philosophans contra vulgata Scholasticorum asserta [illegible] erroris, qui damnatam opinionem licet non expresse inuehit; hæresis, qui aperte damnatam opinionem [illegible] nunc vero Caietani placitũ Pelagianũ videtur paruulos à necessitate baptismi absolués, nedum nouum aut erroneum, aut temerarium: parcunt tamen multi authores calamo in Caietanum aliqua ex causa, vel quia scilicet ex eadem sunt familia, vel eiusdem doctrinæ, Magistri asseclæ, at aliis licitum est aperire, quod sentiunt, qui Scoti, non Sancti Thomæ doctrinæ, Franciscanæ, non Prædicatoriæ familiæ adducti sunt.

Sententia Caietani quomodo notetur

Contra Caietanum & Vasquez

107 Laude dignus est Pius Quintus Pontifex, qui etsi è Prædicatorio cętu assumptus, monitis eiusdem Magistri edoctus, ne in suum confratrem plus æquo sæuiret, articulum præcitatum è medio tulit, vt notant Recentiores omnes. Quod vero hæresis notam non effugiat Caietani placitum probabis, & hisce probationibus contra ipsum valide assertionis nostræ propositæ priorem partem confirmabis. Probatur, inquam, ex illo Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest videre Regnum Dei*; quem locum ita de paruulis etiam intelligunt Patres, vt simpliciter fieri potestate ordinata nõ posse putent, ut sine baptismo seruari queant infantes, vnde Augustinus *epistola 105. de paruulis dicam, quod nullus paruulus, nisi renatus ex aqua, & Spiritu sancto intrat in Regnum cælorum*, & *lib. de peccatorum meritis, & remissione cap. 18.* loquendo de baptismo paruulorum ait. *Quis Christianorum ferat, cum dicitur posse ad salutem æternam quemquam peruenire si nõ renascatur in Christo quod per baptismum fieri voluit.* Hęc ille, quibus placitum Caietani à Christianis abhorrere, ac ferri non posse docet in explicatione comminationis Christi prædictæ Ioann. 3. *& loco citato cap.* 20 mirum in modum in Pelagianos primos Caietanici asserti propugnatores inuehitur; qui verba illa Christi Ioann. 3. ad solos detorquebant adultos, uideri poterit Augustinus ibi, uideri etiam poterit Beda *super illud Ioan. c.* qui tanti facit comminationem Christi, quanti illam comminationem Genes. 17. *Masculus cuius caro præputii, &c.* quæ certè tam de adultis, quam de paruulis intelligi à quocunque sacræ mentis interprete.

Obseruā factum B. M. Pij Papæ Quinti

Vrgetur Caietanus validè ex scripturis & ex Patribus

108 Quod si pro Caietano quis dicat hæc testimonia non facere, neque conuincere opinionem Caietani esse Hæreticam in hac re; quia non explicitè auctoritates præfatæ de paruulis intelligantur, sed solum iuxta expositionem Patrum; cæterum oppositam sententiam

Responsio pro Caietano nulla

Caietano non esse fide sancitam, nec fide constare allatum Christi effatum Ioan. 3. etiam de paruulis esse intelligendum; audiat Concilium, seu potius secundum Decretum Concilij Costantinopolitani sexti. *si paruulus absque baptismi gratia mortuus fuerit, nouerit ille, qui eum non baptizauit, pro eius anima rationem redditurus, &c.* Quibus patenter supponit interire animam paruuli sine baptismo decedentis: audiat Epistolam Concilij Cartaginensis ad Sanctum Innocentium Papam loquentis de Pelagio, & Calestio. *Paruulos etiam propter salutem, quæ per Saluatorem Christum datur, baptizandos esse negant, ac sic mortifera doctrina in æternum necant, promittentes etiam si non baptizentur, habituros vitam æternam &c.*

Concilium Constant.

Concil. Carthag.

109 Duo igitur dicebat Pelagius. Primũ non esse baptizandos paruulos. Secundum paruulos non baptizatos habituros vitam æternam. Primum eius dictum Caietano non placuit. Secundum arrisit, parum ergo distat eius in hac re assertio à Pelagio. Audiat, & Tridentinum Concilium *sess. 5. in Decreto de peccato originali*, vbi diffiniens *can.* 3. peccatum originale alio remedio, quam per Christi meritum tolli non posse, & applicari hoc Christi meritum tam paruulis, quam adultis per baptismi sacramentum *can.* 4. sub anathematismo decernit paruulos baptizandos, quod erat primum Pelagij erratum; mox vero decreti rationem reddens, adducit in probationẽ auctoritatem præfitam Ioan. 3. aiens *in remissionem peccatorum veraciter baptizari paruulos nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei &c.* Hæc ibi fideliter, & non ex nostro sensu; quibus aperte constituitur interclusum regulariter aditũ in Regnum Dei paruulis nõ baptizatis, vnde patet gratis Vasquezium niti hanc Concilij auctoritatem infirmare, asserendo à Concilio decerni paruulos vere peccato originali esse obnoxios; & damnari asserentes originale peccatum per aliud remedium, quã per Christi meritũ tolli posse: duo enim damnat Concilium, primum est assertum dicentium originis culpam alio remedio, quam per Christi meritum tolli posse, *Alterum* vero dicentium Christi meritum non applicari per baptisma paruulis, & adultis, *& in can.* 4. dum statuit originale peccatum transfundi in paruulos etiam ex fidelibus natos, proindeque regenerandos esse, probat assertionem suam Concilium ex illo verbo Christi *Nisi quis &c.* quare illa Christi comminatio tam de paruulis, quam de adultis lata est; & proinde Caietani oppositum assertum est Christi assertioni et aperte secundum confessionem Concilij Tridentini contrarium; proinde erroneum, quamuis re ipsa Caietanus Catholicus sit, qui non obstinato illud animo protulit.

Conc. lium Trid.

Gratis loquitur Vasquez

Caietani positio erronea est.

110 *Quid?* quod *sess. 6. de iustif. cap.* 4. decernitur absolute neminem iustificari post Euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis, vel eius voto; nec opus est dicere locutos ibi Patres Concilij de adultis solum: quia *ex superiori cap. 3.* cuius doctrinam *cap.* 4. explanant, facile patet locutos esse generaliter, & propterea dum de adultis loquendum fuit, specifice locuti sunt; vt patet *cap. 5. sequenti* quo agitur de præparatione necessaria in adultis ad recipiendam iustificationem; & rursum *loco citato cap.* 4. in probationem necessitatis huius lauacri regenerationis vsurpauit Conciliũ auctoritatẽ Ioan. 3. *Nisi quis &c.* scilicet, quia & illa generatim de quocunque iustificando lata fuit à Christo Domino, cui quantum deroget Caietanus apponendo particulam conditionalem, *si possibile sit, &c.* facilè patet, dum tam diffinite Christus dixit, *oportere nasci denuo*, & tam diffinite Concilium Christi verba inculcat absque limite, & glosa, immo tanti ea facit Concilium, vt *can. 1. de baptismo* anathema dicat iis, qui verba ea ad aliquam metaphoram detorserint.

Et confirmatur ex Conc. Tr.

111 In hunc sensum etiam Christi verba interpretantur *Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. vltimo* docens verbo Christi nullum excipi, nec infantem, nec præuentos aliqua necessitate, & idem qui supra toties citatus *Augustinus lib. 3. de anima, & eius origine cap. 9.* concludens *noli credere, noli docere, noli dicere infantes morte præuentos antequam baptizentur peruenire posse ad Regnum cælorum, si vis esse Catholicus, &c.* Audiat nescio quis Caietani assecla contendens opinionem eius hac in re esse Catholicam, nam Catholico non Catholicũ opponitur; quare si nostra assertio sustinenda est ad hoc vt simus Catholici, opinio oppositum sustinens Catholica non est.

Ex Ambrosio, & August.

112 Cæterum hac Caietanus viderit; veritas planè primæ partis asserti nostri testimoniis hisce decursis lucesit meridiana patentior. Ratio autem à priori à diuina voluntate propendet. Congruentia

tia

tis verò declarari potest,su pposito Augustini effato, quod Deus nullo tempore famulos suos sine remedio ad salutem destituerit, rursum, & supposito cælum iniquis non patere, nil enim inquinatum intrat in cælos, & rursum originis culpam in vniuersum genus humanum esse diffusam iuxta Dauidis etiam placitum psal. 50. & *in peccatis concepit me Mater mea*, &c. & ex his collige in statu euangelicæ legis aliquod necessarium esse remedium, quo curati tam infantes, quã adulti adipisci æternam beatitutem queant, hoc autem conuenit esse baptismũ; quia cum generationi materiali maximam habet conuenientiam generatio spiritualis, & ablutio exterior maximè congruit ablutioni interiori.

113 Altera pars asserti nostri contra Vasquezium constituta decernit posse paruulum de absoluta Dei potestate sine baptismo saluari, & hæc mihi non minus certa videtur, quam superior: etenim nimis infirma satis fuisset diuina potestas absoluta, ac esset, nisi alio modo seruare quempiam posset, quam per sacramentum baptismi; nam eodem modo de cæteris philosophari effectis possemus. Resurrectio secundum ordinẽ, & potentiam ordinatam non fit vsque ad extremum diem, ergo nullum potest nunc temporis Deus euocare à mortuis; consequens tam falsum est, quam vt falsissimum. Concepti ex humano semine peccatum necessario trahunt originis, ergo Deus nequit quempiam præuenire ne contrahat, consequens derogat puritati Virginis, quam sine labe conceptam ex præuenienti gratia fatemur: ita in re nostra, sine baptismo non quenunt homines siue adulti, siue paruuli salutem adipisci æternam, ergo Deus absoluta sua potestate neminem potest infantem sine baptismo saluare, consequens videtur mihi Caietani assertionis censura notandum; Deus enim nulli debitor est, Deus nulla lege ligatur, qui supra leges est, & qui legem condidit, legem destruere potest, siue suspendere pro arbitratu suo, immo Vasquez in assertione sua imbecilliorem facit Dei potestatem absolutam, quam hominum; nam & in lege Politica principes quempiam à lege immunem facere possunt.

Arguitur Vasquez.

114 At dixeris. Vtiq; ab obseruãtia præcepti, nõ autẽ à necessitate medij. Contra insurgam. Tam erat necessarium sacramentum circumcisionis necessitate medij Hæbreis ad salutem, quam toti mundo baptismus; at sine circumcisione potuit Deus maculam delere originis ac de facto deleuit Ioanni Baptistæ, & Hieremiæ, quos in materno vtero sanctificauit, quibus, si in aluo matris circumcisi decessissent, vtique salutem impertitus esset æternam; vt quid ergo hoc nequit in defectu baptismi, an imbecilla magis diuina potestas euasit? An etiã diuinam suam potentiam absolutam sacramentis alligauit Deus? *At vtique*, inquit, Vasquez *alligauit pro paruulis non pro adultis*, sed in hac responsione duo errata corrige, primum quod miseriorem pro paruulis Dei potestatem facit, quam pro adultis, siquidem pro his potest, pro illis non potest; secundũ, quod potentiam absolutam destruit, nam eo ipso, quo dicimus potentiam Dei alligatam legi, non de absoluta loquimur, sed de ordinata, siquidem implicat illi intelligere potestatem absolutam alligatam ritu, vel lege, ac potestatem esse, & non esse absolutam, quæ contradicunt: quare Vasquezij opinio non recte cum veritate coheret, dum de potestate absoluta ita sonat.

Responsio, præoccupatur.

Duo Vasquez errata

115 At inquit ille. In sententia Scoti potest vtique Deus nunc aliquid sua absoluta potestate facere non obstante lege communi in oppositum, si decreto suæ voluntatis æterno præfiniuit se facturum aliquid præter illam, verum, inquit Vasquez, quis temere affirmare potest habuisse Deum tale decretum; aliquid faciendi præter legem communem, quare nisi decreti huius reuelationem certam habeamus, temere affirmabimus posse Deum quodpiam præter communem legem operari.

Instatio Vasquez.

116 Verum in hac Responsione, quidquid sit de expositione potentiæ absolutæ in via Scoti, quã bellè decipitur hic Auctor transeundo à potestate ad actum, nam si Deus ab æterno habuit decretum faciendi quodpiam citra legem communem, id vtique faciet in tempore, ne dicamus irritum Dei decretum, & de hoc reuelatio requiritur; quod scilicet fiat aliquid extra, vel citra communem legẽ, seu quod Deus decreuerit facere extra illam legem; sed in hac oppositione nõ sumus in casu nostro, quo potestatem petimus, non actum: vtiquè & ego confiteor sine reuelatione temerarium esse affirmare quempiam, puerum sine baptismo decedentem saluari, quia Deus scilicet dispensauit, quis enim nouit, an dispensarit Deus, at nostra petitio est de potestate, in qua affirmamus pos-

Infirmatur.

posse vtique Deum id facere, vnde arguo contra ipsum.

817 Potuitne Deus habere decretũ faciendi aliquid præter legem communem? necne? si non potuit, ò inopem in quam Dei potestatem, quæ nec aliquid contra legem potuit velle decernere: si potuit habere decretum, quare potuit [illegible] aliquem sine baptismo infantem? nam potestas ad actum respondet potestati ad decretum. *Adde* multas dispensationes de facto in lege communi. Nam omnes mori debere, tum peccati merito, tum ex contrarietate componentium partium, philosophia ac Theologia vniuersa proclamat; attamen Enoch translatus est, non mortuus & num quid moriturus sit in extremo die, non est de fide affirmare, similiter & de Ioanne Apostolo non pauci dubitarunt, an mortuus, an translatus ad [illegible]. Rursum omnes peccare in Adam & peccatum contrahere originis & tamen etiam in Vasquezii sententia Virgo non contraxit, sed nec peccauit in Adam secundum plerosque e Societatis Vasquezii familia; quare cum leges singulæ suspendi à Deo queant, non est cur putemus non posse absoluta potestate hanc legem de recipiendo baptismo à paruulis, suspendi à Deo. *Adde* contra Vasquez quòd ea potestati absolutæ Dei subiciuntur, quæ contradictionem non inuoluunt; at non baptizatum intrare in Regnum Cælorum sua natura non contradicunt, vt patet, licet secus ex lege Dei ordinata.

Dispensationes à Deo factæ

818 *Assero tertio.* Adultis baptismum reipsa susceptum non esse necessarium necessitate medij eo modo, quo paruulis. Hæc assertio nõ est primæ assertioni nostræ contraria, ea enim generatim baptismi necessitas tamquam medij statuitur; at non exponitur; an ita sentiendum sit de baptismo re ipsa suscepto, nam & nos hoc loco non imus inficias ob rationes hucusque tactas ex auctoritatibus Conciliorum, Sanctorum Patrum, & Scripturarum, baptismum necessarium esse ad salutem. Hoc autem ita intelligimus, sicuti Concilio Tridẽtino docemur *Sess. 6. de Iustif. cap. 4.* scilicet iustificationem vtique non posse haberi post Euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis, vel eius voto; Baptismus igitur, vel votum baptismi necessarium est necessitate medij ad salutem adultis, ad ultis inquam; quia paruuli nullo in ea ætate voto, ac desiderio effici possunt, at simpliciter baptismus re ipsa susceptus non est necessarius necessitate medij, cum possit ex doctrina Concilij satisfesse votum eius; porrò prius assertum genericè constituit necessitatem baptismi pro vt etiam votum eius includit, hoc vero specificè de baptismo reipsa suscepto positum est, & ex ipsa ratione necessitatis medij probatur.

Assertio 3

819 Necessarium necessitate medij, siue remedij illud est, sine quo finis haberi nequit, atqui beatitudo, & gratia; seu, atqui iustificatio absolute alio medio haberi potest ab adulto absque reali susceptione baptismi, ergo realis baptismi receptio non est necessitate medij adultis absolutè necessaria. Minor probatur, nam martyres in primis, qui pro Christo sanguinem profundunt, at vitam etsi realem baptismi aquæ susceptionem desiderent, & ipso martyrio iustificantur, & vita donantur æterna; sicuti Gordiano Iudici, & custodi carceris quadraginta martyrũ factum legimus, qui sola profusione sanguinis pro Christo baptizati inter martyres coluntur, & ii etiam; qui per contritionem atteruntur, & dolore cordis, & amore Dei ducti conuertuntur ad Deum Iustificantur, vt Deus ipse per prophetam Ezechielem monuit. *Conuertimini* (inquiens cap. 18.) *ad me, & ego conuertar ad eos*; quare & sine reali susceptione baptismi iustificatio possibilis est, ac de facto datur, & proinde baptismi receptio realis non est necessaria absolute adultis necessitate medii; nam si iustificari sine ea possunt, & pariter saluari; siquidem iusti intrant cæles iuxta illud prophetæ. *Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.*

Probatio assertionis

Gordianus Iudex, & socius 40. martyrum quomodo iustificati

820 In huius comprobationem habemus duo præclara testimonia Actorum Apostolorum, nam *cap. 10.* Cornelius adhuc in gentilitate manens iustificatus legitur antequam re *ipsa* baptismum susciperet, & sermonem habente Petro Spiritus Sanctus cecidit super quosdam auditores, nondum baptizatos; quos deinde baptizauit Petrus.

Hystoria Cornelij Centurionis

821 Adde Patrũ placita vna confessione asserti huius veritatẽ confirmantia. Ambrosius *oratione de funere Valentiniani Imperatoris*, qui & sine reali baptismo decessit: multa congerit, vt probet Valentinianum etsi cathecumenum gratiam habuisse, quam poposcit, vnde si exempla Actorum probat iustificationem haberi etiã sine baptismo, & exempla Valentiniani conuincit etiam gloriam

Probatio ex Patribus

Nobilis Bernardi consideratio

riam haberi posse sine baptismo realiter suscepto. Bernardus *epistola 77.* hoc idē tradit nobili consideratione verborum Christi Marci vlt. vbi dixisse legitur. *Qui vero non crediderit condemnabitur*, sed deinde non subiunxit. *Qui vero non crediderit, & non baptizatus fuerit condemnabitur:* sed solum. *Qui non crediderit, condemnabitur:* quia scilicet vt notat Bernardus realis negatio susceptionis baptismi realis non est causa perditionis, sicuti realis negatio fidei.

822 Adde Concilium Tridentinū, quod hanc necessitatem non ad solum baptismum re ipsa susceptum, sed vel ad ipsum, vel ad eius votum redegit ita interpretans verba Christi Ioann. 3. vnde habetur *sess. 6. de iust. cap. 4. quæ quidē translatio* (puta iustificatio, quam nomine translationis appellat) *post euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis, vel eius voto fieri non potest, sicut scriptum est. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in Regnum Dei &c.* Hæc ibi, quibus necessitatē baptismi non ad solam realē susceptionem coartat, vt patet.

Verba Concilij.

823 Notanter addidimus in asserto, non esse necessarium baptismum realiter susceptum adultis necessitate medii, sicut paruulis, nā paruulis quidē de cōmuni lege, ac de potētia Dei ordinaria aliud mediū ad gloriā interclusum est, cum propriis ex operibus cum gratia Dei iustificari non possint Infantes sine sacramento, adulti autem, quibus, & moueri à Deo, & conuerti, & atteri, & quandoque conteri licet ante baptismum, realis ipsa susceptio baptismi non est medium necessarium ad gratiam, sed nec ad gloriam; quia si in ea Iustificatione per bonos actus, ac motus decedunt habentes baptismi fluminis votum, etsi ex aliquo impedimento remorentur ab eius susceptione non propterea damnantur.

824 Obseruandum tamen hoc loco pro declaratione voti huius baptismi, quod saltem necessarium est necessitate medii, nisi realis susceptio sit necessaria, quod maxima controuersia digladiantur Recentes Scolastici, quale debeat esse hoc votum, seu desiderium baptismi realis; numquid explicitum; an implicitum? nomine ipsa patent, quod sonant; nā explicitū desideriū, ac votū dici potest elicitus ille voluntatis actus desiderans baptismum; implicitum, vero non ita, sed quasi actus interpretatiuus inclusus in alio actu, exempli gratia. Si quis ex Hispanis soluere tendat in Indos, etsi nihil cogitet de transfretando Oceano, hoc ipso, quod disposuit, se in Indos tendere, implicitē dicitur velle ire trans Oceanum, ac naui, ac rate vehi.

Votum baptismi duplex, & quid vtrumque sit.

825 Sunt, qui solo voto implicito contenti sint cum Vasquezio *disp. 152. cap. 2.* & Suarezio *disp 27. sect. 2.* Sunt qui explicitum desiderent, cum Soto referente Vasquezio, ac Suarezio, sunt denique qui cum Cano *relect. de sacramentis in genere p. 2.* distinctione vtantur, ac dicant, ad iustificationem necessarium non esse votum explicitum baptismi, cum sit satis implicitum, ad beatitudinem vero assequendam necessarium esse habere explicitum baptismi recipiendi desiderium.

Vasquez & Suarez implicito voto contenti

Sotus explicitum petit.

826 Missa longa concertatione placet mihi sententia hæc extrema, quæ adscribitur Melchiori Cano; quamuis reuera ille non de voto baptismi, sed de fide loquatur, addita alia distinctione, vel enim vt notauit Sotus loquimur de adultis, quibus nota est baptismi vis, ac necessitas, vt sunt ii, qui inter fideles ad fidem conuertuntur, vel loquimur de adultis, quibus ignotum est etiam baptismi vocabulum, nedum vis, & necessitas, etiam ignorantia inuincibili, vt sunt infideles apud Indos, & Sinas: hac & superiori distinctione supposita dicerem, in iis, quibus nota est vis, ac necessitas baptismi, si baptismum re ipsa suscipere non possunt, vt vitam adipiscantur æternam, necessarium esse votum explicitum baptismi, nec sufficere implicitum. Ratio est, quia ad ingrediendas cæli ianuas tanta est eius necessitas, vt præcisè Christus dixerit, nō renatos hoc fonte non posse introire in Regnum Dei, quod effatum etsi Ecclesia dilatauit ad votum, id factum puta, quia nō semper realis susceptio baptismi possibilis est, atqui votum semper est possibile in iis, qui baptismo flaminis baptizantur adulti, quid enim facilius voluntati, quam velle?

Aucthoris consideratio

Et eius probatio

827 Hanc necessitatem voti expliciti indicauit Ambrosius, dum de Valentiniano loquens dixit. *Atqui iam dudum hoc voti habuit, vt cum Italiam venisset initiaretur*, & post pauca. *Non habuit ergo gratiam quam desiderauit? non habuit quod poposcit? certe quod poposcit accepit, &c.*, & propterea si necessitas baptismi ad votum dilatata est, in iis, quibus hæc necessitas patet, non est ad votum implicitum dilatanda.

Ambrosius de Valentiniano iudicium

828 Cæterum si loquamur de Iustificatione absolutè dixerimus, iustificari posse adul-

se adultos ex vehementi in Deū amore, & charitate ante baptismum cum solo voto implicito baptismi; quemadmodum de pœnitentia effatur Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 4.* quod cum dixisset ex vehementi amore Dei per cōtritionem reconciliari quandoque homines Deo ante susceptum sacramentū pœnitentiæ, hanc reconciliationem tamē eatenus contritioni adscribit; quatenus votum in ea inclusum est sacramenti pœnitentiæ &c. secundum quam doctrinam pari modo philosophari licebit de baptismo; nec enim res admodum diuersa est.

Disparitas inter gratiam, & gloriam.

129 Quod si dicas: cur maior necessitas ad gloriam, quam ad gratiam? Habes responsum ex dictis, quia Christus cū necessitatem baptismi iniungit eam in ordine ad gloriam potissimum direxit dicens, sine baptismo non posse quempiam introire in Regnum Dei. Adde, quod iustificatio minori tempore transigitur, postea vero multum potest delabi temporis ante mortem, vndè & tempus suppetit appetendi, sin minus realiter suscipiendi baptismatis.

Necessitas baptismi ratione præcepti statui tur.

130 In ijs vero, quibus ignota est vis, ac necessitas baptismi, diceremus, votum implicitum eius esse satis, & ad iustificationem, & ad gloriam; vt si quis inter Infideles legis nostræ præcepta seruans Deum ex vehementi charitate diligeret & in ea dilectione vsque ad finem vitæ perseuerans decideret, huic non esset neganda gratia, sed neque gloria; quia in illa contritione suorum errorum, quæ perpetrauit, & contraxit formata ex charitate, inquè illa dilectione Dei virtute includitur votum baptismi minimo, & cæterorum mandatorum Dei, cuius vtique præcepta seruaret, si nosset, quem diligit: & hoc multo magis dicendum est de ijs, quibus voce tenus Christianum nomen illuxit absque vlla distinctione necessariorum mediorum, nam si decidant contriti cum voto legem amplexandi nostram cum implicito voto baptismi decedentes saluari dicendi sunt.

131 Assero quarto, sacramentum baptismi necessariū esse etiam ratione est præcepti singulis hominibus. Recentes in hac assertione excipiunt paruulos ita vt solum adultis baptismus sit necessarius ex præcepto, fortasse tamen ex ijs, quæ in probatione eius ferenda sunt, videbitur non esse quempiam ex hac lege excipiendum, quamuis paruuli nondum doli capaces non dicantur obuiam ire præcepto, nec illis imputatur transgressio in peccatum; hoc autem potius ex ratione subiecti, quam ex præcepto ipso oritur, quia potest esse commune præceptum, & ligare omnes, quamuis ob impotentiam aliquibus non imputetur, & excusatione legitima præpediti non dicantur transgressores: ita in re nostra videri poterit singulis hominibus latum de recipiendo baptismate mandatum; nec à lege hac solutos aliquos cuiuscumque status; quamuis paruulis non imputetur in se ipsis, quia nondum vsu perfectoris rationis præditi sunt, quo potiti etiam si adulti non essent tenerentur baptizari, defectus ergò ætatis excusat à transgressione, non excludit à præcepto; immò nisi paruulus etiam baptizatur, & sic decidat, quamuis transgressio non imputetur illi, adhuc imputatur ijs, qui cum non baptizauerunt, vt patet ex Concilio Constantinopol. supra citato ijs verbis, *nouerit is qui cum non baptizauit se pro eius anima rationem redditurum* tantum scilicet est huius sacramenti recipiendi præceptum, quod patet primo *ex illo Ioan. 3. frequenter citato nisi quis renatus fuerit &c.*

Obseruatio paranda.

Explicatio verborum Christi.

132 In cuius explicationem obserua locutum fuisse Christum in tertia persona *nisi quis* non vero in secunda, sicut alias de sacramento Eucharistiæ loquens dixit, *Nisi manducaueritis &c.* scilicet, quia præceptum illud commune est; hoc vero partiale, illud omnes complectitur hoc vero adultos tantum; & dispositos, vt suo loco, propterea de hoc dixit *Nisi manducaueritis* vos, scilicet qui Sacerdotes futuri estis; vos, qui adulti estis; vos qui disponendi estis per lotionem animæ à peccato, at cū loqueretur de necessitate baptismi simpliciter effatur *Nisi quis &c.* quia scilicet omne, quod nascitur, renasci debet siue adultæ sit, siue puerilis ætatis; ita etiam locutum est Concilium Tridentinum *sess. 7. can. 5. de baptismate* dum anathema dicit ijs, qui dixerint baptismum non esse necessarium, sed liberum, vbi videtur loqui de necessitate præcepti, dum necessitatem opponit libertati, quæ est actus, seu in voluntate sita est: si enim loqueretur de necessitate medij necessitatem distingueret ab vtilitate, ac diceret anathema ijs, qui dixerint baptismum esse vtilem tantum, non necessarium, sed dum necessarium opponit libero aperte indicat se de necessitate præcepti diffiniuisse.

Verba Concilij explicata.

133 Adde, quod *ex doctrina nostra in obserua-*

serua-

seruationibus praelatis necessitas medij includit necessitatem praecepti, siquidem si per obseruantiam praeceptorum vitam adipiscimur aeternam iuxta illud seruatoris Matth. 16. *si vis ad vitam ingredi serua mandata,* sub praeceptum vtique cadere dicenda sunt media illa, quae nobis ad vitam viam parant, & faelicitatem aperiunt aeternam.

Matt. 16.

134 Adde demum, quod si sacramentum baptismi non esset necessarium ad salutem necessitate praecepti, baptizati baptismo flaminis, & baptizati baptismo sanguinis non tenerentur ad excipiendum hoc sacramentum data opportunitate illius; at consequens est falsum, ergo & antecedens: consequentia deducitur; quia baptizati baptismo flaminis per contritionem, & vehementem Dei super omnia amorem nullo peccato obstricti sunt, & nihil sibi conscii sunt, quare medium habent ad salutem necessarium necessitate medij; quod est gratia similiter & qui Martyrium subeunt; quamuis in illa afflictatione non moriantur statim, vt patet de B. Marcello, qui in stabulo diu vixit, & de B. Martino qui apud Chersonesum exul diu sub martyrio fuit, ij ex ipso martyrio gratiam subeunt, & proinde medium habent necessarium ad salutem; nihilo tamen minus & quicumque ita se habent baptizari tenentur aquae baptismo, si opportunitas adsit, quare &c. falsitas consequentis probatur; quia vtrisque scilicet & ijs, qui contritione iustificantur, & qui passione, gratia non datur post Euangelium promulgatum, nisi votum habuerint suscipiendi baptismatis, vt docet Concilium Tridentinum diffiniens sine hoc lauacro, vel eius voto nullum iustificari, nisi ergo opere votum, ac desiderium impleant illi iustificationem perdent, ac damnatione plectentur aeterna; notanter dixi, *cum opportunitas adfuerit;* quia cum hoc praeceptum positiuum sit affirmans, obligat semper vtique, sed non pro semper; alioquin stante etiā impossibilitate receptionis eius, puta ob defectum materiae, vel ministri decidens non baptizatus quamuis contritione, vel martyrio affectus, periret, quod falsum est, quia de martyrio ait Christus Marci 8. *Qui perdiderit animam suam propter me inueniet eam;* & de contritionis vi Zachariae primo ait Deus, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.*

Marcellus & Martinus martyres, sine effusione sanguinis.

Marci 8.

135 Ex hoc loco deduc Christi *Apostolos* hoc etiā praecepto fuisse obstrictos, quamuis alias iustitiam receperint, & proinde de facto hoc lauacro lotos vt egregie monet Scotus *d. 4. 4. sent. q. 6.* nisi dixeris Deum cum *Apostolis* in hac lege dispensasse, quod tamen vt improbabile reijcit Scotus siquidem vbi nulla adest dispensandi ratio, & occasio, non est facile coniecturandum dispensationem intercedere, non enim dispensantur leges communes, nisi ex causa: at dispensandi cum eis quae necessitas? quae vtilitas? certe nulla; quia ij non fuissent Deo grati magis non baptizati, sed nec vtiliores magis vniuerso orbi, cuius salutis destinati erant praecones, ac magistri; quia efficacior est, is qui opere implet, quae docet, quam qui docet, & non implet, quo fit vt Christus dicatur *Act. 1.* caepisse facere, & docere; quare si baptismatis necessitatem inuehere debebant mundo conuersos non est verisimile si exempla non gesserint in se ipsis, & hanc eandem ob causam subdit Scotus Virginem quoque Deiparam non fuisse ab hac lege solutam; nisi forte excepit illam Deus à communi lege, cum suppeteret ratio dispensandi; *quia scilicet forte* (vtar Scoti verbis) *habuit in conceptione filii sui illam plenitudinem gratiae, ad quam Deus disposuit eam peruenire.*

Apostolos fuisse baptizatos docet Scotus

Similiter puta de B. Virgine

136 Haec Scotus, contra quem scio Sotum niti contendere nullam adfuisse dispensandi Virginis Deiparae ab illa lege causam; propterea *in 4 d 5. art 2. q. p.* debuisse Virginem necessario ex praecepto baptizari contra Scotum exclamat. Sed nescio, an odio magis erga Scotum, quia Minor est, an quia Virginei pudoris assertor, dum tam pro vna particula *forte,* quam Scotus apposuit non affirmando, laborat, quid si affirmasset Scotus Virginem ab hac lege exemptam? & illam igitur baptizatam, & legi huic paruisse subiectam docet Scotus *loco citato, litera B,* dum ait *Consimiliter supponendum est de B Virgine &c. quamuis posset dici exempta; quia forte illam exemit Deus, &c.* illud igitur ut certum supponit; hoc ut probabile sub dubitatione proponit. Sed haec lusimus, ut nimium Scoti aduersariorum in eius dicta vel sub dubitatione ardorem comprimeremus, ac temperaremus.

Sotus in Scotum mordax, & sine causa.

137 Interim si petis, cur hanc legem intexerit Christus de suscipiendo baptismo; is tibi, qui condidit legem, arcana mentis suae reuelare potest, si liberius à priori constitutionis praecepti huius rationem aliam ab eius voluntate nancisci nequimus,

Ratio congruentia.

138 Si congruentiam postulas adeas Scotum loco citato littera *A*, vbi postquam neminem a lege baptismi exceptum probauit eo argumento, quod scilicet lex vniuersaliter promulgata omnes ligat, hæc autem baptismatis lex vniuersaliter promulgata est, quia in promulgando baptismatis præcepto nulla personarum discretio, nulla acceptio, nulla exceptio, nulla circumscriptio. Subdit rationaliter factum, vt nemo ab hac lege eximeretur; quia congruum est fideles Christi vno, eodemque signo inuicem conuenire, & ab alijs distingui, præsertim signo eo, quo in Christi familiā adscribuntur, at in Christi familiam homo adscribitur, ergo congruum fuit omnes eodem vno signo conuenire, & ab alijs distingui; toque id magis, quod tenentur omnes membrum esse militantis Ecclesiæ, dum enim cū alijs communicare tenentur in ijs, quæ ad legem seruandam spectant, notum alijs debent facere se esse Ecclesiæ membrum, at non suscipientes sacramentum hoc communicari cum alijs nequeūt quo ad plerosq; Ecclesiæ militantis actus, quare tenentur hoc sacramentum recipere. Hæ autem congruentiæ quanti valeant in re morali, ac penitus à diuina voluntate pendente lectoris esto.

Actiue baptismus nō datus sub præcepto.

139 *Assero* demum, actiue baptismum explicite non datum sub præcepto. Hæc assertio declaratur, quæ contra Recentes potissimum constitura est, qui ex eo capite superiorem probant, quia & huius oppositum pro principio sumūt: exponitur autem, vt sit sensus eius, expressum, ac directum præceptum de tribuendo baptismate nullibi à Christo datum, licet implicite, & indirecte administrationem eius præceperit. Iam vero, quod directum de hac re præceptum Deus non dederit, probatur; quia præcepta legum non vagè dantur, sed signate: atqui minister sacramenti huius vagus esse potest; quia quamuis ex officio Sacerdotis sit munus, attamen baptizare possunt omnes in casu necessitatis, etiam *Angeli*, & Dæmones, vt suo loco dicemus: quare nullo certo decreto subiecto præcepti, nullum sic vagè datum crediderim mandatum.

Probatur.

140 Adde quod vbi non constat de præcepto, nō est facile imponēda, obligatio at præceptū hoc nullibi cōstat ergo obligatio ad id nō est faciliori ponēda, patet maior; quia ex lege oritur obligatio, lege ergo dempta obligatio nulla, sique illa non apparet, nec ista apparere debet. Minor probatur, nam si aliquando videatur hoc præceptum impositum hoc potissimum factū dixeris vel Ioan. 3. per ea verba *Nisi quis renatus &c.* vel Marci 16. per illa *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ &c.* vel Matthæi 28. per illa euntes *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti*, vbi & forma huius administrationis præscribitur, sed nullibi locorum istorum hoc factum dixero; ergo nullibi præceptum expresse. Maior subinducti dilemmatis in probationem minoris patet ex Recentibus *Auctoribus*, apud quos loca illa præceptum denotant ministrandi baptismatis: minorem probo per singula, nam imprimis locus Ioan. 3. ad necessitatem recipiendi sacramenti reuocatus est, ut & ipsa uerba sonant, aiunt enim *nisi quis renatus fuerit*, non aiunt, *nisi quem renasci feceritis*; passiue, ut ita dicam loquens, non actiue: locus Marci 16 præceptum promulgationis Euangelii præmonstrat, ait enim *prædicate Euangelium*; at in Euangelio habemus præceptum recipiendi, non ministrandi baptismatis, & si præceptum ministrandi haberemus, adhuc ex illo loci explicite illud non traditur, sed implicite dumtaxat traderetur, quatenus, s. promulgatio Euāgelii præciperetur, & eius doctrina, in qua illud inuolutū esset præceptū ministrādi baptismū: demum ex loco Matth. vlt. quem pluris æstimant *Aduersarii* habemus dumtaxat præceptum de eundo in vniuersum orbem, & prædicando, ac docendo gentes, ait ibi Christus, *Ite en præceptum, docete omnes gentes*, postquam subdit, *baptizantes eos &c.* quare ministerium baptismi non in verbo imperante præscripsit, sicut doctrinam Euangelii; sed quasi concomitanter explicito doctrinæ præcepto actum ministrandi sacramenti huius adiunxit, quasi diceret, *Ite ad docendum, ac dum baptizate baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; quare formam potius eo loci in mandatis dedit, quam actum ministrandi: ex his ergo deduc explicitum, ac directum de ministerio huius sacramenti nusquam gentium latum homini mandatum, implicite, ac indirecto traditum est Apostolis, qui per orbis terminos Euangelij præcepta delaturi, ipsam quoque baptismi recipiendi necessitatem vrgere debebant: & proinde ex officio illum petentibus præstolari, ne accedentes ad fidei ianuam eorum incuria perirent, & hactenus implicite obligatio hæc in *Apostolorum*, ac discipu-

Fate- ... gene- ... re

sciqulorum successores effluxit, immò & in omnes homines imminenti petentum baptisma periculo, iuxta illud Canonis Concilii Constant: citati, *qui non baptizauerit rationem pro non baptizato nouerit se redditurum*. Cæterum de hac ministrorum necessitate, si quæ dicenda sunt, in opportuniorem, propriumque locum reiicimus.

Dubium de tempore suscipiendi & ministrandi baptismi.

141 Solum superesse dubium potest de tempore susceptionis, ac ministrationis baptismi; quæ res cum penitus moralis sit, vno vel altero verbo transigetur: & de ministro quidem certum est priscis temporibus duo præfinita fuisse celebrandi baptismi tempora, Sabbatum Sancti Vigiliæ Resurrectionis Domini, vnde & nunc temporis collecta Missæ illius diei, & fontis benedictio eo tendit, vt hunc antiquum Ecclesiæ baptizandi eo die cathecumenos morē indicent, & Sabbatum Vigiliæ Pentecostes, & habentur in doctrina decretorum *de cons. d. 4. canone duo tempora*, & canone, *prop. te*, & can. *Non ratione*, immo & infra actionem vtriusque diei hoc præfatum tempus indicatur; dum renatorum per baptismum fit mentio his verbis; *pro his quoque quos regenerari dignatus es ex aqua, & Spiritu sancto, &c.*

Siricius Papa.

142 Neque audiendi sunt Recentes quidam asserentes extra illa etiam tempora licitam fuisse administrationem baptismi, sed non cum eadem, aut simili pompa; non sunt inquam audiendi; quia Siricius Papa in epistola prima ad Hemericum Tanaconensem relatus *dist. 4. de cons. can. non ratione* simpliciter statuit extra illa tempora non licere baptismum ministrare per hæc verba. *Quibus solis per annum diebus, &c. generalia baptismatis tradi conuenit sacramenta, &c.*

Papa Gelasius.

& Papa Gelasius *in epist. ad Episcopos Lucaniæ*, idem statuit extra languorē igitur grauissimum, ac mortis imminens discrimen extra duo illa tempora sacramentum cathecumenis adultis ministrare nefas fuit, immo & paruulos etiam solis duobus illis anni temporibus baptizari fas fuisse apud Gallos, patet ex duobus Gallorum Prouincialibus Conciliis, Parisiense scilicet & Matisconense, relatis à Vasquez *disp.* 150. quamuis reuera in nullo Concilio Parisiensi hoc constitutum fuerit, vt patet *in tomo Conciliorum*, in quo duæ Parisienses sinodi referuntur, quæ tempora Lotharii, & Ludouici (in quæ incidisse illud Concilium ait Vasquez) multo antecesserunt.

143 At nunc vero morem hunc ipsa antiquauit Ecclesia, quæ vbique, & quocunque tempore tam paruulos, quam adultos baptizat, quamuis Romæ duobus illis præfinitis, ac præcitatis diebus adhuc Cathecumeni aliqui baptizētur forte ne penitus irritum morem veterem faceret, neue ipsa videatur antiquasse, quod iampridem statuit. Cæterum extra duos illos dies ait Vasquez *loco citato* incertum sibi esse, an aliqui adulti baptizentur Romæ, mihi vero incertum non est, qui propriis manibus Meisen Calimanum à me de fide iam dudū Ferrariæ eductum sacro fonte sub ipsis præsulatus mei crepundiis baptizaui in æde Sanctæ *Mariæ ad Mō tes* anno 1626. & *Massæ* mulierem *Mancipium* nomine Fatimā, & Dinami Maurū nomine Barcā extra illa tempora baptizaui, & quotidie fere Hebræorum ad fidem conuersus numerus extra duos illos dies lauacro regenerationis abluuntur tum Romæ, tum Ferrariæ, tum alibi, vt ego oculatus testis fui.

Romæ Iudeus, Massæ Turca, Dinami Maurus ab auctore baptizati.

144 Veteris autē antiquatæ legis ratio esse potest, vt egregie monet Rupertus *lib. 4. de diuinis off. cap.* 18. quia iam Sagena piscium plena est, dilatata scilicet per vniuersum orbem Ecclesia, multiplicatus credentium numerus; pericula aucta, ob quæ non pauci tempestate antiqua inbaptizati decedebant, proinde præceptum ad duos illos dies coartatum ad cæteros anni dies dilatatum.

Ratio antiquatæ legis.

145 Cæterum de tempore præfinito ad susceptionem baptismi multa congerūt Suarez *disp. 31. sect. 2. 4. tom. 3. p.* & Vasquez *disp. illa 150. cap. 1. & 2.* quos adhibe, si lubet. Prosequitur hanc etiam dubitationem Antoninus Diana *tract. 4. de sacramentis Resol. 8.* & cum communi sententia statuit quamprimum baptizandos esse infantes præcipuè: non leue tamen suboritur dubium; quid sibi velit, quoue protendatur temporis particula illa, *quamprimum*, & plane Sotus *in 4. d. 5. q. vnica art. 3.* particulam illam deducit ad primum tempus; quando commode ad Ecclesiam deferri potest infantulus, regulariter scilicet octauo, decimo, vel duodecimo die ab ortu eius. Henriquez autem *lib. 3. cap. 4. num. 3.* diffinire non audet præcisum tempus; ita etiam Suarez *loco citato*. Ipse autē Diana confisus auctoritate Synodi Panormitanæ natum infantem ante nouum diem sub excommunicationis pœna ad baptismum deferendum putat.

Opinio Vasquij, & Suarij.

Soti, & Dianæ.

145 Mihi uidetur nusquam ab Ecclesiam

præfinitum tempus, quo præceptum illud recipiendi baptismi obliget, nusquam enim Christus legislator tempus præfiniuit, proinde nec esse aliquid temere affirmandum, præter ea, quæ supposuimus in principio huius capitis ad minimum in periculo extremo præceptum ligare, sed non esse expectandum tempus illud proclamant Patres, non quasi uero Ecclesia decreuerit præcisè tepus ante periculũ, sed quia nescimus an imminente periculo tempus suppetat adimplendi præcepti; quare monet Ecclesia *emẽdemus in melius, quæ ignoranter peccauimus, ne subito præoccupati die mortis*: quare quod præcitati Auctores Suarez, scilicet, ac Vasquez inculcant infideles debere quamprimum possunt recipere baptismum, si uerbum illud *debere* ita interpretentur, ut nisi cum primum possunt baptismum recipiant præcepti sunt transgressores, difficultate urgetur; quia præceptum de tempore, seu tempus præcisum recipiendi baptismatis nusquam decreuit Christus, nec Ecclesia, & ubi non constat de præcepto, non est facile imponendum onus, si uero uerbum illud *debere* interpretantur ad tutelam hoc esse expediens, quia scilicet nescimus diem, neque horam, egregiè sentirent, sed reuera illi in priori sensu loquuntur, cui ego nec assentire, nec dissentire nisi de præcepto temporis constet, vel non constet, malim, aut audeo, licet & consulam, & enixè rogem si qui sunt, qui hoc opus legant Cathecumeni, ne in sua salute torpentes citeriora tempora expectet, dum tempus enim habemus, operemur bonum. Quod si Sanctorum aliqui, vt Martinus, & Ambrosius baptismi tempus distulerunt, hoc aliqua ex causa tum ipsis, tum potissimum Deo cognita factum puta.

Suarezij, & Vasquij mens explicata non displicet

146 Standum tamen hac in re potissimũ locorum consuetudini, vnde apud conciues meos regulariter tertio die baptizatur infans, quod vero Panormi impofita sit pœna excommunicationis, vt refert Diana non refert, nam excommunicationes huiusmodi non transeunt mare.

Consuetudini desferendum

OBIECTA CONTRA

assertiones superiori capite elucidatas enodantur.



CAP. IV.



147 NOstrum fuisset superiori capite obiecta aduersantia côuellere, vt instituto nostro morẽ gereremus, & quoniam finem nullum in eo scribendi facere videri poteramus, maluimus paululum à methodo nostra diuertere, quam nimia lectores prolixitate conturbare. Ergo sicuti controuersiam in eo nullam cum Hereticis nos acturos esse spopondimus, sic & eorum coniecturis, quibus contra veritatẽ oblatrant renunciatis, Catholicorum scriptorum argumenta cribandą proposuimus.

148 Caietanus asserti nostri secundi oppugnator hisce confisus telis insurgit. Veterum fides non est pluris facienda, quam nostra, at illa satis erat pro paruulis deficiente sacramento circumcisionis, antequam scilicet institueretur ergo & nũc vices gerit illa baptismi in paruulis, quibus ob precocem mortem applicari lauacrum regenerationis opportune non potest. Maior est euidens, nam ex Christi aduentu adaucta fides non est imbecilla magis, quam ante eius aduentum. Minor probatur vulgari illa Gregorij Magni auctoritate, quam refert sent. Magister *in 4.d.4* (uerè *quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egisse apud veteres pro paruulis solam fidẽ*, immò non solum (inquit) Caietanus id de naturali lege verum est, sed & de lege scripta, in qua pueri occidentes ante octauum diem Circumcisioni dicatum, incircumcisi per fidem parentum, quæ erat eius instar sacramenti in lege naturali seruari poterant, vt quid ergo non item in statu legis gratiæ, quo copiosior est apud Deum redemptio?

Primum argumentum Caietani

149 Præterea: Impium est asserere Deum paruulos reliquisse absque remedio, at si in vtero materno quis occidat infans, neque

argumentũ Secũdum

neque seruari de lege communi posset, is vtique sine remedio à Deo esset destitutus, quod impium est credere, siquidem Dei natura bonitas est, clementiaq;, neque vlli promissam denegat adiutoria ad salutem, vt communiter effantur Theologi, proindeque sicuti infantes vna cum Matre in vtero constituti pro Christo occisi seruantur, ita & parentum prece miserante Deo seruari quibunt de communi lege aliqui naturali morte in materno aluo decedentes.

Tertium argumentum

150 Præterea Baptismus necessarius est in re; vel in voto etiam ex Concilio Tridentino *sess.6 cap.4.* at aliquando solum votum sat est in adultis, vt probatum est *superiori capite*; quare etiam, & paruulis, quod si dicas, nequire paruulos votum habere baptismi, contra: sat est parentibus inesse votum illud; quia docet Prosper *lib. de vocat gentium 2.cap.8.* omnia paruulorum exordia ab arbitrio alienæ voluntatis iacere, nec posse illis alio modo, nisi per alium consuli.

Vnica ratio Vasquij

151 Contra vero impossibilitatē salutis in paruulo non baptizato etiam de potentia Dei absoluta vnico argumento stabilire contendit Vasquez, nam in via Sancti Thomæ Posito decreto diuinæ voluntatis de aliqua re agenda, non potest Deus facere oppositum, quia decretum eius est immutabile; sed Deus decreto suæ voluntatis æterno potestatē suam sacramentis alligauit, ergo nequit nunc facere oppositum. In via autem Scoti (etenim, vt se doctrinæ Scoticæ etiam gnarum apprime ostentet, secundum Scoti doctrinā quoque argumentatur) Ita Deus potestatem suam ab æterno sub lege conclusit, vt poruerit habere decretum faciendi oppositum, proinde potest nūc aliquid citra legem gerere, si illius gerendi decretum habuit ab æterno specificum, at voluntas Dei per legem innotescit nobis, & nulla lex docet nos, apud Deum elicitum ab æterno fuisse decretum quippiā agendi præter legem communem, ergo temere asseritur posse potentia absoluta diuina aliquid efficere, quod lege, vel reuelatione non innotescat. ridet proinde Vasquez, & cum eo Suarez inanem aliquorum fiduciam, quæ potius stultitia appellari potest, qui pro paruulis in vtero periclitantibus Deum rogant; quasi vero eorum prece flectendus sit Deus, vt suæ legi obuius eat, & irritum faciat decretum æternum. Occurro vtrique.

152 Caietano quidem in argumentatione prima secūdū Scotū, quidquid sit de fidei valore, ac præstātia; de qua in tractatu de fide dicendū est, minorem assumi probandam, cum non minus in veteri, quam in noua lege sacramentum verum ad deletionem originariæ culpæ necessarium exigimus, quemadmodum *in Disputatione de Sacramentis in Genere* dictum est; vbi & auctoritatem illam Gregorii interpretatione Scoti declarauimus, solius fidei nomine non exclusum sacramentum, sed alios concomitantes actus; siquidem pro quocūque statu destitutæ naturæ institutum à Deo remedium validissime probauimus; quod si sacramentum illud pro fœminis in scripta lege, & pro paruulis ante octauum diem adhiberi potuit, vt supponitur, de quo supposito non laboro hoc loco, non obinde nunc temporis quoque perseuerat apud fideles, apud quos hoc certum est, antiquata esse per Christi mortem vetera sacramenta: præterquā quod hæc fidis, quæ signo protestari debebat pro ijs, qui in materno decedunt aluo protestari signo aliquo oblationis externo non potest vt patet; quia nondum sunt à matre excisi. Cum ait copiosam apud Deum Redemptionem, non inficior, sed non obinde manent vetera sacramenta cum nouis, sed abundās nouorum sacramentorum effectus, & exuberans per Christi mortem gratia collata copiosiorem redemptionem facit, absque eo, quod immutata sint antiqua sacramenta, &c.

Diluitur prima Caietani ratio.

153 Secundi argumenti vim effugies si dixeris, Deum quidem & paruulis, & adultis ad culpæ originalis maculam abolendam baptismum instituisse commune remedium. Quod si aliqui sine eo decedunt, non est, cur Deum incuses; quare enim hunc trahat, noli interrogare, si non vis errare, vt ait Augustinus. Deus nulli est debitor & ex Paulo Rom. 8. liquet quod ad ostensionem suæ iustitiæ Deus quandoque parat vasa hæc apta in interitum sicuti habet potestatem figulus eligendi aliud vas in honorem, aliud in dedecus, nec est qui dicat ei cur ita facis? iudicia enim eius abissus multa; cum ergo dicitur Deus nulli denegare adiutoria ad salutem. Non eo inficias, immò & paruulis baptismum parauit, cur autem non possit aliquibus applicari, ex iustitia Dei ortum puta, quæ nulli iniuriam facit, paruuli siquidem cum macula originis rei sunt diuinæ voluntatis, & damnationis æternæ, & Deus ex doctrina Pauli *cuius vult miseretur*

Diluitur secunda.

& quem

& quem vult indurat.

154 Cum dicitur parari aliquibus pro baptismo martyrium, cur non item baptismum flaminis? Respondeo martyrium excellentissimum opus esse, & hoc illius esse proprium vt cælum aperiat, nisi obicem in recipiente ponas, & propterea condonatum illi, vt etiam in materno vtero occisi infantes beentur; quia pro Christo sanguinem ipsi etiam fundunt, at quid pro Christo infantes, qui naturali morte decidunt in aluo matris? non ergo pari vterque effectu donandus est, dum nec vterque baptismus æquo modo datur, flaminis enim à Deo immediate datur infantibus nullo præuio eorum motu, nec dispositione nec merito; sanguinis vero actum charitatis immensum inuolutum habet, & opus ipsum profusionis vitæ pro Christo.

Disparitas martyrij, & baptismi flaminis,

155 Tertij argumenti maior vera est de adultis, seu de ijs in quibus votum posteneretur, quod falsum est, & in hoc sensu locutum est Concilium aiens *non fieri iustificationem nisi per baptismum vel eius votum*, idest per baptismum re ipsa susceptum in ijs, qui baptizari possibile est, alioquin quis ab impossibile sunt, & habere nequeunt votum; quia scilicet ratione nondum vtuntur, & in ijs qui voluntarie, & opportune baptizari possunt, vt sunt adulti, vel per baptismatis votum, in ijs scilicet quibus inesse potest votum, & actus baptismi realis dari non potest: at nunc vero paruuli sicut doli, ita sunt voti incapaces, nec parentum votum vtile est; si quidem illi non in parentum, sed in Christi merito baptizantur, qui baptizantur, & iustificantur: qui iustificantur neque allata Prosperi verba officiunt, quibus ille potestatem regendi filij dumtaxat, ac gubernandi, quo ad mores, & vitam gerendam inuexit.

Solutio tertij argumenti,

156 *In Sancti Thomæ doctrina occurrendum Vasquezio maiorem esse falsã; siquidem in sensu diuiso actus cum potestate copulatur, stat enim veritas vtriusque istius effati *Iudas est præscitus ab æterno*, & *Iudas potest saluari*; licet in sensu cõposito actus cũ actu copulari nequeat, falsumque sit Iudam saluari, si præscitus est, ita in re nostra, paruuli ex decreto Dei æterno, qui non baptizantur præsciti sunt; ergo non saluabantur; argumentatio bona: ergo non possunt saluari cõsequentia falsa; quia in sensu diuiso præscitus potest damnari logice loquendo, realiter vero maior illa distinguenda est, de potentia absoluta falsa est, de ordinata conceditur, & minor item vera est de communi, & ordinata potestate tantum, quare & conclusio, quæ alteram præmissarum sequitur in veritate, & falsitate, ita ergo Vasquez in via Sancti Thomæ arguens redarguitur.

Occurritur Vasquez in via Sancti Thomæ

157 Arguens vero in via Scoti transit à potestate ad actum, nam vtique verum est, non esse temere asserendum quempiã paruulum inbaptizatum decedentem saluari à Deo, nisi Deus ipse reuelet, at quod paruulus non baptizatus nequeat saluari per absolutam Dei potestatem, absque alia reuelatione falsum est, quẽadmodum verum est absque omni reuelatione posse per absolutam Dei potestatem saluari præscitum, & proinde paruulum non baptizatum: arguens autem secundum Scoti mentem labitur Vasquez, nam sic habet in maiori *Iia Deus potestatem suam sub lege conclusit, vt oppositum potuerit decernere*, vera maior, *at nescimus Deum ab æterno decreuisse oppositum illi legi cõmuni; decreuit se esse alligatum sacramentis*, vera minor. Sed, quid inde? ergo, ad summum concludi potest; *nescimus, oppositum legi communi euenturum*, & conclusio sic ducta vera est; quia de facto nec id euenit, neque euenire nos scimus; sed non ita arguendum erat cõtra nostram sententiam, sed dicendum in minori. *At nescimus Deum potuisse decernere oppositum legi communi*, & tunc minor falsa est; quia scimus ex maiori hoc posse Deum: argumentum igitur Vasquez tam est ab re, quam improbabile assertum eius.

Refellitur in via Scoti.

158 Assertum nostrum tertium superioris capitis conturbare videntur perplura Sanctorum Patrum testimonia, quæ tantam baptismi re ipsa suscepti necessitatem inculcare videntur, vt simpliciter, & absolute cathecumenis adultis aditum vitæ sine illo interclusum doceant; sed hæc omnia & si singillatim hûc non reuocantur ex doctrina superioris capitis dilues dicendo, posse illa piè exponi de cathecumeno negligente sacramentum baptismi re ipsa suscipere, qui certè nisi ob aliam causam, saltem, quia præceptum neglexit adimplere, damnabitur; de cathecumenis igitur voluntariè omittentibus baptismum interpretare singula; & si aliqua sunt, quæ interpretationem præfatam pati nequeant, quale est illud Augustini *tract. 13. in Ioann. Quantumcumque cathecumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, nec illi dimittitur, nisi peruenerit ad baptismum &c.* Hæc ille, quibus visus est in-

Contra assertum tertium oppositiones.

est indicare culpam non nisi per baptismum dimitti; & illud Nazianzeni orat. 40. in baptismum. *Quosdam priuari baptismo propter inopinatum aliquem casum, quo efficitur, vt neque cupientibus gratiam potiri liceat &c.*

Interpretã tur Patres

159 Hisce, inquam, ac consimilibus auctoritatibus ista PP. in primis excessiue locutos vt nos admoneât, ne in aliud tempus Cathecumenorum baptismum differamus; sed & nos, & illi propriè salui, cum primum possibile est, operam demus, & speciatim Augustinus pro sarcina iniquitatis forte intellexit pœnam aliquam temporalem peccato debitam, quæ certius, ac facilius per baptismum tollitur; quam per actum contritionis, qui vt plurimum non est ita perfectus, vt omnem cum culpa pœnam deleat: vel dicas portari à cathecumeno sarcinam iniquitatis, nec tolli nisi per baptismum, in voto saltem, si minus in re, alioquin Augustinus esset Concilij Trid. decreto contrarius; quod falsum est. Insuper Nazianzenum interpretare de cupiente gratiam sed non perfectè, sed oscitanter quasi. Non immoror, vt toties professus sum vltra in ijs, quæ Catholicis communia sunt in hoc capite.

Argumentum Suarez contra votum explicitum

160 Contra doctrinam nostram de voto baptismi explicito instat Suarez primo. Voluntas baptismi implicita sat est ad iustificationem; ergo & ad gloriam: consequentia probatur; quia potest euenire, vt propter vitæ breuitatem, vel alia impedimenta explicitum desiderium habere nequeat homo ille iustificatus.

Ratio Vasquij

161 Præterea ex Vasquezio, qui multis primo probat, tale votum ad iustificationé obtinendam explicitum non requiri, quæ nos, vtpote quæ nostræ sententiæ aduersa non sunt, omittimus quamuis corrigi possent, at nos nostram potius hoc loco tueri, quam singula opinionum aduersantium dicta villicare intendimus. Ex Vasquezio inquam sic arguitur. Neque ex lege Dei, neque ex aliquo statuto tale votum necessarium esse ad beatitudinem probatur, quia de tali lege, neque ex scriptura, neque ex Ecclesiæ traditione, aut diffinitione de tali lege constat, quin potius scriptura ad beatitudinem solam pœnitentiam, charitatem, & perseuerantiam postulat, immò & Concilium Trident. *sess. 6. de iust. cap. 16.* tradit nihil amplius iustificatis deesse, quo minus vitam æternam suo tempore, si tamen in gratia decesserint consequendam verè promeruisse censeantur.

Diluitur argumentum primum

162 Sed & hæc, & similia his diluentur; primum negata consequentia in ijs, quibus nota est baptismi necessitas, & probatio moraliter vix casum possibilem denotat, oporteret enim eueire casum euenire, quo in ipso iustificationis instanti quispiam decedat, vnde tempus non suppetat ibi votum explicitum baptismatis eliciendi, qui casus moraliter vix euenit, casu autem tali adueniente si iustificatio perfecta est, dicendus est Deus per Christi merita supplere defectum iustificati in eliciendo voto explicito ad consequendam gloriam, nos verò regulariter loquimur, non autem dato casu quasi impossibili, regulariter autem vix euenit, vt tale votum elici nequeat, quia, vt diximus nihil voluntati facilius, quam velle.

Occurritur Vasquez

163 Vasquezio autem obuius esto dicens ex Christi verbis necessitatem hanc potissimum dirigi ad salutem capessendam æternam, vt dictum est, proinde non esse pro arbitratu nostro verba illa detorquendâ ad votum implicitum; Christus enim absolute dixit, non posse quempiam introire Dei Regnum nisi ex aqua, & Spiritu sancto renatus fuerit; quam sententiam nusquam etiam ad votum aliquod siue implicitum, siue explicitum Concilium Tridentinum interpretatus est in ordine ad gloriam, sed solum in ordine ad iustificationem, vnde argumentari cum ipsomet licebit sic. Maior est necessitas baptismatis in ordine ad gloriam, quam ad iustificationem ex Christi verbis, licet etiam ad iustificationé necessarius sit: sed ad iustificationem necessitas hæc saltem in voto attendenda est; ergo maiori ex principio attendenda est in ordine ad gloriam, quare ad iustificationem si sat est implicitũ votum, requiretur explicitum ad gloriam in ijs, quibus hæc necessitas nota est. Adde, quod qui non desiderant expresse, cum norint, negligenter, ac oscitanter se haberent circa Dei mandata, & proinde nota culpæ digni.

Locus Concilij non prodest Vasquio

164 Allatus autem à Vasquezio Concilij Tridentini locus non facit ad rem, ac institutum nostrum, quia ibi de iustificatis per fidem, imposito præcipue baptismo loquitur Concilium, vt patet *tum ex principio illius capitis tum ex cap. 14. antecedenti,* quo proponit se agere de lapsis, & eorum reparatione, de quibus docet *cap. 15.* amitti per lapsum gratiam

gratiam, sed non eidem.

26 Denique contra postremam assertionem nostram nonnihil obiectare possent aduersarij, similiter & contra eius appendices, sed quia leuis argumenta omnia momenti sunt, & facile ex dictis euertuntur, consulto dimittuntur, vt aliquando fine optato disputationem primam de baptismatis existentia concludamus.



DE QVIDDITATE BAPTISMI

Methaphisica.



DISPVT. II.



2 DVM de sacramentis in vniuersum disputationes contexeremus quidditatem rerũ genericã partiti sumus in methaphisicam, quæ per genus, ac differentiam habetur, & phisicam, quæ ex materia, & forma componitur, quare in instituta semel Methodo insistentes, dum specificè sacramentorum doctrinã tradimus hæc eadem repetenda duximus, & primo de Quidditate Methaphisica sacramenti huius, cuius doctrinam præ manibus habemus disceptandum proponimus.

AN SACRAMENTVM

Baptismi finiri queat.



CAP. I.



3 VNiuersæ prapositæ difficultatis nedum reuocata in hunc locum doctrina, quam tradidimus *disp. de quidditate sacramentorum in genere* facillimè diB lues, quam verbatim repetere non est opus. Interim præcognitionem Quid nominis, quæ vel eadem est cum diffinitione quid rei, vel ad perfectam quidditatem indagandam necessaria, est disquirendam duximus. Sacramentum hoc igitur cuius nomen primo mox diffinitionẽ rimamur, baptismi sacramentum dicitur, non quidem vt egregiè monet Scotus *d. 3. q. 1.* per locutionem transitiuã, sed per intransitiuam: quid sit vtraq; locutio exponitur: locutio transitiua est quãdo nomen primũ genitiuo iunctũ habet genitiuã pro causa. & quasi in eam tendit, ac transit, ut dicendo *calor ignis*, locutio est transitiua designans calorem ab igne genitum: locutio uerò intransitiua eadem est, ac specificatiua, & genitiuus in ea positus non causam, sed ipsum nominatiuum specificat, vt si dicamus *Ciuitas Babilonia* hoc est Babilon, *creatura aqua*, hoc est aquas *filia perditionis*, hoc est filia perdita, quæ locutiones crebro in scripturis vsurpantur, & hoc loco, dum sacramentum baptismi dicimus, non transitiuè, quasi vero sacramentum à baptismo productum intelligimus: Sed sacramentum baptismi, hoc est baptismum, qui sacramentum est designamus. Ipsa autem vox *Baptismi*, vt in fronte totius operis diximus Græca est, immersionem *Latine* reddita significans, quamuis genericò significato ablutionem etiam significare queat, vnde apud Hebreos ablutiones quæcumque vasorum, ac corporum baptismata nuncupabantur, & ipsa etiã Ioannis ablutio baptismus dictus est, quamuis non planè liqueat aspersione illum, an immersione abluisse, & certam

Quid sit locutio transitiua & intransitiua?

Baptismi nominis significatum.

tam

tè si standum esset picturibus, vtroque modo videtur Ioannes abluisse, nam & in Iordanem descendebant baptizandi, & à Ioanne baptizabantur, immò ex Matt. cap. 3. Christus etiam de Iordane ascendisse legitur, & à Ioanne ablutus.

Vocum significata ex vsu.

3 Quidquid tamen de hoc sit, parum refert, vocũ enim significata ex vsu petenda potius sunt, quam ex primaria institutione; ex vsu igitur quamuis baptismi vocabulum mersionem denotet, ablutionem designat quamcunque siue immergendo, siue infundendo, siue aspergendo factam, hisce namque modis baptismum conferri posse dicendum est infra.

4 Congrua autem ratione factum est, vt ad ablutionem significandam vox illa Græca baptismi deriuata fuerit, nedum quia reuera in externo relationis fundamento conuenit corporis ablutio, cum certa verborum forma, sed ex effectu, puta quia animum à communi peccatorum sorde abluit.

Baptismi nomina sunt. Balneum.

Apud Patres quidé penes effecta varia varia nomenclatura hoc ipsũ sacramentum decoratum est. Crisostomus *hom. ad baptizandos, quæ habetur 5 tomo suorum operum* balneum hoc ipsum sacramentum vocat, quasi per tropum loquens: quia sicut in materiali balneo corporea mundantur sordes, ita hoc spirituali balneo animæ inquinamenta abluuntur, & expurgantur. Nazianzenus *oratione 40. in sanctum baptisma* hisce vocabulis sacramentum hoc circumscribi voluit .s. *doni gratiæ, illuminationis, signaculi, vnctionis, lauacri, indumenti &c. doni* quidem, vel quia dona secum mille affert, vel quia, ipso Auctore interprete datur ijs, qui pro illo obtinendo nihil dederunt: *gratiæ* vero, vel quia interprete Clemente Alexandrino *lib. 1. pedagogi cap. 6.* remittit pœnas, quæ peccatis debentur, vel quia interprete Nazianzeno eodem datur ijs, qui prius debitores erant propter peccatum, & propterea consueuerunt Patres illud vocare remissionem æris alieni, & captiuorum redemptionem: *illuminationis*, quia per ipsum sanctam intuemur lucem, fide nimirum illuminati, quæ per baptismũ datur: *signaculi*; quia per eum Domini charactere signamur: *vnctionis*, quia per eum, quasi per regium. ac sacerdotale oleum vngimur in spirituales Sacerdotes, ac Reges: *lauacri* quo commodè crimina abluere possumus: *indumenti*, quia pequod sacrum est ignominiæ nostræ velamen. Apud Basilium etiam *homil.*

Donum Gratiæ, Illuminatio, Signaculũ, Vnctio, Lauacrum Indumentum.

Centinus de Sac. Baptismi

13. *hortante ad baptismum* præter hæc tria sortitur vocabula, nimirum, *Cæli itineris, conciliationis Regni cælestis & adoptionis in gratiam*. Quæ appellationes singulæ, vt patet ex effectis ipsis deriuatæ sunt. Immo & in scripturis interdum vocatur *Crux* Rom. 6. *vetus homo noster crucifixus est*, quia scilicet commorimur culpæ in eo, sicut pro nostris culpis in cruce, ex qua vigorem trahit hoc balneum Christus mortuus est. Interdũ dicitur *illuminatio* Heb 6. *semel sunt illuminati*, hoc est baptizati, qui per baptismum fidei lumine illustrantur. Interdum dicitur *sepulcrum* Rom. 6. *Consepulti cum illo per baptismum*; quia scilicet peccata sub vndis sepelliuntur, ne reuiuiscant. *Apud* Patres vero frequentissima est *illuminationis* appellatio à præstantissimo fidei dono, quod è baptismo haurimus, deducta; missis tamẽ tũ his, tum pené innumeris sub nomine baptismi diffinitionem uenamur.

Iter cæleste Conciliatio Adoptio. Crux. Illuminatio. Sepulcrũ.

Obseruatio 2.

7 Obserua secundo, sacramenta singula quidpiam rationis inuolutum habere, cum enim per signi rationem compleantur, & significatio ipsa nõ ex rei natura, sed ad placitum Dei instituentis deducta sit, fit, vt quemadmodum genericè de ijs differentes diximus, aliquid rationis admixtum habeant, cuius merito perfecte finiri nequeant, siquidem hæc inter cæteras diffiniendæ rei particula desideratur, vt ipsa realis sit: hoc igitur loco inani labore ducimur, si perfectam in baptismo diffinitionem nancisci petamus; at quoniam nedum rationis entia illa, quæ secundæ intentiones appellantur à logicis, sed relatio quæuis rationis etiam finiri potest, alioquin logica non esset scientia, quæ de ijs differit, pariter diffinitionem aliquam applicari posse baptismo inficiandum non est, quæ diffinitio satis est ad cognoscẽdã rei ipsius quidditatem penes ipsum intellectum diffinitione quidditatem rei venantem.

Baptismũ Diffiniri posse Ratiocinatur.

8 Hisce suppositis dicito breuiter baptismum finiri posse. Probatur, quia illud finiri potest, quod singulis præditum est rei diffinibilis conditionibus, in hunc modum se habet baptismus: quare baptismus finibilis erit. Maiorẽ termini veram esse demonstrant: Minor probatur; quia diffinibilis rei conditiones hasce memorant periti. Primam, quod sit ens positiuum. Secundã, quod sit reale ens. Tertiam, quod sit vnum. Quartam, quod sit vniuersale, non singulare. Quintam, quod sit habens conceptum resolubilem in vlteriores con-

ceptus, hoc est, quod non habeat conceptum simpliciter simplicem: defectu primæ conditionis priuatio finiri nequit, quæ est ens negatiuum, seu priuatiuum: defectu secundæ rationis entia: deficientia tertiæ aggregatum per accidens finiri non potest: carentia quartæ secluditur particulare, & indiuiduum à diffinitione: defectu postremæ ens ipsum diffiniri nequit: at nunc vero baptismus primam conditionem non desiderat; quia ipsum sacramentum non est non ens, cum eius ratio non sit in se falsa, nec est negatio, vel priuatio, vt ipsū nomen sonat: nec desiderat tertiam; quia ratione relationis sacramentum vnum est baptisma; quamuis plura habeat fundamenta, puta formam, ac materiam, quibus relatio significandi inest; quia etiam relationes reales suum habent fundamentum, ac terminum, attamen sub relationis ratione finiri egregiè possunt: nec deest quarta, quia nullum particularē baptismum finimus, sed Christi baptismum, qui est vnus vnitate speciei infimæ, non vero vnitate numerica, vt patet: nec demum desiderat quintam, cum conceptus signi resolui queat in citeriores conceptus, putà relationis, entis, & similium, secunda dumtaxat desiderata conditio facit, vt per fectissima diffinitione nequeat circumplecti; sicuti de sacramentis ipsis generatim loquendo abunde disseruimus.

Singulæ cōditiones res diffinibilis ap[plican]tur baptismo.



QVÆ VERA BAPTISMATI diffinitione.



CAP. II.



9 SVperius caput ex doctrina de Sacramentis in Genere pendens breui sermone decursum est; hoc autem maiorem exposcit indagationem vtpote cōtrouersum: controuersiā autem vniuersā vel cū Hereticis, vel cū Scholasticis disceptandā proponere possemus; siquidē cū vtrisq; suppetit differendi materia: & Hæretici Recentiores quidem, qui verum sacramentorum effectum rident, varia, sed futili diffinitione baptismum finiunt. Caluinus *lib. 4. instit. cap. 15. Baptismus (inquit) est signum initiationis, quo in Ecclesiæ societatem cooptamur, vt Christo insiti inter filios Dei censeamur.* Melancton autem baptismum ait *esse signū, quo Deus nobiscum agit, & recipit nos in gratiam.*

Caluini, & Melanctonis diffinitiones inutiles.

10 Melanctonis autē finitio, præterquam quod falsū, & manifestū errorē inuoluit, dicēs per baptismū recipi nos in gratiā; nomine gratiæ fauorem externum dumtaxat intelligens est etiam ridenda; quia non tam baptismo, quam cæteris sacramentis aptari potest, vt paululum, ac attentius eam perpendenti patere potest. Caluini quoque diffinitio deficit, cum ex vno tantum effectu baptismi ducta sit, qui est aggregatio in Christi cætum, altero, & præcipuo eius effectu dimisso; qui est gratia. Sed contra hos Nouatores legi potest Bellarminus de sacramentis, ac præcipue de baptismo differens.

11 Ex Catholicis Hugo Victoriensis *lib. 2. de sacramentis p. 6. cap. 12.* hunc in modum sacramentum baptismi finiuit. *Baptismus est aqua diluendis criminibus sanctificata per verbum.* Magister autem *sent. d. 3. 4. sent. baptismum ait esse externam ablutionem corporis factam sub forma præscripta verborum, &c.* quas diffinitiones non nisi verbo ad inuicem discrepare sentit Vasquez *disp. 140. cap. 1.* asserit enim nomi-

Diffinitio Hugonis, & Magistri

nomine aquæ sanctificatæ non intelligi ab Hugone exorcizatam, vt ita dicamus, sed aquam cum forma præscripta verborum, vt ipsemet Hugo declarat subdens *per verbum enim aqua sanctificatur, vt virtutem sacramenti accipiat, &c.* quare in sententia Hugonis per aquam sanctificatam ablutio intelligitur facta in aqua cum certa forma verborum: sed voluntariè, & ex cerebro loquitur Vasquez, dum per aquam ab Hugone ablutionem sentit intelligi, quasi vero vna sit, resque eadem materia remota, & proxima, immo quasi sit res eadem actus lauandi, & aqua, qua lauatur; immo quasi vna res, eademque sit vnctio in Confirmatione, & Chrisma à pari dicendum ergo Hugonis diffinitionē correctioni subiiciendam, dum per alteram fundamenti partem sacramentū hoc finit, demissa proxima eius materia, quæ, vt dicemus infra, est ablutio.

Hugonis verba ex cerebro Vasquez interpretatur.

12 An autem allata diffinitio Magistri sentent. corrigenda sit, controuersia non vacat: etenim Nostrates illi non omni ex parte adherent; Thomistæ ne verbo tenus ab ea diffident. Difficultati vero obicem pones facile reuocata in mentem tradita in superioribus doctrina, dum sciscitaremur, an materia, & forma sint partes ex æquo conficientes, seu constantes fundamentum relationis signi in sacramento; certum est enim, vt ibi diximus, relationem hanc & in verbis, & in rebus collocatam ad effectum, qui est eius terminus referri: an autem res illa, & verba, quæ formam, ac materiam constituunt sacramenti ita se habeant, vt materia sola, siue res solæ fundamentum sint relationis, verba autem quasi conditiones, aut circumstantiæ qualificantes materiam; an vero tam verba quam res æquè vnum relationis constituāt fundamentum: secundum nostram, & Scoti sententiam diximus ibi posteriorem hunc modum veritati proximiorem arrideri magis, sicuti Scotus etiam *d. 3. q. 1. litera C.* ait *Istorum duorum primum videretur verius, &c.* & qui in oppositam Scotum sententiam trahunt cum Suarezio, & Vasquezio, voluntariè trahunt, vt nos *loco citato* diximus quamuis & ille etiam alius dicendi modus sua probabilitate non careat.

De diffinitione Magistri varij dicendi modi.

13 Vt igitur petitioni propositæ de diffinitione Magistri mentem nostram aperiamus dicimus, illam in vtraque sententia corrigendam, & primo secundum opinantes materiam, ac res solum fundamentum relationis complere, reprehendi potest, quod illa quasi phisico potius, quam methaphisico modo tradatur; etenim ablutio est materia huius sacramenti proxima, verba autem forma, & nec genus in ea, nec differentia proponitur. Quid, quod nec cum diffinito conuenit, cum aqua, quæ est necessaria eius materia, quamuis remota, non exprimatur in illa diffinitione Magistri? cum tamen exprimenda esset ad euellendos Nouatorum errores de hac materia.

14 In eorum igitur sententia, quibus placet asserere magis compleri relationis fundamentum per materiam, ac res; verba vero, & formam circumstantias esse fundamenti ipsius, ita Scotus sacramentum Baptismi finit. *Baptismus est ablutio hominis aliqualiter consentientis facta ab alio in aqua verba simul certa cum debita intentione proferente, efficaciter significans ex diuina institutione ablutionem animæ à peccato.* Quæ diffinitio, etsi modo Phisico tradita videatur, dum genus diffiniti non exprimitur directè, sed ipsa materia, est tamen suo genere perfecta quatuor causas phisicas complectens: nam dum institutionis diuinæ meminit, effectricē causam denotat; dū *ablutionem animæ à peccato*, indicat, finalis etiam meminit; dum dicitur *ablutio* exponitur materia, dum meminit verborum indicat formam, dum *hominis consentientis* meminit denotat subiectum, dum denique particulam illam *ab alio* amplectitur, ministrum designat, vt nihil in ea desiderare queas, præter modum diffiniendi Methaphisicum.

Prima diffinitio baptismi in aliquorum Scotizātium sententia.

15 Cæterum secundum nostram, & Scoti sententiam constituentem ex æquo res, & verba constare fundamentum relationis in hoc sacramento, ita diffiniendum docet Scotus baptismum. *Baptismus est sacramentum* (en tibi genus Methaphisicum est enim baptismus Sacramenti species) *ablutionis animæ à peccato* (en tibi cum cæteris particulis, quæ sequuntur, vel differentias, vel differentiarum vices) *consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis,* (en materia proxima cum subiecto) *facta in aqua* (en remota materies) *ab alio abluente* (en tibi ministrum) *& in certis verbis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis* (en demum forma, & intentio in ministro expetita, & identitas intentionis cum forma, & materia: solum desiderare finē posses, sed hunc habes in ipsis differentiis sacramentum

Diffinitio verior baptismi in sententia Scoti.

comm. art. 1. *q.* 66. 3. *p.* docet non posse negari baptismum esse quid constitutū ex ablutione, & forma certa verborum & in hunc modum interpretandam esse Magistri discriptionem.

21 Hactenus de diffinitione baptismi explicante quid, & quale. Porro si petas diffinitionem quidditatiuā tantum per proprium genus, ac differentiam. Hanc ita præstat Suarez *loco citato baptismus est sacramentum regenerationis, &c.* seu, *baptismus est sacramentum ad spiritualem regenerationem fidelium institutum.* Fauentinus etiam *disp.* 7. *in fine* addit *baptisma esse regenerationis animæ sacramentum*; vbi inquiunt isti; sacramentum est genus, regeneratio differentia. Sed non est horum diffinitio omni ex parte probanda; siquidem diffinitio conuerti debet cum diffinito; hæc autem non conuertitur; quippe quæ etiam sacramento pœnitentiæ aptari potest, per quod mortui peccatis renascimur Deo; & sicuti in baptismo per tropum regeneramur, sumpta similitudine ab ortu materiali, & generatione corporis; ita per tropum in pœnitentia renascitur peccator deperditus.

Diffinitio Suarij, & Fabri

Insufficiēs.

22 Consimili coniectura redarguenda est aliorum diffinitio dicentium baptismum esse sacramentum ablutionis animæ, quia cum ablutio non nisi per methaphoram animæ aptetur, est enim propria corporum, & per methaphoram etiam dici queat animus in pœnitentia ablui à peccatis, fiet; vt hæc sacrameto pænitentiæ etiam conueniat. Dicerem ego igitur sic baptismi sacramentum quidditatiuè finiri posse *Baptismus est sacramentum regenerationis animæ, per aquam, & verba*, quæ particula *per aquam* satis sacramentum hoc à pænitentia distinguit.

Diffinitio ex Auctore

23 Quod si vrgeas in diffinitione quidditatiua non esse inuoluēdum subiectū, respondeo accidens sine subiecto perfectè finiri non posse, quamuis subiectum ipsum cadat in diffinitionem eius vt additum, quia cognitio entitatis est passio; quare sicuti naturaliter accidens sine subiecto esse nequit, ita nec & cognosci.

Fusè vindicatur.

24 Res tamen non est multi momenti; sed nostra hæc diffinitio potissimum ex Christi verbis deducta est Ioann. 3. *Nisi quis renatur*, en tibi regeneratio, *ex aqua &c.* en subiectum relationis, vel pars subiecti. Cæterum quo modo, & quare addatur ibi, *& Spiritu sancto* dicetur inferius.

Consonat nostra diffinitio doctrinæ Cathechismi Romani Pij V. mandato editi; quo loco dicitur *baptismus sacramentum regenerationis per lauacrum aquæ in verbo vitæ*. Habes autem in hac, & nostra diffinitione genus, quod est sacramentum, habes differentiam per cæteras particulas, ut nihil desiderandum tibi sit ad quidditatem baptismi dignoscendam.





DE

ta immediate ab Angelo, sed ex virtute actiuæ agentis in passum naturale, vnde aqua esset terminus non actionis Angelicæ, sed naturalis actiui, & passiui in medijs ordinatis; secus in productione aquæ per ignem, quæ immediate caloris virtute gignitur ex mixto, & proinde hæc vere artefacta; illa verò licet artificialis dici posset ratione primæ actionis Angeli adhibentis actiuum passo, ratione tamen originis suæ ab actiuo, & passo naturali naturalis dici poterit: Adde, quod hæc omni qualitate aquæ naturalis affecta esset, non illa; quia plerumque videmus aquas rosaceas, & è floribus stillatas contrarijs aquæ naturalis affectas qualitatibus, quæ proinde succi potius florum, ac herbarum verius dicuntur, quam aquæ.

Discrimen naturalis aquæ ab artefacta

3 Rursũ obserua impuritatẽ in aquis dupliciter ex capite manare posse, vel .s. ex mixtione alterante speciem, vel ex iuxta positione alterius corporis: & hanc iterum duplicem esse, alteram excludentem ab aqua possibilitatem lotionis, alteram vero non eximentem aquam à lotione; sicuti & primam impuritatem adhuc duplicem, alteram scilicet ex mixtione in via quasi ad alterandam speciem, alterã vero ex mixtione alterata iam specie, & extra speciem: hoc extremo modo impuritas aquæ aquam ipsam extra suam speciem trahit; sic humores etiam digestione soluti extra speciem aquæ puræ reducuntur, vt sunt lacrimæ, saliua, lotium, cæteraque id genus; si uero mixtio fit in via solum ad alterandam speciem, vt cum accedente frigore aqua verti cæpit in glaciẽ, grandinem, vel niuem, sub ipso versionis initio aqua in specie sua remanente impuritas non obest, dum modo duritiem nondum contraxerit; duritiẽ vero contractã, vel niue, glacie, & grandine in suamet forma apparente impuritas aquam à sua naturali specie trahit, fluibilitate deficiente, quæ est propria licet non 4. modo affectio aquæ.

Impuritas duplex aquæ

Ex mixtione etiam duplici

4 Si autẽ mixtio spectetur penes iuxta positionem excludentem à lotione possibili, impuritas obest, sicuti apparet in luto acriter denso, ac in farina aqua conspersa, nam vtrobique imbibita aqua à terra, vel farina lotioni inepta est.

Sin vero lotionem impediat, licet impura sit, impuritas non obest vt patet de aqua turbida fluuiorum, & pluuiali luto adherente.

Hanc doctrinam tradit Scotus *loco citato litteris D. E. & F.* quam reuocare in hanc locum, dum eius sententiæ explicationem vbique molimur non erubescimus.

Scoti doctrina

Hisce prænotatis ad propositæ difficultatis intellectum, quid alii in hac re, quidue nos dixerimus, videamus.

5 Sunt imprimis qui aquam in vniuersum à materia huius sacramenti eliminandam esse crediderint existimantes substerni illi pro materia nobilius elementum, quod est ignis, ita in more positum apud Abissinorum Principis, quem Pretiosum Ioannem vocant, imperium vulgus tulit, quamuis tum apud Cosmografos, tum apud hystoriarum enarratores oppositum videre fit, qui vnanimi fatentur seniu Baptizari Abissinos in aqua cum nostra simili forma, quamuis portentoso more & fœminas etiã cũ masculis circumcidant, & omnes signo crucis ignito frontẽ coronent, ita etiã apud Iacobitas vsurpatũ docent post Prateolum Recentes, Suarez scilicet, *disp.* 20 *sect.* 2. & Vasquez *disp.* 141. *cap.* 1. quamuis Recentiores descriptores orbis terrarum, & hystoriarum, vt patet apud Boterum, & alios, ne verbum quidem hac de re, ne cogitatum apud Iacobitas: cuicunque tamen error præfatus tribuatur colorari potest ex illo Ioannis Baptistæ Matth. 3. de Christo loquentis, *ille* inquit *vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.*

Ignem aliqui statuere baptismi materiam

Error Abissinorũ, & Iacobitarum secundum aliquos

6 Nec defuerunt, qui sentirent baptismum iam pridem in aqua dandum, at nunc vero, non in aqua, sed in proprio sanguine baptizandum, sanguine, inquã, proprio flagellis è corpore exciso.

Qui hunc errorem de cruento baptismo suscitarunt ex ipso nomenclaturam flagellantium deduxerunt, de quibus vide Prateolum verbo, *flagellantes*, & Recentiores.

Error flagellantiũ

Denique Lutherus *in colloquijs simposiacis cap.* 17. rogatus, quænam esset Idonea Baptismi materia? Respondit, aquam; sed ea deficiente id omne assumi in materiam posse, quod balnei nomine nuncupari posset, quo fit, vt vinum, ceruisia, lotium, cæteraque id genus, vt mittamus artefactas aquas, adhiberi queant per ipsum in huiusce materiam sacramenti.

Lutheri insania.

7 Statuendum nihilominus solam verã aquam puram, ac naturalem, siue elementalem esse idoneam sacramenti huius materiam. Ita fide sancitum est tum pluribus in Concilijs; tum potissimum in Florentino *in decreto Eugenij pro Armenis*, & in Triden. *sess.* 7. *can.*

Fidei veritas

7. can. 2. *de baptismo*, & Florentini quidem Concilii verba sunt *Materia huius sacramenti est aqua vera, & naturalis, nec refert an calida, an frigida, &c.* Tridentinum vero sub anathematismo decernit hoc idem aiens *Si quis dixerit aquam veram, & naturalē non esse de necessitate baptismi, atque adeo verba illa Domini Nostri Iesu Christi. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto ad metaphoram aliquam detorserit, anathema sit, &c.*

Decreta Conciliorum.

Auctoritas scripturarum.

8 Ita & scripturæ testantur Act. 8. ubi Philippus Diaconus Eunuchum Reginæ Candacis in aqua baptizauit, *Act.* 10. Petrus per aquam baptizauit eos, in quos iam Sanctus Spiritus ceciderat, similiter & Act. 19. se gessit Paulus in quosdam solo Ioannis baptismo baptizatos.

Et Patrum

Ita denique inculcant Patres passim, quorum placita in re morali vide apud Bellarminum *libro* 1. *de baptismo.* & Suarezium *loco citato.* & alios.

Declaratio asserti.

9 Interim obserua particulas asserti huius asserit. n. primo *aquam debere esse verā*, ne tropice aqua adhibeatur: mox debere iste *puram* hoc est non ita admixtam, vt admixtione extra veræ aquæ speciem deducta sit: ex quo elicere poteris aquas è sulfureis meatibus effluētes turbidas; similiter & fluminum limosas aquas idoneā esse materiam, similiter & iura, nisi ex carnium decoctione speciem aquæ perdiderint; licet in praxi, vbi de extrema necessitate sermonem gerimus in iuribus hisce supplendum duxerim tutius deinde sub conditione si aqua vera, ac pura queat adhiberi: addit demum aquam debere esse *naturalem*, vt artefactas explodamus aquas, verius liquores, quam aquas, similiter & decoctiones explodamus contra *Lutherum*; insuper & humores ex arboribus fluentes contra Ioannem de la Cruz *direct. consc. p.* 2. *de sacram.* verius succos, quam aquas.

Ioannes de la Cruz.

Probatio eius.

10 Ratio à priori pro hac veritate ab institutione Christi petenda est, sic enim ille instituit, sic & instituere complacitum est sibi. Si congruentiam petis ad eas Scotum, ex quo sic arguere licebit tibi. Eā congruum fuit assumi materiā sacramenti huius, quæ singulis prædita esset conditionibus ad effecta sacramenti respondentibus, huiusmodi est aqua solum vera, ac naturalis, & pura, quare hæc aqua dumtaxat debuit pro materia huius sacramenti substerni. Minor probatur, quia per hoc sacramentū flectitur inobedientiæ rigor, æstus concupiscentiæ deprimitur, fidei charitas patescit magis, homo denique in viam salutis introducitur: at proprietates istæ, nimirum inobedientiæ flectendæ, concupiscentiæ deprimendæ, fidei illustrandæ, in uitam inducendi ex aquæ affectionibus respondentes eliciuntur; quia aqua necessaria est, sicuti salus necessaria est: aqua lucida est, aqua frigida est, aqua fluida, fluiditas ergo respondet, ac iuuat ad flectendam inobedientiam, frigus ad calorem concupiscentiæ domandum; luciditas ad illustrandam fidem.

11 Adde ex eodem Auctore, quod communissimi sacramenti communissima debuit substerni materies at hoc sacramētum ita commune est omnibus, vt sine illo salus haberi nequeat, & aqua ita communis, vt de cōmuni vsu eius nefas sit hæsitare, ne dicā scribere, ergo recte substrata est sacramento huic materies. *Alia suasio.*

12 Adde demum similitudinem in effectu, nam ex quo sacramento hoc à maculis quibusque mundamur, iure pro materia aquam poposcit, cuius merito corporeæ abluuntur maculæ, ac sordes. Superest, vt Auctoritatē illam Matth. 3. interpretemur. *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.* qua in re non vnus est Sanctorum Patrum interpretantium sensus. Basilius *lib.* 5. *contra Eunomium.* Hilarius *serm.* 2. *in Matth.* & Damascenus *lib.* 4. *de fide cap.* 10. nomine *ignis* ignem Inferni intelligunt, vt sensus verborum illorum sit esse in potestate Christi dare baptismum in Spiritu sancto, & torquere in igne, ac si diceret in manu eius positum esse Regnum Cæli donandum electis, & ignem præscitis, quæ expositio quadrare videtur sequentibus verbis *Cuius ventilaburum in manu eius &c.* quibus inculcat Ioannes retributionem operum à Christo faciendam in præmio, vel pæna.

Confirmatio.

Sensus auctoritatis Matth. 3.

Ex Patribus valde difficilis.

13 Anselmus *in cap.* 3. *Matth.* per particulam *ignis* sacramentum Confirmationis intelligit, quo datur Spiritus sanctus methaphorice nomine ignis designatus, sicut & ignis appellatur ab Ecclesia *fons viuus, ignis, charitas &c.* vt sit sensus, *ille vos baptizabit in Spiritu sancto per baptismum aquæ, & confirmabit, quia baptizabit in igne.* Hieronymus *lib.* 1. *in Lucam,* & Beda *ignis* nomine purgatorij pænas intellexerunt, quibus electos purgat Deus; vt aditum aperiat ad gloriam: & cōsonat expositio litteræ sequenti; *Et mundabit aream suam &c.* & hæc

hæc expositio maxime etiam probatur Suarezio *loco citato*. Crisostomus *hom. 11. in Matth.* idem omnino nomine ignis intelligit, ac nomine Spiritus sancti, vt repetitio illa, *vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni &c.* potius ad affluentiam Spiritus sancti per baptismum dandi apposita sit, quam ad quippiam distinctum significandum. Et hæc expositio maxime arridet Vasquezio *disp. 140. cap. 3.* Sunt qui putent nomine ignis quamcumque aliam mundationem per penitentiam esse intelligendam, vt sit sensus; ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & si opus fuerit per alia etiam remedia, & per pænitentiam, vel tribulationem purgabit. Hanc expositionem probat *loco citato* Beda.

Chrisostomo subscribit Vasquez.

14 Ex varijs hisce Patrum locutionibus habes, opinatiue singulos esse locutos; alioquin alter alteri Patri contrarius esset, opinari igitur & nobis ex nostra mente licebit, salua Patrum reuerentia, quibus, si assertiue loquerentur, subscriberemus.

15 Obseruamus ergo, aliud esse, seu differre ad inuicem hæc duo effata: *baptizare Spiritu sancto, & baptizare in Spiritu sancto baptizare in igne, & baptizare igne* nam prior, in qua particula *in* inuoluitur innuit effectum potius, ac terminum baptismi, quam effectricem causam, vel materialem; posterior vero locutio per ablatiuum absolutum innuit vel instrumentariam, vel materialem; vnde sensus primæ locutionis est *ego baptizo in Spiritu sancto*, hoc est conferens gratiam, & Spiritum sanctum, *baptizo in igne*, hoc est conferens ignem, ita vt præcisus baptismi terminus per illam particulam *in* designetur, è contra verò hæc locutio *baptizat Spiritu sancto* equipollet huic *baptizat per Spiritum sanctum*; in qua particula *per* causam instrumentariam, immò effectricem, quia baptizans, est in instrumentaria, denotatam monstrare videtur; sicut, & hæc *baptizat in igne*, equipollet huic, *baptizat per ignem*, in qua particula *per* vel causam, cuius merito minister agit, vel materiam, in qua agit iuxta interpretationem nominis, demonstrat, si enim ignis nomen pro Spiritu sancto vsurpetur, est sensus, *baptizat per Spiritum sanctum*; hoc est resoluendo in passiuam locutionem, *Spiritu sancto baptizatur tali vel tali ministro*, seu in actiua locutione, *Spiritus sanctus baptizat tali, vel tali ministro* si autem locutio ad Christum referatur, hoc effatum *Christus baptizat Spiritu sancto*, significat Christum, qua Deus est gratiam suapte natura per baptismum largiri, qua homo est meritorie gratiam largiri; hoc autem effatū, *Christus baptizat Spiritu sancto* sensum facit; quod Christus vna cū Spiritu sancto si loquamur de Christo vt Deo, baptismū donat, si autē de Christo homine, quod Christus meritorie, Spiritus vero sanctus effectiue gratiā parit.

Obseruatio pro sententia Auctoris.

16 At nunc vero reuertendo ad nostrum institutum dicimus, Matt. 3. & Lucæ 3. quibus locis idem loquendi recensetur modus, insuper & Marci 1. & Ioan. 1. *Ille vos baptizabit in Spiritu sancto* nusquā particulam illam *in* in ordine ad Spiritum sanctum omissam fuisse, at vero in ordine ad ignem fuisse omissam, non enim ait *& in igne, sed igne*, immo nec *igne, sed igni* datiuo Auctores sunt vsi casu greco more, apud quos desideratur ablatiuus, vt sit sensus *ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igni*, hoc est ille per baptismum suum Spiritum sanctū, seu gratiam dabit, & rursum igne vos baptizabit; quod verissimum est; quia per aquæ baptismum Spiritus sancti dona largitus est Christus, & in die Pentecostes per ignem baptizauit Apostolos, hoc est dedit Spiritum sanctum Apostolis, & hæc methaphora baptizandi ad collationem sancti Spiritus frequens est in scripturis, Actor. 1. *vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies*, & iterum Act. 11. *Recordatus sum autem verbi Domini sicut dicebat. Ioannes quidem baptizauit aqua vos autem baptizabimini Spiritu sancto &c.* quibus in locis particula *in* desideratur; quia nimirū baptismus methaphorice sumitur pro illapsu visibili, ac speciali sācti Spiritus in Apostolos, ac discipulos

Expositio verborum Matth. 3. Lucæ 3. Marci 1. Ioan. 1.

17 Quod si dicas, non videri probabile verbum idem *baptizabit* duo simul & semel significata ibi perpeti posse, alterum proprium de baptismo per aquā, alterum tropicum, seu Methaphoricum de illapsu sancti Spiritus visibili. Respondeo imprimis non esse hoc inconueniens apud Hebreæ linguæ gnaros, apud quos vno eodemque vocabulo plura significata figurantur, siquidem opulentissima sunt significatorum seminaria Hebrea vocabula; fieri ergo potuit, vt vno eodemque verbo & baptismum aquæ, & illapsum sancti Spiritus intellexerint Matthæus, ac Lucas, eo potissimum; quod distinctionem significatorum ex ablatiuo cum præpositione, vel sine præpositione; seu particula illa *in* venari interpretibus fas erat.

Hebrea vocabula abundant sensibus.

Adde, quod & illa Spiritus sancti col-

latio in die Pentecostes baptismi flaminis voce ægregiè poterat insigniri; quare sicut nunc temporis baptismi voce ternum baptismum partimur, in aquæ scilicet sanguinis, & flaminis baptismum, ita ijs in locis baptizandi verbo vti potuerunt Euangelistæ ad diuersa baptismata explicanda, quæ deinde ex diuersitate ablatiuorum cum præpositione, vel sine explicarunt: ac baptismum aquæ quidem intellexerunt dicentes *vos baptizabit in Spiritu sancto &c.* baptismũ verò flaminis designarunt addentes, *& igne.*

Diuersitas ablatiuorũ frustra mutat

Quare corollarie dedũc eo loquendi genere nusquam designatum fuisse ignẽ pro baptismi materia; vt perperam pro Auctoribus primi erroris in hac re asserebatur.

19 Et hæc nostra verborum illorum interpretatio ex dictorum aliorum censura probabilitate maiori afficietur. Prima namque deductio interpretationis vocis illius *ignis* ad infernorum ignem designandum voluntaria est: quia Ioannes *ibi* differentiam dũtaxat sui à Christi baptismate venabatur, & in huius discriminis gratiam ait se baptizare in aqua, hoc est totum terminum sui lauacri in aqua positum, nullo spirituali succedente effectu; Christum uerò baptizaturum in Spiritu sancto, & igne, hoc est, Christi baptismum præ cæteris discipulis breui dandum fore duplicem, alterum in Spiritu sancto, idest conferentem gratiã Spiritus sancti, alterum uero per ignem in die Pentecostes, dum linguis igneis Spiritum super Discipulos à Patre misit.

Prima interpretatio reijcitur

20 Cætera uero, quæ de inextinguibili igne, deque paleis comburendis Ioannes subtexuit, non cum baptismo nectuntur, sed cum Christi persona; duo enim rogatus est Ioannes, alterum an esset Christus, alterum cur baptizaret, ut patet Ioan. 1. Vtrique fecit satis; secundo quæsito aiens se baptizare in aqua, Christum verò in Spiritu sancto, & igne; & hoc dixit opponens baptismo suo baptismum Christi duplicem fluminis scilicet, & flaminis, primo uero quæsito aiens se non esse Christum, sed præconem Verbi; in Verbi autem manu uẽtilabrum fore ad purgandam aream, & congregandum triticum in horreum, & comburendas inextinguibili igne paleas, opponens Christi effecta in extremo die operibus suis, & per hæc etiam habes, quid dicas opinantibus per ignem purgantes post mortem flammas intelligi. Insuper Inferni ignis pœnas quis audebit baptismi nomine insignire? si ablutio est eadem cum baptismo, siue re ipsa, siue per tropum pro qualitate baptismi, & apud Inferos nulla purgatio, nulla redemptio? ideo propius veritati accessissent assertores *ignis* vocabulum ad purgantes flammas reuocandum, nisi præfata obiecta obsisterent.

Baptistæ institutio Ioann. 1

21 Qui verò verba illa ad sacramentum confirmationis detorquent nimis impropriè interpretantur; quis enim ignis nomine Confirmationem intellexerit, cum nec verbum de igne in eo sacramento? at, inquiunt, igne designatur Spiritus sanctus: fieri id posse nõ eo inficias, sed ex quo Spiritus sancti explicitum primo fuerat nomen, cur idem per methaphoram exprimendum? Adde quod data hac expositione neduin *ignis* nomen methaphoricè, sed & *baptizandi* verbum per tropum exponendum esset.

Interpretatio de Confirmatione nulla

22 Quod asseritur tum *ignis* tum *Spiritus sancti* vocabulo idẽ omnino intelligi; nõ placet, vt quid enim expresso proprio nomini addẽda fuit methaphorica vox, quasi vero germanas, ac sinceras vocum significationes ex adiunctione tropi, vel figuræ explicare fas sit, & non potius è conuerso nomen ipsum tropos explicet: vtique concesserim iuuare nostræ aciei mentis captum figuras, ac tropos ad ignota vocabula explananda, at cum nomen ipsum sincere liquet, ac germanè appositum est, tropi ipsi mentis nostræ aciem obtundunt potius, quam acuant.

Aliorum sensus confutatus

23 Demum, qui asserunt *ignis* voce tribulationes, ac pœnitentias designari, nõ minus *baptizandi* uerbum, quam *ignis* vocabulum ad peregrina significata, ac tropis iuncta deuoluunt; quare videtur nostra interpretatio minoribus agitari angustijs, & paucioribus obiectis torqueri.

(5)



AN-

AN ABLVTIO SIT PROXIMA materies huius Sacramenti, & quenam, qualis & quanta.



CAP. II.



24 AD hoc vnum caput dubitationes illas omnes materiam sacramenti huius proximam scrientes deuoluimus, ne in re citra controuersiam scholasticam longius aquò vagemur: in ipso autem capitis huius vestibulo obseruamus ablutionem bifariam posse spectari, vel scilicet in fluxu, vel in esse quieto, exponam singula; ablutionem in fluxu voco actum ipsum ablutionis, dum fit ab alio, in esse vero quieto eam, quæ permanenter fit; ut si quis in fluuio positus ibi moretur hic permanenter abluitur, nedum ab aqua sua ui dilabente, sed per aquam iugiter circumfusus, sicuti si quis in stagno, uel lacu stagnantibus aquis ablueretur positus is ablui diceretur in esse quieto. Scotus *d. 3. q. 3. litera A*, ablutionem hanc utramque nos docuit, diuersa tamen appellatione, nā ablutionem in fluxu ab alio, appellauit quasi actiuam, uel effectiue factam ab alio abluente, ablutionem uero in esse quieto uocauit quasi formalem, in qua suapte ui aqua contingitur corpus, appellatio tamen hæc Scoti, uel nostra parum refert; immò distinctius dici post, fit altera ablutio ab alio per aquam; altera uero ab aqua, sed non ab alio, & de hac ablutione, quæ per aquam fit, sed non ab alio; quam nos in esse quieto, Scotus vero quasi formalem vocat certum est, non posse illam huic sacramento pro proxima materie substerni, & huius ratio ex diuina institutione pendet, & ex præcepto Dei dicentis *baptizantes eos &c.* quibus innuit actionem agentis requiri ad ablutionem hanc, quę pro proxima sacramenti huius materie substratur. Adde quod aqua sic spectata in esse quieto non dicitur abluere, sed potius tangere; & quamuis contactus etiam ad materiam hanc sit necessarius, tamen non quilibet contactus, sed is qui ab alio fit per aquam.

Ablutio in fieri, & in facto esse

Scotus alia appellatione vtitur

25 Porrò & hanc ablutionem, quæ in fieri, seu fluxu fit ab alio, partiri possumus in eam, quæ corpus ita abluit, vt sordes eius, & maculas deponat; vulgo enim ablutus dicitur, qui sordibus mundatur, & in eam, quæ generatim corpus tangit per aquam ab alio fusam, siue mundet, siue maculas corporis non diluat, sed præcise in ablutione, hoc est, tinctione corporis per aquam posita est.

26 Hac doctrina præposita dicendum ablutionem in aqua proximam esse materiam sacramenti huius, sed non eam, quæ ab aqua fit in esse quieto, sed nec eam, qua mundantur corporeæ sordes, & maculæ. Assertio triplici constat parte, quo ad singula persuadetur. Prima patet ex Christi verbis Matth. vlt. *Baptizantes eos in nomine &c.* hoc autem est baptizantes, quod abluentes, & clarius Ephesorum 5. *Mundans eos lauacro aquæ in verbo &c.* patet etiam ex diffinitione generica baptismatis, in qua simul ablutio, & verba inuoluuntur, alterum vt forma, vt materia alterum: patet denique ad ueritatem formæ, qua dicimus *ego te baptizo &c.* porro nisi ablueret qui sic diceret, falsum diceret, proinde ablutio ipsa necessario ut materia expetitur.

Assertio præcipua

Eius partes suadētur

27 Adde quod materiæ proximæ uocabulo intelligimus id, quod proxime uerbis contrahitur, quodue proxime significat effectū sacramentiat hæc est solo ablutio; ergo ablutio sola est proxima materies sacramenti huius: maiorem habes ex doctrina præiacta de materia, & forma sacramentorum in genere. Minor patet quoniam uerba sunt *ego te baptizo &c.* & hæc ut patet ad actum ablutionis referuntur, eundemque ad sacramentorum efficiendum coarctant; quia scilicet non quæuis ablutio, sed hæc quæ *in nomine Patris &c.* datur baptismatis sacramentum conflat. Rursum effectus huius sacramenti est ablutio animæ à peccato, & panis, quare ablutio corporea, quæ est huius effectus signum respondens, materia eius propinqua erit.

Prima pars probatur.

28 Secunda pars asserti ex his probatur; quia contactus aquæ in esse quieto formæ veritatem destruit, non enim mi- nister ablueret, qui nulla actione aquam moue-

Secunda pars, suadetur.

moueret, euellit etiam ordinem à Christo institutum, vt diximus proinde idonea materies non est.

S. Petri cap. 3.

29 Tertia demum pars habetur Petri 1. *canon. cap. 3.* docente carnis sordium depositionem ad baptismum nihil conferre his verbis. *Quod & vos nunc similis forma baptisma saluum fecit non carnis depositio sordium &c.* tanta ergo illa ablutio, quæ potius est ablutionis genericæ effectus, quam speciei, necessario ad materiam propinquam huius sacramenti non expetitur.

Hactenus sine scolastica dubitatione, & proinde breui sermonis decursu egimus. At nunc vero dubitationem habet scolasticam petitio, an materia proxima hæc sit ablutio actiua; an passiua: hoc est, an hæc ablutio materiæ vicem subeat, quatenus ab agente fluens in eo est, an quatenus in recipiente recipitur: qua in re nonnulli Recentes sentiunt ablutionem actiuam subesse sacramento huic pro materia, vocantes etiam in hanc sententiam Scotum nostrum *d. 3. q. 3.*

An ablutio actiua, an passiua sit materia.

30 Alij verò è conuerso materiam esse sacramenti huius proximam passiuam ablutionem sentiunt. Denique alij, vtrāque sententiam approbantes vtrumque dictum propugnant, scilicet, & quod actiua ablutio sit sacramenti huius proxima materies, & quod passiua etiam eo fundamento ducti, quod ablutio eatenus materia censeri debet; quatenus verbis formæ denotatur; sed verba formæ apud Latinos denotāt illam vt actionem; est enim apud Latinos forma *ego te baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti Amen*, & apud Græcos denotant illam, vt passionem; est enim apud eos forma *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti Amen*; quare vtrumque dictum cum veritate effari possumus. Primam sententiam non obscurè indicauit Suarez *disp. 20. sect. 2.* Secundam verò Dominicus Sotus *in 4. dist. 3. art. 1.* Tertiam denique Vasquez *disp. 141. capite 2.*

Opiniones variæ.

Suarez. Sotus, Vasquez.

31 Vt sinceram Scoti mentem, & nostrā pariter sententiam aperiamus, præaccipienda sunt aliqua ex naturali philosophia crasso quidem marte, quatenus instituto nostro inseruiunt, & primo disquirendum quid formaliter sit ablutio, ne in æquiuoco laborantes decipiamur. Hæc defuerunt qui dicerent ablutionē, quæ est eadem res cum baptismo nihil esse formaliter aliud, quam aquam proindeque cauendum, ac magno studio curandum sacramentum hoc, ne forte ab Asino bibatur, quæ assertio, simul ac monitio, vt egregiè monuit Scotus, vere Asinina est, quoniam baptismus nō in aqua, sed in ablutione per aquam cū debitis intentione ministri, & verbis constitutus est, vt ex diffinitione eius præposita liquescit.

Quid sit ablutio.

Opinio fatua Ioan. Maioris.

Alij verò è contra asseruerunt ablutionem vtique aquam non esse; sed ipsū baptizati corpus identice. Primam opinionem propugnauit Maior *in 4. d. 3. q. 1* secundam vero Ledesma *in 1. parte 4 sent. q. 7. art. 1. dubio 3.* Suarez vero *loco citato* potius ablutionem esse identice aquam sensit, cum additione alicuius modi, qui est applicatio aquæ ad corpus.

Opinio Ledesmæ & Suarij.

32 Ex doctrina tamen Scoti *loco citato* dicendum ablutione primo denotari contactum corporis ab aqua per alium effectum: & patet ex ipso vocabuli rigore; quia interrogatus, quid sit formaliter *abluere*? dices, quod sit contingere corpus aliquod per aquam: quare à verbo ad nomen, seu à concreto ad formā arguendo dicendum est ablutionem nihil primo esse aliud, nisi contactum corporis per aquam ab alio effectum: non igitur aqua in recto ablutionis inuoluitur, vt perperam senserunt Suarez. & Maior, nec corpus ipsum, vt falsò credidit Ledesma; sed contactus in recto, corpus autem, & aqua in obliquo inuoluuntur.

Ablutio dicit contactum per aquā ex Scoto.

33 Secundo disquirendum, ne in æquiuoco laboremus, quid sit actio, & in quo fundamento seu subiecto locata? quæ res adamussim ad Phisicos spectat ut autem præsentis loci postulat casus supponendum, Scotum multis in locis de actione locutum, præcipuè autem *in 2. d. 3. q. 6. in quolib. quæst. 13.* at omnium dilucidissime, ac fusissimè *in hoc 4. d. 21. q. 1.* eius autem opinio aperietur statim prænotato quid alij senserint. Plerique igitur philosophi entitatem actionis ad absolutum reuocarunt; plerique ad respectum, plerique ad utrumque simul, ipsam actionis naturam ex absoluto, & respectiuo mixtam statuentes: & quidem Nominales, Herueus *quolib. 1. q. 9. art. 3.* Ferrariensis *3 phis. q. 1.* & ex Recentibus Masius *sect. 1. q. 4.* & Auersa *q. 26.* solo absoluto compleri actionem existimarunt, nec ab iis distāt Iacobus Zabarella, & Franciscus Piccolomineus, hic tam *lib. 4. de materia cap. 4. de tactu phisico*, quam *lib. 5. cap. 13.* ille uero *lib. de sensu agente cap. 9.* qui ita

Digressio de actione.

de

de actione loquuntur, ut nec per somnium relationem illi admisceant, licet in explicanda hac ipsa actionis absoluta natura digladientur, quibusdam arbitrantibus illam esse formam in fieri, & motum, aliis ipsam entitatem agentis, aliis modum quemdam dependentes effectus ab agente.

34 Contra nonnulli ad solum relationis genus actionem ipsam pro formali reuocarunt. Medio tramite incesserunt Thomistæ, illi qui in actione immanente nullum comitem agnoscentes respectum, in transeunte quidem relationem ad agens, à quo prouenit, patiuntur.

Thomistarum opinio

P. Gaspar Sghemma 2. *Phisic. disp.* 10. *q.* 5. qui cum cæteris Scoticæ Palestræ addictis actionem relationem compleri asseuerare non veretur, relationē hanc ait esse medium quoddam inter fundamentum, & relationem agentis ad passum, quod medium est præuia dispositio requisita ad agendum.

Sghemmæ sensus

Inter hos autem, quos hucusque recensuimus, auctores quicunque actionē eamdem esse realiter putant cum passione illi patiens ipsum assignant pro subiecto: ita post Antiquiores philosophos Themistium, & Philoponum Ruuius *q.* 6. 3. *Phisicorum* Amicus *tract.* 19. & alii Recentes. Alij eam in motu fundant cum Burleo 3. *Phisic. cont.* 20. & Conimbricensibus *quæst.* 1. *art.* 2. licet isti potius de passione, quam de actione loquantur. Alij in termino producto, ita Aresius *disp.* 5. *lib. de generat. & corrup. quæst.* 39. *sect.* 4. ita diuersi diuersimodè philosophati sunt in hac de actionis natura philosophi.

Themistius Philoponus Ruuius, Amicus, Burleus, Conimbricenses, Aresius.

35 Singulas tamen opiniones deficere breuiter ostenditur; nam imprimis actionem absolutum non esse longo sermone prosequitur Scotus *d.* 13. 4. *sent. citato loco*, & experimento patet agentem sine actione manere, hanc peculiare constituere prædicamentum ab agente, quod in genere substantiæ potissimum, vel qualitatis situm est, illam vero in genere actionis: nec dicere entitatem passi, quod pariter post actionem manet: & eamdem ob rationem non dicere entitatem effectus manentis desinente actione, nec dicere aliquem modum, quia is est in eo genere, in quo est id, cuius est modus, actio vero ex communi, & famosa diuisione decem generum ab omni Scolastica concertatione recepta in proprio collocatur prædicamento opinio autem Patris Sghemma fusè confutatur à Mastrio, & Belluto *disp.* 7. *q.* 3. *art.* 1. & planè in Scoti doctrina voluntarium hoc esse inuentum, patet ex doctrina eius *in* 4. *d. & q. citata*, vbi de solis relationibus intrinsecè aduenientibus concedere videtur actiones esse dispositiones præuias ad relationes: vide Scotum *d.* 13. *q.* 1. *littera V*. Quæ denique de actionis subiecto dicuntur fusè ab auctoribus, fusè etiam à Fabro nostro confutantur *in philosophia naturali theoremate* 41. *per totum*.

Refelluntur.

Mastrius, & Bellutus

36 Secundum igitur Scoti sententiam ibi actionis vocabulum æquiuocum est, & latissimè proinde funditur: sumitur enim interdum pro operatione quacūque, secundum quem sensum actio dicit rem absolutam, & propriè qualitatem, sic enim intellectio, & volitio dicitur actio, cum verè vtraque sit qualitas, & hæc est potius actio grammaticaliter, quam phisicè sumpta: interdū actio pro ipsa re acta sumitur, secundū quam significationem præclarissimi illi philosophi apud Fabrum nostrum citati cū Herueo, Pererio, Ruuio, & aliis forte ratione, in passo, vt in subiecto collocarunt. Interdum actio sumitur pro respectu producentis ad productum, quemadmodum relatio Patris in producendo Filio actio dicitur. Interdum actio sumitur pro respectu inducentis ad inductum, vel educentis ad eductum, sic dum ignis lignum calefacit relatio illa dicitur actio. Interdum denique actio sumitur pro respectu transmutantis ad transmutatum: sic Auctor libri sex principiorum actionem describens aiebat. *Actio est, secundum quam in illud, quod subijcitur agere dicimur.*

Actionis vocabuli fusa declaratio.

37 Singularum significationum sensus explicitus esto. Actio primo, modo est qualitas. Secundo modo vel qualitas, vel quantitas, vel aliquod aliud, cum possit ad tot genera pertinere, ad quot forma causata ab agente in subiecto, includit autem forma hæc causata respectum *ab alio*, qui cum possit esse ab alio, vt producente, vel inducente, vel ab alio vt transmutante. Primo modo ad genus relationis intrinsecè aduenientis attinet. Secundo modo ad genus relationis externè accedentis. Tertio modo actio est relatio intrinsecus adueniens, quia ad id genus reuocatur actio Patris in filium. Quarto similiter est relatio intrinsecus adueniens; Quia quod calidum caloris sit causa ad id genus refertur. Quinto denique modo partiale genus ex decem statuit actio, cui passionis aliud respondet genus.

In quo sitasit actio Genere.

Actio

38 Actio primo modo interdum in agẽte est, interdum in patiente: secundo modo in patiente tantum, hinc distinctionem metire actionis immanentis, quæ in agente, & transeuntis, quæ in patiente; quarum meminit Scotus *in quolibetis loco citato*. Alijs tribus modis actio in agente solum sita est; sicut passio in passo.

39 Ex actione passionem metiri te posse dicerem, nisi hæc latius, qua actio pateret. Sumitur enim interdum pro animi nostri affectionibus internis, quo sensu loquitus *Aristoteles in libro Perihermeniarum*. aiebat. *Voces sunt earum, quæ sunt in anima, passionum notæ*. Interdum pro proprietatibus rerum, seu pro quarto prædicabili, sic apud Porphiriũ *in sua Isagoge*. proprium 4 modo passio nuncupabatur. Plerumque pro altera ex 3. specie qualitatis, cum passibili qualitate speciem illam constante. Non semel pro forma in passo producta. Quæ omnes acceptiones passionem ad genera absoluta redigunt.

Passionis nomen latè sumptum tam pro absolutio, quam pro relatione.

40 Vt vero ad respectum refertur actioni respondet; & vno modo sumitur pro relatione producti ad producens. Secundo modo pro respectu inducti, vel educti ad inducens, vel educens. Tertio pro respectu transmutati ad transmutans, quomodo peculiare struit passionis genus vnum ex decem actioni verè oppositum. Hæc vno verbo dixerim in præsentia, ne saltem in æquiuoco laboraremus, dum actionis, & passionis meminimus.

41 Ex his deducere potes, in quo sit actio, vel passio, nam respectus agendi vtique in agente sunt, patiendi in patiente, actio vero acta pro materiali nusquã est in agente, sed in passo; motus namque pro forma fluente non est in motore, sed in mobili: deducere etiam poteris, quoniam ablutio quidam est motus; cum sit sita in fieri, & fluxu, vt dictum est, & ipsam pro materiali, seu pro re acta esse in passo, non in agente, quamuis qua relatio sit in vtroque in agente scilicet ad passum, quæ est relatio abluentis ad ablutum; & in passo ad agens, quæ est relatio abluti ad abluens.

Subiecta actionis, et passionis designãtur

42 Cæterum hoc loco dum fundamentum proximum, & materiam propinquam sacramenti huius venamur, de formali acceptione ablutionis pro relatione laborandum non est nobis, sed pro materiali, secundum quod significatum ablutio dicit actionem actam, siue opus ipsum in passo habens relationem ad agens, nec te terreat passi nomẽ quasi vero videatur tibi, sicut Suarezio visum est, nihil pati subiectum in recipiendo ablutionem, nam hoc pati idem est, ac recipere, nec passionem aliquam pro dolore, uel detrimento, uel alia alteratione passi significat, ut sibi perperam persuasere, qui hanc uocem non perceperunt cum Suarez.

Ablutio actio hic pro materiali sumitur

43 Ex his sine dubitatione dicendum, baptizationem passiuam esse proximam materiam sacramenti huius, hoc est ablutionem pro re acta esse hanc materiã, quam petimus Tradidit hanc Scotus *in 3.d.6. q. 2. litter4 D. & deinceps*, neque oppositum sensit *d.z.c.* vt falso ei imponit Suarez, siquidem ibi docet solum ablutionem pro contactu quasi effectiuè non formaliter esse hanc materiam, quã petimus; cæterum an hæc ablutio effectiuè sit in agente, an in recipiente ne verbum ibi quidem.

Statuitur baptizati onem passiuam materiam esse proximam.

44 Interim assertum probatur ex dictis, quia per *Aristotelem*, & commentatorem motus pro materiali, & forma fluens est in mobili, non in motore, est enim actus entis in potentia, atqui baptizatio, & ablutio est quidam motus, & ad instar motus concipitur: ergo non in baptizante, sed in baptizato collocatur, nec obinde actiua, sed passiua ad rem facit.

Probatio prima

Alia probatio

45 Præterea: Baptizatus idcirco baptizatus dicitur, quia sacramentũ recipit, at his nõ actiuam, sed passiuã ablutionẽ recipit, nisi eandẽ esse contendas vtramq; ergo non in actiua, sed in passiua ratio sacramenti sita est; & propterea passiua dumtaxat vicem propinquæ materiæ sacramenti huius subit.

46 Præterea illa est propinqua sacramenti huius materies, qua plurificata sacramentum ipsum plurificatur; quaue in plurificata, licet ex aduerso plurificentur alia, nõ plurificatur: at huiusmodi est baptizatio siue passiua ablutio, non actiua; etenim actiuæ ablutiones plurificari possunt, vt si duo simul abluerent in hoc sacramento, quo casu vna esset passiua ablutio, & vnum sacramentum: quare ab hac vnitatem sumeret, quamuis actiones plures essent: & rursum si plures aspergerentur ab vno, eodemque ministro, unus actiuè motus esset, & vna actio, baptismi tamen plures, puta quia baptizationes passiuæ plures, ergo cum à passiua ablutione vnitatem, uel multiplicitatem hauriat sacramentum hoc, ad eius materiam propinquam constituendam passiua potissimum ablutio

Probatio tertia

con-

conscriptabile.

47 Ex his occurrere poteris argumento Vasquezii in oppositum prolato; nam siue actus ille baptizandi actiuè exprimatur, siue passiuè, peto in quo actus ille sistit, in agente ne, an in passo? non equidem in agente, sed in passo, nec locutio actiua grammaticalis officit, nam & motor mouere dicitur, nec tamen in eo motus est, sed in passo, cuius est actus; immò refellamus Vasquezii argumentũ. Si forma latinorũ, & Græcorũ actiuè, & passiuè respectiue actum circumloquuntur, hoc significat, actionem esse quidẽ ab agente, sed in passo sistere: porrò quod ipse ait & passionem, & actionem materiam esse conuincitur vt falsum, ni nobis det manus; nam sciscitor, est ne vna eademque actio, & vnum opus vt in agente, & vt in passo, an diuersum? primum dici nequit, quia eadem forma nõ est in diuersis subiectis numero; si secundum velit, ergo non vna materies proxima, sed multæ, quod falsum est; quod si dixerit esse in agente, si dicat cum Latinis *ego te baptizo*, esse vero in passo, si cum Græcis dicat *baptizetur*. Contra, secundũ hanc sententiã materia hæc certum sibi non adsciscerct subiectum, sed vagum pro libertate ministri; quod nihil probabilitatis habet, sicut nec aliquid habet probabilitatis opus ipsum ex arbitrio loquentis interdum in agente situm esse, interdum verò in patiente.

Occurritur Vasquio

Concludendum igitur, non actiuam, nec actiuam cum passiua, sed passiuam dumtaxat ablutionem esse propinquam sacramenti huius materiam.

48 Cæterum petendum est qualis esse debeat hæc ablutio, an aspersionis, an mersionis, an infusionis; singulis enim modis hisce ablutionem fieri posse experimentum docet, & ratio dubitandi esse potest; quia Summorum Pontificum decretis sancitum esse videtur, requiri ad baptizandum mersionem, & hanc non vnam, sed ternam, vnde Pelagius Papa, cuius decretum habetur *d. 4. de Cons. cap. multi sunt* docuit præceptum esse Euangelicum baptizare in triplici mersione cum inuocatione Trinitatis, idemque sanxerunt *Apostoli can. 50.* decernentes deponendum esse Episcopum, vel præsbiterum baptizantem vna mersione, non triplici: idem demum decreuerunt plerique Patres triplicis mersionis celebratores, vt Basilius *lib. de Spiritu sancto cap. 27.* Hieronymus *in dialogo contra Luciferianos* & alij.

Dubitatio de qualitate ablutionis

49 Res tum est exilis momenti; quia quocumque modo baptismus detur siue mergendo, & hoc siue semel ad recolendã vnitatem essentiæ, siue ter in memoriam adorandissimæ Trinitatis personarum; siue aspergendo, siue infundendo, veri sacramenti rationem induit: vt patet ex institutione Christi, qui ablutionem hãc, quam statuit sacramenti huiusce materiam, ad nullam præfatarum ablutionũ speciem coarctauit, sed absolute ablutionẽ quãcumque ab alio factam sacramenti huius materiam statuit dicens, *Baptizantes eos &c.*

50 Non eo quidem inficias, modum baptizandi per aspersionem esse alium ab eo, qui fit per infusionem, quamuis perperam Suarez eundem modum esse sentiat; quia aspersio fit per proiectionem aquæ modicæ, & vt ita dicam guttatim, in quamcumque decidat illa parté corporis, hæc verò, hoc est infusio, fit per proiectionem maioris aquæ copiæ in caput, vel potiorem, seu principaliorem aliquam corporis partem, & hæc fit è vasculo, illa ex herbis, vel spongiis, vt vsus docet, sed aio, nullam à Christo præfinitam, vt quælibet satis esse queat: & de mersione quidem patet ex auctoritatibus præcitatis, alijsque Sanctorum Patrum supponentibus mersione baptismum fieri: de infusione patet ex ritu baptizandi apud Romanam Ecclesiam, in cuius more infusio potissimum ponitur: de aspersione patet ex *Actibus Apostolorum cap. 2.* quo loco vna die ad tria virorum millia referuntur accessisse ad baptismum, neque uerosimile est tantam hominum multitudinem mergendo, uel infundendo à tam modico discipulorum numero baptizari potuisse.

Modus baptizandi per aspersionẽ alius est ab eo, qui fit per infusionem contra Suarez

51 Generatim uerò hunc in modum argumentari licebit. Vbi non constat dè præcepto, non est facilè imponenda obligatio ad unam, aut alteram baptizandi speciem, seù ritum præscriptum fuisse ex præcepto nullibì constat: ergo non est facilè alter, uel alter ablutionis ritus de necessitate præscribendus, de necessitate, inquam, sacramenti, secus dè præcepto; quia potest ex causa Ecclesia ritum aliquem intacta remanente forma, ac materia præscribere: at nunc uerò nequè Christus, nequè Ecclesia id statuit, sed solam ablutionem constituit Christus huius Sacramenti materiam, quocumquè igitur modo illa fiat, Sacramenti huius materia erit: similiter quota mersione fiat, non refert, an scilicet una

Singulos ritus idoneos esse probatur scilicet mersionis infusionis & aspersionis

cet una

eet vna an triplici, vt patet ex decreto Magni Gregorij *epist. 4. relata dist. 4. de Consf. can. de Trina &c.* patet etiã ex Cõcilio Toletano *4. cap. 4.* Nec oppositum sentijt Pelagius, quia is præceptum Euãgelicum non ad modum, ac ritum baptismi, sed ad formam redigit dicens, præceptum esse Euangelicum baptizare cum inuocatione Trinitatis; quod si triplicis mersionis meminit, non refert, quia sponte fatemur usque ad Magni Gregorij tempore trinam mersionem vsitatiorem fuisse; proinde, & iuxta ritum in more positum Pelagius, & Patres in oppositum relati locuti fuisse dicendi sunt: idemque innuit Canon ille Apostolorum, qui de ijs loquitur, qui contra morem illius temporis baptizabit, qui certè reprehensione digni erãt. Cæterum de hac re vide Recentiores fusiori sermone, & præcipue Vasquez *disp. 145. per totam.*

Pelagius.

52 Vnus de hac mersione scrupulus superest, an scilicet mersioni necessum sit emersionẽ succedere, ita vt ni succedat infectũ sit sacramentũ, & ponitur casus de viro baptizaturo cathecumenũ, quẽ deficit aqua, & instrumentũ educendi eã à fluuio, vel puteo; qui baptizandum proijcit in fluuium, vel puteum ab ostio putei, uel à ponte fluminis, quo casu emersio mersioni non succederet, sed summersio.

Dubitatio, an emersio immersioni succedere debet.

53 Huic difficultati communior scholasticorum sensus obuius ire videtur, negando tunc temporis fore sacramentum verum. Antesignanum sententiæ huius referunt Vasquez *disp. 145. capite 3.* & Suarez *disp. 20. sect. 3.* Subtilissimum Scotum *in 4. d. 5. q. 3.* ob eam rationem, quod scilicet baptismus ordinatur ad vitam. Cæterum talis demersio ordinaretur ad mortem. In eandem sententiam citatur Sotus, Paludanus, & Marsilius *in 4. d. 3.* hac ratione ducti, quia scilicet ablutio in aqua constituta est sacramenti huius materies, at vera ablutio requirit, ut ablutus siue secundum totum, siue secundum partes emersus appareat deinde ex aqua, siquidem baptismus est figura Christi mortis, & sepulchri, in quo conditus est quidem Christus, sed post triduum rediuiuus apparuit.

Scotum, Vasquez, & Suarez, citant perperam.

54 Citantur & alii cum summa, Armilla, quorũ ratio est, quia ad materiam sacramenti huius statuendam necessum est baptizatum quoquomodo à baptizante contingi, quod non accidit in proiecto ex ponte in fluuiũ, ex limine in puteũ.

55 Contra hanc sententiam proclamant Vasquez, & Suarez *loco citato*, post Petrum de Aliaco *in 4. q. 2.* & Gabrielem *d. 4. q. 2. art. 7. dubio 4.* existimantes fore in casu proposito verum baptismũ, neque proinde necessarium esse, vt immersioni emersio succedat, quia tunc temporis ex parte materiæ nihil deesset, quominus perfectum esset sacramentum baptismi, siquidem tam bene ablutus dicitur, qui suffocatur in aquis, quam qui viuus educitur ab aquis; etenim si quis immundum lapidem in fluuium proijciat, verè dicitur ablutus lapis, antequam extrahatur ab aquis. Adde quod in casu proposito nihil desideraretur ex parte ministri, in quo supponitur intentio, supponitur & prolatio verborum pro forma, & identitas temporis in eius prolatione, & ablutione baptizati, quare talis submersio veram sacramenti huius materiam non destruit.

Opinio Alliacensis. Gabrielis & Recentium.

56 Ego primum exponam Scoti mentem; mox quid sit dicendum aperiam. Scotus igitur *d. 5. 4. sent. q. 3.* hanc difficultatem sub hoc titulo proponit, *an al quis debeat ministrare sacramentum baptismi, quando præsumitur baptizationem vergere in periculum vitæ spiritualis eius, qui suscipit*, &c. ex hoc titulo constat primum, quam falso Recentes eum in primam sententiam vocent, quia Scotus loquitur de debito ministri, ii autem vocant eum in sententiam negantem veritatem baptismi in casu adducto. Postmodum lege Scotum *ibi littera A.* & te dilucide monebit, se loqui de ministri debito, non de veritate sacramenti, ait enim, quod quando præsumptio est certa; vt si quis proijciat quempiam à ponte in flumen, vel puteum, quia tunc certum est subsecuturam ex tali actu mortem, nullo modo debet eum aliquis proiicere, eiusque rationem reddit; quia scilicet *peccabis mortaliter occidendo, & quilibet magis tenetur vitare peccatum in se ipso, quam quærere alterius salutem; quia ordinata charitas incipit à se ipso.*

Exponitur sententia Scoti.

57 Ex qua doctrina coniice secundum, nusquam vel verbum Scotum de veritate sacramenti fuisse locutum, sed perpetim perstitisse in publicatione dicti sui, quod erat non debere hoc fieri, quod nec etiam displicere debet Vasquezio, & Suarezio, siquidem nefas est de illo principio dubitare, quod ex apostolica doctrina trahunt Scolastici, puta. *Non sunt facienda mala, vt* enc-

Apostolicum esse, tum.

circuitum bona, patet igitur quam gratis, & ex libertate in recensenda Scoti sententia loquantur præfati auctores, qui ea acriori reprehensione digni sunt, quod Scoti rationem esse putarunt eam, quæ probat talem ablutionem tendere ad interitum, proinde non esse veram materiam sacramenti huius, quod ordinatur ad vitam; quam etiam rationem redarguunt fallaciæ prædicati auctores, quia scilicet, inquiunt, *bellè Scotus in æquiuoco labitur; transiens à vita spirituali ad corpoream, vtique enim baptismus institutus est ad vitam, sed non ad corporalem, sed vitam noui spiritus.*

Recentiores redarguuntur

58 Hæc illi, in quibus maiori, inquam, censura plectendi sunt; quasi vero credant omnia à Scoto relata Scoti è cerebro manare: vtique Scotus rationem illam tangit, sed nec approbat illam, nec ex proprio *Marte* tulit, sed ex Richardo *d.4.q.4. art. 4.* legatur Scotus, & Margo eius, patebitque asserti nostri veritas. Scoti verba sunt. *Dicitur etiam quod talis sic proiectus non esset baptizatus* &c. obserua particulam illam *dicitur*, quæ quoties à Scoto ponitur in recensendo aliorum sententiam ponitur, vt patet Scoti litteram intuenti. *Margo* autem Scoti pro hoc effato citat Richardum *loco citato*: non est ergo Scoti opinio illa, nec ratio, sed Richardi, quam etsi non improbat; quia scilicet non hoc ibi Scotus petebat, sed an licitè fieri posset, saltem non approbat.

Scoti uerba

Richardus

Hic rursum *dist. 4. quæst. 3.* huius rationis meminit *littera A.* sed non etiam ex propria sententia, vide ibid.

Hæc pro Scoto, cui gratis sententias inurunt præfati Recentiores.

59 At nunc dicam quid sentio, & ne videar Recentiorum istorum rationibus victus, tuear cōmuniorem sententiā, nō fore tunc temporis verum baptisma, tuear & rationem Richardi, quam hoc ei illi faciunt, & dicam, ex quo tenderet præfata ablutio ad interitum, non fore materiam sacramenti huius, neque hæc ratio peccat æquiuocatione, vel transitu à corpore ad vitam spiritualē; quia Christus sacramentorum institutor sic sacramentum instituit, vt per virtutem, quam corporaliter per materiam conferunt sensibus arguamus insensibilem gratiam, quam conferunt animis, quod nec ipsi Aduersantes ire inficias possunt, qui putant ideo in aqua baptismum institutum; quia sicuti corporaliter maculas abluit, ita & spiritualiter; quare si materia sacramenti huius spiritualem iuuare debet vitam, hoc per corpoream, quam fouet, innuere debet in casu autem proposito non solum vitam non fouet, at destruit corpoream vitam aqua fluminis, uel putei, & hoc maxime est cōtra Christi institutionem, qui professus se est aduenisse non ut peccatoris vellet mortem, sed vt conuertatur, & viuat.

Auctor cōmuniori sētentiæ se subscribit

Discursus auctoris

60 Porro, & in hunc modum Christus sacramētorū certas decreuit materias vt quæ corporeis subueniunt egestatibus, indicent & spirituali effectu, cuius sacrum est sacramentum, iuuare animum; hinc oleum extremæ subdidit vnctioni, vt quemadmodum oleo athletæ vngebantur, vt fortiori vi pugnarent, sic dimicaturi cum morte sicuti vnguntur in corpore, uegetentur in animo: panem, ac uinum materiam Eucharistiæ decreuit, ut indicaret sic animum spirituali illo cibo foueri; sicuti usuali pane, ac uino fouetur corpus: idem puta de singulis; quare cum submersio non uitam, sed mortem pariat corporaliter, nec talis immersio censenda est apta ad sacramentum baptismi materies, qua uita designari debet, non uero interitus.

Obseruatio præcipua

61 Dixeris non foueri corpus aqua; quare nec referre, an uita uiuat, necne, & antecedens patet, quia frigida aqua detrimento potius est, quam opem ferat. Respondeo, etsi non foueat formaliter aqua corpus abluendo, certè nec obest, quia modica lauatio nullum parit in corpore incommodum, & quod fertur de infantibus falsum est, siquidem dum præsumitur obfutura infantibus aqua frigida, calefieri consueuit, atqui calida aqua prodest potius, quam obsit infanti; quoniam, ut egregie notauit *loco citato* Scotus consuerunt calefacta aqua in remedium balneari infantes. Quid, quod quoquomodo aqua effusa, uel infusa prodest, ut medicorum est uotum, quia ex frigido opposito uigescit calor?

Tollitur obiectum

62 Nō eo inficias, rationē summæ Armillæ nullius esse ponderis, quandoquidem neq; nunc ē, oris, quo baptismus regulariter infusione aquæ datur, necessū est baptizantem cōtingere baptizatum, ut patet experimento, nec enim aliud in ministro poscimus, quam elicitionem actus abluendi cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, contactus autem iste plane uoluntarius est.

Ratio Armillæ infirma

63 Ratio autem Paludani, & Marsilii

non est ad modum inepta, vt rentur Recentiores, quia ex vsu communi, & frequentiori vocis *ablutionis* significato, id ablui dicitur, & lauari, quod vel non totum immergitur; vel immersum emergitur statim; nec lapis, quem Recentiores in exemplum adducunt in profundum putei, vel fluminis deiectus rigorosa significatione ablutus dicitur, sed madefactus ex aqua per submersionem, & in hac re attendenda est germana significatio vocis, non autem pro libidine dilatanda; quia sicuti non dicitur baptizare, qui dicit pro forma, *ego te linio*, vel *ego te lauo*, vel *ego te balneo*; quia scilicet non sic Christus instituit, ita nec baptizari dicitur qui submergitur; quia scilicet non sic Christus instituit, nec sincera vocis immergendi significatio ad eam, cui emersio non statim sequitur, protendenda est.

Lapis in puteum proiectus non dicitur lauari proprie.

64 Et ex his facere licet satis argumento Suarez; quia deest ex parte materiæ ablutio in suo significato; mersio namque per suffocationem non est baptizatio, seu non est ablutio idonea ad baptismum; quamuis ergo nihil præterea desideres in casu proposito ex parte ministri, atqui desiderabis ex parte materiæ.

Mersio per suffocationem non est baptizatio

65 Et ex his etiam ride Soti coniecturā existimantis in casu adducto Deum impleturum baptismi vices, perindeque seruari proiectum sic in aquas e ponte, vel è vestibulo putei. Sciscitor enim an loquatur de adulto proiecto, an de infante? si de infante tam salutem ei est, quam falsissimum esse probabimus, seu seruari quempiam infantem sine baptismo, dato autem casu per ipsum nullus esset baptismus; quare & nulla infantis proiecti Salus, vt contra Caietanum probauimus: si autem de adulto, rursum petam, an is consenserit in proiectionem suam, necne? si consenserit, peccator obibit, qui futuræ, & infallibiliter secuturæ morti voluntariæ se, exposuit, & non pro fide, nec pro iustitia. Insuper qui & peccato proijcientis cooperatus est: si non consenserit, peto rursum, an actum dissensus habuerit positiuum, an neutrum, vel negatiuū, quodcunque dixeris, falsum inuehes; nempe fore saluandum, nisi attritionē saltem, quam in contritionem passionē sibi ab alio illata conuertere poterit, eum habere supponas; quod si des, dare tibi necessum erit etiam non aliquo miraculo, sed baptismo flaminis à Deo saluandum tunc temporis adultum, præcisa quacumque baptismi fluminis, qui nullus esset, virtute.

Vrgetur Sotus

66 Duo rursum, quamuis exilis momenti, dubiola caput vniuersum, ac disceptationem ipsam sigillabunt. Alterum est quanta debeat hæc esse ablutio? Alterum vero, in qua corporis ablui debeat parte?

Primam dubitatiunculam euellunt Innocent. 4. & Abbas in cap. [illegible] extra de baptismo, & eius effectu, & auctor summæ Rosellæ, & Vasquez disp. 146. cap. extremo, dicentes, quamcumque aquæ stillam esse satis ad con[illegible] [illegible] sacramenti materiam, quorum ratio est; quia de materia hoc solum præscriptum est vt sit in aqua, at quæuis aquæ [illegible], ac stilla aqua est, vtpote quæ corpus est homogeneum, cuius pars quæuis est ipsum [illegible] libet pars aquæ aqua, quare non [illegible] maiorem [illegible] præscriptam [illegible] mus materiam.

Quantitas [illegible] ablutionis

67 Paulus Comitolus in resp. moral. lib. 1. q. 12. Fillucciusque tom. 1. tract. 2. cap. 4. num. 34. quos sequitur, & commendat Antoninus Diana tract. 4. de sacramentis resol. 4. exigerent illam aquæ quantitatem sufficere, quæ potest, corpus contingere, & successiue per partes corporis fluere, quod aiunt facere posse exiguam [illegible] quantitatem, afferuntque validum [illegible] baptismum datum à ministro [illegible] baptizantem [illegible] impresso [illegible] digito, [illegible]. Vides [illegible] horum auctorum contradictionem in verbis, exquirunt primo aquam, quæ per partes corporis successiuè fluere queat, mox baptismum datum per digitum aqua madefactum validant; quasi vero aquæ digitum madefaciens fronti per digitum impressa tanta sit, vt fluere queat.

Opinio [illegible] Rosellæ Vasquez Comitoli Fillucci Diana

Reiecta.

68 Mihi vero dicendum videtur hoc certum [illegible] requiri aquam, quæ possit [illegible] ablutionis; quia cum ablutio sit proxima materia, itaque quantitas inepta sit ad ablutionem [illegible] baptismum inepta [illegible] non [illegible] enim ablutio [illegible] fictione, [illegible] sed morali modo [illegible] fusione [illegible] stilla [illegible] vna [illegible] uatio, [illegible] aqua [illegible] maculas abluit, ita & [illegible]

[illegible]

Opinio propria.

pus intelligitur, vel in corpore moto per aquam, quorum neutrum in stilla vna aquæ eueniret; nam nec illa fluit abluendo, sed plerumque in rotunditatem versa deriuatur corpori hærens; nec per illam cietur corpus; censeo igitur non esse satis tutum baptismum unica aquæ stilla datum, nec reor oppositum sensisse Innocentium, sed solum innuisse coarctari, vel dilatari à nobis aquam non posse, quam Christus institutor ad quantitatis certæ limites non redegit; quod & nostra nos etiam sponte fatemur, scilicet certam quantitatem signari non posse, licet in minima quantitate censeamus dubium esse baptismum, & proinde opportunitate succedente iterandum; quia in dubiis tutiori parti hærendum est, iterandum autem sub conditione, quæ regula adamussim seruanda est, quotiescunque imminet de veritate baptismi hæsitatio.

Vnam stillam non esse satis probatur

69 Circa posterius dubium hoc imprimis certum est, non esse opus corpus vniuersum ablui, alioquin nullius baptisma perfectum hunc esset, quod regulariter in capite dumtaxat datur; immò vt docet Scotus *d. 4. q. 3. littera A. art. 2.* ad duo millia leguntur ab Apostolis vna die baptizata, & credibile non est quemlibet illorum secundum totum corpus fuisse dilutum, corporis igitur totius ablutio necessaria non est; at cuius nam partis satis? Respondet Vasquez *loco citato* cuiusquam partis corporis etiam minimæ ablutionem satis esse ad huius sacramenti materiam, vocatque in hanc sententiam S. Thomam *q. 68. art. 11. ad 4.* & Scotum *d. 4. q. 3. §. ad quæstionem*, & alios multos & proinde censet Vasquez cum Soto ablutum in crinibus, etsi aqua corporis partem aliquam non tangat, similiter & in vngue baptizatum esse.

Quanta debeat esse ablutio

Responsio Vasquez

70 Contrariam tamen sententiam veriorem reor; quæ asserit non esse tutum baptismum; hoc est certum neminem esse, an baptismus datus in minima aliqua parte corporis valeat, & propterea sic baptizatum iterato baptizandum sub conditione: ita docet *loco citato* Scotus, & S. Thomas, quos perperam nomine suo Vasquez ad aliam sententiam detorquet, & certè S. Thomas loquitur ibi de quacunque vtique corporis parà, de minima tamen non loquitur; Scotus etiam dum dubitat, an puer ex vtero materno secundum aliquam partem egressus baptizari queat, adducit in exemplum non partes minimas, nempe digitum, vel auriculam, sed manum, vel pedem; quare si de his ita dubitat, ut repetendum sub conditione censeat baptismum, quid putas dicturum fuisse Scotum, si de minimis corporis partibus sermonem proposuisset?

Contrarii verius

71 Ratio asserti nostri deducitur ex eo, quod sacramentum hoc sicuti supremæ est necessitatis, ita & securitate quam maxima tradendum, ne ob nostram incuriam baptizandi infantis animus pereat; monemur autem *extra de baptismo, & eius effectu; capit. de quibus*, dubitatione inherente de veritate huius sacramenti, iterandum sub conditione. Quod autem de vngue, & capillis tradit Vasquez irrationabile est, nam necessum est aquam corpus contingere iuxta illud Augustini *hom. l. 80. in Ioann. Quæ est ista virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, &c.* at capilli, & vngues neque anima polleant; nec corporis proinde sunt partes, in ijs igitur vtique inepta esset ablutio ad materiam sacramenti huius firmandam. Demum *loco citato* reprehendit Vasquez Scotum, quasi vero satis crasse probauerit in quacumque etiam minima parte datum baptismum. tenere ex eo principio; quod anima, quæ peccatum originale Contraxit est in quauis corporis parte. *Hoc autem (inquit) pauci momenti est; quia non debemus attendere ad subiectum, cui baptismus adhibetur; sed ad ipsam ablutionem, vtrum in qualibet parte sit satis, &c.*

Probatur assertum

Vasquez Scotum carp.

72 Sed in primis non intendit Scotus *ibi* probare validum esse baptismum in quacunque minima parte datum, vt diximus; quia nunquam minimæ huius partis meminit, quia ipse forte irrationabilis visa est hæsitatio de iis, de quibus proculdubio sensisset baptismum saltem conditione iterandum, sed loquitur ibi Scotus de pede, ac manu, quæ sunt partes corporis licet non tam principales; ut caput, saltem principales in corpore, vnde vocatur ibi partes principales à Scoto non in ordine ad quantitatem, alioquin caput non esset pars principalis, quia crus maius est capite, & brachium similiter longitudine excedit caput, sed in ordine ad sensus; quia enim in capite est omnis sensus, idcircò principalis est pars; ita enim loquitur *ibi parum ante litteram B.* nec deniqus ait in manu, ac pede baptismum latum tutum esse, sed iterandum sub conditione, & tu-

Sed voluntariè

tiori incedamus tramite, solùm docet partes illas baptizandas, hoc est, baptismi eatenus capaces esse, quatenus uiuunt anima præditæ, sed non ita capaces, ut si deinde totum è ventre matris corpus egrediatur viuum, non sit puer saltem conditionaliter baptizandus: quare docet Scotus baptizari quidem partem illam posse, quatenus pars mortua non est, sed viuens totum habens animam, sed natum corpus iterum baptismo saltem sub conditione subiiciendum, &c.

Lapsus Dianæ, Suarij, Valentiæ, Viualdi, et Coninch.

73 Hinc non est audiendus Antoninus Diana *p. 2, resol. Miscell.* 43. asseuerans post Suarez, Valentiam, Viualdum, Victoriam, Coninchium, & alios satis esse ad valorem baptismi quacunque ratione fieri possit, vt abluatur aliqua pars corporis, siue illa manus sit, siue pars alia, etiam si puer totus secundum alias partes situs sit in vtero matris, ea ratione potissima, quia substantia sacramenti huius sita est in ablutione cum debita forma verborum, quæ omnia non desiderarentur in casu nostro infantis in vtero existentis. Non est, inquã, audiendus, si natum exinde infantem præsumat nec etiam sub conditione rebaptizandum, vt planè ipse præsumit, dum ait adesse tunc baptismi valorem, dum enim validus est baptismus is planè iterari non potest; non esse autem audiendum docet textus *extra de baptismo & eius effectu cap. de quibus*, & Rituale Romanum docens in hisce casibus, vbi perplexitas securitati præstat, iterandum sub conditione baptismum. Quod si fieri non potest, vtpote quia infans, priusquam ex matris vtero egrediatur, decessit, egregiè Scotus monet non esse illi sic baptizato negandam ecclesiasticam sepulturam, quia credibile est, immo credendum a Deo suppleri, id quod in casu impotentiæ impeditur lege Scotum *d. 4. q. 3. littera B.*

Rituale Romanũ.





DE

DE FORMA HVIVS SACRAMENTI.



DISPVT. IV.

AN HÆC SIT FORMA Baptismatis Ego te Baptizo &c.

CAP. IV.



1 X quo pars quasi Physice sacramentum baptismi (ceu & reliqua componuntur) constat duplex, materia, videlicet, ac forma, res nimirum, & verba, vt *in disceptationibus de sacramentis in vniuersum* præstitimus, maluimus præsentem tractatũ citra nostrum in hoc opere hucusq; decursum morem in aliam secare disputationem, quam permixtim in capita dumtaxat diuersa formam, ac materiam prosequi.

Varij errores circa formam baptismi

2 Ergo in constituto capite innumeri à Recentibus referuntur errores consuetim baptismi formam præuertentes; primus quorumdam baptizantium in nomine trium principij expertium aut triũ filiorum, aut trium parachtorum, & hic error damnatus est ab Apostolis *in can. 49.*

3 Secundus aliorum baptizantium in nomine Patris omnium, in veritate matris omnium, & in nomine descendentis Iesu ad communicationem virtutum.

Tertius Paulianistarum; qui sub nulla forma baptizabant.

Quartus cuiusdam Arriani baptizantis in nomine Patris per filium in Spiritu sancto.

Quintus Macedonianorum baptizantium in nomine Patris increati, filii creati, & Spiritus sanctificantis à Filio creati.

Sextus Eunomianorum, qui per Christi mortem baptizabant.

Septimus Græcorum formam Romanæ Ecclesiæ damnantium.

Octauus Lutheri, & Nouatorum; qui nostram quidem approbarunt formam, at & sine verbis etiam fieri, ac ratum esse baptismatis sacramentum, qua de re vide Bellarminum, aliosque Recentes, quibus disceptatio contra Hereticos potissimum cordi inest, nos interim Scolastice rem prosequentes parum in re morali immorabimur.

Prænotatio necessaria

4 Interim prænotamus; quod dum sciscitamur an hæc sit forma baptismatis *ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti Amen*, vel postulamus, an ita hæc præcitata ad formam expetantur verba, vt infectum sine iis seiunctim, vel coniunctim dicendum sit, vel vt factum quidem sacramentum putetur, at ministro lethaliter peccãte: & primo modo necessitas ex parte sacramẽti spectatur, posteriore vero ex parte ministri: & nos quidem hoc loco de priori necessitate loquimur, secundum quam.

Assertio negãs omnia verba necessaria necessitate sacramẽti

5 Asserendum simpliciter singula verba præcitata in forma baptismatis necessaria non esse de necessitate sacramenti. Hoc assertum de fide est constitutum in Florentino Concilio sub Eugenio, *in Decreto pro Ar nenis* quo forma, qua Græci vtuntur in hæc verba, *Bapuzetur N. vel seruus Christi in nomine Patris, & Filij. & Spiritus sancti Amen*, approbatur, & per hanc verum etiam sacramentũ conferri sancitur, quare cum hæc distet à nostra, nec omnia verba formæ Latinorum assumat, concludit facile nec omnia verba in forma Latinorum assumpta de necessitate Sacramenti fore.

Particula ego non est necessaria

6 *At* nunc vero considerandum, quæ verba necessaria sint, quomodove defectus sacramentum irritet: & primo ex dictis liquet facile, quod si forma Græcorum valida est, necessarium non est ministri personam in forma baptismatis assumere: quare particula illa *Ego* in forma latinorum ad veritatem sacramenti non facit, nec officit, facto sine ea sacramento ex forma Græcorum: liquet secundo suscipientis personam non necessario exprimendam per pronomen illud *te*, cum apud Græcos proprio nomine, vel circumlocutorio scilicet, per hæc verba *seruus Christi &c.* suscipiens

perso-

persona designetur: liquet tertio tempus indicatiui modi ad necessitatem sacramenti non conferre; siquidem baptismus Græorum non per illum modũ traditur, sed per optatiuum dicendo *baptizetur seruus Christi in nomine, &c.* an autem in verbis aliis mutatio aliqua veritatem baptismi eneruet, discutiemus inferius: porrò causam diuersitatis huius formæ penes Græcos refert Scotus *in 4. d. 3. q. 2. littera D.* vbi non solum formam illam approbat, sed ministro Græcæ Ecclesiæ necessariam docet, non quidem necessitate sacramenti, sed præcepti illius ecclesiæ.

Actus necessario exprimendus

7 Interim hoc loco constituendum est primo; Actum baptizandi necessariò exprimendum esse in forma baptismi. Ita docet Eugenius in Concilio Florentino dum ait *si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, &c perficitur sacramentum.* Ita etiam tradidit institutor Christus dum Matth. *vlt.* dixit *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* cuius verbis Hereticorum diuerticula non quadrant dicentium Christum verbis iis non quid dicendũ sit, sed quid agendum in collatione huius sacramenti præstitisse, siquidem sensus præceptorum Christi ex vsu Ecclesiæ, & ex doctrina eius sumendus est, & non in cortice prout sonant grãmaticaliter, *littera enim occidit, sed spiritus viuificat*, præceptore Paulo, atqui Ecclesiæ vsus, ac doctrina verbum illud Christi pro verbis formæ perpetuo intellexit, vt patet ex ipso Apostolorum tempore, quo vsum formæ huius in canonibus ab Apostolis editis comperimus.

Non refert per quem modum

8 An autem hic actus per indicatiuũ, vel per alium modum, dummodo vt sub exercitio explicetur, non refert; quia Græci indicatiuo modo non vtuntur, & verè baptizant, immò verè semper baptizarunt; quidquid dicat Sylvester *verbo Baptismus*, contra quem est decretum Eugenij *loco citato* approbantis formam Grecorum, quæ necessariò debuit esse vera; alioquin non potuisset illam approbare Eugenius, quia formam, ac materiam sacramentorũ destruere, aut constituere ita nequit Ecclesia, sicut non potest sacramentum instituere, quod ex illis constatur; immò & Innocentius, & Adrianus duo Pontifices, ille quidem *extr. de bapt. cap. 1.* hic *q. 1. de baptismo art. 3.* tamquam Doctores locuti sunt docentes Latinos in forma Græcorum baptizantes sacramentum non perficere; siquidem solo loci diuersitas sacramentum minimè irritat, quare forma, quæ in vno loco satis est ad integritatem sacramenti, & alio pariter in loco satis est, Græcorum ergo forma apud Latinos, Latinorum apud Græcos æquæ est virtutis, si sacramentum ipsum secundum rei essentiam spectemus, secus de necessitate præcepti; quia Romæ ritus diuersus præscribi sub præcepto potest à ritu Bizantii constitutus, quare concludamus modũ indicatiuũ ad substantiam sacramenti nõ referri, perficique sacramentum dummodo actus sub exercitio exprimatur.

Declaratur Innocentius, & Adrianus.

9 Notanter dixi debere actum exprimi sub exercitio certo, nam si quis diceret, *si ego te baptizo, vel cum ego te baptizo*, aut *vel ego te baptizo*, aut *Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, alioque modo [illegible] generis; quo actus certus [illegible] à Ministro quoquo modo emanans non designatur, irritatur sacramentum, & hoc est maxime adnotandum contra Sotum *in 4. d. 3. q. vnica art. 5.* existimantem non oportere necessario actionem exprimi vt à Ministro manantem; alioquin Græci verè non baptizarent, qui actum exprimunt non vt à Ministro manantem, immò quasi conuerso, quia idcirco Græci forma illa vtuntur *Baptizetur seruus Christi*, vel *baptizatur seruus Christi, &c.* (vt legit Lugo *d. 2. sect. 6.* qui imposturam retur *num. 109.* communem asserere Græcos baptizare per illa verba *Baptizetur, &c.* cum illi patenter secus baptizent dicendo *Baptizatur seruus Christi, &c.* quodcumque tamen sentias res est exilis momenti) & non illa *Ego baptizo, &c.* ne actio tribuatur Ministro, sed Deo ex communi Scolasticorum sententia.

Censura Lugo

10 Hæc tamen Soti assertio apertissime est contra decretum Eugenij *loco citato* qui decernens, cur & Græcorum forma recta sit, ait *Quoniam cum principalis causa, ex qua baptismus virtutẽ habet sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrũ, cum sanctæ Trinitatis inuocatione perficitur sacramentum.* Hæc ibi Eugenius, quibus rationem reddit, cur æqualiter verum fiat sacramentum per Latinorum & Græcorum formam, quæ est, quia vtraque Trinitatem inuocat, vtraque actum ministri exprimit; qui necessario quidem exprimendus est, an autem indicatiuo, an optatiuo, an imperatiuo modo non refert, quia minister non est principalis, sed instrumentalis

Reprehenditur Sotus

causa

Nusa, quare Sori opinio directe pugnat contra decretum Eugenii.

11 Neque vero putandum est, Græcos alium assumpsisse modum, quasi actionem Dei dumtaxat, non autem ministri instrumentaliter vellent designare; sed vt denotarent ministrum totum opus vt causam principalem non perficere; nec sibi nomen baptismi arrogare posse indicatiuum modum neglexerunt, quia visum fuit illis per hæc verba *ego te baptizo* ansam dari aliquibus putandi non actum operis dumtaxat, sed omnem effectum baptismi principaliter à ministro manare; hæc igitur ut falso putandi amputaretur occasio, alium vsurparunt modum, quo actū quidem ministri exprimunt, sed vt Dei principaliter.

Cur Græci indicatiuū modum neglexerint.

12 Scio Vasquezium ridere hanc communem Scolasticorum sententiam, quia difficile sibi videtur ad tollendam occasionem illius erroris ita usos esse Græcos, atque Vasquez nescire se unde Scolastici id desumere potuerint; sed nouisse Vasquez debuit non omnia scripturis tradita, cum & traditiones etiam vim habeant. Adde Græcos ideo alios vsos forma ob vitandum scisma dicentium se ab eo virtutem baptizandi accepisse, siue ab eo virtutem hausisse baptismatis, à quo baptizati erant, coniectare Scolasticos ex scismate orto adhuc Apostolorum tempore, quo aliqui gloriabantur se esse Pauli, se Petri discipulos, vtpote à Petro, vel Paulo baptizati, quem deinde errorem Donatistæ prosequuti sunt, contra quos inuehitur Augustinus [illegible] *lib. de baptismo contra* [illegible] *Ioannem cap. 3.* uerba illa perpendens, *Hic est, qui baptizat*, ne ergo inter cæteris sic opinandi apud Græcos [illegible], maluerunt Græci illo modo vti, *Baptizetur*, quam indicatiuo, *Ego te baptizo*. Adde quod coniecturando hoc Scolastici tradunt, non affirmando, & rectius est Scolasticorum coniecturæ communi in iis, quæ ad historiam pertinent, se subscribere, quam vni Vasquezio fidere.

Vasquez reijcitur

13 Insuper constituendum secundo hoc loco, personam recipientis sacramentum necessario exprimendum. Hoc patet nedum ex vtraque forma, Latinorum scilicet ac Græcorum, illa siquidem pronomine demonstratiuo te, hæc uero nomine proprio, uel circumlocutiuo per hæc uerba utitur *seruus Christi*, *&c.* Id patet etiam ex institutione Christi, qui specialiter subiectum expressit dicens baptizantes eos, &c. Adde, quod & physicè hoc probari potest, quia accidens sine subiecto exprimi nequit; quare implicat sacramentum dari, & in abstracto dari nulli scilicet subiecto, quare multo magis moraliter modo implicat sacramentum dari, & nulli subiecto dari.

Persona recipiens necessario exprimenda.

Probatur primo

14 Adde quod forma falsa esset, & nihil significans, si dicatur, *Ego baptizo in nomine Patris, &c.* sine expressione subiecti. Quid enim obsecro denotaretur ex illa, nisi quod baptismus, qui datur, est in nomine Trinitatis? & certè quod tunc, cum hæc verba dicuntur, baptismus daretur, non exprimeret, quia quod datur, alicui dari debet.

Probatur iterum

15 Quod si dicas expressionem personæ baptizatæ necessario faciendam non indicat Eugenius; immo factum dicit sacramentum cum expressione actus ministri, & inuocatione Trinitatis, quare superfluit personæ recipientis expressio. Respondeo argumentum ab auctoritate negatiua nullum esse imprimis, deinde nego Eugenium personam non expressisse baptizatam, quia approbans Latinorum formam decernit per hanc dari effectum baptismi; *Ego te baptizo, &c.* & postea approbans Græcorum formam suscipientem personam etiam expressit, quare necessariò illam requiri decreto illo patenter indicauit; quod si dicat cum expressione actus ministri & Sanctæ Trinitatis perfici sacramentum, hoc tamen non dicit exclusiuè quoad alia requisita, quia non addit *solum*, vel *dumtaxat* expressione illa sacramentum fieri, sed ea duo dumtaxat in decreto posuit, quia cum Græcis res erat, cum quibus altercatio Latinorum non eo vergebat, vt putarent exprimendam recipientem personam, sed eo, vt crederent Latini, vel Græci formam propriam esse rectam, Latini Latinam, Græci Græcam, & hanc opinionem euellens Eugenius vtramque approbauit; quia in vtraque actus ministri, de quo erat difficultas, & inuocatio Trinitatis exponitur.

Instantia ex Eugenio

Nullius ponderis.

16 An autem nomine proprio suscipiens persona declarata irritet sacramentum vocant in dubium aliqui, sed sine causa, quia *Græci* circumloquendo personam baptizatam indicant, & cum hoc tamen sacramentum perficiunt, multo ergo magis, si proprium personæ nomen declaretur sacramentum perficietur. Similiter si loco prominis illius te vtatur

Nomine proprio suscipiens declaratus non irritat sacramentum

quis

quis pronomine alio nempe *hunc*, vel *istum*. Qua de re uide Sotum.

27 Constituendum tertio, vsum Idiomatis, vel linguæ diuersæ ad rem non facere, siue ergo Hebreo idiomate, siue latio, siue Græco, siue *Hetrusco* sacramentum perficitur, dummodo identitas significationis seruetur, hæc enim mutatio est vocum dumtaxat, non vero rei significatæ.

Idioma ad rem nihil facit

28 Quod si dicas, euenire posse, vt apud quosdam non habeatur nomen Patris, vel Filij, vel Spiritus sancti, sicuti apud Cantabros fieri notat Sotus, apud quos nomen Dei nouum est, vice eius enim vtuntur nomine Domini supremi, in hoc igitur casu esset ne idioma aptum ad sacramentum perficiendum nec ne? Affirmandum arbitror ab eis in vsu ponendum nomen illud, quo vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum sanctum exprimunt natiuo Idiomate, etenim vsus verborum maximè in significatione spectandus est, sunt enim nomina ad placitum significantia, quare si Pater alio nomine apud quosdam vocetur, non erit mutatio sacramentum destruens. Aies, ergo datus baptismus in nomine genitoris, geniti, & spirati verus erit. De hac dubitatione infra.

Obiectum ex Soto

29 Interim obserua tres Scoti Regulas in hac sacramentorũ natura, & forma. Primam *eligendam semper esse, possibilitate accedente, tutissimam viam*. Secundam. *Deficiente possibilitate tutissimæ viæ proximam complectendam esse*. Tertiã. *Impossibilitate cessante, cautè supplendum, quod impossibilitas prohibebat*. Regulæ istæ ex eo principio ducuntur in hoc potissimum sacramento, quod cum hoc extremæ sit necessitatis, non est in eius susceptione pingui Mineruã incedendum.

Regulæ Scoti

[illegible] ALIQVORVM verborum in præcisa forma mutatio sacramentum irritet.

CAP. II.

20 VT huic capiti optatum finem præscribas ob oculos statue tibi doctrinam Scoti d. 3. c. q. 2. *littera F.* quæ vno verbo referetur in hunc locum. Motus ex *Aristotele* 5. *Phis.* penes terminos distinguitur, cum igitur ad quatuor prædicamenta esse queat motus, ac mutatio; puta ad substantiam, ad qualitatẽ, ad quantitatẽ, & ad vbi, fit inde, vt mutatio etiam in verbis propositæ formæ quadruplex esse queat, ad substantiam nimirum, ad quale, ad quantum, ad ubi: ad substantiam scilicet aliud, vel alia verba pro aliquo istorum appositorum in forma, vel pro singulis apponendo: ad quale incongrua terminatione verba omnia, vel aliqua perficiendo: ad quantum, vel augendo verba, vel minuendo & & quia augeri contingit multipliciter, fit etiam, ut secundum quantum mutatio attendi queat augendo si quæ verba vel ante, vel post, vel interponantur. Ad vbi, transponendo scilicet verba formæ ad inuicem.

Motus ad quatuor prædicamenta

Sic & mutatio in forma

21 Exemplum mutationis ad vbi fit, si quis dicat *Ego Patris baptizo te in nomine Filij, &c.* vel alio simili modo: mutationis ad quantum vnicum exemplũ ferri nequit, sicuti nec vno modo mutatio contingit in eo prædicamento, si enim minuatur aliquod verbũ, vel illud erit essentiale, & principale in forma, & tunc exemplum erit si dicatur. *Ego te baptizo in nomine Patris*, suppresso Filij, & Spiritussancti nomine, vtroque vel altero, similiter si supprimatur ipse baptizandi actus: si uero uerbum nõ sit essentiale, & principale, tunc est

Exempla dictorum

prona-

pronomen demonstratiuum ministri : exemplum erit. *Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Exempla uariationis ad quãtum

23 Quod si augendo fiat mutatio, distinguendum est, vel enim uerba, quæ adduntur repugnant verbis principalibus formæ, & tunc exemplum erit. *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, Filij minoris, vel creati, & Spiritus sancti inæqualis*, vel alio modo dicendo addendo verba repugnantia Patri, Filio, & Spiritu sancto, vel etiam actui ministeriali, vel verba non repugnant quidem principalibus, at nihilominus veritatem orationis infirmant, vt si quis loquatur disiunctiuè, dicendo, *vel ego te baptizo, &c.* seu coniunctiuè dicendo, *cum ego te baptizem*, seu conditionaliter, dicendo, *si ego te baptizo, &c.* & rursum si augumentum fiat anteponendo exemplum erit, *ego de Ciuitate Asculi baptizo te, &c.* Interponendo (si adhuc verba non repugnant principalibus dummodo orationis filum neutiquam rescindant) fiet, vt si quis incepta oratione obstrepentes redarguens dicat *Tacete*, vel aliquid simile: & postmodum orationem continuauerit: postponendo fiet (si adhuc verba, vt diximus non repugnant; quia in vniuersum præmanibus distinctionem illam habere necessum est de verbis additis, quæ scilicet vel repugnant, vel non repugnant) vt si quis dicat, *ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & Beatæ Mariæ Virginis*, vel simili modò alio.

Exempla ad quale.

23 Ad quale mutationis exemplum refertur, *d. 4. de cons cap. Retulerunt*, vt si quis baptizet *in nomine Patria, & Filia, & Spiritu sancta* ex imperitia latini sermonis: at hoc etiã bifariam potest accidere, etenim quandoque tanta est proferentis inscitia, vt neque per orationem explicatus conceptus percipi queat, vt si quis dicat, *ego te baptizo, in nomo Patro, Filo, &c.* & similia; quemadmodũ ego audiui vetulam quandam in vinculis pro inquisitionis officio positam, quæ scripta quædam in remedium præbens tanta imperitia describebat, vt per diem in sensus assecutione laborauerint Consultores, aiebat enim in quadam pagella *Iesuslio trascendentia per mezo dell'bore batte.* Loco uerborum illorum Euangelii Lucæ *Iesus autem transiens per medium illorum ibat.* Quandoque ex sola linguæ imperitia ita producitur oratio, vt sensus ab audientibus percipi sine labore queat, ut patet in exemplo allato *d. 4. de cons. cit.*

Exempla uariationis ad substantiam.

24 Ad substantiam denique mutationẽ fieri diximus pro altero uerborum formæ, uel pro singulis, alterum uerbum, vel singula uerba apponendo, sed & hoc etiam bifariam contingit, primo si uerbum, uel uerba loco alicuius, vel omnium uerborum adiungatur omnino aliud, uel alia, ut si exempli gratia loco *Patris* usurpet quis lapidem, loco *Filij* spinas, & similia uerba omnia à uerbis principalibus formæ diuersa, & uerba in hunc modum addita dicuntur alia disperatè; quia scilicet habent, significatũ omnino diuersum à uocibus, quarum uice ponuntur; secundo si uerbum additum, uel uerba addita, sit quidem aliud, sintque alia simpliciter, sed non disperata, sed conuenientia, hoc est, habentia omnino idem substratum in re, & hoc adhuc dupliciter, uel quatenus substratum illud distinctè, uel quatenus implicite dumtaxat significatur, exemplum primi, ut si quis loco uerborum illorum. *Patris, & Filij, & Spiritus sancti* usurpet nomina illa *genitoris geniti, & spirati*, hæc enim tria nomina sunt quidem diuersa simpliciter ab illis *Patris scilicet Filij, & Spiritus sancti nominibus*, & substratum idem denotant distinctè, scilicet easdem diuinas tres personas, licet sub ratione proprietatum, non sub ratione hypostasum: exemplum secundi, ut si quis in Christi nomine baptizaret, uel in nomine Trinitatis; nam Trinitas tamquam collectiuè tres personas diuinas designat, Christus etiam qui interpretatur unctus ungentem patrem, & oleum Sancti spiritus, quo unctus est, implicitè inuoluit.

Resolutio petitionis

25 In singulis mutationibus aliis ab hac mutatione ad substantiam caput hoc ipsum controuersia vacat, idcirco breuiter exponitur quoad singulas, missa morali apud morales Doctores lectitatione doctrinæ: & quod pertinet ad uariationem ad ubi spectantem, quæ transpositione fit, dicendum quod si transpositio sensum uariat, sacramentum est nullum, ut si dicatur, *ego Patris te baptizo in nomine Filij, &c.* si autem transpositione inuiolatus perseueret orationis sensus, licet ordo inter personas non seruetur, ut dicendo *ego te baptizo in nomine Filij, & Spiritus sancti, & Patris*, etsi minister grauiter peccet, non tamen sacramentũ irritat, ratio est quia quocunque ordine recenseantur diuinæ personæ idem unum sunt efficiens sacramentalẽ effectum per baptismum; nec quidquam ad

sacramenti integritatem præposterus ordo relatus officit, ut docet Scotus *loco citato littera P.*

26 De uariatione, seu motu ad quale dicendum, quod si terminatio locutionis incongrua tanta sit, ut illibatus non haberi queat orationis sensus, sacramentum infectum est, ut dicendo *Ego te baptizo in nomne Patro, Filo, &c.* at si ex incongrua terminatione ob linguæ imperitiam, vel impedimentum liberæ locutionis in ministro, sacramenti veritas intemerata persistit, vt decernitur de quodam, qui ex hac inscitia Latini sermonis baptizauit *in nomine Patria, Filia, & Spiritus sanctia de cons. d. 4. cap. Retulerunt.*

De variatione ad quale

27 Demum ad quantum mutatio cum sit multiplex, non vna responsione res liquet. Primo ergo dicendum, quod si augendo fiat mutatio penes verba, quæ principalibus verbis formæ repugnant, vt dicendo *ego te baptizo in nomine Patris maioris, &c.* sacramentum nullum, quia forma falsa, & hæretica, quoniam *qualis Pater, talis Filius, & Spiritus sanctus* ex symbolo Athanasij. Secundo dicendum, quod si augumentum fiat, vel per disiunctionem, vel per coniunctionem, vel per conditionē sacramentum est nullum. Ratio inde ducitur, quod in his orationibus, quales sunt hæ, disiunctiua, *vel ego te baptizo, &c.* coniunctiua, *cum ego te baptizo*, conditionalis *si ego te baptizo*, non habetur perfectus orationis sensus vt patet, disiunctio namque, coniunctio, ac conditio suaptè natura nihil ponunt in esse, proindeque orationis sensu imperfecto, imperfecta forma infectum sacramentum. Tertio dicendum, quod si anteponendo dicat quis, *Ego in Vrbe Neapoli natus baptizo te, &c.* sacramentum perficitur, ex eodem principio, quia scilicet perfectum profert minister orationis sensum, similiter si interponendo dicat (*Tacete.* vel *Recedite*) non omnino sensus orationis germanus peruertitur, moraliter enim notum est ex his verbis non omnino orationis seriem contextam dirimi, similiter si postponendo quis nomen Virginis Deiparæ, vel alterius sancti, adiungit ex pietate, vel ex simplicitate, cum sit accidentaria mutatio, orationis sensum non destruens, sacramentum perficit, at si Virginem adiungat, quasi in eius virtute dari posse baptismum putet, vel quaternarium personarum intendat numerum inuehere ex praua intentione formam substantialiter corrumpit, & sacramentum inficit potius, si ita loqui fas est, quam perficiat.

De variatione ad quantum

Doctrina communis sed obseruanda

28 Addendum etiam quoad variationē ad quale, quod si quis loco *Patris* nomen *Matris*, quod est satis affine nomini Patris vsurpet, etiam ex linguæ corruptela, sacramentum nullum est; ratio est; quia substantialis & hac mutatio censetur, & corruptela sermonis non sub initio, sed in terminatione vocabuli spectanda est. Quarto dicendum, quod si mutatio ad quantum minuendo fiat, & supprimatur aliqua ex tribus personis, vel actus ipse ministri, vel persona recipiens, sacramentum nullum est nulla existente forma, vt dicendo *Ego baptizo in nomine Patris Filij, & Spiritus sancti, &c.* in qua oratione desideratur expressio subiecti recipientis, vel dicendo *Ego te baptizo in nomine Patris*, suppresso Filij, & Spiritussancti nomine. Ratio horum est fides, ita decernens in decreto Eugenij in Concilio Florentino & Christi instituentis voluntas, qui & actum, & suscipiens subiectum, & singulas tres Diuinissimæ Trinitatis personas nominatim declarauit. Cætera si minuantur, puta ministri expressio, modus indicatiuus verbi sacramenti veritas illibata persistit. Hactenus de mutationibus ad ubi, quale, quantum uno, vel altero verbo.

Variatio minuens quando irritet sacramentum

29 Ceterū de mutationibus ad substantiam proposita disceptatio in vestibulo capitis non unam difficultatem habet, etenim petendum est, an baptismus in nomine Genitoris, geniti, & spirati datus, an similiter traditus in nomine Trinitatis, an demum in nomine Christi datus veri subeat rationem sacramenti, atque proinde gratiæ ferax. Similiter petendum an vice verbi *Baptizo*, aliud quidpiam liceat vsu capere uocabulum, & hanc postremam dubitationem, vtpote leuioris ponderis in huius capitis calce prosequar, cæteras in sequentibus insectaturus.

De variatione ad substantiam

30 Difficultatem hanc veteres Scolastici à limine solum salutarunt, vt patet in Caetano *in com. art. 7. q. 60. 3. p. Sancti Thomæ*, Recentiores eam promouerunt postulantes: *an si quis baptizaret dicens, ego te lauo, vel ego te abluo, vel ego te liuo, vel intingo, verum perficeret sacramentum*, nemo tamen eam aut fusius, aut copiosius prosequutus est, quam Dominicus Sotus *d. 3. q. unica art. 5.* Suarez autem *disp. 21. sect. 2.* & Vasquez *disp. 142. cap. 2.* leuiter illam attingunt.

An verbum baptizo patiatur mutationem

& Ga-

& finguli in affirmantem fententiam eunt; quorum idem eft fundamentum; quia quandocunque in verbis formæ mutatio accidentaria euenit, non irritatur facramentum, at in verbis accidentaria contingit variatio, quare facramentum perficitur: maior patet; quia accidens rei fubftantiam non uariat, minor autem probatur, quia dum verbum vnum alteri æquipollet, & æquiualens eft, accidentaria cenfetur variatio; porro verba illa *linio*, *lauo*, *intingo*, *abluo*, equiualent, equipollentque uerbo, *baptizo*, horum igitur loco illius uerbi ufurpatio facramentum non deftruit.

31 Scotiftæ de hac re uix loquuntur; mentem ergo Scoti apertam defideramus, attamen obferuata eius doctrina *loco cit. fuperius népe dift. 3. q. 2. litera G.* non erit difficile difficultatis nodum euellere. Certum eft ergo in via Scoti mutationem hanc, qua vnum uerbum pro alio ponitur uocari fubftantialem, feu mutationem ad fubftantiam, ratio eft; quia effentialiter uerbum aliquod mutatur dum omnino aufertur, loco eius fuppofito alio uerbo, hinc fi quis baptizans dicat, *ego te lauo in nomine Patris, &c.* fubftantialiter uerbum ipfum baptizandi ademit, fubeunte uices eius uerbo lauandi præcifa pro nunc confideratione fignificati utriufque uerbi. Infuper ex quo in mutationibus fubftãtialibus fit unius generatio ex alterius corruptione, quia adempto uno uerbo apponitur aliud, egregie mutationem præfatam ad uariationem fecundum fubftantiam reuocare poffumus.

Scoti fenfus oftenditur.

32 Nec te terreat hæc doctrina, quafi acris nimium, ac rigorofa, non enim dum aliud uerbum pro alio fupponi fupponimus, alietatem fecundum quid fpectamus, eft autem alietas fecundum quid quando idem uocabulum diuerfo idiomate profertur, Græco fcilicet, uel Latino, uel etrufco, uel fimili, fed confideramus alietatem fimpliciter, quæ accidit, cum alia uox fupponitur aliud fignificatum habens, quod fieri poteft dupliciter, ut tetigimus fupra, primo cum fignificatum uocis pofitæ loco alterius eft omnino difparatum à fignificato primæ uocis; ut fi pro uoce Patris quis ponat gladium, uel lapidem: fecundò, cum fignificatum uocis denuò appofitæ conuenit cum fignificato primæ uocis; quia habet idem fignificatum in re, fed differt quatenus fub alia ratione fignificat, quam fignificatum primæ uocis, ut fi quis loco *Patris* apponat uocem *genitoris*; loco *Filii*, *Chriftum*; loco *trium perfonarum*, *Trinitatis ipfius* uocabulum: quamuis enim Sancta Trinitas idem omnino fignificet, quod Pater, Filius, & Spiritus fanctus, idem omnino Chriftus, quod Sancta Trinitas, & idem omnino genitor, quod *Pater*, tamen fub alia ratione, quia genitor fignificat vtique primã perfonam, fed non fub ratione hypoftafis, ficuti illã fignificat Pater, fed fub ratione proprietatis perfonalis, & Chriftus implicite tres perfonas denotat, quatenus qui dicit unctum intelligit oleum unctionis, & vngentem; nomina vero illa *Pater*, & *Filius*, & *Spiritus fãctus* explicite: denique Trinitatis vocabulum quafi collectiue, non formaliter, & explicite tres defignat diuinas perfonas.

Præoccupatio inftantiæ.

Nomen Trinitatis & Chrifti non idem cum nomine trium perfonarum.

33 Hæc elicimus ex doctrina Scoti *loco citato* loquẽtis de mutatione ad fubftantiam: at nunc verò difquirendum eft ad quem nam ex præfatis variationum modis variatio vocis, & verbi *abluo*, *linio*, *lauo*, *&c.* pro *Baptizo* reuocetur; fi enim conftiterit alietatem effe fecundum quid, ipfa quoque mutatio facramentũ nullo modo irritabit: & primo mentis obtuitu videtur quidem alietas fecundũ quid; tum quia idem omnino fignificant verbum *Baptizo*, & *abluo*, *lauo*, *linio*, & *intingo*; tum quia videtur effe fola idiomatis diuerfitas, quæ facramentũ non variat; verbũ enim *baptizo* Græcũ eft, *abluo* vero, & alia latina, atqui dictum eft ex diuerfitate Idiomatis, feu linguæ, & locutionis non irritari facramentum.

Abluo, linio, & lauo non idem ac baptizo.

34 Rẽ tamen oculatius infpecta fecus dicendum mihi videtur; primo quia verbum *baptizo*, nõ idem omnino fignificat cum *abluo*, *lauo*, *linio* *&c.* lauare enim latius patet quam baptizare; nam multa lauãtur, quæ non funt baptifmi capacia, fimiliter, & *linio*, & *intingo*; infuper baptifmus fola in aqua cõtingit, lauatio, linitio, tinctio in cæteris liquoribus, latius ergo illa patent quã verbũ *baptizo*.

Auctoris intentio.

35 Rurfum etfi idem verba illa omnino fignificarent, atqui non fub eadem ratione; quod ex Scoti doctrina fufficit ad nullitatem facramenti reddendam; porrò quod verba illa non fub eadem ratione fignificent patet, quia verbum *baptizo* explicite ad materiam proximã facramẽti huius defignãdã impofitũ eft, cætera uerò verba illa non item quia formaliter qui linit, tingit, abluit non baptizat, fed è conuerfo potius, puta quia hæc sũt quafi genera ad baptifmũ, genus autẽ non formaliter, fed virtute fpecies, ac fpecierũ fignificationes cõplectitur.

Corroboratio.

Versio latina non refert.

36 Nec refert quod *baptizo* sit Græcũ vocabulum, *lauo* latinum, quia ad veritatem sacramenti non satis est uersio latina, vel græca, sed identitas significationis exposcitur, & quod vtrumque vocabulum sub eadem ratione idem significet: dum ergo asserimus diuersitatem linguæ non obstare ad integritatem sacramenti, supponimus vocabula in vtraque lingua idem omnino, subque eadem ratione significare, quod non euenit in præsentia, & huius rei etiam signum euidentissimum est, quod Ecclesia latina non latina uoce, sed greca *baptizo* utitur, quia scilicet in uersione latina nullum inuenit uerbum æquè pollens, quod idem, & sub eadem ratione significaret; immò tanti verbum illud faciendum est, tantæque est necessitatis, ut si famelliæ natiuo Latio, seu Etrusco sermone baptizent, non aliam, quam ipsum, uo em usurpent, & vulgo dicunt *Io te battizo &c.* puta quia hoc verbum certum est, ac definitum, vt sine eo nullus censeatur baptismus datus.

Concluditur verbũ baptizo esse de essentia.

37 Atqui ex his habes, quid rationi in oppositum opponas. Quidquid enim sit de maiori, eiusque probatione, minorem, cum sua probatione negamus; siquidem ostendimus hucusque in uariatione uerbi *Baptizo* mutationem euenire ad substantiam. Hactenus de præsenti difficultate. Iam ad alia descendamus.

(5)



AN BAPTISMVS
in Christi nomine datus irritus sit.



CAP. III.



S Thomas. S Bonau. Scotus. Magister. Durandus. Gabriel.

38 Disceptatio propositæ difficultatis alterius dubioli nodi solutionem poscit; an scilicet quandoque contigerit, ut baptismus daretur in nomine Christi; alterius enim solutio ex alterius solutione promanat. Licuisse igitur aliquando in Christi nomine baptizare, & ualidum fuisse baptisma non dubiè tradit communis Scolasticorum consensus; ita enim Sanctus Thomas *in 3. p. q. 66 art. 3.* ita S. Bonauentura *in 4. d. 3 p p. art. 1 q 2.* ita Scotus *d. 3. q. 2. littera H,* & sequentibus; ita Magister sententiarum *in 4. d. 3. cap. ex his;* ita Durandus, Gabriel, & cæteris à quibus si petas, liceat ne nunc temporis in Christi nomine baptismum conferre, ita ut sit ualidus baptismus in Christi nomine collatus, non unica Responsione obuij erunt. Magister sententiarum affirmabit, & nunc etiam temporis ualidum fore baptismum in Christi nomine datum. Magistrum sequitur Adrianus *in 4. q. 2. de baptismo;* & citatur pro hac sententia Caietanus *in com. art. 6. q. 66. 3. p. S. Thomæ* qui tamen articulus dimidiatus est, ut patet in nouis impressionibus. Hoc tamen clare habet *art. 5.*

Adrianus. Caietanus.

Alij uero negabunt datum hoc tempore baptismum in Christi nomine validum fore arbitrantes dispensatiuè factum, vt aliquuando validum fuerit in Christi nomine baptisma, atqui cessante causa dispensationis, & dispensatio cesset necessum est ex regula legis, atqui ratio dispensandi in primeuis nascentis Ecclesiæ temporibus fuit, quia Christi nomen ludibriosum erat, siquidem ille Cruce affixus Iudæis scandalũ, populis autem stultitia uisus est; immo & malidictionem uisus est Hebreis

breis subijsse illam, quæ è Deo manabat singulis Crucifixis iuxta illud *Maledictus omnis qui pendet in ligno*; ut ergo Christi nomen promulgaretur gentibus, essetque ijs in honore, & cultu, arbitrantur Authores ij, iuste in ipsis nascentis fidei Christianæ crepundijs dispensatum; at nunc vero, dum in omnem terram exiuit fidei præconum sonus; dum Christi nomen honori est singulis gentibus, ratione dispensationis cessante, dispensationem quoque cessasse dicendum est, ita sentiunt Sanctus Thomas, Sanctus Bonauentura, Durandus, & Gabriel *loc. sup. citatis*, & ex Recentibus noster Fauentinus *in 4. disp. 8. cap. 3.*

Dissensus inter S. Thomam

39 Alij denique verebuntur affirmare, vel negare, quorum ratio est quia nullibi legitur dispensatio reuocata, & hoc pro parte affirmante, & rursum nomen Christi iam diuulgatum est, & hoc pro parte negante. Ita Scotus *d. 3. cit. q. 2. littera R.* cuius verba sunt *Non audeo dicere, quod baptizatus hodie in nomine Christi esset baptizatus; sed nec audeo dicere quod non esset baptizatus; quia non lego, vbi fuerit dispensatio illa reuocata, in hoc ergo casu reputo dubium, an talis sit baptizatus.* Hæc ibi Scotus.

Et Scotum.

40 Ego autem arbitror Scotum ibi non ex propria sententia, sed ex communiter concessis fuisse locutum; vtque id affirmem inducor ex instituto Scoti *eo loci*, vbi non petit an aliquando Apostoli baptizarint in Christi nomine sed an datus nūc baptismus in Christi nomine irritus esset, ad huius autē difficultatis elucidationem præaccipit ex communiter concessis, quandoque in Christi nomine licitum fuisse baptismum, & validum, quo supposito, de cuius veritate nec dubitat, nec affirmat, petit an nunc etiam sic datus sit validus, & pro petitione hac vltro, citroque ludit, vt retulimus, & certè lusisse inde patet, quod se ait nullibi dispensationem illam reuocatam legisse, cui statim opponere posset quis, quod nec vllibi dispensatio etiam data legitur; quare si ex eo, quod non legit reuocatam dispensationem, non audet diffinire, an hoc tempore sit validum baptisma illud, à pari dicere tenetur, ex quo non legit vllibi dispensationem à Deo factam de baptismo dando in nomine Christi, diffinire se non audere, an aliquando fuerit validum tale baptisma.

Exponitur Scotus.

41 Non est ergo de Scoti mente laborandum, qui circa potestatem hanc ex communiter concessis loquitur, sed si ex proprio illi fuisset marte loquendum, non vereor, quin suam aperuisset, vt nūc nostram aperimus sententiam, Neque vnquam valoris fuisse baptismum datum in solo nomine Christi, nec nunc proinde temporis valoris esse alicuius. Asserti huius triplex fundamentum esse potest, primum ex forma ipsa à Christo instituta, in qua fit trium personarum explicita mentio, cui vnquam à Christo fuisse ex priuilegio derogatum non constat; nec facile apponenda sunt hæc contra ius commune priuilegia, vbi nulla necessitas adest, nullaque scripturarum testimonia fidem faciunt; alioquin pro libertate fas esset de istis priuilegijs ementiri, & facile præceptorum omnium robur eneruari posset dispensationis aliquantula occasione à Scolasticorum cerebro excogitata.

Assertum Auctoris.

Probatur prime.

42 Secundum fundamentum ex auctoritate venamur. *Act. 19.* baptizatos quosdam alloquens Paulus sciscitatus est, *An Spiritum sanctum accepissent*, cui præsto fuerunt illi dicentes, *sed neque si Spiritus sanctus est audiuimus &c.* quorum responsum admirans Paulus potius quam redarguens) *In quo* (inquit igitur) *baptizati estis?* Quasi vero impossibile videretur Paulo quempiam etiam in primitiua Ecclesia fuisse baptizatum, cui nomen non innotuerit sancti Spiritus, vtpote quod in ipsis formæ verbis exprimitur. At respondet Fauentinus *loco citato* idcirco Paulum ita petijsse, quia discipuli illi potuerunt esse baptizati vel in nomine Christi, vel in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & quia forma illa in nomine trium personarum erat generalior, idcirco petijt Paulus *In quo ergo baptizati estis?* Sed hæc responsio inscitiæ arguit Paulum; quasi vero si vtraque tunc temporis forma cucurrerit, nesciuisset absque petitione conijcere, quod si illis ignotum erat Spiritus sancti vocabulum in Christi forma potuerant esse baptizati, sed Paulus ita poposcit, quia impossibile sibi visum est, quempiam esse baptizatum abque eo, quod Spiritum sanctum audierit, dummodo vere baptizatus fuerit. Adde quod si ad propagandum Christi nomen concessum erat in Christi nomine baptizari, falsum est generaliorem tunc fuisse formam in nomine trium personarum; tantoque id magis, quo in vniuersis Apostolorum actibus non nisi in Christi nomine baptizari legimus.

Secundum fundamentum.

Responsio Fabri

Eluditur ab Auctore.

Confirmatio prima.

Altera confirmatio.

43 Adde demum, quod duplici concurrente

rente forma scisma oriri potuisset inter baptizatos in Christi nomine tantum, & baptizatos in nomine trium personarum, quia frequens discipulorum contétio in primitiua Ecclesia ex ipsis Apostolicis actibus liquet, atqui ne verbum quidem de hac contentione signû ergo ex hoc elice, nec asseri posse duplicem cucurrisse Apostolicis temporibus formam.

Probatio secunda ex auctoritate Patrũ.

44 Secunda auctoritas est ex Patribus. Mitto autem cæteros, quibus facile responsum aptabis, hoc vno certe Damasceni testimonio non tam assertio nostra confirmatur, quam opposita sententia statuens quandoque *Apostolos* in solo Christi nomine baptizasse, infirmatur. Habet igitur Damascenus *lib. 4. de fide cap. 10. qui in Sanctam Trinitatem minimè baptizati sunt, ij denuo baptizentur necessum est, & si enim Apostolus his verbis vtitur in Christo, & in morte ipsius baptizati sumus, non tamen hoc vult baptismi formulam his verbis constare debere, &c.* Hæc ille, quibus fundamenta oppositæ sententiæ euertit dicens, quod baptizari in Christò, vel in morte eius non est ita; vt alia forma à præscripta, qua sancta explicatur Trinitas, præscribatur; seu alia vti possimus, vel vsus Apostolus fuerit. Idipsum tradidit Cyprianus epistola 73. ad Iubaianum, vbi interpretans verba illa *Act. 2. Baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini Iesu Christi*, ait *Iesu Christi mentionem fecit Petrus non quasi Pater omitteretur, sed vt Patri quoque Filius adiungeretur, &c.*

Lapsus Martinez.

45 Præcitatæ auctoritates obseruandæ erant Martinez, ne tam acriter esset sent. Magistro, & Ambrosio addictus, vt illis nouissimè subscriberet, *d. 3. 4. sent.* quamuis tutius arbitretur baptismum dari in forma consueta expressis singulis tribus personis distinctè, at nos vltra statuimus oppositum non esse tutum, ut præfatæ auctoritates sonant.

Tertiò probatur.

46 Tertium fundamentum ex coniectura elici potest. Vbi nulla dispensandi necessitas dispensatio legis planè nulla, ac si quæ fingitur commentitia est, at nulla intercessit dispensandi in præscripta forma baptismi necessitas, ergo dispensatio, quæ supponitur voluntaria est, & nulla, Maior patet; quia leges præscriptæ, non nisi ex causa dispensantur, diuinæ præsertim; quia opera Dei, quæ perfecta sunt mutatione non indigent: minorem probo, nam si quæ fingatur necessitas, hæc potissimum fuit, vt Christus honore debitò coleretur, vtque nomen eius in omnes promulgaretur gentes: at hæc non est satis ad vniuersam formam peruertendam; quare falsa dispensatio fingitur. Subsumpta dilemmatis secundi minor probatur, Maiorem enim tradunt Aduersarii, & illam ex concessis relinquimus, probatur, inquam, quia æquè innotescere poterat Christi nomen, æquoque honore coli non omisso nomine sancti Spiritus, & Patris; immò maiori honore coli potuit admixto primæ, & tertiæ personæ vocabulo; quia sic eius æqualis cum Patre, & Spiritu Sancto diuinitas declarabitur, & potestas: quare solius Christi nominis expressio in forma, quam adhibuerunt *Apostoli*, voluntaria mihi videtur, & proinde dispensatio à Scolasticis admissa commentitia.

Corroborantur dicta.

47 Adde, quod si ea ratio dispensandi tanta esset, vt propterea dispensandum à Deo velint Scolastici, eadem de causa dispensatum nunc apud Sinas, & apud Peruanos Occidentalis, & Orientalis Indiæ eccolas; quibus tam nouum est Christi vocabulum, quam nouum in primitiua Ecclesia, tam stultitiæ est Crucis memoria, & sanguinis effusi aspectus, quam in ipsis nascentis Ecclesiæ incunabulis, immò notius in primitiua Ecclesia Christi nomen esse potuit, qui paucis ante annis decesserat, quam nunc apud Indos, & Peruanos, quibus non ante hæc tempora Christi nomen, & Crucis prædicatio eluxit: at nunc téporis validum fore in Christi nomine baptismum, & dispensationem aliquam intercedere, voluntarium est, quia Pelagius Pontifex relatus *d. 4. de Conf. can. multi*, patenter ostendit iterum sacro subijciendos lauacro baptizatos in solo Christi, vel Domini morte, contra formam à Christo traditam, qua singulæ diuinæ exprimuntur personæ, & *Zacharias* etiam Pontifex *eadem dist. 4. relatus can. in Synodo*, dilucide decernit nullum perfectum fore baptismum nisi, qui traditur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Scotus in hac reludit.

48 Ex his educ, *Scotum* in ijs, quæ de eius mente retulimus, iocatum fuisse, dum se ait, non audere affirmare, vel negare, an modo baptismus datus in Christi nomine valeret, nisi enim iocatus esset, obuius decreto vtriusque relati Pontificis fuisset, quod etsi vt priuatos Doctores quis dicat cum Melchiore Cano locutos, non vt Pontifices decernentes,

altem

saltem legisse debuit accuratissimus rerum inuestigator Scotus; si quidem illi Scoti tempora antecesserunt; sed Scotus vti diximus ex concessis loquens vltro, citroque disceptationis studio lusit, cuius sententiam peruertit, seu cui iniuriam facit Fauentinus existimans, dispensationem baptizandi in Christi nomine fuisse reuocatam per illa decreta Pontificum Pelagij, & Zachariæ, & proinde incuriæ Scotum arguit, qui ait se nullibi legisse reuocatam illam dispensationem: immò grauiter Fauentinus labitur aiens Pontifices illos abrogasse dispensationem, nam illa, si quæ fuisset, à Deo data fuisset, non autem ab hominibus abrogari potest, quod à Deo traditur, iuxta Scoti doctrinam *loco citato littera I*, Nullus inferior concessa per legem superioris reuocare potest, nec simpliciter, nec ad tempus, neque in ijs Pontificijs decretis habetur, quod Spiritu sancto dictante legem illam dispensatricem primæ legis reuocarint Pontifices illi, tanto magis, quod non in plena Synodo generali, sed particularibus scribebant Episcopis, præcipue Pelagius, qui ita scripsit Gaudentio cuidam Episcopo &c. immò nec in plena generali Synodo hoc sine reuelatione speciali potuissent Pontifices, quibus in sacramentorum variatione penes materiam, & formam nulla potestas, sicut nulla ad institutionem eorum auctoritas, vt *in tract. de Sacramentis in Genere* diximus.

Faber iniuriam Scoto facit.

Maxima Scoti

49 Ex his habes non modo baptismum datum nunc temporis in Christi nomine nullum esse, sed nec vmquam validum fuisse, nec vmquam in solo Christi nomine datum.

Conclusio dictorum

50 Neque hanc nostram sententiam labefactare possunt rationibus Aduersarij, sed solis auctoritatibus *Actor. 2. 19. & 10.* quibus in locis baptizati fideles leguntur in nomine Domini Iesu, in quarum explicatione, & permano sensu diu, ac varie laborant Recentiores, ego autem ne modicum quidem laboro, si dixero cum Cypriano *loco citato* loca illa non esse intelligenda exclusiue quoad alias diuinas personas, sed inclusiue, baptizabâtur enim fideles in Christi nomine, & non tantum in Christi, sed et in Patris, & Spiritus sancti nomine, quod si Auctor libri illius solius Christi meminit, similiter & baptizantes Apostoli nullum verbum de Patre faciant ac Spiritu sancto, factum puta ad redarguendos Hebreos, quibus inuisum erat Christi nomen; quod propterea specificè inculcabant Apostoli, non tamen omisso Patris, ac Spiritus sancti nomine, at obinde formam in vsu ab Apostolis positam hanc reor. *Ego te baptizo in nomine, Patris, & Filij eius Iesu Christi, vt Spiritus sancti*, vt egregie notarunt Armacanus *lib. 8. de quæstionib. Armenorum cap. 3.* Dominicus Sotus *in 4. d. 3. q. vnica art. 5.* nec multum distat Vasquez *disp. 143. cap. 3.* cui tamen ex parte illa non adhereo, qua putat, neque etiam forte Christi nomen explicitum ab Apostolis, sed nomen Filij solum, quo certe ipse Christus denotabatur, quia certe specifica illa Christi Iesu memoria, in cuius nomine perpetuo baptizari legimus in actis Apostolorũ indicat aperte vltra vsum cõmunem in forma baptismi illius temporis Christi nomen adhibitum specifice, vt innotesceret Hebreis, ac Gentibus illum verè esse, Filium Dei, & Patris æterni, quem primo loco nominatim vocabant in forma.

Auctoritas act. Apostolorum explicata.

Armacanus Sotus & Vasquez

51 Martinus Becanus, qui *cap. 8. de sacramentis in specie q. 3.* nobiscum sentire visus est, licet sub hæsitatione, alio modo explicanda censet, quæ ex actibus Apostolorum feruntur; nam dicuntur Apostoli baptizasse in nomine Christi, quia baptizabant in fide Christi, quia baptizabant auctoritate Christi, quia baptizabant baptismo instituto à Christo. Verum explicationes istæ subterfugia censentur potius, quã aptæ explanationes. Ratio est, quia particula *in nomine* nõ solã fidẽ designat, sed auctoritatem virtutẽ, efficaciã; quæ si ad solã Christi personã referãtur præter inæqualitatẽ, quam videntur inducere personarum adhuc contra institutionem Christi militare dilucido ostenduntur, qui in virtute trium personarum dandum præcepit baptisma. Quodue particula illa *in nomine* ad institutionem referenda sit voluntariè excogitatur, siquidẽ deficeret formæ sensus, qua nũc vtimur si dicẽtes *ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, intelligeremus *ego te baptizo in institutione Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Porro si nunc temporis particula illa non ita sonat, cur ita sonasse dicenda est in ipsis Ecclesiæ nascentis primordiis?

Responsio Becani voluntaria

52 At quid Patribus dicendum, qui aperto ore fassi sunt in Christi solo nomine traditum baptismum ratum esse? ita enim locutus est Ambrosius *lib. de Spiritu sancto cap. 3.* ita Bernardus *epistola 340.* ita Beda *in cap. 10. act. Apostolo-*

Ambrosius Bernard. Beda

rum, immo ita Nicolaus Pontifex respondens Bulgaris *d.4.de conf.cap.à quodam Iudeo*, qui decernit baptismum à Iudeo datum, dummodo in nomine Trinitatis, vel solius Christi, vt in actibus Apostolorum legimus, & in diuo Ambrosio, validum esse, ac ratum.

Nicolai auctoritas, quam variè torqueat Scolasticos

53 Non me latet hanc Nicolai potissimum auctoritatem maximopere animos Scolasticorum conturbare, quæ non tam propriam videtur propugnare sententiam, quam Ambrosii explicare pronunciatum, ex quo enim quispiam potuisset Ambrosii mentem interpretari aiendo, ipsum nomine Christi exposito non intellexisse silendum esse etiam Patris, ac Spiritus sancti vocabulum, Nicolaus econtra contendere videtur Ambrosium existimasse baptismum datum tantum in nomine Christi validum fore, vbi particula illa *tantum* cætera Patris, & Spiritus sancti vocabula secludere non dubie videtur.

Quorundā interpretatio

54 Sunt, qui dicant, Nicolaum loqui supposita dispensatione à Deo lata; sed hāc nullam fuisse ostendimus, quæ si fuisset ad hæc vsque tempora perseueraret, siquidem nullibi reuocata legitur, nec minus necessaria nunc temporis, quam in primordijs Ecclesiæ foret, vt diximus.

Aliorum sensus

55 Contendunt alij, Nicolaum loqui supposito necessitatis casu; sed & isti dupliciter labuntur; primum, quia vt patet ex Gratiano *loco citato* referente dictam Nicolai sententiam, & *ex 2. tomo Conciliorum pag. 773. impressione coloniensi*; non adest necessitas, neque necessitatis casus in facto, de quo Bulgari Pontificis mentem consuluerunt, sed ij, qui in Christi nomine loti erant superuixisse dicendi sunt, dum decernit ibi Pontifex non debere rebaptizari; secundum, quia supposita etiam necessitate substantiam formæ variari impossibile est; quare si explicita Trinitatis inuocatio de necessitate formæ censetur, ridiculum est asserere potuisse illam pro necessitate mutari, nam necessitas in præceptis de ministro locum mutationis si quem habere potest habet non in forma ipsa.

Responsum Suarij.

56 Suarez duobus modis respondet: primum dictione illa exclusiua *tantum* in verbis Nicolai non cæteras excludi diuinas personas; sed cætera Christi nomina, nempè nomen *Filij*, nomen *Iesu*, & similia; quo sensu intellexisse dicendus est Pontifex auctoritatem illam, sic vt validus dicatur baptismus datus in nomine *Patris, & Christi, & Spiritus Sancti*: secundum, Nicolaum duo decernere ibi alterum, vt Pontificem; alterum, vt Doctorem priuatum, & decreuisse quidem vt Pontificem baptismum à Iudæo datum ratum esse, decreuisse verò vt Doctorem, datum baptisma sub nomine Christi dumtaxat non esse repetendum.

Prima Suarij responsio lapsa

57 Sed prima responsio coacta nimium est; nam Nicolaus supponit duplici modo potuisse esse baptizatos fideles illos à Iudæo, vel in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi dumtaxat baptismū igitur in nomine Christi distinguit à baptismo in nomine Trinitatis: at si illa dictio exclusiua *tantum* non excluderet Patrem, & Spiritum sanctum, non esset distinctus baptismus datus in Christi nomine à baptismo dato in nomine Trinitatis. Adde, quod Nicolaus id sentit, quod Ambrosius, vt ipse profitetur *ibi*, Ambrosius, verò patentissimè docet plenum esse sacramentū, si vnā tātū personā sermone cōprehendas, dū modo trium personarum fidem habeas. Adde demum, quod non minus dubiū esset baptisma datū hoc modo in nomine Patris, & Christi, & Spiritus sancti, quam in nomine Christi tantum, quia etsi Christi nomen idem significet, ac nomen filij in diuinis, at non eadem sub ratione; quia filius significat personam sub ratione hypostasis, Christus sub ratione redemptoris vncti, siue Dei & hominis in eodem supposito diuino.

Neglecta secunda.

58 Altera autem responsio corrigi etiam potest, tum quia non est verosimile in tam modico verborum contextu Nicolaum partem decreuisse, vt Pontificem, partem vt Doctorem; tum etiam, quia, quod decernit vnum est, non duo, hoc autem est, baptizatos à Iudæo in Christi nomine tantum, vel in nomine Trinitatis non esse rebaptizandos.

Responsū Vasquij.

59 Vasquez autem non veretur simpliciter asserere Nicolaum fuisse deceptū sicut & Ambrosium, & Bernardum, & Bedam: quod si Nicolao diffinitiones Pelagij, & Zachariæ opponas; non est proinde putandum (inquit Vasquez) Nicolaum oppositum voluisse decernere, sed Nicolao fuisse ignota decreta illa Pelagij, & Zachariæ.

Correctio

60 Verum non tam acre de Sanctis Ecclesiæ Doctoribus, deque summo Ecclesiæ Pastore iudicium vni Vasquezio faciendum fuit, vt singuli decepti sint, vnus verò ipse veritatem attigerit, & sane in hoc capite duo adinuicem Decre-

creta Romanorum Pontificum pugnat: nam Pelagius, & cum eo Zacharias qui pæne ducentis annis Nicolai tempora præcesserunt, decreuisse dicuntur irritum fore baptismum quemlibet non datum *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, & specifice datum in solo *Christi nomine*. Nicolaus autem asseritur decreuisse validum fuisse baptismũ à Iudæo datum in nomine solo Christi. Ista duo decreta pugnant quare aut alterum falsum, aut vtrumque falsum; nam certum est Pontifices formam variare in sacramentis non posse, ne quis dicat Nicolaum dilatasse valorem formæ ad Christi nominis solius inuocationem. Vt quid deceptus est Nicolaus potius, quam Zacharias, vel Pelagius? An quia sic Vasquezio libuit?

Discutitur cõtradictio apparens in dictis Pontificũ

61 Marsilius huic difficultati ridiculam comminiscitur expositionem, scilicet, speciali reuelatione constitisse Nicolao baptismum illum à Iudæo in Christi nomine datum ex peculiari priuilegio veracem fuisse, nec propterea iterandum. Quæ tamen miraculorum multiplicitas, & priuilegiorum, & reuelationis assertio tunc facta est, cum Marsilio fuit opus.

62 Ego, vt verum fatear, & tres Conciliorũ tomos percucurri præcipue secundum, in quo acta Pelagij & Zachariæ, & vtriusque decreta perlegi, nec tamen decreta citata vmquam in eis assecutus sum; sed neque in epistolis Pontificum asseruantur, quod si Zacharias Bonifacio Episcopo scribens, vt refertur *dist. 4. de cons. can in Synodo* doceat non esse baptismum nisi detur *in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti* id gratis concessisset Nicolaus, qui iuxta Ambrosianam interpretationem *in nomine Christi* etiam Trinitatem dixisset inuolutam, & sane decreto illo nusquam sanxit Zacharias *in nomine Christi* datum nullum esse baptismum; sed neque Pelagius relatus *eadem dist. can mul*ti aliud statuit, nisi rebaptizandos, qui tantum in nomine Domini baptizati erant, forsan autem, non de forma baptizati in nomine Christi, sed de forma in nomine Domini Decretum tulit. Quodcumque autem sanxisse dicatur, non est putandum tam inscitiæ arguendum Nicolaum, & tantæ negligentiæ reum, vt hæc decreta ignorauerit, dum oppositum decreuisse dicitur.

Auctoris studium

63 Dicerem ego igitur, nec Nicolaum, nec Pelagium, aut Zachariam Decretum fidei de hac re tradidisse, & de Nicolao patet: quia is vnum in suo asserto supponit, aliud tradit; supponit autem baptismum datum in Christi nomine verum esse iuxta doctrinam Ambrosij, cui se subscribit, tradit autem non esse rebaptizandum a Iudæo baptizatum: Ratio est, quia non ipsorum, sed eius est, hoc est baptisma non est dantis; sed eius, in cuius nomine datur ex *Augustino tract. 6. in Ioan & alibi*: non ergo duo decernit, vt putant Suarez, & Vasquez, sed vnum ex suppositione doctrinæ Ambrosij, quæ an vera esset, necne, non erat loci illius propria occasio. Pelagius autem excessiue locutus est, dum in eo asserto ait *Euangelicum esse præceptum baptizare trina mersione in nomine Patris &c* nam trina mersio nusquam à Christo præscripta est, licet in primordijs Ecclesiæ ordinaria esset; quare eius decretum Pontificium non est, vt non ab re aliqui putet nec talia decreta vere à Pelagio manasse, quæ nullam aliam fidem habent, quam à Gratiano referente: & si Zachariæ quod ponitur decretum verax est, seu non est ficticium, illud non opponitur doctrinæ Nicolai, qui lubens assereret ordinariam formã esse *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*: at extraordinariam potuisse dari in nomine Christi; vt communis ferebat Scolasticorum confessio, quæ si vera esset, ex quo iuxta doctrinam Scoti nullibi Christus oppositum monuit, non esset vsque ad hæc tempora reuocata illa dispensatio. Nicolaus ergo ex suppositione loquitur, & ex concessis, vt Scotus, & illa Pelagij, & Zachariæ decreta alio vergunt, quare nulla contradictio.

Responsum

Et Conciliano contradictionis

64 Patribus ergo dicendum, plane illos ita sensisse, nec propterea errasse; quia nullibi oppositum fides decreuit, licet oppositum sit verius, nedum hac tempestate, qua Concilium Florentinum formam docuit esse eam, quæ exprimit Trinitatis adorandissimæ personas, sed in primitiua Ecclesia, iuxta doctrinam hucusque traditam.

Patres ita senserunt



AN BAPTISMVS DATVS in nomine Genitoris, geniti, & spirati validus sit, an irritus.



CAP. IVII.



65 ET hoc extremum disputationis huiusce caput controuersum est; quamuis enim communi fuerit Scolasticorum confessione firmatum variatione formæ quoad principalia verba, qualia sunt nomina Patris, & Filij, & Spiritus, irritari sacramentum baptismi; ita enim docet Sanctus Thomas *in 3 p q. 66. art. 5.* ita Sanctus Bonauentura *in 4. d. 3. q. 3. art. 2.* ita præcipuè doctor Subtilissimus Scotus *d. 3. q. 2. littera H*, ita cæteri magni nominis Theologi; visum tamen est aliquibus parum à communi in hac re tramite deuiare; & planè asserere baptismum datum in nomine Genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque, vel spirati validum esse. Ita docuit omnium primus Caietanus *in comm. art. 5. quæst. citatæ 66. S. Thomæ* qui & opinionem Magistri sui in oppositum eo detorquet, vt putet aientem S. Thomam imperfectum fore sacramentum per illa verba datum, intelligere velle nihil vtique deficere pro integritate sacramenti, sed per defectum necessarij ad præceptum dici imperfectum.

S. Thomas
S. Bonauentura Scotus.

Caietanus.

66 Eadem sententiam, licet dubitanter secutus est Dominicus *Sotus d. 3. q. vnica art. 5.* & sine dubitatione secuti sunt Ledesma *in p. p. 4. q. 7. art. 5.* & Franciscus Victoria *perog. 19. de baptismo in sua summa.* Franciscus etiam Suarez non modicum illi blanditur, nam *disp. 21. sect. 4. tom. 3. 3. p.* ait quidem opinionem Caietani practicè falsam esse, sed speculatiuè retur esse veram, hoc est secundum praxim graue peccatum esse hanc mutationem facere, tum propter scandalum, tum propter consuetudinem, tum propter dubietatem effectus secuturi, speculatiuè vero, hoc est, secundum rationis vrgentiam esse opinionem Caietani valde probabilem; quia vrgenti solidatur fundamēto; quale autē, & quodnam hoc solidum sit fundamētū Suarezius non declarat, et forte argumēta ipsa Caietani, hoc enūciato, quæ infra adducentur, solida sibi visa sunt.

Dominicus Sotus, Ledesma, Victoria, Suarez.

67 Antequam difficultati obicem ponamus operæ pretium duximus ad dictorum omniū perfectiorem intelligentiam paululū degredi, ac explicare quid sibi velit particula illa *in nomine &c.* quā vtraq; forma, latina scilicet, & Græca assumit ad baptismum, & numquid ita necessaria sit, vt nec amoueri, nec mutari queat, hæc autem digressio nō ab re erit; quoniam cognita particulæ istius virtute, & energia; explicatu facile erit, an Patris, Filij, ac Spiritus sancti vocabula tam necessaria sint, vt si per alias describantur voces irritetur sacramentum, quare certum est in primis particulam illam tam esse necessariam in singulari casu, vt si quis dicat *ego te baptizo in nominibus Patris, Filij, & Spiritus sancti* nullum futurum sit collatum baptismi sacramentum.

Explicatio particulæ in nomine.

68 Hæc est perpetua Patrum sententia, unde Hieronymus *super cap. 4. epistolæ ad Ephesios* uerba illa Apostoli interpretatus. *Vnus Deus vna fides, vnum baptisma &c.* ait, *non baptizamur in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, sed in vno nomine, quo intelligitur Deus.* & Augustinus *lib. 3. contra Maximinum cap. 3. in nomine, inquit, non in nominibus; quia hi tres vnum sunt;* id ipsum docet Ambrosius *lib. 2. de sacramentis cap. 7. & lib. de Spiritu sancto primo cap. 14.*

Hieronymus.

Augustinus.

Ambrosius.

69 Ratio autem pro hac sententia ex agnitione significati nominis patebit, qua in re non vna sentiunt omnes, quid sibi velit hæc particula *in nomine* Vgo Victorinus *lib. de sacramentis p. 6.* vtique explicari cum cæteris patribus vnitatem diuinæ materiæ singulari nominis illius casu confitetur; rogatus autem, quo pacto id significetur, cum diuinitas non exprimatur in forma, Respondet, idem esse baptizare in nomine, ac baptizare in fide, & confessione, seu notitia trium illarum personarum; nomen enim pro notitia sumitur, vt si quis homo magnam de se notitiam pariat, vocatur magni nominis. Hæc tamen expositio est sui ipsius destructiua; nam si vocabulo illo *in nomine* denotatur vnitas diuinæ naturæ, vt ipse post alios Patres relatos confessus est, qui potest denotari confessio, & fides

Vgo à S. Victore.

no

en vero idem erit fides, & confessio, cum diuinitate, auctoritate, & maiestate? Adde, quod nomen idem esse cum notitia tam falsum est, quam est falsum causam esse eandem non effectu suo, at quidem si res pausso inspiciatur attentius, patebit illi vtique quod nomen cum notitia non est idem, sed ex nomine notitiam habemus, nedum Logicè, quia nomina sunt significatiua rerum, sed moraliter; quia ex quo homo aliquis virtute magna præditus est, nomẽ proinde vindicauit sibi, ex quo eius haberi notitia põt.

Quid sibi velit in nomine

70 Ego putarim vocabulum illud *in nomine* præter fidem, & confessionem, adhuc virtutem, potentiam, & efficacitatem, & cætera, quæ eadem sunt cum diuina natura realiter, & ad inuicem denotare: Ratio est; quia cum ex Patribus singulari illo casu Deitas exprimatur vna, ac singularis, omnia ea, quæ & inter se, & cum Deitate sunt vnum, dummodo præcipue auctoritatem, ac quandam virtutem denotent; quod patet ex rigore locutionis in forma, videntur per illam particulam *in nomine* denotari: ex quo autem particulæ illi nullam aliam reperimus synonimam, quia illa significat vtique fidem, sed plus vltra: significat confessionem, sed aliud præterea: significat virtutem; sed non satis: significat efficacitatem, seu potestatem, sed non adamussim; proinde censeo illam esse de essentia formæ circa variationẽ, ita ut pro ea nullum aliud vocabulum supponi queat, multoque magis censeo defectum eius irritare formam; nam si uariari nequit, multo minus tolli penitus, ac abradi à forma: nec officit, quod Patrum nonnulli de baptismo loquentes verbum illud omittant dicentes dari baptismum in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, ut loquitur Tertullianus *lib. de præscriptionibus contra hæreticos cap. 10.* quia etsi omittunt sermonis ornatus merito non tamen obid asserunt sic datum sine particula illa *in nomine* ratum esse, sed eo loquendi genere per particulam illam *in* cui additur accusatiuus casus ornandæ orationis gratia idem omnino designatur, ac si diceret *in nomine Patris, &c.*

Alia dubitatio

71 Sed quid dicendum de duabus illis in forma particulis, uidelicet coniunctiua *&*, & præpositione *in*; sunt ne illæ de forma essentia necne? equidem de coniunctione *&* Reginaldus *tom. 2. lib. 24. cap. 1.* Viualdus *in Candelabro Aureo,* & alii rentur illam ad formæ essentiam spectare, itaut prætermissa irritet sacramentum. E contra vero Coninch *tom. 1. de sacramentis q. 66. art. 6.* Comitolus *in respons moral. lib. 1. q. 9* & Diana *tract. 15. resol. 47.* particulam illam nihil omnino ad sacramenti huius integritatem attinere contendunt. Circa vero particulam *in* idem sentiunt Henriquez *in summa lib. 2. cap. 8* Bonacina *disp. 2. q. 2. puncto 4.* Coninch, & Diana *locis citatis.* Contrarium vero Reginaldus, Comitolus, & Toletus *lib. 2. cap. 19.* enixe sustinentes omissione illius particulæ infectum esse sacramentum.

Reginald.
Viualdus
Coninch
Comitolus
Diana
Hẽriquez
Toletus.

72 Toties mentem meam in hoc tractatu expressi non esse, ubi de sacramento summæ necessitatis agitur, laxiori sententię fidendum, ne ex nostris cauillationibus inbaptizatus decedat infans, vel saltem eius periclitetur salus. Arbitror igitur vtramque particulam esse de essentia, ita quidem, vt circa particulam *&* si omittatur ad nomen *Filii*, non officiat, sed si omittatur etiam ad nomen *Spiritus sancti* inane sit sacramentum. Ratio est, quia particula illa primo loco omissa suppleri videtur per appositionem eius secundo loco ad nomen scilicet Spiritus sancti, vtrobique autem omissa sensum vitiat, hæc enim oratio *in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti.* equipollet huic *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,* hæc autem *in nomine Patris, Filii, Spiritus sancti*, inepta est nulli æquipollens, immò significari videtur Patrem, Filium, & Spiritum esse omnino idem etiam personaliter, quod falsum est; sunt enim una res in essentia, tres uero personæ distinctæ. Particula autem *in* prætermissa relinquit ablatiuum absolutum illud *nomine*, quod potius subintelligi denotat particulam *cum*, quam particulam *in* refert autem dicere *Ego te baptizo cum nomine Patris, &c.* ac dicere *ego te baptizo in nomine Patris, &c.* quia prima propositio denotat baptizantem adhibere nomen Patris, & Filii, & Spiritus sancti in baptizando, altera omnino designat baptizantem in uirtute Sanctissimæ Trinitatis dare baptismum, quare irritum ex omissione eius baptismum fore reor.

Opinio auctoris statuens vtramque particulam esse necessariã explicatur

73 *At* (inquit Diana) particula illa per Hebraismum adiungitur; sicut cum dicimus *Credo in Deum*, quod idem significat, ac *Credo Deum*. Contra. Hic auctor falsum ad falsi probationem ducit, non enim ex solo Hebraismo di-

Oppositio Dianæ Refellitur

Credo Deū & in Deū differunt.

cimus *Credo in Deum*, sed ex locutione transitiua, hinc diuersa est harum propositionum significatio *Credo Deum* & *Credo in Deum*, nam prior significat nos credere Deum esse, altera autem denotat nos credere, & iuxta credulitatem in Deum operari, transeundo videlicet à fide ad opus locutione transitiua, ita à pari philosophare de propositionibus allatis *Baptizo nomine*, & *Baptizo in nomine*.

Quid si iteretur particula in nomine.

74 Porro si iteretur hoc modo, *Ego te baptizo in nomine Patris, & in nomine Filii, & in nomine Spiritus sancti* dubitant aliqui, an validus esset baptismus, ex quo illa terna unius uocis repetitio *in nomine* uidetur æqui pollere illi particulæ *in nominibus*. Dubitatio tamen frustratoria, & inanis est, nam si apud Athanasium repetitio Deitatis uocabuli in Patre in Filio, & Spiritu sancto, cū dicit *Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus*, non multiplicat Deitatem, neq; terna illa vocis Dei repetitio æquipollet voci *Dij* in plurali numero, ita nec repetita vocis *in nomine* terna assumptio in singulari multiplicat *nomine* in plurari, sed licet hæc vera sint, cauendum tamen ab huius & similium mutationum vsu. Hac doctrina supposita difficultatem propositi capitis enodamus.

Assertio negans.

75 Asserendo, supposita vocabula, *Genitoris, geniti, & spirati*, siue *ingeniti, geniti, spirati, procedentis ab vtroque, doni Flaminis, & similia*, pro vocibus illis *Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, sacramēti baptismi formā destruere, & proinde sub ea forma datū baptismū nullius fore valoris. Scoticum pro hac assertione fundamentum, si Suarezio fidem habes, est; quod nomine *Patris, & Filii, & Spiritus sancti* significantur proprietates personarum, atque adeo personæ ipsæ; nomine autem *Genitoris genitis, & spirati* denotantur notionales actus, non personæ, nisi in concreto, seu connotato; si autem credas Vasquezio Scoticū fundamentum est. Quod *Genitor, genitus, & Spiratus* significant personas sub ratione proprietatum; non autem vt subsistentes; *Pater* autem, *Filius & Spiritus sanctus* vt hypostases subsistentes. atque Scoti rationem hos modos relatam eneruant ambo; & primo Suarez. Quia (inquit) *Genitor* significat personam generantem, pro qua etiam supponit; & *Pater* solum pro connotato significat personam, nam pro formali significat paternitatem. Secundo Vasquez tam illa (inquit) tria, quam hæc, quo vsus approbat non alias, sed illas easdem significant personas; debet ergo Scotus exponere, cur si ista sufficiant, non illa pariter.

Suarez & Vasquez infideliter Scotum citant.

76 At primo neutri horum fidem præsta in hoc; etenim non ita Scotus loquitur; sed supposita distinctione de mutatione substantiali *littera G*, deinde *littera H*, ad euellandas difficultates progressus ait, assumendo vocabula illa *Genitoris, geniti &c.* non seruari formā, eiusque dicti rationem petit à Christi institutione; quia scilicet voluit Christus personas in forma exprimi nominibus personarum, ita enim Deus voluit nobis dare nomina significantia personas sub proprijs rationibus; sicuti Hæbreis nomen dedit *tetagrammaton* explicans diuinam essentiam sub propria ratione, tanto magis, quod maiorem videtur habere efficaciam personæ propria inuocatio, quam sub alia rationem, quia qui me amore Ioannis, vel Mariæ Virginis Patronorum meorum eleemosinam peteret, citius à me assequeretur; quam si nomine Genitricis, ac Virginis, ac etiam Euangelistæ, & Apostoli dilecti à Christo rogaret. Hæc ex doctrina Scoti eliciuntur *ibi*, non autem, vt Vasquez, & Suarez imponunt.

Exponitur Scotus.

77 Cæterum quoniā *littera G citata loco* doctrinæ tradit nominibus *Genitoris geniti, & spirati* explicari personas sub ratione proprietatis, non sub ratione hypostasis, sicuti explicantur per nominā *Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; quā deinde doctrina supposita assertionem suam præstitit Scotus aiens, Christum instituisse formam sub inuocatione personarum sub ratione hypostasis, non sub ratione proprietatum; non vt necessarium putetur, quia non ad rem, sed vt nos pro occasione eorum dicta retundamus, occurramus Vasquezio dicentes, vtique ternis illis vocibus *Genitoris, geniti, & spirati* non alias, sed easdem personas designari, sed tamen non sub eadem ratione, vt Scotus præstitit *littera G*, cumque rursum petit Vasquez debere Scotum assignare, cur non sub illis, sicuti sub istis? legat Scotum *littera H*, & assignatse viderit, quia scilicet Christus sic voluit instituere, quæ certè est ratio à priori in hisce, quæ ex eius voluntate dependent.

Vasquezio satisfit.

Et Suarezio.

78 Occurramus & Suarezio concedentes vtique nomine *Genitoris* exponi personam generantem, sed non sub ratione

tione

tione personæ, sed sub ratione notionis, seu proprietatis, quod non accidit in nomine *Patris*, quod & si formaliter paternitatem significet, attamen cum patrem significat, siue pro formali, siue pro connotato non sub alia ratione significat, quam sub ratione hypostasis, & personæ, & proinde vocabula, etsi idem significant, non tamen sub eadem ratione; porro quæ sic se habent Doctore Scoto *ibi* substantialem arguunt variationem, proindeque formæ destruunt essentiam.

Ratio à priori.

79 Veritas igitur propositæ assertionis ex Christi potissimum institutione dependet, qui sicuti actum ministri necessario exprimendum cum subiecto tradidit dicens *baptizantes eos*; ita & inuocationem Sanctissimæ Trinitatis expressis propriis personarum vocabulis necessariam esse demonstrauit.

Ratio congruentiæ.

Ratio autem congruentiæ deduci potest ex doctrina Scoti hunc ferme in modum. Quotiescumque verbum vnum pro alio sumitur in forma, & non secundum quid, sed simpliciter, & ipsa formæ integritas corruat necessum est, proindeque irritetur sacramentum: at in propositione hac *Ego te baptizo in nomine Genitoris, geniti, & spirati* verbum vnum, immò verba plura pro alijs diuersa simpliciter ponuntur; quare ijs positis forma corruat necessum est, & proinde sacramenti veritas irritatur: maior patet ex doctrina *superiori capite* accommodata; quia scilicet talis mutatio est substantialis, & quæcumque substantialis mutatio, dummodo non sit secundum quid, hoc est penes variationem sermonis, vulgaris scilicet, vel latini, Hæbrei, vel Græci; integritatem formæ destruit: minor probatur, quia secundum vnum distinctionis modum supra productum varietas nominum illorum, quæ idem significant, sed non sub eadem ratione, formam destruit etiam per aduersarios, præcipue per Suarezium, qui propterea datum *in nomine Christi* baptismum irritat, quia & si Christi nomine inuoluta sit Trinitas, at non eodem modo declaratur, sicuti per illa nomina *Patris, & Filij, & Spiritus sancti*.

Contra Suarez.

non ergo practicè tantummodo, sed & speculatiuè veritas assertionis nostræ elucet; quia speculatiuè, vt verbis Aduersarij vtar, nomina *Genitoris, & geniti &c.* licet idem cum *Patre, & Filio &c.* significent, non tamen sub eadem ratione.

80 Præterea: speculatiuè baptismus datus *in nomine Trinitatis* non valet etiam per Suarezium; ergo nec *in nomine Genitoris, geniti &c.* probo consequentiam; quia Trinitas personas vtique designat, & magis sub ratione personæ, quam nomina *Genitoris geniti &c.* sed quia non eo modo, quo nomina *Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quia hæc distinctè sub ratione Personarum, illud confusè; idcirco sub illo modo baptismus datus nullus est: sub hac ergò forma item nullus.

In nomine Trinitatis baptismus nullus,

81 Quod si dicat, at speculatiuè nomina *genitoris, & geniti, &c.* distinctè non confusè significant sub ratione personarum: hoc falsum est; quia distinctè vtique personas indicant, sed non sub ratione personarum, vt dictum est.

Habes ex his, tantam esse verborum illorum necessitatem, ut si attributa etiam loco illorum ponantur, puta dicendo *Ego te baptizo in nomine omnipotentis, Sapientis, & Amoris*. vel similiũ; si quoque nomen Trinitatis, si nomen ipsius Dei ponatur, irritetur forma, quæ sic à Christo instituta est: insuper multo verius habetur, datum baptismũ *in nomine trium personarum*, vel *in nomine primæ, secundæ, & tertiæ personæ*, vel *in nomine Verbi* loco *nomine Filij* nullum esse ob eandem rationem, quam repetere inane duximus.

Attributorum expressio inualidat sacramentum.

Neque ex his difficile erit Caietani, si quæ sunt, fundamenta euertere, Suarezius enim nullo peculiari fundamento est vsus.

82 Caietanus ergo *loco citato* quintupliciter arguit: primo, quoties idem significatum nomina habent, licet sub diuersa ratione, uariatio formam non destruit: at ita euenit in re nostra; quia nomina *Genitoris, geniti, & spirati* easdem diuinas significant personas; quamuis ergo sub eadem ratione non significent, non irritatur sacramentum. Maior probatur auctoritate Nicolai Papæ relati *d. 4 de cons. can. à quodam*, ubi reddens Nicolaus rationem, quare baptismus præceptus *in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti*, ualet datus *in nomine Christi*, dicit, quia vnum, & idem omnino est significatum.

Ratio Caietani prima.

83 Secundo: Ambrosius *lib. 1 de Spiritu sancto cap. 3.* de forma baptismi loquens loco *Filij, Patris, & Spiritus sancti* ponit Christum, *Christum* scilicet loco Filij, loco *Patris* ponit *à quo vnctus est*, loco Spiritus sancti ponit, *quo vnctus est*. Ergo si sufficit personas diuinas explicare secundum unctionem, multo ma-

Auctoritas Ambrosij.

gis

gis secundum generationem.

Tertium argumentum Tertio: Concilium generale Florentinum sub Eugenio quarto interpretatur formam à Christo institutam inuocatione Trinitatis non limitãs eam ad hæc nomina *Patris, Filij, & Spiritus sancti*, vnde habetur ibi, *si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum cum inuocatione Trinitatis perficitur sacramentum*.

Quartum Quarto: ex communi Ecclesiæ confessione liquet æquè laudari, ac inuocari Sanctissimam Trinitatem iis uocibus *genitoris, geniti, ac spirati*, ac illis *Patris, Filij, & Spiritus sancti*.

Quintum Quinto à simili, quia ualet baptismus per hæc verba datus, *ego te baptizo in nomine Patris, Iesu Christi, & Spiritus sancti*, similiter, & per hæc *ego te baptizo in nomine Patris, Filij, & Spiritus paracliti* ergo & per hæc verba datus valet, *ego te baptizo in nomine genitoris, geniti, & spirati*; quia vtrobique constat variari significatum, vt patet.

84 Libuit hæc ferè verbatim è Caietano describere, ne alienas rationes Recentiorum more pro libito variatas ad aliũ finem detorquere diceremur. Quibus tamen tantum roboris tribuimus, vt plenè responsione diiudicemus indignas, siquidem omnia penè è falso ducuntur principio, quod ne labori potius, quam necessitati parere videamur, ostendimus. Primum argumentum ruit ex iis, quæ *in calce superioris capitis* diximus, etenim Nicolaus ex suppositione *ibi*, non ex propria sententia loquitur, ex suppositione, inquam, Ambrosij doctrinæ, cui nec suffragatur, nec refragatur, ait enim *vel saltem in nomine Christi, sicuti in actibus Apostolorum legimus (vnum quippe, idemque est, vt Sanctus exponit Ambrosius) &c.* *Solutio primi argumenti Caietani* Hæc ibi Nicolaus, quibus supponit primo in actibus Apostolorum baptizatos fuisse fideles tantum *in nomine Christi*, quod incertum esse hactenus decurrimus: supponit secundo idem omnino significari *nomine Christi*, & *nomine Trinitatis*, & hoc supponit ex doctrina Ambrosii, quod vtique uerum est, sed non satis: quia Christi nomine explicatur Trinitas, præceptore Scoto, per correspondentiam effectus ad causam, hoc nomen enim significat Filium secundum humanam naturam, qui vnctus est, datque intelligere Patrem, à quo vnctus est, & Spiritum sanctum quo vnctus est; quare confuse satis hoc nomine Trinitas explicatur, distinctè autem per illas voces *Patris, Filii, & Spiritus sancti*, etsi ergo idem est significatum, non tamen eodem modo. Quid autem dicendum sit Nicolao, & quanti auctoritas eius facienda sit, præcedenti capite demonstrauimus.

85 Secundum argumentum, secundum opinionem asserentem licitum quandoque fuisse baptismum in Christi nomine datum, ruit; quia paritas nulla. *Solutio secundi* Ille enim baptismus in forma Christi nomen explicante datus ex dispensatione dicitur ab assertoribus illius sententiæ. Qui uero nostram in superioribus opinionem sectaturus est, dicat argumentum falsum ad itidem falsum sumere probandum, tam enim falsum est validum esse baptismum in *nomine genitoris, geniti, ac spirati* datum quam datum *in nomine Christi*. & Ambrosium variè interpretãtur Recentiores, cuius auctoritatem *superiori capite* relatã ex nostro Marte hactenus nos minimè interpretati sumus. Dicendum est ergo, uel Ambrosium ita sensisse cum Bernardo, & Beda supra citatis, nec mirum; quia vnicuique loqui fas est ex cerebro, ubi nullum apertè decretum fidei nanciscimur; uel dicendum, & pie magis, *Ambrosium* loqui secundum opinionem asserentem ualidum quondam fuisse baptismum in Christi nomine, cuius rei ipse rationem reddens, docuit *Christi nomine* exprimi etiam Trinitatem: non ergo absolutè, sed ex suppositione illius opinionis, quæ dispensationis in hoc peculiarẽ agnoscebat locutus est *Ambrosius*. similem autem dispensationem in verbis *Genitoris geniti &c.* non agnouit Ambrosius, nec ex aliqua opinione id agnoscente suppo-suit.

86 Tertium argumentum ineptissimũ est; nam *Trinitatis* nomine Concilium *Solutio 3.* eam intelligit Trinitatem, quam paulo ante tradiderat, nempe *Patrem, Filium, & Spiritum sanctum* quæ nomina si iterum non exponit, puta, quia necesse id non habuit; superioribus.n. verbis formã expresserat per illa nomina; immò reuerberatur argumentum. Concilium, ne dicatur æquiuoce locutum ita secundo loco *Trinitatem* intelligit, vt primo loco intellexerat; sed primo loco expresserat illam vocibus illis *Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, ergo iterum eam memorans eodem modo intelligit, etsi sigillatim iterum breuitatis merito nomina non recenseat. Adde, quod si aucto-

auctoritas quid ponderis adduceret, potius probaret datum *in nomine Trinitatis* baptismum validum esse; quod ipse etiam Caietanus veretur concedere.

Solutio quarti argumenti.

87 Quartum argumentum leue est, nam nec ego inficias eo inuocari in hymnis, & canticis, adorariq; vocabulis illis *Genitoris, ac geniti, & spirati, vel procedentis* Trinitatem, vt patet in calce hymni sanctissimi Sacramenti *Genitori, genitoque &c.* sed quæ paritas ad vigorem baptismi, in quo verba formæ Christus auctor, ac institutor præscripsit? certè aliud est metricè, aliud sacramentaliter loqui, & poetis quidem fas est nomina pro facultate mutare, sacramentorũ autem ministris non item, quibus præscriptis verbis, ac notulis standum est, nec arbitratu ludendum, dum res tanti momenti agitur, quanti est humanæ animæ salus, vel perditio.

Solutio quinti.

88 Quintum demum argumentum antecedens assumit æque falsum cum consequenti; nam etsi baptismus datus per hæc verba, valeat *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii eius Iesu Christi, & Spiritus sancti*, quo modo arbitror baptizasse Apostolos in primordijs Ecclesiæ nascentis, dum leguntur baptizasse in nomine Christi, hoc est in forma confusa, in qua includebant Christi nomen, datus tamen per hæc verba, *Ego te baptizo in nomine Patris, Christi, & Spiritus sancti* nullus est, etsi etiam datus per hæc verba *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, paracliti*, ratus sit; per hæc tamen verba datus, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus paracliti*, omissa voce *sancti* irritus est. Ratio huius est diuina institutio, à qua nec modicum digredi in hisce nominibus licet, quæ singillatim Christus expressit.

Oppositio Vasquez.

89 Scio Vasquezium *in fine disp. 144. numero 16.* contendere, si loco *Spiritus sancti* ponatur *Spiritus paracliti* nomen, ratum esse baptismum; quia (vt ipse inquit) nomen tertiæ personæ est Spiritus: sanctus autem est epiteton eius, sicut omnipotens Patris, sapiens Filii est titulus; quo circa si tertia persona inuocetur sub nomine Spiritus, etiamsi non addeietur nomen sancti, verum esset sacramentum, quia nomen *Spiritus* est, quo communiter vtimur pro tertia persona, addito *sanctus* tanquam Epiteton.

Deceptio ria.

90 Sed decipitur Vasquez quia nusquã nisi in metris; vel in expolitis dicendi Rethorum more orationibus tertia persona alio explicatur nomine, quam Spiritus sancti; nisi præscribatur vel eius productio, vt cum dicitur *Spiritus qui à Patre procedit*, vel eius effectus, vt cum dicitur, *Spiritus paraclitus*, cum vero vt tertia persona sub ratione hypostasis nominatur, non alio appellatur vocabulo, quam *Spiritus* cum addito *sancti*. Nec me præterit & Patrem, & Filium æque dici sanctũ, ac Spiritum, quia teste Ioanne, *Spiritus est Deus*, & Seraphim illi duo à Propheta recensiti ter Sanctus Deo inclamabant, sed deficiente peculiari nomine licuit ex voluntate Dei tertiam personam nomine *Spiritus sancti* nuncupare, sicuti productionem eius deficiente vocabulo proprio fas fuit nomine processionis appellare; nam deficiente nomine licet assumere commune nomen appropriatum proprio. *Isaiæ 6.*

91 Hæc demum si nulla essent, instar omnis est Christi institutio, quæ Spiritũ cũ addito *sancti*, non cũ addito *paracliti* expressit, & iure quia, quà *sanctus* dicitur, sub ratione hypostasis, quà *paraclitus* sub ratione consolatoris declaratur, dictum tamen hucusque est inuocandas esse personas sub rationibus hypostasum. Exemplum autem Vasquezij de omnipotentia, & sapientia omnino ineptum est: quia illa sunt attributa, nomen autem sancti Spiritus appropriatum est tertiæ personæ, ita vt sit illi proprium.

Conclusio disputationis vniuersa.

92 Ergo dictorum sit vno verbo Epilogus. Forma baptismi est, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, &c.* in qua expressio ministri non ad necessitatem formæ attinet, proinde particula *Ego* est extra eius essentiam. Actus exercitus necessitatem formæ implet, non tamen per solum actiuum verbum, & per indicatiuum modum, nam & Græci valide baptizant dicentes passiuè *Baptizatur*, vel *baptizetur* imperatiuo modo, vel optatiuo. Persona suscipiens ad formæ necessitatem refertur non tamen sub pronomine illo *te*, uel *vos*, cum nomine etiam proprio expressus suscipiens non irritet sacramenti formam. Particula illa *in* ad veritatem formæ refertur, similiter, & illa *nomine* ob rationes adductas; necnon & coniunctio saltem altera *&* identidem ad veritatem formæ refert: apposite autem expressio adorandissimæ Trinitatis sub certis illis nominibus, *Patris, & Filij, & Spiritus sancti* adeo necessaria est, vt variata sacramentum destruat.

ſtruat; proinde hæ formæ inualidæ ſunt *Ego te baptizo in nomine Trinitatis. Ego te baptizo in nomine Chriſti. Ego te baptizo in nomine Genitoris, geniti, & ſpirati*, & his ſimiles; quamuis enim *Trinitas* tres deſignet in Dei vnitate perſonas, non tamen diſtinctè, vt nomina illa *Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, ſed confuſè, & collectiuè potius, quam diſtributiuè, ac ſingillatim.

Rurſum, quamuis Chriſti vocabulum *vnctum ipſum*, hoc eſt Chriſtum, *vngentem*, hoc eſt Patrem, *oleum quo vnctus eſt*, hoc eſt Spiritum ſanctum innuat, vt tamen ex ſe liquet confuſè ſatis, non diſtinctè. Denique quamquam idem eſt *genitor*, ac *Pater*; idem *genitus*, ac *Filius*, idem *ſpiratus*; ac *Spiritus ſanctus* ſub his tamen expreſſæ diuinæ perſonæ vocabulis ſacramentum irritant, vtpotè non expreſſæ ſub ratione hypoſtaſum, ſed notionum, at potiſſimum; quia Chriſtus inſtitutor non ſic inſtituit; Sed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, quibus in vnitate eſſentiæ ſit in omnem æternitatem honor, & gloria.



DE

DE BAPTISMI EXTERNIS CAVSIS.

DISPVT. V.

CAusas quasi interne sacramentum hoc consti uentes tum ex phisica, cùm ex metaphisica quidditate prosecuti superest, vt de externis causis sacramenti eiusdem differamus, missa autem institutrice causa, quam primo loco ad quæsitum, an sit, reuoluimus; missis etiam ca sis effectrice principali, ac instrumentali meritoria, si quidẽ de his in genere de sacramentis disceptantes diximus, & abundè fuimus prosecuti, de sola ministeriali causa dicendum est; & pro ea suppositis, quæ generatim de sacramentorum ministris, qua santitas, vel malitia eorũ & rursum qua intentio consi leratũr, alia potiora prælibabimus ordinem insecuti Concilii Florentini, quod tribus perfici sacramenta docuit; materia, & forma, & ministro intent onem habente; quare exactam de forma, ac materia disputationem, de ministro baptismatis inquisitio sequitur.

(5)

AN SOLI HOMINES Baptismum ministrare queant.

CAPVT. I.

1 E multiplicata eiusdem vnius doctrinæ repetitione disputationes nostras compaginemus; recole, quæ de ministris sacramentorum generatim diximus generalia applicando specialibus, nos enim hunc in locum ea solum, quæ peculiari ritu ad baptismum redigenda videbuntur, recensebimus. Et in primis supponendum in huius capitis vestibulo, disquisitionẽ præsentem eo vergere, vt petat, nedum an licitè ab alio, quam ab homine sacramentum hoc ministrari queat, sed an rate, & sufficienter, ita vt nedum valorem operis, sed licentiam in ministrante venemur. Hoc supposito. *Institutum capitis.*

2 Primus omnium opinatus est Scotus ministrum huius sacramenti non ad solũ hominem saltem in necessitate coartandum, siquidem suppositum quodlibet intellectualis naturæ sufficiẽs esse potest huius sacramenti minister, ideoque & Angelus, & Cacodæmon, nisi de eius perfidia uerendum esset, uere, ac sufficienter sacramentum baptismatis possẽt ministrare, nec dissentit de bono Angelo S.Thomas *3.p q 64 art. 7.* Contra uero Caietanus *in commentario illius articuli dubitatione peculiari* contra Scotum propugnat solos homines huius sacramenti ministros esse, Angelos esse non posse, quem si quispiam ad bonam uelit reuocare frugem asserens eum locutum de lege ordinaria, inutiliter laborare confitebitur, siquidem neque Scotus de communi lege Angelum ad ministrandum baptisma adstruit, sed saltem ita baptizare posse sensit, ut baptismus ab eo datus non sit censendus inanis, ac irritus, *Sententia Scoti, & S.Thomæ.* *Caietani dissensus.*

Caietani libertas in Scotum.

irritus, quare si ita loqueretur Caietanus voluntarie in Scotum se se inuexisset. Recentiores etiam Thomistæ Caietano hac in re subscripserunt asserendo veritatem esse Catholicam solos homines esse huius sacramenti ministros, Angelos autem esse non posse.

Opinio Tertulliani, & Clementis.

3 Alij causam hanc ministerialem in tota hominum specie venerantes, mysterium ad solos homines mares coarctarunt, seclusis fœminis, visus est ita sentire antiquissimus Tertullianus *lib. de baptismo cap. 7.* vbi inter Hæreses Marcionis ponit; *quod ille Mulieres baptizare permitteret*; ita innuere visus est Clemens Apostolorum Discipulus *lib. 3. const.* iniquum ratus baptizare mulieres, *alias* (inquit) *Christus vna nobiscum ad baptizandum mulieres misisset*, quibus ex Christi institutione baptismatis à mulieribus dati inanitatem venari videtur.

Opinio aliorum.

4 Alij ad solos baptizatos in humana specie ministeriū reduxere baptismatis, rati baptismum ab infideli, quem paganum vocant esse nullum; ita sensisse visi sunt nonnulli Patres Ecclesiæ infra adducendi.

Caluini error.

5 Alij demum ad solos Ecclesiæ ministros, quales sunt præsbiteri, & Episcopi valorem huius ministerij reuocarunt; ita voluisse Caluinum *lib. 4. inst. cap. 15. 20. & sequentibus* refert Cardinalis Bellarminus *lib. 1. de sacramento baptismi cap. 7.* Mirum tamen quomodo ita senserit Caluinus; quia ordinem præsbiterorum, ac Episcoporum in sua hyerarchia nullum agnouit.

Assertum Auctoris.

6 Dicendum tamen primo ius baptizandi ex vi suæ ordinationis proprium esse Episcoporum, & præsbiterorum: loquimur in hoc asserto, vt patet de facultate baptizandi dempto necessitatis casu, de quo in sequentibus. Assertum autē sic positum traditur à Patribus, Tertulliano *lib. de baptismo cap. 17.* qui ait dandi huius sacramenti ius habere summum Sacerdotem, dehinc præsbiteros; declarat autem, quid sibi velit summus Sacerdos, vt idem sit, ac Episcopus: Clemens etiam Romanus *lib. 3 constit. cap. 11.* tradit potestatem baptizandi esse penes Episcopos, & præsbiteros, & Concilium Florentinum *in Decreto Eugenij vniente Armenos* habet *ministrum huius sacramenti esse Sacerdotem, cui ex officio competit baptizare &c.* ex quo argue multo magis idoneum esse ministrum Episcopum; cuius officium latius patet, quam simplicis Sacerdotis, qui ab Episcopo ordinante auctoritatem, & officium recepit.

Probatio eius ex Patribus.

7 Demum patet hoc assertum ex institutione Christi, qui solis Episcopis, qui & Sacerdotes erant, nempe Apostolis post Resurrectionem baptismi ministerium in præcepto dedit aiens *ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti &c.*

Probatur Ratione Scoti.

8 Asserti huius veritatem propugnat Scoti ratio *d. 6. q. p. littera D.* in hunc modum formata. Baptizari nihil est præterea, quam adscribi in Ecclesiæ militantis collegium, seu & melius. *Quicunque baptizatur in Ecclesiæ collegium recipitur*; at recipere in Ecclesiæ collegium solum est præsidis munus, quare & præsidis munus est baptizare; præses autem Ecclesiæ est Episcopus, & in ordine ad suos subditos Parochus omnis; quare iis dumtaxat de iure suo baptizandi facultas competit: ex quo habes, quod qui maiorem habet in Ecclesiæ collegium potestatem maiori iure baptizare potest; siquidem actus baptizationis quandam inuoluit iurisdictionalem potestatem, non quidem in baptizandum; Etenim in baptismo destitutum nullam Ecclesiæ præsides iurisdictionem habent; iuxta illud Pauli. *Quid mihi de his, qui foris sunt*, sed in totum Ecclesiæ corpus, & in collegium.

Noua postulatio.

9 Ex hoc iure quispiam reuocari posset in dubium, an quilibet Sacerdos ex vi suæ ordinationis baptizare possit licitè, an vero ex particulari Episcoporum indulgentia, neque hoc loco de Parochis loquimur, qui ex vi suæ deputationis in Parochos absque alia facultate noua baptizandi ius habent.

Suarez sensus.

10 Suarez *3. p. q. 67. art. 6. disp. 23. sect. 2.* arbitratur sacerdotem quemlibet ex vi suæ ordinationis habere sufficientem potestatem, vt validè, & dignè ministret hoc sacramentum neq; quoad hoc pendere ex concessione Episcopi, at vero vltra hanc potestatem requiri iurisdictionem in personam, vt licitè illi ministret hoc sacramentum, & quoad hoc pendere ab Episcopo.

Placitum Vasquij.

11 Contra Vasquez *disput. 147. cap. 2.* contendit ex vi ordinationis solius quēlibet sacerdotem baptizare non posse dignè; quia dignè baptizare, & sine peccato baptizare idem sunt, & non baptizat sine peccato Sacerdos sine Superioris concessione. *Adde* quod nec in personam baptizandam vllam recipere potest iurisdictionis potestatem;

quia

quia ante baptismum nullo iure subditur illa Episcopo, vel presbitero. Dicendum ergo putat ordinationem Sacerdotis esse satis ad valide ministrandū hoc sacramētum quatenus ex sola ordinatione sua apti sunt, quibus hoc munus ordinariè concedatur, eo quod ex ordinatione habent iurisdictionem illam actiuam, quæ per applicationem materiæ completur, vt ita in Parochos, & Pastores eligi possint.

Obiectum ex Concilio ablatum

12 Hanc autem dubitationem verba illa Florentini Concilii è medio tollunt, quibus statuitur *ministrum sacramenti huius esse sacerdotem, cui ex officio competit hoc onus, &c.* habes ex his, quod nisi ex officio competat, non est licite minister: porro officium bifariam alicui conuenire potest, vel ex commissione peculiari, vel ex iure suo; hoc secundo modo baptizandi facultatem habent parochi, primo modo illi, quibus particularem concessionem Præsides in Ecclesiastico collegio impertiuntur. Hoc autem non ita fieri puta, quasi vero aliqua iis iurisdictio in personam tradatur; sed quia committitur eis aliqua iurisdictio in Ecclesia: cum enim baptizandus futurus sit militantis Ecclesiæ corporis membrum, necessum est admittentem aliqua vel delegata, vel ordinaria fungi iurisdictione in corpus ipsum ecclesiæ; proinde sentiendum putarem ex allata ratione Scoti non omnem sacerdotem absque reatu ministrandi huius sacramēti facultate pollere nisi necessitas vrgeat.

Alia dubitatio

13 Verti rursum in dubitationem potest, an Episcopi extra suas Diæceses, & Parochi extra suas Parochias baptizare licite queant: & quidem, si de baptismo solemni sit sermo, aiunt omnes nō licere. Sed de non solemni videtur dubitare Sotus *d.6.4.q. vn. ca* in re morali breuiter dicendum reor Parochos quidem, ex quo Parochi non sint nisi in propria Parochia, extra quam sunt simplices Sacerdotes, nullam iurisdictionem in corpus Christi misticum habentes vltra eam, quam alii Sacerdotes non Parochi habent, licitè baptizare non posse absque concessione proprii pastoris, siue Episcopi loci, siue Parochi, episcopos autem priuatè baptizare posse etiam non in propria Diœcesi licite, & absque peccato adhuc non petita concessione affirmare non dubitarim; quia hoc onus baptizandi Episcoporum est proprium à Christo institutum, qui Apostolis dixit, *euntes in vniuersum mundum, &c.* Adde, quod vbicumque morantur Episcopi exercere ea possunt, quæ Pontificalia non sunt, & quæ iurisdictionem Ecclesiæ illius non apprehendunt: at baptizans priuatim Episcopus non exercet Pontificalia, vt patet, & rursum iurisdictionem non violat; quia baptizandus nulli subiectus est, qui deinde per baptismum subiicitur, & rursum baptizare non est actus iurisdictionis secundum se, sed est actus habentis iurisdictionem in reliquum corpus Ecclesiæ: at nunc vero Episcopi vbicumque ponantur præeminentiam quandam in Ecclesiæ Dei corpus habent, maiorem vtique, quam simplices Sacerdotes, & augentes numerum baptizatorum in alterius Diæcesi, iurisdictionem augent potius, quam minuant; quia eorum ministerio fidelium numero aucto originarii Episcopi auctoritatem dilatando, nihil sibi arrogant, sed Ecclesiæ bonum augent.

Argumentum à minori ad maius

14 Adde, quod cum Parochus quisque delegare auctoritatem hanc in sua Paræcia possit, incredibile est Episcopum subiici debere inferiori sibi, nisi ex vrbanitate. Cæterum si de solemni baptizatione loquamur non vereor concedere Episcopis non licere extra suum territorium baptizare; etenim Pontificalia interdicuntur Episcopis extra suam Diæcesim, atqui in baptizatione solemni vti deberent Episcopi mitra, & baculo, non habita ergo Episcopi Diæcesani licentia hoc modo baptizare Episcopis non licet.

Assertio secunda statuens baptismũ à quocumque homine datum esse validum probatur

15 Dicendum secundo, baptismum à quocunque datum homine validum esse extra etiam necessitatis casum, ita ut quilibet homo non exclusis fœminis citra necessitatem etiam validè sacramentum hoc ipsum ministrare queat. Hæc assertio citra controuersiam est apud Catholicos, idcirco vno, vel altero verbo probabitur, & inprimis Nicolaus *ad consulta Bulgarorum relatus d. 4. de cons. cap. a quodam Iudeo* diffinit baptismum validum esse à quocunque detur, & rursum *eadem d. 4. cap. Romanus Pontifex* decernitur non iudicare Ecclesiam, à quo detur baptismus. Insuper huius veritatis pleni sunt Augustini libri *de Baptismo contra Donatistas* approbantes hæreticorum baptisma; quia non ipsi sunt, qui baptizant, sed Christus, & huc referre poteris, quæ generatim de sacramentorum ministris disceptantes diximus: & ratione illa fulcitur; quam ex Eugeniano decreto in

Concilio Florentino elicuimus. Tria dumtaxat expetuntur necessaria à Concilio ad sacramenti huius integritatem, materia, & forma, & intentio; at hæc tria in quocunque homine esse possunt: ergo homo quicunque minister huius sacramenti esse potest, siuè mas, siue fæmina, siue Christianus, siue paganus, siue Catholicus, siue hæreticus.

Instantia.

36 Quod si dixeris, rationem hanc infirmam esse, si quid enim ex ea probaretur, non minus probari posset quemlibet hominem huius, quã alterius sacramenti, puta confirmationis, vel pænitentiæ ministrũ esse posse, siquidè quilibet homo materiam, & formam in iis ministrandis adhibere cum intentione potest, & tamen irrita sunt illa sacramenta, nisi à ministro particulari dignitate pollente ministrentur, præoccupamus; nam sacramenti huius institutio passiuè generatim tradita est, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* quæ verba Christus non ad solos coarctauit Apostolos, ut accidit de pænitentia, & sacramentis aliis, quorum ministratio specialiori methodo in sacerdotes *Apostolos* manauit, proinde, ut difficultatem euadas in præfata ratione, adde hanc ipsam considerationem in illa minori, nisi scilicet aliter à Christo dispositum sit in institutione sacramenti, atqui ita cuiuscumque scrupuli nodum dilues: porro minorem illius argumenti facillimè comprobabis, si demas ab hoc opere mutos homines, uel mancos, uel amentes; quorum isti intentione destituti censentur, alii uirtute motiua ad ministrandum aquam, alii usu linguæ ad proferenda verba: da igitur sanos homines mente, manu, & lingua, cuiuscumuis conditionis, uel gradus idoneos apposuit ministros.

Præoccupatio.

37 Adde, quod Concilium Florentinum *loco cit.* decernit in casu necessitatis Laicos, & mulieres, hereticos, & paganos baptizare rite posse, ex quo decreto ergo (deducã) simpliciter quicunque homo siue laicus, siue femina, siue hereticus, &c. baptizare rite potest; & valide extra necessitatis casum: consecutio est euidens, nam internæ partes sacramentum hoc integrantes, quales sunt materia, & forma; & externa, quæ est intentio extra necessitatem in quocumque homine esse possunt, ergo si in necessitate validum est hoc sacramentum à quocunque datum, etiam sine necessitate valet à quocũq; datũ, ratio est; quia nullo argumento conuincimur asserere vnum ministrum validum esse pro vno tempore, pro alio verò non esse ualidum, cum differentia temporis ad hoc sacramentum non conferat, nisi ad ministrandum sine peccato, vel cum peccato, fatemur enim vtique peccare lethaliter, qui sine necessitate baptizat, nisi hoc ei conueniat ex officio, at non obinde irritatur sacramentum, & hæc est aperta mens *Augustini lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 13.* dicentis, *si necessitas vrgeat nullum, aut veniale delictum est, sed si nulla necessitate vsurpetur, & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest non datum dici quamuis rectè dici possit illicitè datum.* Hæc ille.

Confirmatio dictorum.

38 An autem in necessitate licite detur à Laico præsente Sacerdote, & à fæmina præsente viro, & ab infideli præsente fideli? Respondent omnes seruãdum esse hunc ordinem, vt sacerdos semper præferatur laico, vir feminæ, fidelis infideli, non excommunicatus excommunicato. An autem culpa leuis sit, an vero grauis hunc ordinem non seruare, non conueniunt omnes, quibusdam asserentibus venialem esse culpam, aliis verò læthalem. Æstimant *Laiman lib. 5. Theol. Moral tract. 2. cap. 7.* Villalobos *in summa tom. 1. tract. 5. diff. 8.* & Siluius *in 3. p. q. 67. art. 3.* lethaliter peccari, si omittatur absque legitima causa sacerdos præsens: Si autem omittatur Diaconus, vel Subdiaconus solum venialiter peccare, & si mulier sit viro peritior nullum esse peccatum, si mulier præferatur viro. Subscribit Diana, qui *res. 4. de hoc sacramento* ait se consultum, an mulier obstetrix peccauerit baptizans infantem in casu necessitatis, vbi aderant plures Religiosi in sacris constituti non sacerdotes, respondisse negatiuè.

Noua petitio.

Laiman, Villalobos Siluius, Diana.

[illegible]

39 Alii vero cum Valentia *tom. 4. q. 2. puncto 1.* nec etiam lethaliter peccare laicum rentur baptizantem sacerdote præsente.

Valentia.

Verum nobis ex doctrina *Scoti d. 5. 4. sent. q. 2.* dicendum præferendum Sacerdotem Curatum, quamuis etiam notoriè malum Sacerdoti non curato, quantumuis meliori; quia sacramentorũ ministratio Curatorũ interest primò, vt superius diximus, mox verò deficiente curato Sacerdotem quemlibet quamuis malum præferendũ Laico licet spectatæ probationis uiro, quia regulariter officiũ ministrãdi sacramẽta in Ecclesia Sacerdotis refert, mox virum-

Scoti resolutio.

rum præferendum feminæ, si æque formam calleant, fidelem infideli, non præcisum præciso: & de fidelibus quidem, ac non præcisis si non seruetur hic ordo, arbitror culpam esse lethalem, quauis enim nullus alteri præiudiciū faciat, & nullus alterius iurisdictionem violare censeatur, quia nulli ex officio ius baptizandi cōpetit, attamen magis conuenit fideli, qui est pars Ecclesiæ, & nō præciso, qui est membrum tantum corporis Christi mystici aliud sibi copulare membrum per baptismum in corpore eodē, quam præciso, & infideli, quorum comparatione fidelis, ac non præcisus aliquid sibi ius pacifici possunt in hoc ministerio.

20 Adde, peccatum oriri non tam ex iurisdictione intercepta, quam ex ministratione in peccato infidelitatis, & eius, cuius causa præcisus est: si vero femina præponatur viro, non arbitror culpam excedere gradum, ac ordinem venialis erratu quia mas, & fæmina non admodum officiunt in hoc opere, quod ex necessitate præstatur: simpliciter autem præsente Curato lethaliter peccat siue Sacerdos, siue laicus baptizare præsumens, nisi Curatus ipse consentiat, vel licentiam impertiatur, quod intelligendum est, quando ipse Curatus baptizare omnino nollet: si enim Curatus ipse baptizare vellet, & ex vrbanitate hoc ministerium alicui alteri Sacerdoti committere mallet, neuter peccaret: sed si delegaret hoc opus laico, vel fæminæ, & Curatus, & baptizans lethaliter peccat, ille quidem, quia ipse tenetur complere officium suum, quod nullo iure laico conuenit eo præsente; laicus autem mittens manum in alterius messem. Res tamen ad moralem potius Theologum, quam Scolasticum attinet.

21 Superest de Diacono dubiolum, num quid ius aliquod ex vi suæ ordinationis ad baptizandum habeat? & tum habet difficultas ex Romano Pōtificali in ordinatione Diaconi, qua Episcopus ordināns Diaconum de suo munere instruens, ait *Diaconum oportet prædicare, baptizare*, quare ex vi ordinationis suæ ius quoddam ad baptismatis sacramenti administrationem pancisci videtur.

Dubitatio de Diacono

22 Occurrunt autem dubitationi huic Recentiores, Vasquez *loco citato*, & Suarez cum Dominico Soto aliquid iuris maioris ex vi ordinationis suæ habere Diaconum præter laicos, & Subdiaconos, quia de hoc iure in sua ordinatione expressa fit mentio: isti ergo autumant non solum in necessitate, sed extra necessitatem ex sola Episcopi, vel Sacerdotis iussione posse Diaconum sacramenti baptismatis esse ministrum sine peccato, & rursum non priuatim solum, sed cum solemnitate.

Responsio Soti, Suarez, & Vasquez.

Alij contra cum D. Thoma 3. p. q. 67. art. 1. negant ad officium Diaconi ministerium hoc esse deuolutum; cuius munus est dumtaxat ministrare Episcopis, ac Sacerdotibus in dispensatione sacramentorum.

Responsio S. Thomæ

23 Libentius subscriberem S. Thomæ, & asserendum putarem, nullum ius a Diacono acquiri ad ministrandum hoc sacramentum ex vi suæ ordinationis sine peccato extra necessitatem, quia etiam ex doctrina Scoti d. 5. q. 2. litera E habemus *officium ministrandi sacramenta in Ecclesia Dei regulariter conuenire Sacerdotibus*, de quibus ait Paulus *sic nos existimet homo ut ministros Christi &c.* & Rursum per plura adsunt decreta hoc munus Diacono prohibentia Gelasius *in epistola ad Episcopos Lucaniæ* relatus *dist* 93. *can.* 1e.. *Diaconus præcipit*, ne Diaconus absque Episcopo, vel præsbitero baptizare audeant, nisi extrema necessitas compellat: Clemens Romanus *lib. 8. Constitutionum cap. 5. non est fas (inquit.) Diacono offerre sacrificium, vel baptizare.*

Huic subscribis auctor cum Scoto.

Et Probat auctoritate.

24 Adde, quod ex ipso vocabulo sonat, quid possit Diaconus. qui ita nuncupatur, vt notat Sanctus Thomas. quia minister Sacerdoti inseruiens; nullus igitur sacramenti ex vi nominis ordinarius minister esse potest. Nec officit allata auctoritas Pontificalis Romani; nam sicuti non est proprium officium Diaconi prædicare, ita nec baptizare; prædicatio enim proprius actus est Episcoporū tū ex Concilio Tridentino, tum ex ipsis verbis Christi *Ite docete omnes gentes*, quibus non omnes fideles, sed Apostolos tantum alloquebatur, quorum vices gerunt *Episcopi*; verba autem illa intelliguntur; non quia ius aliquod ad baptizandum, & prædicandum habeat Diaconus; sed quia sicuti per illum ordinem propinquior est minister Sacerdotis, ita magis ad officium Sacerdotale accedere videtur. Quid si dicamus verba illa ita intelligēda *Diaconum oportet ministrare ad altare. prædicare, & baptizare*, hoc est munus esse Diaconi ministrare ad illa tria opera, nempe altaris, prædicationis, & baptismatis ita vt particula illa *ad* non solum ad altare, sed ad prædicare, & ad baptizare referatur.

Et ratione.

Satisfacit obiecto.

Verba Pontificalis Romani explicantur

25 Accedit, quod in hortationibus ad ordinandos antiqua Methodo vtitur Ecclesia, non quasi approbans omnia illa munera, sed vt non irritans; nam & inter munera Subdiaconi recensetur ablutio pallæ, & corporalium; quod tamen non tam eius; quam alterius superioris ministri est proprium; multa etiam munera tribuebantur Diaconis, quæ nunc diuersa consuetudo antiquauit; nam distributio sanguinis Christi munus Diaconale erat, iuxta illud Beati Laurentij in sua legenda, *cui cõmisisti Dominici sanguinis dispẽsationem &c.* nec tamẽ aut sanguinem, aut Christi corpus nunc temporis præcisa necessitate extrema fas est à Diacono ministrari: arbitror igitur nec solemniter, nec priuatim fas esse Diacono baptizare absque necessitate, scilicet nolente, vel absente præsbitero; quo casu præferendum esse Diaconum, vt ordini propinquiorem Sacerdotij, cui ex officio competit baptizare. Hactenus decursum est homines esse veros, ac validos ministros huius sacramenti, omnes quidem, licet non omnes licitos extra necessitatis casum, at nunc num soli homines sint ministri.

Assertio tertia.

26 Asserendum tertio. Regulariter solos homines esse huius sacramẽti ministros, posse tamen esse & Angelos. Assertio circa priorem partem dilucida est, siquidem Concilio Florentino docemur extra necessitatis casum ministrum huius sacramenti esse Sacerdotem, cui incumbit ex officio baptizare, in necessitate vero omnem hominem siue marem, siue fæminam, siue fidelem, quibus, vt patet humanæ speciei ambitus non exceditur; dum de ministro sacramenti huius differitur.

Prima congruentia

27 Adde Scoti congruentias. Primam, quia si minister institutori respondere debet, cum institutor fuerit Christus, qui homo erat, pariter & minister, & hanc vt fulcias, adde (qua parte minister institutori assimilari potest) alias ratio nulla esset quia Christus non homo solus, sed Deus erat, & non qua homo instituit, sed qua Deus vnitus homini. *Secunda* Secundam, quia, cum sacramentũ admixtã habeat sensibilitatem signi cum spiritualitate effectus, quem gignit, maxime congruit ministrari à participe sensus, & intellectus, qualis est homo solus. *Tertia* Tertiã; quia baptismatis merito quispiam in mẽbrum adsciscitur Ecclesiæ, quare decet per aliquod Ecclesiæ membrum Ecclesiæ ipsi vniri. *Quarta.* Quartam, & potiorem. is solus est sacramenti huius idoneus minister, qui conditionibus ad ministrandum valide fulcitur, at hic regulariter solus est homo; quare homo solus regulariter est sacramenti huius minister: maiorem declarant termini, si quidem conditione præditus necessaria ad quippiã agendum, idoneum est agens ad illud opus. Minorem probamus. *Et validior probatio*

28 Conditiones ad ministrandum valide hoc sacramentum sunt; vt minister virtute motiua polleat, qua possit abluere vel immergendo, vel infundendo, vel aspergendo; vt loqui possit.; & verba proferat; vt vsu rationis sit præditus: at hæ conditiones coniunctim soli homini regulariter conueniunt; quare homo solus conditionibus hisce constitutus baptizare potest. Subducti dilemmatis assumptum patet; quia sacramentum tribus perficitur materia, forma, & intentione ministri. & certum est materiã vnã cum forma à ministro simul adhiberi debere: at nullus alius ab homine regulariter aquam in baptizando cum intentione proijcere potest coniunctim cum locutione, & prolatione formæ; quia alia animalia vsu rationis destituta sunt, & si mouere possent aquam, & verba formæ disciplinata percipere, & proferre. Suboritur de hac ministri intentione dubium, quod in fine capitis diluetur.

29 Diximus regulariter, vt consulto secundam asserti partẽ suaderemus; quia si Deus Angelo id muneris committeret, munus profecto ratum esse, ac validũ quoniam ex posteriori argumento adducto, nihil prohibet in corpore assumpto Angelum aquam infundere, vel aquã infundere, & intendere actum ab Ecclesia intentum.

Refelluntur Caietanus & Vasquez

30 Porrò quod Caietanus, & Caietano assequens Vasquezius contendunt locutionem Angelo non conuenire in assumpto corpore, in quo nulla quit Angelus opera vitæ exercere, inane est; siquidem *in 2. sent.* docuimus locutionem ad opera vitæ non redigi, quæ sunt nutriri, augeri, & generare, comestionem vero, & locutionem, quæ vel in motione, & tritione corporis, vel in labiorum motu, & aeris repercussione sunt positæ ab operum vitæ serie eliminauimus; cum & Angelos in scripturis locutos millies, & in libro Thobiæ comedisse legamus.

31 Vt ergo calcem capiti apponamus. Patribus sub initio adductis munus hoc à fæmina deuoluentibus occurrendum duximus ex dictis, loqui eos extra necessitatis

stratis casum, vel præsentibus viris, vt notauimus. Patribus vero contendentibus requiri, vt minister sit baptizatus; qualiter locutus vester *Greg. 2. in epistola ad Bonif. relat. dist. 4. de Consec. cap. Quos a paganis &c.* docens rebaptizandos esse baptizatos ab infideli, & Augustinus *qui lib. 7. de baptismo cap. 57.* hanc quæstionem sub iudice reliquisse visus est, dicendum Gregorium loqui de baptizatis ab infideli non sub forma Ecclesiæ, vt patet ex contextu illo *Quos à Paganis &c.*

Gregorius, Augustinus.

32 Augustino autem occurrit Suarez, tépore Augustini hoc fuisse dubium; quia res nondum erat declarata, sed Augustinum Suarez non legit; quia postquam perplures huiuscemodi quæstiunculas à Concilio aliquo approbandas se velle ait, subdit inde *se rogatum quid sentiret dicturum validum esse baptismum nisi mimè ac iocosè fiat,* sunt autem verba Augustini *nequaquam dubitarem habere eos baptismum qui vbicumque, & a quibuscumque illum verbis Euangelicis consecratum sine sua simulatione accepissent &c.* Demum si Caluinus ministerium hoc ad solos Apostolos deuoluens locutus fuisset de iure ordinis baptizandi, non dissideret à Catholico sensu in hac quæstione. Verum impium hominem impiè semper locutum esse putamus, & confutatam eius doctrinam ab ipso Cardinale Bellarmino relinquimus.

Responsio Suarez falsa.

33 Egimus abunde de intentione necessario expetita in ministro ad valorem sacramenti, dum de sacramentis ipsis generatim disceptaremus, at nunc superest dubium; an peruersa intentio in ministro suppleatur quandoque à Deo, dum scilicet suscipiens agendo, quod in se est, obicem non ponit si sit adultus; & recipiendo in se baptismum non alium obicem ponit si sit paruulus, numquid ministri non intendentis sacramentum conferre; nec facere, quod facit Ecclesia, vices suppleat diuina gratia, recipiatque obinde recipiens sacramentum, sacramenti huius effectum, sacramentumque ipsum verè.

Dubium maximè necessarium.

34 Equidem Caietanus superius relatus dum de baptismi necessitate loqueremur sponte concederet suppleri ministri intentionem à Deo interdum præcipue in paruulis; siquidem qui sola parentum fide absque baptismo saluari plerumque infantes concesserat, lubentius hoc idem tenetur asserere, dum paruulis forma, ac baptismi materia applicatur, neque ad perfectionem sacramenti quidpiam præter ministrantis intentionem desideraretur.

Caietani glosa.

35 Hanc eamdem tutati sunt sententiam alii ex eiusdem Caietani familia cum Viguerio; & nouissime cum Zanardo *in direct. conf. part. 1. de sacramento baptismi cap. 4.* & Bartholomeo ab Angelis *in exam. conf. de sacramentis in communi dial. 1.* & ex Iesu Societate Pater Valentia *tom. 4 disp. 3. q. 5 puncto 3.* Contraria tamen sententia omnino vera est; statuente Florentino Concilio vti toties docuimus intentionem ita expeti ad sacramenti cuiuscumque integritatem; vt ea deficiente sacramentum sit nullum, cum igitur de fide sit debere ministrum habere intentionem faciendi saltem, quod facit Ecclesia, hanc necessitatem dispensari à Deo quandoque tunc dixeris, cum tibi Deus dispensationis huiusce arcanum reserauerit; porrò diuina reuelatione seclusa sin minus erroneum, temerarium certè iudicarim asserere supplere Deum ministri praue intendentis intentionem ex sua misericordia.

Viguerij, Zanardi, & Bartholomæi ab Angelis, & Valentiæ.

Refellitur.

36 Non equidem inficior, Deum potestatem suam signis hisce visibilibus neutiquam alligasse, posseque si vult secus agere, at quod ita de facto agat ordinatas à sua sapientia leges dispensando, nisi reuelatione docear inficiabor: hinc quia è sacris doceor litteris Ioannem Baptistam in vtero sanctificatum *Lucæ 1.* similiter & Hyeremiam *libri eiusdem cap. 1.* dispensatum cum iis confiteor; nec idem confitebor de aliis, suppleri videlicet à Deo, quod ex intentione deficit ministrorum, nisi reuelatione constiterit.

Aliud est loqui de facto aliud de possibili.

37 Scio huc referri posse illud Pauli ad Thimot. 1. cap. 2. *Deus vult omnes saluos fieri*, & illud Scolasticorum. *Deus nulli denegat necessaria ad salutem auxilia,* at in casu nollet paruulos, & adultos illos, qui non ritè ex defectu intentionis ministri baptizantur saluari, dum eos decipi ex ministro prauè intendente deficeret, ad cuius culpam inscij recipientes non cooperarentur, facerentque ipsi, quod in seipsis esset, videreturque obinde necessaria illis non impertiri adiutoria ad salutem.

Obiectum ex Paulo.

38 Res tamen vniuersa ad prædestinationis diuinæ opus deuoluenda est; ibi namque Paulinum illud dictum explicuimus, vt verum de voluntate antecedenti, non de voluntate consequente, & adiutoria distinximus in sufficientia, & efficacia, & sufficientia quidem omnibus,

Diluitur

nibus, efficacia, quibus Deus vult, à Deo largiri concessimus; immò idem Paulus Rom. 9. curiositatem petitionis in hac re sigillans ait, *O homo tu* Rom. 9.
quis es, qui respondeas Deo, & Augustinus Sexcenties, *præcipue lib. de bono perseuerantia cap.* 12. huic difficultati obicem punit ex illo Pauli *Iacob. dilexi Esau odio habui*.

39 Prouidit igitur Deus remedium baptismi singulis, cur autem singuli remedio illo non fruantur, ipsorum culpa est; sio minus alia, saltem ea, qua in Adamo infecti sunt; Deus nulli est debitor; obiicique petentibus potest illud Matthæi. *Amice non facio tibi* Matthæi
iniuriam tolle, quod tuum est, & vade, 20.
hoc est naturalibus potiris auxiliis, poteisque vti supernaturalibus. Hoc tibi sit satis.





DE VNITATE MINISTRI.



CAPVT. II.




40 Finitur vnum à naturali Theologo, quod sit indiuisum à se, à quocunque alio diuisum; proinde vnitatem ministri huius sacramenti postulantes, nõ minus sequentibus articulis indiuisionẽ à seipso, quam ab alio diuisionem perscrutabimur; primo autem sermo erit de diuisione ab alio.




AN SIC VNVS DEBEAT

esse minister, vt plures simul Baptizare nequeant.



ARTICVLVS I.



41 PLures eundem baptizationis actum exercere posse, siue (passiue loquẽdo, ac distinctiori themate) eundem actum exerceri à pluribus contingit fieri posse bifariam; primo ita vt omnes complete actum eundem baptizationis perficiant applicando materiam *Titulus exponitur*
formæ cum intentione, deinde ita vt vnus materiam applicet, alter vero formã, intentionem vero vterque, vel formam vterque secundum partem, vt si quis diceret *Ego te baptizo*, & alius subsequeretur *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*.

42 De priori sensu concordi sententia firmant Scolastici sacramentum tunc validum esse, & proinde vnitatem tantam non esse necessariam; porrò valorem sacramenti eo casu ità declarant, vt velint adhuc bifariam euenire posse, vt duo exempli gratia eundem baptizent complete singuli actum perficientes, primo *Aliorum modi dicendi varij.*
si eodem temporis momento formam simul, & ablutionem absoluant, altero alterum non præoccupante, vel præueniente: secundo si alter alterum in absoluenda forma præueniat, & vtroque modo sacramentum approbant; sed diuersimodè, nam primo modo sentiunt ambos eundem baptismum conferre, & proinde vnitatem in ministro non expeti necessario, secundo modo autem eum, qui præuenitur nõ tradere sacramentũ putãt, nõ eatenus verò quasi verò necessaria sit ministri vnitas, sed quia rebaptizans nihil facit, & in eo casu ille, qui ab altero præueniretur in prolationis formę absolutione diceretur rebaptizare, ex quo cathecumenus ex vi prioris abluentis, qui absoluit prolationem formæ cũ materia dijudicaretur baptizatus: Et in priori quidem sensu Theologi conueniunt omnes; in posteriori nonnihil dissident; nonnullis cum Paludano *d.5.q.2.* *Paludani commentum.*
existimantibus etiam in illo casu, quo vnus alium præueniret ab vtroque sacramentum conferri; quia suspenderetur efficacitas formæ, quæ ab vno proferetur prius, quam ab alio vsque ad momẽtum, quo alius eam absolueret. De posteriori vero sensu; quando scilicet vnus profert verba & alter materiam apponit digladiantur adinuicem Scolastici, de quo *infra*, interim primum sensum discutientes secundum communem sententiam.

43 Asserendum putamus primo. Si duo ita sacramentum baptismi ministrent, *Assertio prima ex communi sententia.*
vt ambo simul expleant formam verũ ac validum ab vtroque sacramentum conferri, proindeque pluralitatem ministrorum in hoc casu non obstare. Ita docet Scotus *d.6.4. sent. q.2. littera B & sequentibus* vbi Scotistæ omnes; & Faber *disp.19.cap. vnico*, ita S. Thomas in 3

p.q.67.art.6. vbi Thomistæ, & Vasquez *disp.148.* & Suarez *disp.43.cap.3.*

Argumentum Scoti.

44 Ratio Scoti pro asserto ita construitur. Si tantum vnus minister faceret omnia, quæ peragenda sunt ad baptismũ, puta ablueret, verba proferret, & intenderet facere, quod facit Ecclesia, validum omnino esset sacramentum, ergo etiam si duo id peragant sacramentum inane non erit; consecutio probatur; quia non est verisimile, quod faciẽs vnus alterius factum irritet, non enim ille habet actionem contrariam irritantem alterius opus, sed omnino similem.

Thomistarum ratio.

45 Recentiores autem Thomistæ id probãt à simili in alijs sacramẽtis, præcipue in sacramẽto Eucharistiæ, nã in ordinatione Sacerdotis, tã ordinans, quã ordinatus eandẽ hostiam consecrant; quod idẽ experimur in consecratione Episcopi, consecrantibus eandem hostiam æque consecratore, & consecrato; ergo à pari nihil obstabit, quominus eundem baptismi effectum producant duo simul baptizantes. Hactenus de valore, verum de licentia confitentur omnes peccare baptizantes hoc modo vnum plures, tum quia contra consuetum Ecclesiæ morem baptizarent; tum etiam quia exponerent se periculo iterandi baptismum, & proinde vt rebaptizatores puniri possent; periculum autem, cui se exponerent imminens est, tanta enim moralis simultas in proferendo, & absoluendo verba formæ cum infusione materiæ non semper possibilis est, sed alterum alter præuenire potest; quo casu iteraretur sacramentum, vt infra dicetur.

Assertum secundum.

46 Asserendum secundo: si duo ita baptizarent, vt vnus alterum præueniret in absoluenda forma cum appositione materiæ, pluralitas ministrantium inepta esset. Hæc assertio, vno dempto Petro de Palude, communis etiam est, & cõmuni argumento probatur; quia verba prolata cum appositione materiæ, & intentione comite ab altero ministrantium integrum complere intelliguntur sacramentum; alter igitur inde subsequens inani labore torquebitur, quia factum subsequetur opus; porrò cum sacramentum hoc è numero eorum sit primum, quod iterari nequit, minister ille nihil faciet opere alteriusministri præuentus: nec enim quidquam valoris habet Paludani existimatio fore tunc, vt absoluta forma ab vno ministro non esset habitura suum effectum, nisi postquam alterius ministri forma expleta fuerit, diximus enim *in disp. de tempore, quo sacramenta gratiam causant* ea in primo sui nõ esse instanti gratiam causare, & hæc expectatio ridicula est; sciscitor enim an hæc suspensio ex voluntate ministrantis oritura esset, an ex libera Dei voluntate, an ex ipsa operis natura? quodcumque dixeris impugnabo, si primum: contra, actiuitas sacramenti non ex ministro pẽdet, dummodo ille tria illa obseruet, formam scilicet, materiam constitutam, ac intentionem: ius aliud ministri non habent; quia ipsi gratiam non nisi sub illa actione ministerialiter impertiuntur. Si secundum; contra. Ritus ille est penitus consueto mori, quo Spiritus sanctus gratiam largitur contrarius, vel saltem diuersus, quare videtur potius eo ritui non assistere Spiritus sanctus, quam suspendere effectum vsque ad præfinitum tempus absolutionis operis ab alio. Si demum tertium. Contrarium opere ipso probamus; quia vt sacramẽta gratiã causent statim, supposito quod in suscipiente non sit obex, nihil expetitur vltra nisi materia forma, & intẽtio ministri, his enim tribus sacramentũ vnum quodque perficitur ex Florentino Concilio millies citato.

Argumentum primum contra primum assertum

47 Contra primum assertum hæc vrgere posset quis argumenta, & non leuis ponderis. Primum est, idemque valentissimum. Nullus vnus, idemque effectus à pluribus causis totalibus oriri potest simul: at gratia, exempli gratia, est effectus baptismi, quæ vna tantum in baptizato recipitur; ergo à pluribus totalibus causis ortum trahere nequit. Minor difficultatem non habet. Maior probatur, quia implicat esse causam totalem, & effectum pendere ab alia consimili causa, siquidem propositio illa celebris est apud philosophos, quod *nihil est causa totalis alterius, qua non causante, nihilominus effectus sequitur,* sic autem in casu eueniret, nam si alter solum ex duobus baptizaret nihilominus cathecumenus ille tã baptismi effectum reciperet; quam si vterque baptizaret, altero igitur superaffluente, neuter censendus est totalis baptismi causa.

Argumentum secundum

48 Secundum, & æqui pondens: si ita fieri posset, vitare non possemus; quin duo sacramenta cathecumenus reciperet; consequens impossibile est; quia sacramentũ hoc vnum est, nec iterari potest; ergo & antecedens: consecutio deducitur; quia actioni respondet passio, sunt enim relatiua ambo, & baptizationi actiuæ bap-

tiza-

tizatio passiua refertur, at in casu plures essent baptizationes actiuæ; ergo & plures passiuæ: minor probatur; quia quandocumque ad opus agentia plura concurrunt, tam quæ, tam quibus, hoc est tam agentia, quæ agunt, quam formæ, quibus agunt, actio plurificata sequitur: at in casu plura essent agentia quæ, & quibus; ergo plurificata actio: sub inducti dilemmatis maiorem tradidit cōmentator 4. *lib. phis. comm.* 2. & patet quia actio ab agente nomen, & imitationem adsciscit sibi: minor est euidens; quia vt supponitur baptizatores plures essent, & rursū plures intentiones numero, quæ sunt formæ, quibus agunt. Hæc obijcit Scotus contra primum assertum, & diluit, sed quoniā nonnihil nos veniæ ad secus opinandum p timus, non ab re & solutiones eius, & quid citra dicendum visum fuerit apponemus.

Commentator 4. Phis. comm. 2.

49 Et quidem, si per Scolasticorum cætū vniuersum secus sentire liceret, libenter dissentire quis posset à singulis in proposito themate, & asserere nullum in casu futurum sacramentum, si duo equali tempore perficientes cum materiæ oppositione formam eundem baptizarent. Ratio est autem vis prioris argumenti allati, cui responsiones apponere possunt arbitrarias singuli, nemo tamen ad axem, vt vocant: & quidem Scotus noster respondet argumentum illud maximi esse ponderis, quandocumque formam inducit agens, quod non euenit in sacramentis, in quibus formam dat Deus, non minister.

Opinio probabilis

50 Hanc tamen responsionem ipsemet reprehendere est visus, dum contra eam obijciens instat eo casu saltem euadere non posse, quin respectu formæ baptismatis, quam vterque abluens proferret, daretur duplex causa totalis, quod philosophia rideret: & quidē si de ipsa ablutione loqueremur fortasse quispiam cum eodem Scoto occurrere posset, vtramque, siue vtriusque ablutionem partialē esse materiam, & proinde duos illos abluentes tanquam duas partiales causas vnicam integrare causam totalem, potest enim ex pluribus causis partialibus vnica totalis causa coalescere, at respectu formæ, quæ ab vtroque proferretur alterum necessario dicendum esset, vel quod *vna forma à duabus penderet totalibus causis*, quod inauditum est in philosophia, vel quod *altera superflueret*, quod si dixeris, assignare teneris, vtrius superfluat? certe hoc assignare impossibile est, & proinde ex incertitudine veritatis formæ incertum erit sacramentum: Si dixeris alterius superfluere, at nobis hoc non esse notum: En (inquam) incertitudo formæ, & proinde sacramenti incertitudo. Si vnius magis, quam alterius formam neglexeris, adducenda est tibi ratio, cur huius magis, quam alterius? & rursum, cur non potius vtriusque? & hæc ratio multo magis eos vrget, qui asserunt duo baptismata in casu proposito à cathecumeno recipi, è quorum sunt numero Gabriel Biel *in 4. d. 6. q. p. art. 3. dub. 4.* Caietanus *in comm. art. 6. q. 67. citata*, & nouissime Suarez *disp. cit. sect. 3.* duo enim illa baptismata numquid vnicum, an plures characteres imprimunt? numquid duas gratias? certe vnicum characterem, & vnam gratiam, en quo modo vnus, idemque effectus à duabus causis propenderet totalibus.

Eiusque euasio

Generatim Vrgentur dicta à Gabriele Caietano, & Suarez

51 Quod si quispiam cum Caietano asserat, sacramenta non esse causas veras Phisicas gratiæ, sed instrumentarias tantum agentes in virtute primæ causæ; responsio nulla, nā ex Caietani sentētia sacramenta etsi per assistentiam primæ causæ agunt, phisice tamen agunt: si quis etiam cum Gabriele moralem dumtaxat causalitatem sacramentis tribuat, velitque effectum vnum vtique à pluribus causis phisicis pendere totalibus non posse, à moralibus posse.

Vrgetur in specie Caietanus

52 Contra arguam; quia implicat intelligere in quocumque causandi genere aliquam effectus vnius esse causam totalē, sine qua effectus ille quis in esse poni, at sine altero sacramento baptismi iuxta eius opinionem, qui duo baptismata in casu concedit, ratus esset, & validus effectus ab altero baptismate; alterum ergo baptisma superfluit, nec est causa totalis illius effectus. vtrius autem superfluat, assignari ratio non potest; quare in incertitudine causæ incertum habemus effectum.

Vrgetur Gabriel.

53 Si rursum quis dicat cum Suarezio *loco citato* eundem characterem, & gratiā posse bifariam à pluribus sacramētis, & ministris procedere vel vnica actione media, vel pluribus; si à pluribus, vtique ab adequatis, & totalibus; si ab vna actione media, vtique à pluribus partialibus sacramentis, & ministris instrumentis vnum integrum instrumentum constituentibus, porro quonam modo fieret in casu nostro incertum esse, videri tamē probabilius, quod vnica actione media: si quis, inquam ita velit, reprehendetur, quia is modus esset miraculosus magis, & minus phisicus, phisice enim illæ sunt

Vrgetur Suarez.

causæ partiales, quæ ita ad effectum cōcursant, vt altera deficiente deficiat effectus necessum sit, at in re nostra deficiente altera causa non deficeret effectus; ergo responsio nulla; quod illa sacramenta essent duo partialia instrumenta.

54 Adde quod ex institutione Dei quolibet sacramento baptismatis posito nisi in recipiente sit obex, sequitur character, & gratia; positis ergo simul duobus baptismis, aut duo ponerentur characteres, quod falsum est, aut diuina institutio variaretur, quod incredibile est.

55 Præterea vtamur argumento ipsiusmet Gabrielis. Nihil est causa, quo non posito effectus fieret; at duo sacramenta illa ita se habent, vt altero posito effectus fieret; ergo alterum causa non esset, et sacramentum non esse causam effectus sui est contra rationem sacramenti; ergo & contra rationem sacramenti est multiplicari cum vnitate effectus; Nec satis est asserere, maiorem illam primi argumenti veram esse solum in causis phisicis, quoniam & in moralibus, quibus positis ex institutione Dei effectus sequitur vrget ratio, vt explicanti patet, siquidem illæ proportionalem habent causandi modum cum phisicis, influentia in effectum dempta, & in eorum causatione assistens ex pacto Deus infallibilem, vt phisicè per se, producit effectum.

Argumentatio Gabrielis.

56 Hisce ergo conuictus argumentis si cui fas est à communi Scolasticorum tramite discedere, in hoc articulo discedet, & fortasse discessit Scotus *loco citato litera C, 4. Respondeo &c.* vbi alterius baptizantis formam superfluere docens, ac postulans, quænam superflueret, ait difficile esse assignare, verba Scoti sunt *quia qua ratione illa, & ista, & ita vtraque, vel neutra, quia vterque æquè complete, & consimili intentione profert.* Hæc Scotus, qui si deinde *sequenti* 9. responsionem huic dubitationi appingere uisus est, non est credendus à se ipso diuersus; nam uerba illa sequentia, *Dici potest quod baptizatio &c.* non sunt Scoti, sed ut margo notat, aliorum sunt; maximè ergo in hanc sententiam propendere uisus est Scotus ob uim primi illius argumenti, quod certè efficacissimum est; cum addito huius nostræ præiacta doctrinæ.

Opinio plausibilis.

Ex Scoto deducta.

57 Secundum autem argumentum non tanta efficacitate præditum est, licet diuersimodè ab Auctoribus diluatur.

Caietanus, Gabriel, & Suarez uisi non uerentur concedere fore tunc duo sacramenta, nec tamen iterari baptismum quia iterari non est idem simul, sed successiuè bis dari, hoc enim uerbum ipsū sonat; *iterari*, hoc *est iterum dari*; non autem dicitur iterum quippiam dari, nisi quod prius datum est, iam denuo detur; at in re nostra non iterum daretur baptismus, ac nec proinde iteraretur, sed idem simul à diuersis bis daretur; porrò præfati Auctores uniformi ratione ducti plurificari in casu baptismum existimant, quia si duo eundem baptizarent, plurificaretur materies, forma, & minister, & intentio, atqui ad essentiam sacramenti nihil præterea expetitur.

An ualè in casu sacramentum esset Caiet. Gabriel Suarez.

58 Contra uerò alij arbitrantes tunc unum dumtaxat fore baptismum diuersas nanciscuntur rationes. S. Thomas *in art. 6. citato in fine* unum tunc retur futurum baptisma, quia Christus, qui interius baptizat, unus est; Durandus post Petrum de Palude, & Sotus post Durandum unitatem præcitati baptismatis ex unitate subiecti rimantur; cum enim formæ unitas ex unitate præcipua subiecti ducatur, & in casu proposito unicum supponatur subiectum, & recipiens, non plura, sed unum censeretur baptisma collatum. Vasquez vnitatem eius uenatur ex unitate significationis, quæ est formalitas sacramenti; quare cum in diuersis rebus una numero significatio reperiatur, unum numero sacramentum erit; in proposito autem plures illæ ablutiones, & plures formæ unicum eundem characterem, & gratiam significarent, ac proinde significatione una unum sacramentum esset.

Opinio & Ratio S. Thomæ, Durandi, Paludani Soti.

59 Quid Scotus sentiat infra dicemus. Interim quid in hisce aliorum responsionibus displiciat aperire non ab re erit. Displicet in primis Caietani, & Suarezij cum Gabriele confessio plurificari sacramenta baptismatis in casu concedēs; quoniā ut docet Scotus, siue ponatur actio in agente, siue in passo; nusquam duo sequerentur in casu proposito sacramēta; si n. in passo nō plurificatur forma nisi passiones sint plures; nec passiones sunt plures, quando forma recepta est: quoniam ergo baptizatio passiua est una unicum erit sacramentum; si in agente, siue actio dicat quid absolutum, siue respectiuum tunc utique diuersis actionibus falsum est correspondere diuersas passiones; & hoc etiam modo non plurificaretur sacramentum, quod sistit magis in baptizatione passiua, quam in

Dissoluit responsū Caietani, Gabrielis, & Suarez

actiua

actiua etiam actione multiplicata, hæc autem disceptatio penitus methaphisica est, ideo vno hic, vel alio transfigitur verbo.

60 Ad rationem igitur Caietani, & aliorum responsum habes, non esse satis plurificari ministrum, & formam, ac intentionem; quia materies proxima, quæ est baptizatio non plurificaretur loquendo de passiua, vt dictum est. Ratio Diui Thomæ displicet; quia vnitas intrinseca baptismatis non ex institutrice causa, sed ex internis causis, à quibus conflatur accipitur, vnitas enim entitatem sequitur, quare ab agente extrinsecus, solù à causis vero internis quasi interne componitur, & recipit esse, ita & vnitatem.

Soluitur ratio Caietani.

61 Displicet ratio Durandi; quia subiecti etiam mensura externa est ad quidditatem formæ, quæ primo per se ex interna natura vnitatem, vel plurificationem venatur.

Displicet ratio Durandi.

Displicet assertum Vasquez, quia significatio in sacramentis est in materia, & forma ex institutione diuina ita posita, vt forma vnica unius sacramenti cum unica materia posita significetur gratia, & causetur, porrò quod plurificata materia, plurificata forma non plurificetur significatio est contra diuinam institutionem, nisi nouum effingas miraculum, quod ab re uitandum est.

Similiter, & Vasquij.

62 Scotus ergo ait, fore tunc sacramentũ unum, quia materia tum proxima, tum remota esset una, & alterius baptizantis forma nulla esset materia quidem remota una, quia aqua ab uno proiecta ad abluendum esset pars materiæ remotæ cũ aqua ab alio proiecta, & utraq; unam materiam integraret remotam ablutio. Etiam passiua, quæ est materia proxima esset una loquendo, ut *supra* declarauimus, & ponendo sacramentum potius in passiua, quam in actiua baptizatione, quia ex quo baptizatus propriè sacramentum recipit propriè recipit baptizationem passiuam: & ex hac doctrina Scoti nonnulli Recentes colligunt existimasse Scotum materiam esse solam partem interne constantem sacramentum. Hoc autem falsum est, ut patet ex doctrina Scoti, quam nos *suo loco* declarauimus.

Responsio Scoti.

63 Quid, quod in casu nostro etiam baptizantes non plures, sed unus esset minister abluendo? quia tunc uterque subiret rationem causæ partialis non intendendo totam actiuam uirtutem, quam ad abluendum siue per aspersionem, siue per immersionem, siue per infusionem sicuti si quis trahat nauem cum alio potens se solo illam trahere, cum illo vnam conflat causam totalem; quia cum alio non totam virtutem intendit, & sic vterque est causa partialis conflans causam vnicam totalem.

64 Vnitas ergo baptismatis ex dictis in proposito themate seruari posset, si posset aliunde probari verum esse sacramentum, quod à duobus confertur; ex quo enim in sententia Scoti effugere non possumus, quin asseramus formam alterius proferentis inanem fore, & assignare specifice nequimus cuius forma superuacanea sit, & si huius, cur non alterius, & proinde cur vtriusque, tutius forte videtur asserere si casus obrepat ex copia sacramentorũ inopem fieri recipientem, & proinde saltem sub conditione rebaptizandum.

Conclusio dictorum secundum opinionem propositã.

65 Solum superest difficultas de sacramẽto Eucharistiæ, in quo in ordinatione Sacerdotum, & Episcoporum plures consecrant vnam, eandemque hostiam, vt tactum est, sed de hoc sacramẽto est alia ratio, sicuti etiam est aliæ consecratio hostiæ, & calicis, vno remanente sacramento, de quo suo loco fusius dicendũ est.

(†)



AN VNO ABLVENTE

& altero proferente formam uerbum sit baptismi sacramentum.



ARTIC. II.



66 IN singulis propositi capitis articulis valorem disquirimus, non licentiam; ex quo enim secus agendo consueto mori, ac Institutioni Ecclesiæ obuius iret minister lethaliter vtique peccaret; quamuis Sotus indulgentior putet non esse tam graue peccatum, si citra scandalum fieret; decipitur autem, quia sacramentorũ administratio non citra tantum, sed contra ritum, & consuetudinem Ecclesiæ, & præscriptum ab ea modum, grauis materiæ censenda est, non leuis, sed hæc videant fusius summistæ.

Soti licentia

67 Quod præsens articulus postulat ex supposita hypotesi ducitur, si enim accideret, vt duo baptizantes ita se haberent, vt vnus esset mancus ineptus ad abluendum, linguosus tamen ad verba formæ proferenda aptus; alter autem esset mutus, sed brachio, & manu potens ad abluendum aptus, & coniunctim ita baptizarent quempiam tam citra, quam intra necessitatis casum; valor enim baptismi non ex necessitate pendet, sed licentia dumtaxat necessitatis apices respicit, numquid ratus esset baptismus?

Titulus exponitur

68 Caietanus *in comm. articuli totiès superiori articulo citati*, post longam disceptationem libentius in affirmantem dilabitur partem rationibus conuictus iis, quas infra ponemus, licet ipse æstimet casum impossibilem, quia etiam mancus brachiis posset supra caput saltem sustinere vas aquæ, & abstergere cathecumenum paruula facta capitis inclinatione.

Affirmat Caietanus

69 Hac autem eius additio difficultates minimè eneruat; quoniam disceptatio proposita ex hypotesi ortum ducit, qua supponimus mancum motu etiam capitis carere apti ad sustinendum vas, puta si in terris decubans iaceret etiam ægrotus, ac manu, & cæteris impotens membris, sola lingua aptus, cæterum impotens præsente muto baptizare vellet cathecumenum periclitantem, cuius baptismus obinde differri nõ posset, qui casus inter ethnicos, vel infideles saltem vbi illi duo tantum figurari possent fideles mancus scilicet, ac mutus, possibilissimus, vt hoc uerbo utar, censendus est.

70 Caietano ita sentiendi viam strauit Marsilius ab Inguen Caietano antiquior *qui 4. quæst. 4 art. 8 dub. 11.* fore ualidum in proposito casu baptismum credidit sub hac forma, *Nos te baptizamus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Marsilius ansam Caietano tribuit

Opposita sententia communis Scolasticorum negat, quam propugnat Scotus *d. 6. cit. q. etiam cit. littera E. parag. de secundo*, S. Thomas *q. 67. art. supra citato*, & Thomistæ, ac Scotistæ omnes; in cuius rei gratiam obseruauerbum *baptizare*, vt notauimus *supra* loquendo de verbis formæ, ac de mutatione eorum simpliciter, & absolutè, non habere verbum æquipollens apud Latinos, abluere enim, lauare, vel linire, & alia id genus latius patent, quam verbum baptizare, quod si quandoque confundantur, vt patet apud Scotum *loco citato* vbi *abluere*, ac *baptizare* pro eodem sumit, factum puta, restringendo uerbi *abluere* significatum, quatenus scilicet significat lauare pro materia substrenda ad hoc sacramentum e hoc adnotasse uolui, ut Scoticam rationem pro opinione sua tuear.

Opinio negans S. Thomæ, & Scoti

71 Est autem ratio Scoti ad hanc formam constituta. Qui forma utitur falsa ad sacramentum, sacramentum ipsum irritat; at ita baptizantes duo, vt unus abluat, altero uerba proferente forma utuntur falsa; ergo sacramentum irritant: Maior probatur; quia sacramenti veri vera debet esse forma; non enim uerum conflatur ex falsis. Minor est euidens, nam, uerba formæ proferens non ablueret, hoc est non apponeret materiam proximam, quæ per uerba contrahatur, alius enim hoc faceret, quare dicens, *Ego te baptizo*, falsum diceret; cum non ipse baptizaret, sed alter.

Ratio Scoti.

72 Huic rationi et Caietani doctrinæ quispiam occurrere posset negando se

re in

ret in eo casu formam falsam; nam proferens uerba *ego te baptizo* uerum diceret, accipiendo uerbum *baptizo* pro traditione sacramenti; quia est sensus. *Ego trado tibi sacramentum baptismi*, esset autem forma falsa, si uerbum *baptizare* accipiatur præcisè pro *Lauare*. Sed occursatio inanis est; nam apud Latinos uerbum hoc *baptizo* in forma huius sacramenti nusquam significat *ego trado tibi sacramentum baptismi*, sed potius *ego te lauo lotione hac, quæ est materia baptismi*, licet extra usum formæ usus loquendi apud Italos uulgari sermone *baptizare* significet tradere sacramentum hoc alteri; hæc autem est explicatio potius apud Italos illius Græci vocabuli, quam verum eius significatum in forma, in qua significat actum talis ablutionis a ministro in cathecumenum egredientem; vt notatur ex Concilio Florentino *in decreto Eugenij*.

Explicatio verbi baptizo

73 Adde, quod etsi conceditur hoc significatum vocis, quod Caietanus, & qui ei patrocinantur exponunt, adhuc esset oratio falsa, & forma falsa; quia illam proferens non traderet baptismũ cathecumeno, sed formam recitaret altero ministrante aquam, atqui traditio baptismi non est per formam solum, sed per materiam etiam; quoniam ergo modo ipse totum perficeret sacramentum, qui partem apponeret sacramenti?

74 Ideo rectius Marsilius forma alia debere illos uti in casu proposito sensit, scilicet dicendo. *Nos te baptizamus*; hoc est *hic*, & *ego tradimus tibi sacramentum baptismi, &c.* licet deinde ipse etiam lapsus fuerit, quoniam modus hic formæ ineptus est, vt infra dicemus.

Marsilij interpretatio.

Ideo Caietanus alia responsione persuasum sibi voluit præfatum Scoti argumentum posse enodari dicendo, si forma latinorum in casu proposito insufficiens censeretur, eo quod specificetur in ea persona ministri per pronomen ego nihilotamẽ minus posse in casu sufficientem censeri Græcorum formam *Baptizetur seruus Christi*, in qua persona ministri supprimitur. Sed hæc responsio præterquam quod risu non vacat; quasi uero Græcorum forma latior sit, & aptior, quam latina, quod latinorum nemo diceret (Caietano dempto) ab ipso etiam Scoto reprehenditur; si quidem verbũ illud apud Græcos *Baptizetur*, nõ solã deprecationẽ, sed optionẽ & imperium designat; nam vtriusque modi esse potest verbum *baptizetur*; ut sit sensus per *istum actum meum baptizetur, &c.* ne dicamus formam Græcorum à Latina esse diuersam, quod est contra sensum Catholicorum omnium, immò & ipsius Florentini Concilij citati. Hactenus ratio Scoti; & eius ab Aduersariorum oppositionibus defensio.

Alia Caietani glosa

75 Cæterum à priori hæc communis Scholasticorum assertio ex Christi Domini institutione petenda est, vt ipse etiam Scotus notat; quia scilicet sic Christus instituit, vt qui baptizat, & aquam ministrat is verba proferat, sitque proinde identitas, ac vnitas ministri in hoc sensu non accidentaria, sed per se ad sacramentum ex[i]getia. Quod vero ita Christus instituerit hoc sacramentum patet ex verbis M[ar]ci vltimo. *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* vbi baptizantibus dicitur, vt id faciant *in nomine Patris, &c.* hoc est materiam aquæ subministrantibus dicitur, vt ea forma vtantur, qua nomen Patris, Filii, & Spiritus Sancti exprimitur: patet etiam ex vsu, qui secundum Iuristas est optimus legum interpres, ita enim consuetum est baptizari ab ipsis Ecclesiæ nascentis crepundiis in ipsa Ecclesia, ut modus Caietano, & Marsilio plausibilis inauditus sit apud usum: patet denique ex coniecturis, quas consule apud alios.

Ratio à priori est diuina institutio

76 Et sane nonnulli tanti hanc communem assertionem fecerunt, ut eam de fide putarent esse sancitam, ita Paludanus *q.2.4.* & alii, quo autem loco sancitam non exponunt, licet aliqui alludere eum uoluisse putarent cuidam Canoni, qui habetur *in decretis dist 24 cap. Quorundam Clericorum*, est autem Canon cuiusdã Cõcilii Hispalensis, seu Spalensis secũdi sub Sisebuto Rege, quo narratur, quidã presbiter, immò narrantur quidã Clerici in ordinatione presbiteri unius, & duorum leuitarum Episcopo oculorum dolore detento, qui proinde materiam dumtaxat super eos posuit, non recte se gessisse, nam quidam presbiter Episcopo ita se habente benedictionem dedit iis, qui proinde à Concilio deiecti sunt à gradu sacerdotalis, at leuitici ordinis, &c. quare à pari Concilium deiceret, qui a duobus baptizaretur uno abluente, altero formam recitante.

Aliqui hanc assertionem rẽtur esse de fide

77 Sed Auctores isti grauiter labuntur, tum in adductione Canonis, tum in deductione consequentiæ; quamuis enim ita sancitum esset de Ordine, quæ necessitas

Sed perperam.

situ, cogit fuisse ita de baptismo sane [illegible] tum? Certè pœnales leges tam li[illegible] [illegible] quam sonant, nec sunt dilatandæ, sed comprimendæ. Ad[illegible] disparem vtriusque sacramenti [illegible]tionem, nam ordo à solo Episcopo [illegible] conferri potest, sacer præsertim, à [illegible] solo presbitero nusquam; non ergo E[illegible]piscopus, & presbiter in illa ordinatio[illegible] duo ministri erant; quia presbi[illegible]er [illegible] ineptus erat ad opus, at in bapti[illegible] omnes possunt esse ministri, du[illegible]modo conditiones *superiori capite* [illegible]petitas non desiderent; non ergo vtro[illegible]que par ratio, sed dispar, par autem esset, si duo Episcopi in illa ordinatione coissent, & alter manum imposuisset, alter benedictionem fuisset elargitus. Præterea neque Canon ille Concilii Spalensis sincerè intelligitur, ac interpretatur ab auctoribus.

I[illegible] C[illegible] no[illegible] proposi[illegible] expensus

78 Vasquez contendit presbiterum sic ordinatum verè fuisse ordinatum, leuitas vero non ita, quia isti recipiunt characterem per traditionem libri Euangeliorum, ille non solum per traditionem calicis, sed per impositionem manus, ad quam concurrisse legitur presbiter in illo casu. Sotus vtrosque tam scilicet presbiterum, quam leuitas rite censet in eo casu ordinatos, quia inquit ipse, *non per impositionem manus, sed per traditionem materiæ character ordinationis imprimitur:* porro in eo casu Sacerdos ille, qui legitur adiutorio fuisse Episcopo ordinanti non est censendus adiutorium tulisse in collatione characteris, sed in ceremonijs, & ijs, quæ ad ordinis substantiam non referunt. Suarez absolute censet sacramentum ordinis nullum fuisse in casu, ductus ratione glosæ in caput illud *quorundam*, ait enim glosa idcirco sacramentum illud irritum fuisse; *quia duo imperfecta nequeunt conflare perfectum vnum.*

Vasquezij sensus.

Soti interpretatio.

Suarẽ glosa.

79 Ego legi in fonte caput illud in Concilio Ispalensi, & reperi factum sanè perplexum, an scilicet verum à Concilio illo, quod fuit notionale, non generale, ac ratum fuerit approbatum sacramentum illud, sed oculatius re perspecta dicendum censeo, presbiterum illum adiuuare Episcopum voluisse in essentialibus, non in ceremonijs dumtaxat, quamuis enim Concilium dicat; quod ille presbiter Episcopo manum imponente benedictionem dedit, interpretandũ est de ordinatione. Diaconi, in qua multi censent characterem imprimi in impositione manus Episcopi per verba *Accipe Spiritum sanctum ad resistendum Diabolo &c.* sicuti constat per Apostolos in primitiua Ecclesia per impositionem manuum ordinatos Diaconos fuisse; & si interpretandum est etiam de Sacerdote dicendum, etsi character imprimatur in illo ordine, dum traditur cum forma materies; potestas tamen in corpus Christi misticum datur per impositionem manus Episcopi dicentis *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis &c.* proinde neutrius ordinem arbitror valorem habuisse: & forte nec etiam in traditione materiæ verba protulit Episcopus, dum Sacerdotem ordinaret; quia non est verisimile dolorem oculorum instantaneo illum tempore inuasisse; forte igitur ipse materiam, præsbiter ille formam tradidit, & ita sacramentum irritatem est.

Auctoris explicatio.

80 Nec refert, quod in illo Concilio dicantur sic ordinati ordinẽ adepti per hæc verba *decreuimus, vt à gradu Sacerdotalis ordinis, vel leuitici, quem peruersè adepti sunt: a quo iudicio abyciuntur; tales enim merito iudicati sunt remouendi; quia praué inuenti sunt constituti.* Hæc ibi; quibus dilucide asseruntur adepti, & constituti licet peruerse, & proinde modus damnatur non factum, vt innuit Caietanus non refert inquam, tum quia eo ipso quo praue, & peruerse constituti dicuntur, ordo irritatur; quoniam *non intrans per hostium fur est*, ex Euangelio; intrans ergo in ordinem non per modum à Deo constitutum, non est verè ordinatus, sed intrusus, tum etiam, quia non de ordine ibi, sed de gradu ordinis loquitur Concilium, à quo remoti sunt illi, tamquam non ordinati, & proinde peruerse gradum occupantes Sacerdotis, vel leuitarum: refert autem loqui de gradu, qui dignitatem respicit, & de ordine, qui characterem, & potestatem; verba ergo illa minus officiunt.

Verba Concilij perpensa.

81 Ea verò vel potissima ratio cogit, vt putem nõ fuisse eos verè ordinatos, quia ij à Concilio damnantur, non autem ordinantes; at quænam ratio facit, vt miseri illi homines aliorum iniquitatem portarent, cui nec voluntariè consenserunt; si enim peccat ordinator, in quo delinquit ordinatus? at ibi ordinati puniuntur, & remouentur, & abijciuntur, puta, quia non vere ordinati, sed intrusi.

Ratio dictorum.

82 Hæc ergo ratio facit ut putem Concilium tanquam nullum ordinem illorum damnasse, addito illo argumento, quod *supra* tetigimus; quia scilicet præs-

biter

biter nullo modo est sacramenti ordinis minister, ad quod si uergit ratio glossæ uera est; si autem generice probare intenderet apud phisicos etiam ex duobus imperfectis non conflari perfectum, falsa esset; nam partiales plures causæ, quæ si solæ imperfectæ essent ad causandum, coniunctæ unam integrant totalē causam: atqui hæc de Canone, & eius intellectu, ut inde eliciamus nusquam assertionem nostram fuisse de fide sancitam; tum quia locus ille canonis ineptus ad rem est; tum quia Concilium nationale fuit dumtaxat; tum ob alias, quas tetigimus rationes.

83 Superest nunc, ut Caietani in oppositum diluamus argumenta. Is ergo arguit primo: omnes sumus unum Christi corpus; singuli autem alter alterius membra; ergo multi concurrentes, uel concurrunt ut unum, uel ut multa Christi instrumenta in hoc sacramento, in quo homo ministerialiter tantum, de cætero Christus est qui baptizat: & confirmatur, quia sicuti utitur Christus pluribus totalibus ministris ad baptizandū; multo magis uti potest pluribus partialibus.

Prima ratio Caietani.

Secundo, est auctoritas Euangelij, nã dominus per pluraliter locutus, ac dicens *baptizantes eos &c.* in institutione baptismi indicauit posse plures simul baptizare.

Secunda ratio.

Tertio demum, est auctoritas Apostolorum, quoniam in actis legimus Petrū, & Ioannem apud Samaritas manuum impositione dedisse Spiritum sanctum; si ergo licuit hoc in sacramento Confirmationis, pariter licebit ad ualorem in sacramento baptismatis.

Tertia ratio.

84 Hæc dilue. Primum negata sequela, nam si minister institutori conformis esse debet etiam per doctrinam S. Thomæ Christo existente vno, iuxta illud Pauli ephes. 4. *Vnus Deus, una fides, vnum baptisma,* vnus deberet esse minister; immò cum simus Christi membra in hoc corpore ducti ad vnionem ab vno capite, quod est præsidens in collegio, & generice præsul debemus, *non enim membra omnia* ex Paulo ibi, *eundem actum habent;* sed singula singulos, adscriptio ergo ad Collegium Christi ad vnum membrum attinet, quod cæteris præeminet: congruentia ergo potius est in oppositum, & confirmatio falsa est, nam ex nostra doctrina tam falsum est plures totaliter posse baptizare, quam plures partialiter; si vero superior nostra opinio non arrideat, adhuc confirmatio nulla, quia in illo casu vnitas seruaretur ministri, nam vterque baptizans totum perficeret, in hoc autem casu forma esset falsa, proinde sacramentum non verum.

Diluitur prima explicatis Pauli verbis

Ephes. 4.

85 Secundum dilue, mirare te Caietani alioquin acuratissimi ingenium, quonam modo ad leuia patentem auctoritatē extorquere voluerit? An non enim pluraliter Christus loqui debuit, qui plures alloquebatur? Apostolos enim allocutus dixit, *Ite in vniuersum mundum, docete &c.* & numquid simul omnes in mūdum iuerunt? numquid simul docuerunt? certe singuli singulas peragrarunt partes; ergo & singulos singula per illud loquendi genus indixit conferre baptismata, non omnes eundem baptismum; quod patet per illud pronomen *eos* quasi diceret *Ite docete omnes gentes;* ad quas ire contigerit, & *eas baptizate* non coniunctim, sed diuisim, sicuti diuisi & vos eritis.

Solutio secundæ cū lusione Caietani.

86 Tertium pariter leue est, nam vtique confirmabant Petrus, & Ioannes Samaritas per impositionem manuum, at quod eisdem simul, & semel vterque suas imponeret manus, & non singuli singulis, solius Caietani est interpretatio.

Tertia ratio debilis.

(§)



AN PLVRES SIMVL BAPtizantes sub hac forma *Nos te baptizamus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, sacramentum irritent.

ARTIC. III.



87 HIc extremus ad completam vnitatem ministri expeti poterat articulus vt perfectam de ea assequamur notitiã; nã aliæ hactenus delibatæ difficultates; puta si vnus inchoaret, alter vero perficeret formam, si vnus tantum intentionem haberet, & similes ex hisce decursis flocci fiunt; qui enim per hos modos confici sacramentum poterit, quod nequit fieri per allatos superioribus articulis modos, quibus maior vnitas in ministro apparet?

88 In proposita igitur difficultate Durandus *d. 3. 4. q. 3.* & cum eo Marsilius *q. 5.* & Ioannes Maior *disp. 6.* non hæsitanter affirmant validum fore sacramentum à duobus sub hac forma ministratum. *Nos te baptizamus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Citatur & pro ea Caietanus, sed immerito, is enim vtique à D. Thoma discedens in superiori articulo probabilius retur validum esse baptismum in necessitatis casu datum à duobus quorum alter ablueret, alter verba proferret, generatim vero datum à duobus dicentibus *Nos te baptizamus*, negat.

Durandus Marsilius Maior Caietanus

89 Vnde supponendum pro eius opinione est, bifariam euenire posse, vt baptismus à duobus detur, vel scilicet vtroque ministro totum agente, vel particulariter agente, & vtrumque adhuc bifariam; primo vtroque agente, ac dicente utroque *ego te baptizo &c.* secundo dicente *Nos te baptizamus*, primum sensum concedit, secundum negat; secundo modo scilicet particulariter agente, adhuc dupliciter; primo, vno abluente, & altero dicente *Ego te baptizo*, & ita validum retur baptismum; secundo, uno abluente, & altero dicente *Nos te baptizamus*; & in hoc sensu nihil illè; Marsilius tamen dilucide affirmat hoc sensu posteriori tutum esse baptisma, nec forrasse dissentiret Caietanus, qui vt patet ex dictis nõ absolute concedit formam datam à pluribus hoc modo dicendo scilicet *Nos te baptizamus*; veram esse, ac validam, nam per ipsum si vterque ablueret, & vterque diceret *Nos te baptizamus &c.* irritari censetur sacramentum.

Quomodo in explicatione sententia diuersi

90 Communis tamen sententia negat, in casu validum fore baptismum: ita S. Thomas tum *q. 67. art. 6.* tum *q. 66. art. 5 in solutione 4 principalis*, & Thomistæ; S. Bonauentura *in 4. d. 5. art. 1. q. 1.* Gabriel, & alij *d. 6.* & censere posset aliquis non dissentire Scotũ iuxta nostrã *superiori articulo 1.* declaratam sententiam, qua ipsum inclinare diximus in partem negantem in illa difficultate, qua petijmus; an plures possent vnum baptizare: licet enim affirmet sub *initio litteræ A*, tamẽ *in fine litteræ C*, nonnihil hæsitanter se habet dicendo alterius formam superfluere, dum duo vnum eundemque baptizant; me tamen Iudice Scotus ne verbum quidem de hoc dubio, sed propositæ dubitationis *an duo dicentes ego te baptizo, & abluentes simul*, nodum diluens cum communi affirmat relicta tamen nobis ansa negandi, vt diximus. Cæterum an validus esset baptismus datus per hæc verba *Nos te baptizamus* non explicat Scotus.

Opinio negans ex S. Thoma S. Bonau. Gabriele, & Scoto

91 Ego quidem, qui in ea semper fui sententia, vt crederem, cum hoc sacramentum sit simpliciter ad salutem necessarium, non esse nisi cum magna, ac tuta cautela afferendum dari, ne in incertum periclitetur cathecumeni salus, non vereor asserere baptismum sic datum nullum fore, nonnihil tamen in assignanda negationis huius ratione ab auctoribus aliis diffideo, vt infra dicam prænotando, aliud esse loqui de veritate formæ secundum se, scilicet secundum verba, & significata eorum; aliud secundam institutionem Christi, qui ita formam coarctauit ad certa vocabula, vt mutatio eorum irritam facere queant formam ipsam, licet secundum se, & significata nominum vera esse possent; hinc diximus, quod si quis baptizans diceret, *ego te lauo, &c.* in nostra sententia nullum conficeret sacramentũ, quam-

Auctoris placitum explicatur

quamuis vera essent formæ verba, ex ea ratione præcisa, quod Christi institutioni contraria esset, ita in proposito quamuis duo baptizantes verum dicerent dicendo *Nos te baptizamus*, at non dum probatum est, id verum esse secundum institutionem Christi, à qua pendet omnis sacramentorum ratio.

92 Rursum obseruandum hanc propositionem. *Nos te baptizamus* habere posse duplicem sensum alterum, quem vocant complexiuum, alterum, quem aiunt copulatiuum: complexiue propositio illa facit hunc sensum: *Nos te baptizamus* hoc est particulariter *nos duo, hic scilicet, & ille damus tibi baptismum, vel te baptizamus*, copulatiuam autem facit hunc sensum *Nos te baptizamus* hoc est *hic, & ego, nos scilicet totaliter te baptizamus*, ita quod neuter vt pars, sed vt totum conueniret: supponimus autem in hoc obseruando propositionem illam dici vel à duobus simul, vel ab altero duobus simul baptizantibus, nam potest etiam dici ab vno solo baptizante ob dignitatem personæ, quam sustinet, vt solent primates, ac magnates agere dicentes semper *nos volumus, nos dicimus, &c.* quia in hoc sensu difficultates huius obseruationis minimè proposuimus, sed nec etiam in hoc articulo id instituti nostri fines tangit, in hoc enim significato lubens in eam eo sententiam, quæ affirmat baptismum ab vno datum per verba hæc *Nos te baptizamus*, validum esse, nihil enim essentialiter mutatur in forma, in qua ministri expressio accidentaria est, vt patet in forma Græcorum, in qua minister supprimitur; pariter ergo expressio ministri in plurali ob gradum personæ accidentaria censenda est, nam in hac forma nihil contrarium vsui magnatorum, nihil aduersum institutionem Christi geretur. Hisce suppositis,

93 Arbitror, si duo sic baptizarent & vterque diceret *Nos te baptizamus*, in vtro sensu tam scilicet complexiuo, quàm copulatiuo sacramentum effici. Assertio hæc nedum contra præcitatos apponitur auctores, sed etiam præcipuè contra Suarez. qui in sensu copulatiuo affirmat veram tunc fore formam, ac baptismo, & certe is in sua sententia, qua putauerat baptismum datum à duobus vt to alibus causis ratum esse, consequenter melius locutus est, quam alii cæteri, qui approbantes baptismum à duobus datum, vt à totalibus causis dicente *ego te baptizo*, vtroque eorum, baptismum deinde à duobus datum per hæc verba ab vtroque dicta *Nos te baptizamus* copulatiuè improbarunt, non meminentes eundem esse vtrobique sensum *ego te baptizo, ego te baptizo dicente vtroque*, & vtroque dicente copulatiuè *Nos te baptizamus*, quia per hæc consortium plurium totalium ministrorum designatur, quod per ipsos ineptum non est ad sacramentum hoc conficiendum.

94 In nostra autem sententia neutro modo datum baptismum per illa verba à duobus *Nos te baptizamus* approbamus, & quidem non in sensu complexiuo, quia plures partiales ministri inepti sunt ad hoc opus, vt in superioribus testigimus: adde quod formæ verba falsa essent, quinã enim fieri posset, vt duo illi partialiter concurrarent ad hoc opus, si vterque quod necessarium est complete absolueret data hypotesi, quod vterque ablueret, verba proferret, ac intenderet intentioni Ecclesiæ se conformare? quare sensus iste falsus esset, nec proinde sacramentum posset esse ratum, quia non est sacramentum verum à forma falsa; in sensu quoque copulatiuo negamus fore tunc baptismum validum ob easdem rationes, quibus adducti articulo primo negauimus baptismum à duobus datũ vtroq; simul totũ faciente ratũ haberi debere ob incertitudinem veritatis formæ; quia ex quo vna superflueret, nec certo sciri posset cuius forma superuacaret, etsi vnius; cur non alterius, tutius iudicatum est alteri debere in casu non confici hoc sacramentum.; porrò consimilis est ratio in hoc articulo; quia sic baptizantes, ac dicentes in sensu copulatiuo *Nos te baptizamus*, idem censentur dicere, ac *ego, & ego te baptizo, vel ego, & ille te baptizamus* singuli complete, & perfectè, & sic redeunt difficultates supra adductæ, qua rum meritò à communi opinantium tramite paulisper deuiauimus.

95 Si vero duo sic baptizarent, & alter dumtaxat diceret *Nos te baptizamus*, vel ea loquendi methodo innueret se partialiter, qui verba profert cum alio ministrare baptismum; puta altero materiam, ipso autem ministrante formam, & sic sacramentum nullum est, vt superiori articulo abunde monstrauimus, vel eo loquendi genere innueret, se expressum plurali numero baptizare solum, & sic verà ex stante forma verum esset sacramentum ab illo solo datum, altero, autem aquam ministrante solum

(cuius partem supponimus ministrari etiam à verba illa proferente) quia is, qui aquam sic ministraret impertinens esset lauator, non minister.

Opinionis nostræ compendium.

96 Est ergo opinionis nostræ hucusque decursæ, ac probatæ compendium, formam illam qua dicitur *Nos te baptizamus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti* inanem esse, ac vacuum reddere sacramentum si à duobus abluentibus proferatur tam complexiuè, tam copulatiuè.

Diffident Suarez, & Durandus

Rationes S. Thomæ, S. Bonauenturæ, Gabrielis.

97 Hanc opinionem communiter Scolastici propugnant, vno dempto Suarezio, vt diximus, & Durando, cum aliis contra citatis: propugnaculum verò ad illam non idem apud omnes. S. Thomas *loco citato* idcirco formam illam improbat, quia est contraria intentioni Christi, & ministerio humano homo enim non baptizat nisi vt minister Christi, at Christus vnus est, non plures; proinde vnum oportet esse ministrum. S. Bonauentura, & Gabriel formam præfatam negligunt, quia arbitrantur mutationem in ea fieri essentialem; porrò forma essentialiter variata nulla est, quam rationem Sanctus Thomas tetigerat *q. 66. art. 5. in solut. 3. principalis*.

Et Soti.

98 Dominicus Sotus, cui subscribit Vasquez S. Thomæ rationem interpretantes æstimant irritam esse formam, utpote falsam, sic enim dicentes *Nos te baptizamus*, mentirentur, denotantes se nō integrum baptismum, sed particulariter cum alio ad illum complendum conspirare.

Singula parui fiunt

99 Singulorum tamen rationes infirmæ sunt; namquod hic modus sit intentioni Christi contrarius uoluntarie adducitur, sed non probatur. Intentio enim Christi est per uerba baptismi renasci catechumenum, quam expressit Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* porrò vnū debere esse ministrum nusquam intentionem suam dilucide expressit; immo Caietanus licet perperam ex institutione Christi oppositū elicere conatus est, vt supra memorauimus. Similiter quod forma essentialiter mutetur sine ratione dicitur, nam essentialis mutatio est si non exprimatur actus ministri per uerbum *baptizo*, & si non exprimantur iis nominibus appositis tres diuinæ Trinitatis personæ, ut de mutatione irritante formam diximus, quæ mutatio nulla est in proposito casu.

Demum nec mentirentur si ambo baptizantes copulatiue dicerent *Nos te baptizamus*; quia neuter se fateretur partialem, sed uterque se totalem confiteretur causam non spreto tamen alterius combaptizantis consortio, immò ut diximus, seù, ut tetigimus Suarezii opinionem recensendo, qui sacramentum hoc à duobus datum sub hac forma ab unoquoque dicta *ego te baptizo, &c.* approbant, æquè approbare tenentur illud à duobus datum utroque abluente, ac dicente *Nos te baptizamus*, quia copulatiuè idem est utrobique sensus; ut notauimus.

Ratio potior

100 Ratio ergo potior ad negligendum baptismi ualorem in casu proposito est incertitudo efficacitatis formæ, cum enim ignotum sit, cuiusnam dicentis uerba supervacanea sint, & cuius, cur non alterius, & rursum cur non utriusque ignotum pariter erit sacramentum uerum dari, quod secundum nos unitatem exposcit ministerialis actus. Age nunc, quid contra Durandus apponat uideamus.

Durandi argumenta.

Primum.

101 Is ergo arguit primo: si irritum esset sacramentum per hanc formam *Nos te baptizamus, &c.* peto, numquid irritum esset, quia reuera non possunt plures hoc sacramentum ministrare, an quia dum plures baptizant, quilibet eorum se debet exprimere; at neutrum obstat, non primum, quia ualet baptismus ex communi Scolasticorum assēsu ex pluribus datus dicente *ego te baptizo, &c.* utroque eorum, multo ergo magis dicente utroque *Nos te baptizamus*, quia sic melius significatur conuentus plurium ministrantium sub uno principali agente, quam dicendo *ego te baptizo, &c.* quibus uerbis non conuentus plurium, sed unusquisque vt integer minister designatur; neque secundum quia forma Græcorum uera est, ac ualide sacramentum confert, ut Concilii Florentini decreto sancitum est in decretis Eugenianis, neque tamen per illam ministrantes exprimuntur, sed simpliciter exprimitur actus ministrandi, dicendo *Baptizetur seruus Christi, &c.*

Secundū.

102 Secundo, & est quasi confirmatio præcedentis. an sacramentis sat est exprimere præcipuum auctorem sacramenti; qui est Sanctissima Trinitas, ministri vero expressio siue per modum vnius, siue per modum plurium non ad rem pertinet.

Tertium.

Tertio principaliter: mutatio formæ, nisi sit penes essentialia, sacramenti virtutem non minuit; sed ministri per modum plurium expressio formam penes essen-

essentialiter non variat : ergo nec irritat sacramentum. Minor probatur, quia propositio illa *Nos te baptizamus* resoluitur in duas propositiones has *Ego te baptizo, ego te baptizo*, quia scilicet plurale non est nisi singulare geminatum ex grammaticis, apud quos hæc propositio *Franciscus, & Ioannes ambulant* æquipollet his, seu resoluitur in has duas propositiones *Franciscus ambulat, Ioannes ambulat*, quod etiam sciunt logici, ergo idem erit de hac propositione *Nos te baptizamus*; quia resoluetur in has duas *ego te baptizo, & ego te baptizo*.

Quartum.

103 Quarto à simili. Dum licuit vni homini plures habere vxores licuit pluribus illis dicere *Nos te accipimus in virum*, & liceret nunc ita dicere, si liceret plures habere vxores, vt quid ergo non idem licet in baptismo per pluralem numerum validum esse baptismum datum huic per hanc formam *Nos te baptizamus*? & confirmatur, quia in sacramento pænitentiæ si plures dicerent *Nos te absoluimus* non esset irritum sacramentum, quare nec istud.

Quintum.

104 Demum est aliud simile de Iudice, si enim duo Iudices æqua lance iudiciũ ferrent rectius dicerent *Nos decernimus, ac statuimus*, quam si alter ab altero seiunctus diceret *ego decerno, ego statuo*, similiter & alter; quare idem videtur omnino probabile in hoc sacramento.

Solutio primi.

105 Sed hæc non sunt tanti ponderis, vt ab asserto nostro cogamur retrocedere; missis autem aliorum responsionibus, ad primum nõ id fieri; quia vnitas actus necessario expetitur ad baptismũ, neque proinde plures ministri adsciri possunt, quod si Theologis alijs aliter lubet, ipsi respondeant ad vim argumenti, quæ tamen non est tanta, vt euadere illam nequeant; nam concedentes verum esse baptismum à pluribus datum vnoquoque dicente *Ego te baptizo*, dicerent tunc validum esse baptismum; quia uterque designatur totalis minister, at dicendo *Nos te baptizamus* magis indicatur sensus complexiuus, quẽ alij diuisiuum uocant; indicans utrumque partialiter concurrere ad baptismum, quod est contra rationem eius, ut à pluribus scilicet partialibus ministris conferatur.

Secundi solutio.

106 Ad secundum dicendum, expressionem quidem ministri non esse necessariam, sed si exprimatur necessarium esse, ut secundum debitum modum exponatur, ne irritetur sacramentum, quod utique non fieret per illam formam *Nos te baptizamus*.

Tertij reiectio.

107 Ad tertium neganda est minor, esset namque essentialis mutatio, dum unitas actus ministerij diuideretur in plures partiales causas, uel si in complures totales, in ignotas, an uere producerent effectum: & probatio etiam falsa est, hæc enim propositio *Nos te baptizamus* non resoluitur in has duas *ego baptizo & ego baptizo*, sed in has *Ego baptizo, & ille baptizat*, uel *iste baptizat*, si allocutio sit cum cathecumeno, si cum conbaptizante in has *ego baptizo, & tu baptizas*; sed in hoc secundo sensu inepta esset locutio, minister enim non comministrum, sed cathecumenum alloqui debet, nec est par ratio de cursu, ut in exemplo adducitur, nam hæc etiam propositio *Nos currimus* resoluitur in has *ego curro, tu curris*, sicut illa *Socrates, & Plato*, seu *Franciscus, & Ioannes currunt* in has *Franciscus currit, Ioannes currit*: sed cursus in ijs non est vnus sed unicuique proprius, neque duo illi homines denotantur tãquam causæ partiales ad unum cursum, sed unusquisque ut totalis ad cursum suum, tanquam ad proprium effectum, quod non euenit in præsentia, nam per hanc propositionem *Nos te baptizamus*, uel denotantur duæ causæ partiales ad unum effectum baptismi, qui tamẽ non potest à pluribus causis partialibus haberi, uel si denotantur duæ causæ totalis falsa est propositio, quia una non esset causa totalis, dum unius forma superflua esset ex doctrina nostra.

Neglectio quarti.

108 Ad quartum paritas nulla est, nam est considerare matrimonium ut contractum, uel ut sacramentum, in priscis Patribus ante Christi aduentum, dum ex dispensatione Dei licuit ad propagandũ genus humanum plures habere uxores, non fuit sacramentum, sed contractus; ex quo tempore autem cæpit contractui annecti Sacramẽtalis operatio nõdum apparet licuisse plures simul habere uxores, proinde factum nullum, sed nec etiam possibile, nisi ex ira Dei peste, uel fame genus ipsum in aliquibus terræ plagis uolentis extinguere, ad cuius reparationem necessum foret noua uti dispensatione ad plures uxores accipiẽdas, quo casu adhuc nulla paritas ad rem nostram, quia forma in sacramento matrimonij non est ita ad unum determinata ministrum, ut nequeat à pluribus proferri, immò sicuti necessario nũc temporis debet proferri à duobus, scilicet à uiro, & muliere, inter quos

oritur

bricur contractus, quique obinde inualidum sunt ministri; ita in casu plures mulieres contrahentes possent formam recitare, quæ sequitur, seu conualidat cōtractum: adde quod adhuc disparitas apparet; quia, quæ sit forma sacramenti matrimonij, tam incertum est, vt secūdū aliquos per nutus possit exprimi, & per signa; quod non euenit in sacramento baptismatis, in quo forma certa est.

109 Ad aliud simile de forma absolutionis non verentur aliqui concedere fore tunc sacramentum ministrata absolutione à duobus; ego tamen negarem fore tunc sacramentum ob rationes adductas pro baptismo; quia scilicet alterius absoluentis verba superfluerent; & proinde vel vna esset forma, vel nulla, pariformiter ac de Baptismo diximus.

Soluitur aliud

110 Vltimum denique à simili negata paritate diluitur, ratio autem disparitatis à Vasquezio fertur; quia Iudices illi in casu sunt causæ morales; porrò duæ causæ morales possunt esse totales causæ respectu eiusdem effectus; at sacramenta sunt causæ phisicæ gratiæ. Quæ ratio tam falsa est, quam est falsum sacramenta phisice gratiam causare; Adde, quod nec duas respectu eiusdem effectus morales causas totales commisci nos posse in superioribus ostendimus.

Solutio vltimi pro Vasquez.

Negligitur.

111 Rectius ergo dicendum paritatem nullam, quia duo Iudices, si vt duo Iudicant, rectè dicunt *Nos decernimus*; quia potestas in solidum illis collata est; alioquin non rectè iudicarent, estque in casu in potestate vtriusque simul, vel coniunctim verba illa proferre; puta ex delegatione, si autem vt vnus non in solidum, nec æquam habentes potestatem, iam non duo sed vnus erit Iudex, & proinde si dixerit *Nos decernimus*, vel falsè loquetur, vel plurali modo ob dignitatem personæ, & rectè vtetur, vt supra notauimus, in administratione autem baptismi nullicum alio hæc baptizandi potestas in solidum vt aiunt collata est, vt ex dictis patet, quare nulla ad rem paritas.

Solutio propria



APPENDIX

De Vnitate Ministri, vt indiuisi à se.



112 PEtendum superest de hac vnitate breue dubiolum. An minister debeat à se esse ita indiuisus, vt nequeat sibi ipsi ministrare hoc sacramentum; quod tamen vtpote apud omnes in concessis facilè negatiuè diluitur; Innocentius siquidem huius nominis tertius *extra de baptismo, & eius effectu cap. debitum* refert casum cuiusdam Iudæi, qui in extrema necessitate positus nullo præsente, qui baptismi materiam, ac formam ministrare sciret, aut posset, bona fide ductus se ipsum baptizáuit, & Respondet consultus Pontifex negando baptismum fuisse validum, tum quia repugnat exemplo Christi, qui non à se, sed à Ioanne baptizari voluit, docens, quod sicut in baptismo Ioannis necessum erat baptizantem à baptizato personaliter distingui, ita & multo magis in baptismo suo, cuius figuram, ac typum gerebat Ioannis baptismus, tum quia repugnat Institutioni Christi, & præcepto dato de baptismo, institutioni quidem, quia Ioann. 3. edocens illam Nicodemum assimilauit baptismum natiuitati, ortus vero, & Natiuitas ita se habet, vt generans sit à generante distinctus, quomodo igitur denuo nasceretur, qui à se ipso baptizaretur, numquid idem esse posset genitum, ac gignens? repugnat demum præcepto dato *baptizantes eos in nomine Patris, &c.* in quo discipuli baptizaturi, quos alloquebatur Christus, in secunda persona expressi sunt dicendo *Ite docete, &c. baptizantes, &c.* cathecumenos vero baptizandos in tertia persona expressit per *Ly eos.* Vniuersa hæc doctrina *ex illo capite debitum* elicita est, vbi etiam docent Pontifex futurum vt seruaretur ille Iudæus, si mortuus fuisset, intelligendus est sensisse saluandum illum non ex vi sacramenti, quod nullum fuisset futurum, sed ex fide parta per attritionem perfectam, & votum ipsum ac desiderium baptismi fluminis.

Ministrū non posse sibi baptismum ministrare probatur.

Con-

113 Conturbari posset hæc veritas à simili de sacramento Eucharistiæ, quod à se ipso Sacerdos sumit: sed facile diluitur paritate negata de sacramentis, quæ consistunt in esse permanenti, quale est Eucharistia, & de iis, quæ consistunt in usu, è quorum numero est baptismus. *Oppositio prima tollitur*

114 Insuper à simili de sacramento matrimonij, in quo contrahentes sunt ministri; sed & hoc diluitur facilius ponderando virum in Sacramento Matrimonij non sibi, sed mulieri, & mulierem viro, non sibi, consensum exprimendo ministrare sacramentum illud. Vide de hoc dubiolo Scotum *in 4. d.6.q.4.* *Aufertur alia oppositio*

NVMQVID MINISTER BAPTISMI illum ministrare pluries eidem cathecumeno possit absque peccato, & pœna, cum valore.



CAPVT III.



115 Poterat disquisitio præsens ad vnitatem baptismi in se reuocari in disputatione de huius sacramenti existentia, quam profectò vnitas sequitur, sed quia *in superiori capite* pluries meminimus multiplicationis huius sacramenti in eodem subiecto, cum hoc à pluribus ministratur, visum est vnitatem eius ad ministri disputationem reuocare insequendo Scoti doctrinam, qui hanc ipsam positionem duplici quæstio prosequitur 7. & 8. *in eadem d.6.4.sent.*

116 Non sequimur autem in præsentia de multiplicatione huius sacramenti, quando scilicet vnum reputatur inualidum, quemodo Donatistæ, referente Augustino *lib. de Heres. ad Quoduultdeum cap. 69.* rebaptizabant baptizatos à Catholicis, quia scilicet à Catholicis baptizatos arbitrabantur non ritè baptizatos: quomodo etiam nunc temporis Anabaptistæ pueros baptizatos in infantili ætate adultos inde factos rebaptizant, quasi vero puerorum baptisma ut inane deridentes; siquidem in ea pravo supposito, & falsa credulitate, quod scilicet datus primus baptismus irritus sit, baptismum potius denuò dabant, quem rectè datum non putabant, quam ipsum iterabant baptismum. *Institutí declaratio* *Anabaptistarum error*

119 In hoc ergo sensu, quo, an liceat pluries vni ministrare baptismum, supposito primum baptismum ratum haberi, error recensetur Marcionistarum ab Epiphanio *heres. 42.* & à Damasceno *lib. de heresibus*. *Error Marcionistarum*

Vera tamen, & Catholica sententia est, baptismum iterari non posse in eodem subiecto, nedum quoad liceitam; sed neque quoad valorem. Diffinitam hanc veritatem à Concilijs Florentino, & Tridentino Recentiores auctores credunt. Florentinum namque *in decreto Eugenij* ait tria sacramenta, Baptismũ, Confirmationem, & Ordinationem characterem imprimere, vnde non iterantur, & Tridentinum *can 9. de sacramentis in genere* anathema dicit iis, qui negauerint tria illa sacramenta characterem imprimere, vnde iterari non possunt, & *can. 15. de sacramento baptismi* anathematizat eos, qui iterandum volunt baptismum ab iis, qui à fide desciuerant, & deinde ad pœnitentiam reuertuntur, & *can. 13.* eos, qui iterandum esse aiunt baptismum paruulorũ, quando adulti fiunt: ex his proinde diffinitionibus de fide censent Recentiores Suarez *disp. 23. sect. 2.* & Vasquez *disp. 146 cap. 2.* *Baptismus iterari, nec licitè nec validè potest* *Suarez et Vasquez*

120 Vt tamen verum fatear, non tam apertè Concilia hæc veritatem propositam de irritatione baptismi iterati loquuntur, ultima scilicet diffinitio Concilii Tridentini Anabaptistas ferit baptisma paruulorum iterantes, non ita vt primum baptismum approbarent, vt dictum est, quo sensu diffinitio illa ad rem non facit, vt patet: secunda, & prima diffinitio expresse de inualidatione iterati baptismi nõ loquũtur, sed solum non posse iterari ait prima assertio, hæc autem vera esse posset, etsi iteratum baptisma valeret; quia vtique iterari non posset sine peccato, & proinde licentiam potius, quam valorem præfatæ diffinitiones eneruant: similiter *Explicantur Concilia*

ter Florentinum Concilium simpliciter, ait, *hæc tria proposita sacramenta non iterari*; sed an iterata valida sint, ne uer bum quidem apud præfatum Concilium.

Alius locus non ad rem.

121 Rursum hanc veritatem diffinitam censent *cap. 1. primi* Concilii Cartaginensis, ibi tamen, vt patet rebaptizationes decernitur esse, illicitas illorum, qui erant ab Hæreticis baptizati, non autem simpliciter iterationem baptismi nullam esse, & inualidam constituitur.

Tertius locus parum prodest.

122 Rursum diffinitam hanc ueritatem rentur per Canones Apostolorum *can. 47.* vbi habetur *Episcopus, aut presbiter qui eum, qui secundum veritatem habuerit baptismum, denuo baptizauerit, deponatur.* Hæc ibi, sed inprimis Apostolorum canones Apocriphos declarauit Gelasius, & si fidem faciunt, auctoritas adducta licentiam, non valorem negligere videtur, quia non loquitur de veritate facti, sed de errore ministri, quem obinde depositionis pœna mancipauit.

Quarta coniectura leuis.

123 Rursum diffinitam rentur per symbolum Nicenum, quo canitur *Confiteor vnum baptisma in remissionem peccatorum*, & alludere Concilii huius confessio uisa est assertioni Pauli Apostoli *ad Ephes. cap. 4. Vnus Deus, fides una, vnum baptisma*, quæ tamen diffinitio de Vnitate baptismi non est Concilii Niceni primi, vt patet *in 1. tomo Conciliorum*, sed est addita illi diffinitioni à Patribus Concilii Constantinopolitani primi: cuiuscunque sit tamen Concilii incertum est an de unitate baptismi secundum speciem, an de unitate numerica locutum sit Concilium, & ante diffinitio illa alludere uisa est auctoritati Pauli citatæ, cum Paulus de unitate specifica locutus sit vt interpretantur *Hier.* & Crisost. quo etiā modo etiam dicendum esset loqui Concilium; porrò Paulum loqui de vnitate specifica, præter interpretationem *Hieronymi*, & Crisostomi citatorum patet ex ipso contextu, & instituto eius ibi; hortatur enim Ephesios ad mutuam charitatem, quia sunt unum corpus, & unus spiritus, deinde subdit; *vnus Deus, vna fides, vnum baptisma*, quasi rationem reddens cur necti debebant unitate spiritus, quia scilicet una fide, uno Deo, uno baptismo colligati erant, quo locutionis modo quisnā uidet differuisse Paulum de unitate baptismi specifica? Concilium etiam ex suo instituto non potuit locutum esse de unitate numerica; quia nulla causa aderat necessitatis ad diffiniendam unitatem numericam baptismi in illo Symbolo, aderat autem causa necessitatis ad diffiniendam unitatem specificam ad diuersitatem uariorū baptismatum, quorum frequens erat Iudæorum usus, propterea de sola unitate baptismi locutum est, non uero de unitate Confirmationis, aut alterius sacramenti specifica, quia hæc alia sacramenta similia apud Hebræos non habebant.

Concilium Nicenum Constantinopolitanū primum.

Hieronymus. Crisostomus.

124 Adducuntur etiam Patres à Vasquezio, & Suarezio in comprobationem veritatis huius, Patres tamen vtique grāde scelus confitentur rebaptizare, ut patet apud Augustinum *tract. 5. in Ioannem, epistola 203. enarratione in psal. 39.* & alibi passim, & apud Damascenum *lib. 4. de fide cap. 10.* & alios, at baptismum denuò datum irritum esse non asserunt tam dilucide: solus Basilius *lib. de Spiritu sancto cap. 15. solum vnum*, inquit, *nouimus salutiferum baptisma, &c.* ex quibus elicies iterata baptismata non esse salutifera, vt colligit Suarez. Sed hallucinatur Suarez; quia de vnitate specifica locutus est Basilius, ut patet ex antecedentibus verbis eius. *Non Iudæorum more in quibuslibet inquinamentis abluimur, &c.* quibus denotat se distinctionem posuisse inter nostrum, & Hebræorum baptismata, hæc autem distinctio specifica est, unde hæc differentia, quod apud Hebræos plures erant lauationum species, apud nos una salutifera.

Augustini & Damasceni auctoritates declaratæ.

Basilij sensus.

125 Præfatam igitur veritatem attigerunt, sed non explicitè diffinierunt Patres, & Concilia citata: potissimum verò deducitur ab institutione Christi Seruatoris nostri; à quo enim quid esse habet, vnitatem habet, quæ entitatem sequitur, ut passio subiectum, porrò ita Christus sacramentum hoc instituit ut iterari non posse, neque quo ad licentiam, neque quoad valorem diffinierit.

Ratio potior.

126 Cæterum quod, & cur ita Christus instituerit, nulla est ratio prior, cum omnia hæc ad extra à nutu diuinæ pendeant uoluntatis, est enim prima radix effectorum ad extra propositio illa *Deus vult*.

Rationes uero congruentes, quod & cur ita uoluerit à posteriori non desiderantur.

Congruentia prima

Prima quia sacramentum hoc potissimum contra peccati originalis macu-

lam

lam institutum est, illud autem unũ est; quare, & medela una.

Secunda ratio

Secunda, quia sacramento hoc renascimur Christo iuxta illud Christi apud Ioann. 3. *Nisi quis renatus*, sed nasci non contingit iterum corporaliter, quis enim potest iterato in matris suæ ventrem introire, & renasci? ergo nec spiritualiter iterum quis sacramenti huius iterati merito nasci potest.

Tertia ratio

Tertia, quia per hoc tollitur plenariè pæna, & culpa; iteratum autem esset incentiuum magis ad peccatum; quia pænitentia non se habet ita ut baptismus, ad illam enim, vt tota cum culpa tollatur pæna, maximus requiritur dolor.

Quarta ratio

Quarta, per hoc sacramentum ascribimur Christi familiæ, & Christianitatis collegio, at sicut ascriptus collegio delinquens punitur, & pænitens reconciliatur, non autem iterum proscriptus, & deletus rescribitur, ita & in casu nostro.

Quinta ratio

Quinta, quia hoc sacramentum imprimit characterem, quod est signum indelebile in anima, quæcunque autem sacramenta characterem imprimunt, iterari non possunt.

Recentiorum Achilles

127 Hanc rationem potissimum vrgent Recentiores Thomistæ, vti è Concilijs Florentino, & Tridentino haustam, Tridentinum enim can. 9 *de sacramentis in genere*, ait *si quis dixerit in tribus sacramentis, baptismo scilicet confirmatione, & ordinatione non imprimi characterem in anima hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, vnde ea iterari non possunt, anathema sit*. Florentinum vero sub Eugenio ait. *Inter hæc sacramenta tria sunt, baptismus, confirmatio, & ordo, quæ characterem, hoc est spirituale quoddam signum à cæteris distinctiuum imprimunt in anima indelebile. Vnde in eadem persona non reiterantur, reliqua vero omnia characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt*. Quibus Recentes illi sine difficultate rationem irritantem baptismum iteratum, & impossibilitatem iterationis eius asserri contendunt.

Scotus hãc rationem lusit

128 Hanc tamen rationem ab effectu characteris negligere visus est Scotus *in 4. d. 6. q. 7.* dum ait ex hac manifestius per immanifestius probari, quia notius est baptismum iterari non posse, quam per ipsum characterem imprimi, siquidem in primitiua Ecclesia certum erat non esse iterandum baptisma; vt patet *ex canon. Apostolorum*, siquam illi fidem faciunt, characterem autem per baptis-

Centmus de Sac. Baptismatis.

mum dari non tam certum fuit, vt modo cum Ecclesia à Spiritu sancto edocta sub anathemate sanciuit dari characterem per tria hæc sacramenta.

Carpitur à Recentibus Scotus

129 Nituntur propterea Recentiores non leuem Scoto inurere maculam, quasi verò rationem à Concilijs approbatam improbarit. Sed considerandum erat Suarezio, & Vasquezio tempestate Scoti nondum fuisse de fide constitutum dari per baptismum characterem; proinde impressioné characteris incertiorem fuisse interabilitate baptismi, nunc vero diffinita ab Ecclesia impressione characteris, rectè licere tamquam ex manifesto per fidem aliud manifestum demonstrari.

Et immerito

Declaratur Conciliorum institutio

130 Adde, vt notauimus *disp. de charact. cap. 1.* Concilia eo loquendi genere non tamquam ex ratione venari initerabilitatem baptismi, quia characterem imprimit, sed decernere esse impressiuum characteris, vnde non iteratur, quasi vero ex impressione characteris non necessario, sed quoquomodo sequatur inreiterabilitas, vel initeratio eius non tamquam ab effectu arguendo causam, sed tamquam ex corollario quodam inferendo propositum: seu, & rectius ab effectu arguendo corollarium per modum potius loquendi, quam inferendi, quia Concilia non dicunt expressè non esse iterabile baptismum; quia dat characterem, neque dicunt dare characterem, quia non iteratur, sed simpliciter decernũt dari characterem, ex quo deducunt hanc particulam. *Vnde non iterantur, vel iterari non possunt*, potius quasi hoc per modum doctrinæ tradentia, quam per modum illationis, vt alias etiam diximus. Quomodocumq; autem dicatur, non est hac in re immorandum, quia Scotus rationi illi obuius iuit, quando Concilia nõ dum decreta erant, & res moralis est omnino.

Iterantes baptismũ lethaliter peccant.

131 Ex his habes, si baptismus iterari minimè potest, læthaliter iterantem peccare, quod Augustinus citatus docuit, *immanissimum esse scelus* aiens *rebaptizare Catholicum*, & ratio euidens est; quia quæ non licet operans peccat, iterare baptismum non licet, iterans ergo peccat, habes etiam irritum esse baptismum denuo datum ex probatis ex institutione Christi, & ex alijs rationibus.

Et pænam in regularitatis incurrunt

132 Habe demum iterantem baptisma incurrere in regularitatis pænam ex doctrina Scoti *d. 6. q. q. 8.* & omnium

Theologorum, immo & Iuris Canonici Consultorum interpretantium *cap. illud primum partis 26. Concilij Lateranensis* sub Alexandro tertio; cuius initium est *Ex litterarũ tuarũ tenore percepimus &c.* quod refertur etiam *extra de Apostatis cap. 1.* Quorum doctrinam explicemus primo, dicturi deinde quid nobis visum fuerit: distinctione ergo vtuntur omnes ad hanc assertionem firmandam; vel enim loqui possumus de ministro quatenus scienter iterauit baptisma, vel quatenus ignoranter, & si de ministro qui scienter egit loquamur, affirmant omnes vigore illius cap. *ex litterarum tuarum &c.* ministrum sic rebaptizantem irregularem effici, si ignoranter intelligatur egisse adhuc distinguunt; vel enim ignorauit ius, vel ignorauit factum, hoc est, vel nesciuit esse legem constitutam de non reiterando baptismate, vel nesciuit quem rebaptizat esse inrebaptizatum; primam ignorantiam vocant Iuristæ ignorantiam iuris, alteram vocant ignorantiam facti; ex his aiunt ministrũ ignorantem factum non incurrere pænam, nec peccare; quia is censetur baptizare, non rebaptizare; si vero ignorauerit ius, siue illud diuinũ sit, siue humanum infligens pænam, peccat contra ius diuinum, incurrit pænam ab humano iure; hæc enim ignorantia non excusat, non excusat, inquiunt ignorantia iuris diuini; quia vnusquisque scire tenetur, quæ à diuino sunt iure præcepta, neque excusat ignorantia humani iuris: adhoc enim vt pæna à iure canonico constituta alicui operi incurratur, non est necessum explicite scire ius illud Canonicum, sed sufficit scire rem ipsam illicitam esse à diuino iure prohibitam; quod sufficit vt incurratur pæna costituta; etsi de illa pæna nihil certo sciat peccans; quia sic hominem occidens fit irregularis, etsi nesciat inflictam à iure fuisse pænam irregularitatis occidenti hominem: sic rursum percutiens Clericos fit excommunicatus, etsi nesciat capite illo *si quis suadente &c.* infligi excommunicationis pænam in Clericos manus violentas inferenti; debet enim vnusquisque scire occisionem hominis esse reatum lethale, similiter & percussionem Clerici, quia vtrumque est contra præceptum charitatis, quod vero illis sit apposita pæna non necessario scire tenetur, ad hoc vt incurratur.

Theologorum, & Iuristarum confessio.

Explicatur

Ignorantia alia facti, alia iuris

Quomodo utraque pænam excusset per ipsos.

133 Adhuc autem est distinctio de ministro scienter rebaptizante, uel enim publicè, uel priuate hoc intelligitur egisse, & utroque modo irregularis effigitur, licet si priuate dispensari possit per Episcopum, ut patet ex Concilio Tridentino *sess. 24. cap. Liceat*, in qua re admirandum est Scoti ingenium, quod hoc idem sensit *loco citato*, antequam à Concilio statueretur, si autem publicè, à solo Papa.

Ministri duplex consideratio

134 Hæc est doctrina communis ferè Theologorum, & Iuristarum: dixi notanter esse ferè communem; quia unus Sotus, & cum eo Suarez dissentiunt in parte arbitrantes ignorantiam inuincibilem Canonici Iuris excusare à pæna rebaptizantem, quia ibi non est pæna, ubi non est culpa; at in ignorante conditum esse præceptum diuinum de non iterando baptismate excusatur peccatũ, & non incurritur culpa; ergo nec pæna: Decipiuntur tamen isti auctores, tum in facto, tum in ratione, quam afferunt, in facto quidem, quia etsi non explicite, implicite tamen unusquisque debet scire diuina præcepta: quod autem baptisma sit unum, licet de unitate specifica intelligatur confessio Concilij Niceni, seu Constantinopolitani *Confiteor vnum baptisma*, tamen uulgus illam magis de unitate indiuidua intelligit, & in omne uulgus deductũ est nõ iterari baptismum, proinde id omnes tenentur scire: in ratione autem, quia falsum est pænam non incurri, ubi non est culpa lethalis, nam Bigamus non peccat, & tamẽ fit irregularis, vt suo loco dicemus, pæna ergo irregularitatis non semper sequitur lethale peccatum.

Dissensus Soti, & Suarez.

Vterque decipitur

135 Dissentiunt rursum præfati Auctores à Scoto de exemplo illo excommunicationis, quam ait Scotus incurri à percutiente Clericum licet inscio de tali pæna, ipsi enim asserunt nusquam incurri excommunicationem, nisi ob contumaciã, & inobedientiam Ecclesiæ; at non potest quis esse inobediens Ecclesiæ, nisi præceptum sciat Ecclesiæ. Sed & in hoc errant, quoniam læsio Clerici non est contra præceptum Ecclesiæ, sed contra præceptum diuinum naturale, & contra charitatem, cuius Ecclesia transgredientibus pænam excommunicationis inflixit; errant etiam, quia licet in foro, quod uocant fori, excommunicatio nõ incurratur nisi à contumace; at in foro conscientiæ à quouis delinquente delicto, cui annexa est excommunicatio, incurritur.

Alter dissensus.

Confutatur.

136 Adde demum disparem forte aliquam intercedere differentiam inter excommunicationem, & irregularitatem

quia

quia hæc est pœna simpliciter, illa & censura est; hæc peccatum supponit semper, illa non item, Scotus autem illam excommunicationem in exemplum adduxit, exemplum autem, vt vulgò fertur, non currit quatuor pedibus. Sed hæc viderint Summistæ, quorum hucusque sententiam breuibus transegimus.

Exempla non currũt quatuor pedibus.

Mihi verò, si ab hac communi sententia fas est discedere, vt fas esse putarem; quia præstat cum fundamento loqui solum, quam communi assertioni, & sine fundamento assentire in ijs præcipue, de quibus nihil expressè scriptura, ac Patres; nec fidei veritati aduersa sunt.

137 In hac autem re audio, & video Theologos omnes ac Summistas reclamantes in regularem esse ministrum rebaptizantem, quia sic vsus, & consuetudo, quæ est legum interpres, confirmat, sed nec legem video de hac re latam, neque consuetudinem dispensandi in rebaptizatione actiua vsquam legi; est autem apud iuristas vulgatum satis, & concessum ab omnibus effatum illud; quod *Pœnalia non sunt amplianda, sed restringenda*: ergo si mihi præfati Auctores nullum textum Canonum, aut litterarum Apostolicæ sedis apertum sensum afferant, quo conuictus concedere cogar rebaptizantem esse irregularem, nunquam hanc irregularitatem concedam.

Opinio singularis.

138 *At*, inquies, adest textus præcitatus Concilij Lateranensis *extra de apostasis cap. ex literarum tuarum &c.* Respondeo perperam textum illum intelligi, & explicari quo damnatur rebaptizatio passiua, non actiua, & damnatur consensus ad rebaptizari, non ad rebaptizare; quia acolytus ille, cui ascensum ad ordinem interdixit Pontifex fratri germano, qui consultus à scetula in remedium longi languoris rebaptizabatur, consensit quique proinde nefandæ rei consensisse dicitur. Quod si inde tu mihi rationem opponas; quod est æqua ratio de actiua, & de passiua rebaptizatione.

Intentio Concilij Lateranensis

139 Respondeo negando assumptum; quia sacramentum non sistit in baptizatione actiua, sed in passiua, & proinde non reiteratur per actiuam, sed per passiuam. Si ob ipsas à fortiori; quod si irregularis dicitur acolytus consentiendo, quanto magis similiter baptizando?

Obiectum, & solutio.

Respondeo, vt dixi consensum hunc vergere ad passiuam baptizationē, quæ est res nefanda, non ad actiuam, in qua non sistit sacramentum.

140 Præterea, ratio nulla cogit in pœnis indicendis, quæ non incurruntur, nisi sit expressum in iure, porrò nullibi in iure cautum est inregularem esse ministrũ rebaptizantem, de rebaptizato autem adest textus expressus in Concilio Cartaginense 5. *cap.* 11 quod refertur *d.* 50. *cap confirmandum* quo statuitur, vt rebaptizati nunquam ad Clericalem gradum promoueantur, & itidem diffinire visum est Concilium Toletanum quartum *cap.* 18. *relatum d.* 15. *cap. qui in ali quo crimine*, vbi inter crimina, ob quæ irregularitas incurritur, recensetur lapsus in hæresim, baptizatio in hæresi, rebaptizatio, & alia multa, & Fœlix 4. *in suis decretis in Synodo Romana cap.* 5. *& refertur d p q. 7. cap. qui in qualibet ætate &c.* quamuis propriè Felix contra eos se se inuehat, qui alibi, quam in Ecclesia Catholica baptizati sunt, vel rebaptizati.

Concilium Cartaginense

Concilium Toletanũ quartum

Decretũ Felicis Papæ.

141 Et de hoc etiã rebaptizato distinguẽdum est, aut enim publice, aut priuatè perpassus est iterum se baptizari, & publice quidem indiget à Papa dispensari, priuatim vero potest ab Episcopo per textum Concilii Tridentini *sess.* 26. *de reform. cap. liceat.* & rursum distinguendũ, si id ignoranter, vel scienter egit, si scienter quidem, iam diximus esse irregularem, similiter si ignoranter ignorantia iuris, sed si ignorantia facti rebaptizatus est, quamuis adsit textus *dist.* 4. *de consf. cap. qui bis ignoranter*; quo decernitur eũ non posse secundum Canones ordinari, tamen probabilius est non incurrere in regularitatem sic rebaptizatum iuxta maximam illam iuris supra adductam, quod *pœnalia non sunt amplianda*, textus vero ille non habet vim, quia Auctor eius non est Papa cuius partes sunt toti Ecclesiæ pœnas statuere, sed Theodorus quidam Archiepiscopus Cantuariensis, cuius authoritatem à Papa confirmatam non legimus. Vide Scotum *loco citato*.

Quo se Episcopi cedat in hac re dispensandi auctoritas

Hæc probabiliter dixisse volui; cæterum opinionem meam tam in hac re, quam in alijs nouis, quæ videbuntur, assertis, Sanctæ Matris Ecclesiæ, ac Maiorum humiliter, sicut & me ipsum correctioni subijcio.



AN MINISTER POSSIT simul baptizare plures.



CAPVT IIII.



142 HÆc disceptatio deerit ad vnitatem perfectam ministerij, quæ vel ex sacramento ipso, vel ex recipiente, vel ex ministrante sacramentum ipsum deduci potest; est autem disquisitio facilis, cum in omnium confessione sit positum, baptismum simul ab vno ministro pluribus ministratum sub hac forma *Ego baptizo vos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* validum esse, ac ratum, ita præcipue docuit Scotus *d. 6. q. 2. littera F*, & ab omnibus ea coniectura probatur, quoniam Apostoli, qui tot millia hominum vna die baptizasse leguntur in actibus Apostolorũ ita creduntur baptizasse vnica scilicet aspersione plures, alioquin incredibile esset propemodum singillatim tot potuisse vna die baptizari, patetque ex forma ipsa, & doctrina in eius explicationem tradita; veritas siquidem perseuerat formæ dummodo persona exprimatur baptizati, siue nomine expressa proprio, siue pronomine demonstratiuo, siue plurali, siue singulari numero, patet demum ex institutione Christi, quo pluralitas designatur *baptizantes eos &c.* neque expresse præcipitur pluralitatem illa diuisiue, non etiam collectiuè sumendam.

Scotus d. 6. q. 2.

143 Adde postremò sacramentum hoc supremæ necessitatis validum censendum, dum ob necessitatem datur aliquibus in forma consueta mutatio, quæ formam ipsam re, & essentia non variant, at in casu nihil essentiale mutaretur in forma, vt prænotatum est, quare censendum est validum in casu fore baptismum; ex hoc habes posse cum valore ita tradi baptismum, at non cũ licentia absque necessitate, proindeque peccare lethaliter plures simul vnico lauacro baptizantem. Notanter dixi absque necessitate; quia si necessitas vrgeret, vt puta si periculum esset in mora, ne per collationem baptismi singillatim aliqua persona inbaptizata decederet, licite posset plures simul vnus baptizare minister, esset enim inprobabile satis asserere, ita personã baptizãdam in singulari exprimendam quocumque adueniente casu, vt per hoc posset alicui intercludi ad salutem aditus; intercluderetur autem si non liceret; quia nemo dare deberet perituro baptismũ cum detrimento propriæ salutis, quia charitas ordinata à se ipso primum incipit, neque vllus debet cum discrimine propriæ salutis alteri consulere, *nec* demum ex Pauli doctrina *facienda sunt mala in se, vt alteri eueniant bona.*

Eius sententia explicatur, & probatur.

144 Cæterum, quod absque necessitate baptizans plures simul lethaliter peccet probatur; quia constituto ab Ecclesia ritui in sacramentorũ ministerio obuiam ire lethale peccatum est, nulla intercedente mutationis causa; quia sic agens in contumeliam rituum institutorum agere videtur; atqui Ecclesia modum baptizandi præscripsit describendo personam singularem pronomine demonstratiuo *te*; ergo varians, & multiplicans plurale peccat mortaliter, & cõfirmatur, quia generatim conceditur, quod si latinus in tradendo baptismum Græcorum forma vteretur lethali se peccato obstringeret, cum tamen forma illa valida sit, & in vsu illius nationis; vt patet ex Concilio Florentino, quanto ergo magis peccaret alterando latinam formam latinus minister? hinc patet errasse Dominicum Sotum *in 4. d. 4. q. vnica* excusantẽ ministrum sic baptizantẽ à peccato, ex quo visa est leuis materia peccaminosa ritum Ecclesiæ destruere, vt sic ex eius licentia licitum sit Ecclesiæ statuta impunè negligere.

Lethale peccatum esset si fieret absque necessitate.

Error Soti.

145 Veritas igitur proposita hucusque decursa est, quam vnum dubiolum perturbat. Sacramenta ex vnitate materiæ, & formæ vnitatem metiuntur, at in casu vna esset materia; quia vna aspersio aquæ, vna forma prolata à ministro vno; quare vnum sacramentum, at hoc falsum est; quia accidentia multiplicantur multiplicato subiecto; posse enim accidens vnũ numero in diuersis manere subiectis ablegauit ab auditu philosophia vniuersa, nullum ergo censendum est potius in casu sacramentum.

Dubitatio contra hanc doctrinam.

146 Hinc dubitationem euellit Paludanus attendo in proposito exemplo plures

esse

ipse materias, & plures formas, non quidem formaliter, sed virtualiter, habet in vnica forma virtus ad producendos effectus plures. Vasquez autem *loco cit. c. 7.* formaliter etiam plures esse formas ait; quia scilicet vnica illa oratio significationem habet terminatam ad plures æquivalens pluribus formis.

Paludani lapsus.

147 Labitur tamen Paludanus in explicatione suæ sententiæ, quæ vera est vt infra dicemus; quia formam esse virtualiter plures non denotat habere formã virtutem ad plures effectus; quia in rebus moralibus esse virtute aliquid, diuersum est ab esse virtute aliquid in rebus phisicis; in his enim esse quippiam virtute plura denotat habere virtutem illorum plurium, seu ad producenda illa plura; in moralibus vero ex causa accommodatum est; vt esse vnum virtute plura designet æquipollere illud vnũ pluribus in virtute.

Deceptio Vasquez.

148 Grauius labitur Vasquez; quia implicat orationem vnam esse formaliter plures, quia vnum, & plura non sunt formaliter idem, nec obstat vnitas, vel pluralitas significationis, quia hæc non est à verbis dumtaxat, nec dumtaxat à rebus per ipsius præcipue sententiam; sed ab omnibus simul; vna ergo oratio non habet significationes formaliter plures, tum quia significatio formalis sequitur entitatem formalem; tum quia hæc non à sola forma desumitur, vt dictum est.

Responsio ex Scoto.

149 Rectius cum Scoto *loco citato dicendum littera G*, esse sacramenta plura, dũ minister vnus simul plures baptizat, nec necessum esse ad plurificationẽ alicuius plurificari omnia quæ in eo sunt, cum sufficiat plurificari aliquid, vt in casu, quo plurificaretur aspersio passiua, in qua potissimum videtur positum esse baptisma. Præterea si necessum est omnia multiplicari, dicendum formam vnã æquipollere pluribus, quia pronomen illud *vos* in forma hac *Ego baptizo vos, &c.* includit ex Grammaticis singulare pluries geminatum.

Dubium graue.

150 *Alterum dubiolum addi posset, quia in casu accidere posset expleta pronunciatione formæ à ministro ob distantiã alicuius ex baptizandis, aquã ad illum pertingere, quo supposito is non esset baptizatus; quia non simul cum forma materiam reciperet.

151 Quamuis hanc difficultatem alibi dilucidauerim, generice loquendo de sacramentis, speciatim tamẽ nonnihil hoc loco ad eius enucleationem addendum, qua in re opinionem Scoti primo recitabimus, vt inde quid veri contineat, quidue falsi contra eam obiiciant Recentiores disquiramus. Scotus ergo *in 4. d. 6. q. 3. per totam* postquam sententiã Glosæ reprehendit *in cap. Detrahe 1. d. q. p.* verba illa Augustini *hom. 80.* interpretantis *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*; aiebat enim glosator,

Scotus glosam carpit.

quod sacramentum fit in vltimo instanti prolationis verborum, & in eodem desinit, & propterea si in eo instanti nõ fit cathecumenus in aqua non recipit sacramentum. Hanc Scotus redarguit, quia implicat simul esse idem, & non esse, & simul desinere esse, & incipere esse, nec est effingenda tanta simultas, ac rigorosa in collatione sacramentorum, quia nec tantam exquisiuerunt Apostoli, qui Actorum 7. ad tria millia hominum vna die feguntur baptizasse, & incredibile est, quod cum vltima sillaba asperserint omnes, vel quod aqua ad omnes pertingeret in expletione vltimæ sillabæ in oratione, & forma baptismatis, postquam, inquam, ita Scotus sese in glosatorem inuexit, docet tantam requiri simultationem in collatione baptismi inter materiam, & formam, quanta moraliter necessaria est ad identitatem humanorum actorum; hæc autem inter verba, & res iudicatur necessaria, vt vnum incipiat antequam totaliter alterum perficiatur, siue verbã ante expletionem ablutionis, siue ablutio ante expletionem totaliter verbi.

Eius opinio.

152 Hæc Scoti sententia, vt rigorosa minus reprehenditur à Soto *in 4. d. 3. q. vnica art. 8* à Suarezio *3. p. q. 60. disp. 2. sect. 2.* à Vasquezio *3. p. disp. 148. c. 7.* ab Henriquez *lib. 1. de Sacramentis in Genere capite 9.* & à Recentibus Iesuitis moralis Theologiæ interpretibus; primo quia Apostoli baptizantes tria millia una die uix dijudicari possunt ita moraliter baptizasse, quin forma esset expleta, vel ablutio, illa ante inchoationem ablutionis, hæc ante inchoationem formæ.

Rigorosa visa Suario, Vasquio, & alijs

Secundo, quia sacramentum pænitentiæ penitus contrarium demonstrat; non potest enim dari absolutio, nisi confessione transacta.

Forum rationes.

Tertio, quia actiones morales sacramentorũ non egent tanta methaphisica identitate, ne scrupulum de earum veritate in mentes, uel aliorum, uel nostras ingeramus.

Quarto demum, quia non est assignare an materia debeat inchoari ante expletionem formæ, an forma ante expletionem

nem materiæ.

153 His ergo obiectis præcitati uiri, præcipuè cum Soto Vasquezius *loco citato*, estimant hanc simultatem moralem ita censendam, vt si etiam aliqua inter verbum, & rem sacramenti interponatur mora; ita vt etiã altero expleto inchoetur aliud, veritas adhuc perseueret sacramenti, id quod ipsi exemplis illustrant; quoniam si quis habens vas vino plenum in manu dicat *ego bibo*, etiam si vel statim exactis his verbis, vel paulo post bibat, verum censetur dicere. Similiter si quis dicat *ego osculor Crucem*, & vel illam iam fuerit osculatus, vel mox verbis exactis, vel paulo post osculetur, verum censetur dicere, ergo similiter si quis dicat *Ego baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; prius, & mox abluat, vel prius abluat, mox dicat *Ego baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, verum censetur dicere. Ita Antoninus Diana *tract.4. de Sacramentis resolut.6.* & Vincentius Fernandez de Heredia *in disp. de Sacramentis in Genere tract. 6. dub. 2. numero 8.* Qui, quod mirabilius est, disquirens, quanta possit inter prolationem formæ, & appositionem materiæ intercedere morula, ait eam admitti posse, in qua oratio Dominica recitari queat, vt non sit mirum opinionem eius ab ipsomet Diana vt nimium laxam reprehendi.

Quam simultatem requirant Sotus, & Vasquez.

Quam Antonius Diana, Fernandez, et alij.

154 Scoti tamen sententia vera est, eiusq; veritas ex doctrina, quam tradidimus disceptantes an materia, & forma integrent sacramenta, anque res vicem materiæ, verba vices gerant formæ, ex eo loco enim ducimus; quod si ex Christi institutione materia simul cum forma, seu res, & verba ad instar phisicæ materiæ, & formæ fundamentum sunt relationis signi, non possunt simul esse fundamentum illud, si simul non sunt; porrò vnum si incipiat altero expleto simul nusquam sunt, & nulla simultas excogitari potest moralis, quæ non eodem mensuretur tempore, ne dicamus idem esse simul, & diuersum; porrò quam obsecro significationem res illa, & verba habere possunt moralem, si pro nulla parte temporis verum sit dicere illa simul esse, & connecti?

Quam exigat Scotus.

155 Nec exempla allata à Recentibus apta sunt, quibus si actio diuerso tempore fiat, & diuerso dicantur verba, variatur significatio, nam si quis biberit prius, postea dicat *ego bibo*, is vel falsum dicet, uel significabit eo locutionis modo se iam non bibere, sed bebisse; si rursum prius dicat, *ego bibo* mox bibat, uel falsum dicet, uel denotabit se iam non bibere, sed uelle bibere, & quis non uidet ineptas plane, ac impertinentes has significationes applicari formæ sacramenti baptismi? baptizans enim dum ait *ego baptizo &c.* non recitatiue dumtaxat, ut bibens, uel osculans Crucem, (est enim exemplum idem cum primo, licet pium magis ad res pias manifestandum) sed significatiue dicit se baptizare velle, alioquin non exprimeret actũ, quem exercet, sed vel quem exercuit, vel quem exercere designat.

Exempla Recentium inepta.

156 Neque in oppositum allatæ coniecturæ sunt alicuius momenti. Prima deducta ex actibus iã à Scoti fonte manauit, ea .n. probauit Scotus requiri aliquã simultatẽ, sed nõ nimis rigorosã, sed cõtẽporaneam cum verbis, & re, ita vt vno nondum expleto inchoetur aliud, & ita censentur Apostoli illa die baptizasse.

Prima coniectura ruit.

157 Secundam ex sacramento pœnitentiæ concedunt Scotistarum aliqui, requirentes simultatem modo exposito in solo sacramento baptismi, sed halluci nantur; quia sacramentorum omnium, quæ in visu præcipue consistunt par est ratio in hac parte, neque discrepantiæ rationem assignare possumus, nisi coactam, cum omnia in fere sint posita; omnia materiam, & formam, earumq; vicem res exposcant, & verba ex Concilio Florentino *loco citato*.

Labitur secunda

158 Dicendum ergo, identidem nos sentire de sacramentis omnibus, vt Deo dãti suis in locis probandum est, neque forma absolutionis dicitur transacta materias si enim partes illæ pœnitentiæ scilicet confessio, contritio, & satisfactio dicantur verè partes, & quasi materia huius sacramenti, vt docemur ex Concilio Tridentino in *doctrina de hoc sacramento*; scire etiam debemus formam esse nullã absoluendo, nisi in confitente adsit contritio, vel attritio, quæ est vna ex illis partibus, simul dum dicuntur verba simultate præexposita; alioquin absolutio ferretur in subiectum ponens obicẽ, vel non dispositũ: habet ergo hæc simultas etiam in sacramento pœnitentiæ locum; idem puta de alijs.

Conclusio dictorum

159 Ad tertiam respondetur cum Fabro *disput.9.* ex Aduersariorum opinione scrupulum inferri, non ex nostra: siquidem tanta interpolatio dubitationẽ ingerit de veritate sacramenti, ad quod certum est materiam, & formã experi.

Responsio ad tertiã cũ Fabro.

160 Adde

Augustinus.

160 Adde, quod ex Augustino *loco citato homil. 80.* in sacramentis verbum accedere ad elementum debet; sub tanta porrò interpolatione non accederet, sed vel præiret, vel sequeretur, & scrupulus obinde de veritate eius turbaret mentem maior, quam si sententia Scoti media inter duo extrema, inter placitum scilicet glosatoris, & Vasquezij sustineatur.

Solutio vltimi obiecti.

161 Vltima obiectio leuis est; nam siue forma inchoetur nondum materia expleta, siue è conuerso, ad rem non facit; ad rem vtique facit, vt vnum non perficiatur altero nondum inchoato, ne relatio signi, quæ in vtrisque fundatur, dicenda sit unum illorum habere pro fundamento, non utrumque; quod falsum est.



DE

DE SVSCIPIENTIBVS BAPTISMVM.

DISPVT. VI.

Disputationis series

ACcedere ad superiorem disceptationem debuit disquisitio proposita, cum agentium, ac subiectorum ea sit natura, vt mutuè referantur, implicat enim pati quippiam, & non ab aliquo, sicut implicat agere, & in nullum subiectum agere, proinde cognitā ministrorum sacramenti huius potestatem, ac licentiam, subiectorum baptisma recipientium proxima disputatio comitata est: quoniam vero subiectum baptisma recipiens duplex est non equidem diuersitate naturæ, sed temporis, & ætatis, non inquam diuersitate naturæ; quia solos homines sacramentorū esse capaces patet ex sacramenti finitione ipsa, quam tradidimus dicentes esse *remedium ad salutem hominis viatoris, &c.* sicut & ipse sacramentorum auctor Christus propter nos homines, & salutē nostram de Cœlis descendisse Symbolo docemur Niceno, & Constantinopolitano; sed diuersitate temporis, vel ætatis; sicuti homines ipsi considerari possunt, vel vt rationis compotes quo ad exercitium actus, quales sunt adulti, vel vt ratione pollentes in habitu tantum, & non in actu, quales sunt pueri, & infantes hinc disputationem vniuersam in biceps diuidemus caput.

DE PVERIS, ET INFANTIBVS.

CAPVT I.

AN PRÆSTET INFANTES in ea ætate baptizare.

ARTIC. I.

1 MIttimus hoc loco quæsita mille, quæ disserunt Recentes de necessitate baptismi dandi paruulis, de quibus vnum, vel alterum diximus verbum, dum sacramenti huius necessitatem venaremur, duo autem dumtaxat sub hoc titulo inuoluta dubia eneruabimus, alterum attinens ad valorem, alterum ad licentiam: & quidem in priori sensu cum solis Hæreticis res est, nonnulli enim Hæretici; quos refert S. Bernardus *epistola 240.* Henriciani dicti ab Henrico quodam pseudomonaco inualidum censere paruulorum baptisma, hisque nouissimè subscripserunt sese Nouatores dicti Anabaptistæ, sic dicti non quia bis, aut pluries baptismum absolute repeterent; sed quia baptismum Infantium deridentes in adulta eos ætate rebaptizandos esse docuerunt nec multum ab horum asserto distat Erasmus *in præfatione paraphrasis in Marcum* ratus interrogandos esse paruulos cum adoleuerint, an ratum velint proprium haberi baptisma.

Dubitationis duplex sensus

Henriciani, & Anabaptistæ

2 Opposita tamen sententia Catholica contra præfatos Hæreticos in Concilio Tridentino finita est *sess. 7. de sacramento baptismi canon* 12. 13. *&* 14. nam alia Concilia à Recentibus allata ad hanc assertionem, non probant, sed potius contra negãtes licentiã baptismi paruulorũ inuehuntur, vt infra uidebimus, licet rectè ex licentia baptizandi Infantes deduci inde ualor possit, ne dicamus licitum fuisse, quod inane erat, quod falsum est. Confirmatur hæc ueritas ex communi consensu Ecclesiæ, & Patrũ, qui constantissimus est idem à Christo instituente ad hęc usque tempore ualidum esse baptismum paruulorũ, esseq; Infantes baptismi capaces, quem consensum Augustinus *lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione*, ait à Domino per Apostolos ad nos manasse, idemque Augustinus *passim contra Pelagianos* hoc tradit.

Diffinitio fidei.

August.

3 Confirmatur ex decretis Pontificum, Siricij *epistola 1. cap. 2.* Leonis *epistola 86. cap 3.* Innocentij *epistola 26* & alterius Innocentij Tertij in ordine huius nominis relati *in cap. Maiores extra de baptismo & eius effectu*, qui & rationem à simili adducit de Circumcisione, quam dari infantibus certò est in lege veteri, vt quid ergo non fructuose dari potest in noua lege infãtibus, baptisma, quod Circumcisioni successit?

Siricius Leo Innocentij duo

4 Confirmatur ex necessitate huius sacramenti, quam suo loco tradidimus explicantes paruulos à vi præcepti recipiendi huius lauacri non esse solutos, sicuti à nexu labis originariæ soluti non sunt, & quamuis per aliam viam, vt Ioannes Baptista, ac Hyeremias soluti essent, adhuc non essent soluti à præcepto Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* quamuis si in ea ætate decederet inobedientia illius non imputaretur illis, atqui sat est arbitrictos esse, dempta alia via, quæ extra ordinem est, ad recipiendum hoc lauacrum infantes, ex quo macula originaria coinquinati nascuntur, contra quam precipuè in remedium hoc sacramentum constitutum est.

Confirmatio

5 Confirmatur ab aliis hæc veritas per illa loca scripturæ, *Laudate pueri Dominum in Psalm. 112.* & ex illo psalmi 10. *ex ore infantium, & lactentium, &c.* quæ tamẽ loca acceptionẽ apud Deũ paruulorũ obsequii demonstrant vtiq; at ne verbum quidẽ de valore baptismi.

Aliorum confirmationis

Alii id indicant ex illo Seruatoris Matth. 19. *Sinite paruulos venire ad me, talium est enim regnum cælorum.* At ibi licet paruulos in medio statuerit Christus ad extollendam humilitatẽ, ea verba dixit, non ad necessitatem accessionis paruulorum ad ipsum.

Elusio

6 Nõ est ergo expressus alius in scriptura locus, nisi in Ioann. 3. *Nisi quis renatus &c.* qui generice passiue traditur non secluso paruulo ab adulto. Adduci autem & congruentia potest, nam à priori ratio petenda est à Christo instituente.

7 Congruit autem ita sentire primo, quia si paruuli capaces sunt culpæ, cur non remedii? cum Deus noster nullo tempore mundum sine remedio reliquerit, reliquisset autem, si paruuli destituti remedio incapaces essent lauacri baptismatis; porrò capaces esse culpæ paruulos patet de peccato originis, quod contrahunt iuxta doctrinam Catholicam de peccato originario in Concilio Tridentino *sess 6. de iustif & sess. 5. de ipso peccato.*

Congruentia prima

8 Secundo, si capaces sunt baptismi flaminis, & sanguinis, cur non fluminis? cum illa duo baptismata eo valeant, quo defectũ baptismi huius in non habente supplent, atqui valere illa duo baptismata docet factum, nam Hieremias, ac Ioannes Baptista in maternis vteris sanctificati sunt, & Innocentes martyres proprio sanguine baptizati decesserunt. Alias congruentias præstolantur tibi Recentiores; nos hisce contenti in re morali ad vlteriora progredimur.

Altera congruentia

9 Duplici fundamento confisi Hæretici veritatem propositam conturbare ausi sunt. Primum è scriptura desumptum est Matthæi vltimo, & Marci vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*, credere ergo oportet eum, qui baptisma recipit, at paruuli rationis vsu destituti non credunt, ergo nec baptizari cum valore possunt.

Prima ratio Hæreticorũ.

Alterum est à ratione. Ad baptismum necessum est accedentem velle recipere sacramentum; at paruuli nec velle habent, nec nolle, quare nec baptizari possunt.

10 Vtrumque autem fundamentum leue est, & primo quidem diluitur dicendo: sat est, vt baptizatus credat in habitu, si minus in actu, nec enim necessum est fidem præire, quæ in ipso baptismo traditur, quod si in præfata auctoritate primo dicatur, *qui crediderit*, deinde subinferatur, *& baptiza-*

Ratio secunda

Vtraque leuis

tus fuerit, & ordo illius narrationis est à scriptore positus, non vero ordo necessario seruandus, nisi in adultis, quibus primo doctrina tradenda de hoc sacramento, vt sciant, quod sumpturi sint, iuxta illud Matthæi vltimo *docete omnes gentes baptizantes, &c.*

11 Alterum fundamentum solutionem difficultatis illius petit, quæ nam dispositio requiratur in suscipiente, de qua loquendo de adultis dicemus alias.

Vuiclephi dementia Interim de paruulis misso errore Vuiclephi asserentis per miraculum accelerari in Infantibus rationis vsum, vt consentiant baptismo, quod tunc inuentum est, quando fuit Vuiclepho opus, cum ex signis, aliisque nutibus liquido constet nihil tale sentire baptizatum infantem; cum rursum miraculorum multiplicitas vitanda sit: sunt, qui putant sat esse consensum, ac intentionem Ecclesiæ, sunt qui velint expeti consensum, ac voluntatem parentum: utraque tamen assertio falsa est, nam vt infra dicetur, si paruuli inuitis parentibus baptizentur, ratus est baptismus, & rursum si nullus adesset fidelis, adhuc ratus esset baptismus paruulo collatus; quare dicendum non esse necessarium in paruulo, vt ipse consentiat, sed sufficere voluntatem, ac intentionem Christi, qui est causa meritoria sacramentorum.

12 Alter sensus articuli de expedientia, & opportunitate, & licentia baptizandi paruulos in infantia maiorem videtur habere difficultatem, quia, & validiores habere visus est aduersarios. *Alter sensus quæsiti* Tertullianus enim Patrum antiquissimus *lib. de baptismo cap.* 18. existimat, si necessitas non vrgeat, conuenientius differendum esse paruulorum baptisma visque ad annos discretionis, ne *Sponsores*, inquit, *qui pro paruulo promittunt periculo se exponant non adimplendi, quod promittunt*, idemque sentire visus est explicans verba illa Christi Matth. 19. *Sinite paruulos venire ad me, &c.* Quo ex loco *Matth. 19.* deduxerunt etiam Recentes Nouatores Lutheri asseclæ non expedire infantes ante rationis vsum baptizare.

13 Hic tamen sensus penè moralis vno etiam verbo dilucidatur, vtpote qui ex superiori deducitur, si enim capaces sunt sacramenti huius infantes, neque in eis actuale requiritur velle, sufficiente merito Christi, vt quid expectandum aliud tempus ad id operis adimplendi, cum sacramentum hoc tam necessarium sit, quam quod maximè?

14 At, inquis, hoc ad summum in necessitatis casu conuincit: non dissentio, sed & extra necessitatis casû ita se gerere patet etiam, quia quis scit, an adoleuerint infantes? nonne inopinato euentu suffocari, & necari possunt, itaut nequeant recipere baptismum? in rebus autem incertis tutius est incedendum, cum ergo humana puerorum salus incerta sit, tutius cauetur illorum saluti per celerem baptismi appositionem, certum est enim fide, paruulos originalis peccati macula reos esse, proinde Patres baptizandos esse docuerunt, Clemens *lib. 6. constit. cap* 15. *Baptizate*, inquit, *paruulos vestros* Chrisostomus homil. ad Neophitos *tom. 5. Infantulos baptizamus, vt non sint inquinati peccato, &c.* Nazianzanus *orat. 40.* & cæteri passim, quamuis Nazianzenus de casu necessitatis loquatur, extra tamen illum casum expectandum velit saltem triennium, vt per se paruulus possit respondere. Ceterum hoc fortasse ille ait, quia ita consueuerant Pastores in græca Ecclesia ea tempestate; sicuti ita quoque locutum credimus Tertullianum; quia extra necessitatem paruuli tempore eius differebant ex aliqua consuetudine baptismû, Nunc vero temporis consuetudo illa abrogata est, facitque vsus Ecclesiæ, ut nedum expediat, sed necessum sit non expectare discretionis annos, sed baptizare paruulos in Infantili ætate, qui vsus uim legis habet, & contrauenientes peccarent lethaliter tum maxime; quia dilatio baptismi magno esset fidelibus scandalo.

Clemens
Chrisost.
Nazianz.
Tertull. expositur

15 Excipiuntur ex hac lege Primates, ac Reges, quorum filij ad celebriorem ritû interdû post trienniû baptizati leguntur, vt de Christianissimo Rege Ludouico nunc regnante in Gallia legimus, qui natus anno 1601. baptizatus est sub anno 1606. nisi forte dicatur baptismus Regi illi datus sub initio natiuitatis, ritum autem, ac cæremonias baptismi dilatas ad quinquennium, vtcumque sit autem, certum est nullum adesse ius conditum Ecclesiasticum ad baptizandos infantes statim natos, expedire autem accelerare baptismum tum ob periculum, tum ob receptam Ecclesiæ consuetudinem, quæ uim legis habet.

Appendix Cronologiæ Regū Franciæ apud Petrū Mattheum

16 Nec ratio Tertulliani quidquam probat, quoniam adulti cum fiunt infantes non tam à sponsoribus, quam à Pastoribus Ecclesiæ cogi possunt adimplere, quæ spoponderunt. Locus autem ille Matth. 19. perperam interpretatur à Nouatoribus; nam paruulorum nomine

Ratio Tertulliani nulla

nomine, constans est Patrum sententia, non tam paruulos secundum se, quam humiles spiritu, ac simplices à Seruatore intellectos ita Augustinus lib. Conf. cap. 4. Hieronymus in illum locum, & alij.

August. *Hieronym.*

Hactenus de paruulis fidelium parentum, nunc de paruulis infidelium sequenti articulo dicendum est.

AN LICEAT BAPTIZARE

paruulos parentum Infidelium

etiam parentibus inuitis.

ARTIC. II.

17 SVperior articulus non solum de consentientibus, sed & de dissentientibus parentibus appositus est, tam enim infantes eorum baptizari, quam ipsi ad exponendos baptismo infantes cogi possunt iura in iis exercente Ecclesia, de infidelibus autem quid agendum præsenti disceptatione disquirendum est, quam prosequitur Scotus in 4. d. 4. q. 9.

18 In cuius intellectum prænotanda est communis illa duplex infidelium conditio, ex quo enim infidelis nomine intelliguntur omnes, qui fide Christiana destituti diuersas sequuntur prauitate credendi sectas, iique bifariam spectari possunt; vel vt carentes fide Christi, quia nusquam infudit illis eam Deus, vel vt carentes, quia infusam amiserunt ex prauis suis, vel omnium articulorum incredulitate illis fit, vt infidelium nomine duplex conditio intelligatur, vel Hæreticorum, & Scismaticorum, qui à Christiana Religione impiè deficientes fidei iacturam incurrentes infideles iure nuncupantur; vel Paganorum, aliorumque id genus hominum, quibus nusquam infusa fuit vera Religionis fides; & Rursum, qui in secundo ordine præcitato positi sunt, bifariam adhuc spectari possunt, vel ut in Regno fidelium principum degentes, vel vt in propria ditione positi nullius Christiani Principis Imperio parentes; & rerum duplicitèr considerari possunt Principis Imperio subditi, vel iure politico, & generica subiectione, quam ciuilem subditorum subiectionem uocant, uel iure mercenario, & seruili; & ii rursum dupliciter spectari possunt, sicuti seruitus duplex est, quædam voluntaria, quædam ex mercede emptionis, & primi quidem serui, secundi mancipia nuncupantur, de singulis nonnihil dicendum.

Duplex infidelium conditio

Alia diuisio

Rursum præmittenda est duplex paruulorum conditio; quidam enim in Infantili spectantur ætate, antequam ratione, quo ad actum polleant, uel in ea ætate, qua rationis usu pollere diiudicentur; quo autem tempore usum habeant rationis Infantes, etsi communiter designetur septennium, certa tamen responsio nulla potest apponi, quia decrescente hominum ætate, & inueterascente mundo interdum malitia supplet ætatē. Domum parentum nomine utrumque intelligimus, Patrem scilicet, ac Matrem, uel coniunctim, uel diuisim. Hisce prælusionibus habitis.

Duplex paruulorum conditio

Sunt, qui putent Infantes rationis usu nondum pollentes ex utroque parente infideli natos, nulloque iure Ecclesiasticæ potestati, aut Principum Christifidelium potestati subditos licite, ac ualide baptizari posse, eo fundamento ducti quod Christus, qui à Patre constitutus erat Dominus, ac Princeps mundi totius hanc potestatem tradidisse visus est successoribus suis, nempe Petro, & Summis Pontificibus, immò, & Apostolis omnibus; ac proinde Episcopis, per illa verba Matthæi vltimi *Docete omnes gentes baptizantes eos &c.* quibus generatim potestatem in omnes gentes Apostolis indixit, poteritque experimento horum opinio confirmari, & probabilitate maiori fulciri, quia hactenus experimentū nos docuit Pontifices Romanos Occidentalium Regnorum apud Indos Peruanos, & similes illius tractus homines ibra partitos inter Lusitaniæ, & Hispaniæ Reges, ex quo facile deduci potest, si Pontifici Romano in iure posita sunt omnia Regna mundi, eaque Infidelibus ablegata depopulanda fidelibus tradere possunt, cur non item

Opinio prima.

Matt. vltimo.

filios inuitis Parentibus præcipere, possit baptizari, & ad fidem induci? siquè ciuile Æthnicos potestate, cur non Patria Ciues in filios expoliare potest?

Secunda opinio Scoti, & Gabrielis

21 In secunda opinantium serie collocantur, qui putant nullo iure licitum esse baptizare paruulos infidelium non subditorum Christianis Principibus ante rationis usum utroque parente reluctante, & inuito, at licere quidem Christiano Principi paruulos infideliũ sibi subiectorum ciuili subiectione utroque parente inuito baptizare.

Hanc opinionem inculcat Scotus *loco citato* & cum eo Gabriel, & Scotistæ omnes.

Tertia sententia Durandi, Caietani, Suarez, Cabreræ, Nugni, Vasquez, Turriani, Dianæ,

22 Tertio alij neutrā è superioribus sententiam approbantes; & simpliciter illicitum esse rati paruulos quorumcumque infidelium tam subditorum, quam non subditorum Christiano Principi parentibus inuitis baptizare, licere hoc tamen rentur, cum parentes ambo, uel alter Christianis serui, & mancipia considerantur, quo tempore licere aiunt Dominis eorum paruulos huiusmodi à parente, uel parentibus segregare, & segregatos lauacro baptismatis infundere, & baptizare. Sensit ita Durandus *in 4.d.4.q.6.* & inclinat Caiet. 2. 2. *q.10.in comm.ultimi articuli*, & apertius Suarez *3.p.disp.25. sect. 3.super quæst.68. articulum decimum*, Petrus Cabrera *q.68 art.10.* & Nugnus *q. 69. art. 2.* & alii. Vasquez autem *3.p.tom.3.disp.155. cap. 4.*& Turrianus *in 2.2.tom.1.disp.54.dub. 2.* addit præterea non modo segregatos in casu posse baptizari infantes, uerum etiam priusquam à parentibus segregentur, ac uendantur, adhuc sub parentum ipsorum cura manentes licitè posse baptizari; immò & teneri ex præcepto charitatis Dominos infantes huiusmodi baptizare. Hanc etiam sententiam prosequitur Diana *tract.15. resolut. 45.*

Quarta opinio Capreoli Soti Marsilij,

23 Quarto Alii nec superiori tertiæ sententiæ penitus adhæserunt, sed cum iis nefas arbitrati primam, et secundam sententiam amplecti, tertiam etiam despexerunt, putantes nec fas esse paruulos infidelium à parentibus segregatos, etiam si parentes Christianorum sint mancipia, illos baptizare, sed consulendos esse parentes, alioquin illicitè illis baptismum dari. Hoc tradidit Capreolus *in 4.d.5. q. 1. art. 3.* respondens argumentis Durādi, & Sotus *d.5 q.unica* & plerique alij è S. Thomæ familia, & ex exteris Marsilius *q.4. art.4. dub. 2.* & Ambrosius Catherinus *in opusculo de paruulis Iudæorum recipiendis ad baptismum*, necnon & Paludanus, qui etiam tanti faciunt patriam in Filios potestatem, ut uelint nedum nefas esse huiusmodi paruulos baptizare, sed & nullum quoque fore baptismum datum paruulis infidelium parentibus inuitis, siue seruis Christianorum, siue subditis tantũ, & multo magis non subditis, ex eo principio, quo putāt expeti necessariò uoluntatem Parentum ad hoc sacramentum recipiendum ualide, non tantum licitè.

Caterini, & Palud.

24 In tanta hac opinantium varietate non arbitror fore, vt aliorum argumentationibus conuincā a Scoti doctrina deflectere, nam qui reuera senserit S. Thomas tum 2.2. *q.10.* tum in *3.p.q.68 c.* ex varietate opinionum sectatorum eius elicies.

Obseruatio prima

25 Interim obserua indiscriminatim hoc loco nos citra Scoti sententiam de valore etiam baptismi dati filiis infidelium parentum ipsis inuitis loqui occasione præstita ab Aduersariis; nam Scotus de hac re non loquens planè significat se ne modicum quidem de baptismi sic collati valore dubitasse, eoque id potissimum, quod *d.4.q.2.littera B.* apertè docet fidem parentum non esse necessariam; immò nec fidem Ecclesiæ, posito casu quod nullus superesset in Ecclesia fidelis, ad valorem baptismi dati paruulis: ex qua doctrina idem facile deduces de voluntate, scilicet, parentum voluntatem ad rem non facere; quia & ipsi infantes vsu quidem, & actu voluntatis ratione vtentis carent, voluntatem tamen habent propriam, & rationem in habitu, quæ satis esse dicetur proportionabiliter, cum de adultis consentientibus ad baptismum loquimur; quare recapitulando, quæ diximus, de valore hic etiam loquimur. vt Aduersariis faciamus satis, licet disceptatio præsens potissimum ad enucleandam facti huius licentiam posita sit.

Alia est licentia à conuenientia

26 In cuius assecutionem ponderabis distare satis licentiam huius operis à conuenientia, & ab expedientia, quam vocant, licentia siquidem latius patet, quam conuenientia, vnde ortum habuit Paulinum assertum, *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, illa siquidem ad actum operis tendit seclusis pec ato, hæc etiam in ordine ad alios, sicuti liceret quidem mihi Ecclesiam verrere, & alia publicæ humilitatis opera passim facere

facere absque peccato, immò cum merito, at non expediunt, neque conuenirent dignitati Episcopatus, qua licet impari merito insignitus sum.

Obseruatio secunda

27 Obserua insuper, si de valore sit sermo indiscriminatim peti de persona priuata, & de Principe, quod cum valore baptismum impertiantur Filiis paruulis infidelium vtroque dissentiēte parente, ex quo enim valor operis illius è diuina voluntate instituente, & ex Christi passione tamquam ex causa merente hauritur, qualitas personæ dantis inepta esse censetur; siue ergo à persona priuata suapte operatione, siue à Principe, qui persona publica nuncupatur, per imperium detur baptismus, idem omnino in vtroque effectus. Cæterum, si de licentia sit sermo, secus de vtroque dante philosophandum est, priuata namque persona tenetur vtique alterius saluti consulere iuxta præceptum diuinum de correctione, at hoc præceptum cum debitis conditionibus vtpote affirmans seruandum est, nempe suadendo, monendo, rogando, vt Paulus Thimoteum instruens ait, *argue, obsecra, & increpa. &c.* quæ omnia circa adultos locum habent, non autem circa paruulos, qui nec rogari, nec obsecrari, nec increpari fructuose possunt; circa hos igitur siquid agere posset priuata persona hoc potissimum esset, inuito vtroque parente clam illos baptizare, & relinquere sub patria potestate, vel baptizatos furari, & abducere; vtrumque autem illicitum, ac nefas esset, quia relicti in paterna potestate à patribus in proprio errore educati parentum errata sequerentur adulti, quod in magnam Christianæ Religionis contumeliā tenderet; abducti autem insimularent furto abducentes, quod maximum est erratum, expoliando s. patria potestate parentes; atqui Princeps in vniuersitatis regimine positus, sicuti maiorem habet in vniuersitate potestatem, & maiori iure proinde & suæ, & aliorum saluti consulere tenetur, maiori cum licentia in tale posset opus incumbere, vt scilicet Dei minister, & in potestate à Deo constitutus; hoc autem verum esse puta circa eos, qui propriæ iurisdictioni subiiciuntur; nam circa alios, qui nullo iure sibi subditi sunt, se habet Princeps, vt priuata persona, vt patet. Insuper verum esse puta de Principe Christiano circa filios infidelium sibi subditorum ciuili subiectione, nam de iis, qui infidelis Principis potestati subiiciuntur impertinens est petitio, nedum, quia circa illos habet se Princeps exterius ad instar priuatæ personæ, sed etiam, quia casus impossibilis est, nisi vel gerat cum illis bellum, & armorū vi subiiciat, & tunc subditi eius fierent, vel nisi clam abduceret infantes illos, & propositum superius incommodum induceret.

Aliud est loqui de Principe, aliud de persona priuata.

Loquimur de Principe Christiano

De potestate Romani Pontificis in Regna mundi

28 An autem hæc suprema in omnes, tam infideles, quam fideles potestas in iis, quæ sunt iuris diuini, quæ in Summo Pontifice, vt Christi Seruatoris Vicario constituta est, ad potestatem hanc regna immediate subiiciendi ciuili potestati Ecclesiasticæ, vel aliorum Christianorum Principum, & paruulos illorum infidelium licite abducendi se ferat, malo doceri, quam disquirere: cæterum affirmatiuæ partis non leue indicium est Alexandri huius nominis VI partitio insularum, ac continentis terræ noui orbis in Emmanuelem Lusitaniæ, & Ferdinandum Catholicum Reges linea quadam per imaginationem ducta, ex cuius dono Hispaniarum Rex Indiis potitur, sed hoc nec nostra, nec huius loci, & temporis interest.

Tertia obseruatio

29 Tertio obserua, infidelium vocabulo hoc loco non quoscumque fide destitutos intelligi, sed non fideles verè, hæc autem est discriminis, me iudice, ratio inter infidelem, & non fidelem, quod infidelis nomen latius patet, quam non fidelis, siquidem illud comprehendit etiam subiecta apta ad fidem nata, & proximè apta, quales sunt homines, qui fidem edocti, ab ipsa postmodum defecere fide, sicuti scismatici sunt, & Nouatores hæretici; non fidelis autem propriè dicitur, qui nec fidem habet, nec habuit vsquam, & de infideli hoc secundo sensu loquimur, idest de non fidelis hominis infantibus, etenim in primo sensu reor nedum infantes tales, sed & eorum parentes ad fidem, quam in baptismate susceperunt, seruandam cogendos esse, vt tangitur in Concil. Tolet. 4. *sub Hon. 1. can. 55.* Ratio est, quoniam parentes horum infantium directè Ecclesiæ subiacere tenentur, quippe qui sacramentorum ianuas, ac fores in lauacro baptismatis ingressi sunt, & proinde se, suosque filios veræ fidei deuouerunt, habetque in eos peculiare ius, ac potestatem Ecclesia.

Alij sunt infideles, alij non fideles

Assertum primum,

30 His præhabis. Assero primum, Baptismum paruulis Infidelium parentibus inuitis datum à quocunque validū esse.

Hæc

Assertio contra Durandum, et Paludanū.

Hæc assertio etsi habet oppugnatores non ignobiles cum Paludano, & Durando, difficultates tamen me iudice carere debet apud Scolasticos, quibus inconfesso est sacramentum integrari ex sola forma, & materia cum intentione ministri. Cæterum de voluntate parentum erga filios integritas sacramenti nō pendet, vt ex Concilio Florentino patet *in decreto Eugenij* nihil tale postulante, & etiam *alibi* tradidimus fidem, ac voluntatem parentum non esse ad sacramenti valorem necessariam.

Probatur.

31 Quo circa apposite ad hanc assertionem arguendum est. Quod non est de necessitate sacramenti in vno recipiente baptismum, cæteris paribus non est necessarium in alio, sed in aliquo paruulo voluntas parentis, ac fides non necessario expetitur, ergo nec in alijs, proindeque impertinens est dissensus infidelium parentum ad valorem baptismi dati paruulis eorum filiis.

In maiori apposite particulam illam *cæteris paribus* addidimus, ne forte de adultis difficultatem facias, in quibus assensus, seu voluntas recipiendi sacramentum necessario requiritur, quo sensu maior liquido patet, si enim cæteris paribus loquimur, non est cur diuersimode de vno philosophemur, ac de alio; sed pariformiter disserendum de singulis, vbi nulla discriminis est ratio. Minorem probamus tum apud nos, tum apud Hæreticos, certum est enim parentum voluntatem non requiri ad valorem baptismi in nobis, & nemo ire potest inficias validum esse baptisma filiis Hæreticorum datum, quamuis parentes ipsi fide careant, nollentque filios lauacro ipso regenerari, cum sit Ecclesiæ voluntas, ac fides satis, immo cum nec ipsa Ecclesiæ requiratur fides posito casu quod nullus esset in Ecclesia fidelis, ut alias disseruimus.

Assertum secundum contra Thomistas.

32 Assero secundum, si parentes seruili subiectione Principibus subduntur, vt mancipia licite posse eorum filios paruulos parentibus inuitis baptizari. Habet oppugnatores non paucos ex S. Thomæ Familia, quorum supra meminimus: Cæterum Suarez enixe conatur Sanctum etiam Thomam in hanc nostri assati veritatem inducere, quidquid autem de eius sit sententia assertio nostra probatur à Suarezio. Non dissimiliter circa hanc licentiā de circumcisione, ac de baptismo loquendum, at licuit Circumcidere paruulos parentibus inuitis Hæbreorum iuri parentibus, ergo & baptismum dari licet infantibus reluctantibus parentibus seruili Christianis iure parentibus. Maior a simili patet, nam quo vniuersalius præceptum, eo necessaria magis eius obseruantia: at baptismus vniuersalior est circumcisione, quæ Hæbreorum semini dūtaxat, hic autem orbi Vniuerso mandatus est: si ergo dari illam licuit paruulo reluctante parente, & hunc multo magis licebit: Minorem confitebitur, quisquis acta Machabeorum attenta percurrerit mente, 2. siquidem *primi libri Machab. cap.* narratur Mathathiam venerandæ senectutis virum post partam de Anthioco victoriam idolorum destruxisse phanum, & aras, & quotquot in fortitudine incircumcisos reperit filios circumcidisse.

Probatio Suarij.

Interpretatio Soti liberare nititur.

33 Hæc tamen ratio vilipendenda est, non equidem eo ex capite, quo Sotus eam negligit *in 4 d. 4.* asserens *Mathathiæ in hoc casu zelum sine prudentia fuisse* quandoquidem factum hoc scriptura, vt memorabili sanctitatis gestum, & zeli Dei vindicijs opus memorat, porro si zelum hunc quis sine prudentia dixerit, non excusabit Mathathiam à peccato, quod asserere impium de tanto viro dixerim.

Explicatio quæstionis

34 Alio autem ex capite rationem Suarezij negligerem, quia scilicet Mathathias in ciuitatem, & arcem ingressus non quoscumque pueros circumcidit, sed incircumcisos, nec quoscumque incircumcisos, sed eos incircumcisos tantū, quos paulo ante scriptura illa memorat iussu regis Antiochi relictos fuisse incircumcisos *cap. 1. num. 5. & iussit edificari aras, & templa, & Idola, & immolari carnes suillas, & pecora communia, & relinquere filios suos incircumcisos, &c.* hos igitur incircumcisos Hæbreorum pueros in ciuitatem rediens Mathathias 2. cap. num. 46. circumcidit, sicut & aras subuertit, habetur enim ibi, *& destruxerunt aras, & circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot inuenerunt in finibus eorum, & in fortitudine, &c.* Hæc ibi ex quibus patet incircumcisos illos fuisse Hæbreorum infantes, non gentiles, hos siquidem iusserat Rex Antiochus incircumcisos relinqui.

Probatio propria.

35 Suadetur itaque assertio in hunc modum. Id licite fieri dicimus, quod si fiat nullum sequitur inconueniens; nullum affert incommodum, nullis iniustitia, sed Deo potius augetur honor, & gloria: at ex baptismo, si detur paruulis

lis infidelium Christianorum mancipiorum filiis nullum sequitur inconueniēs, nullum incommodum, nulla iniustitia, sed Deo datur gloria, & honor, ergo si detur iis baptisma licitè datur. Maior probatione non eget, cuius particulæ ipsam non minus exponunt, quam probant.

36 Minorem ostendo quoad singula, & primo non sequi inconueniens, etenim, si paruuli illi è parentum segregentur consortio nullum inconueniens secuturum probo. Si quod enim inconueniens sequeretur peto, animæ ne, an corporis? animæ, scilicet imminente periculo, ne ex consortio parentum filii grandiusculi ad ingenium reuerterentur, & ad patrias leges; corporis vero discrimine imminente, ne parentes filios occiderent: at his incommodis satis abūde occurritur, si segregentur à parentibus filii prædicti, sique baptisma detur cautes vt Scotus monet. Quod & nullum sequatur incommodum suadeo, an parentibus incommodum eueniret, an vero filijs? & his quidem quodnam rere futurum incommodum, si tuta ad cælos aperitur via ex sacramentorū ianua, qualis est baptismus, vnde commodum nanciscuntur animi, non autem incommodum, corporis etiam, & vitæ commoda sentirent segregati à parentibus, & Catholicorum pietati subiecti, quod experimento probamus maximā Cathecumenis hisce adhiberi curam: sed nec parentes sentirent incommodum nutriendi filios onere nudati, nisi mauis credere hic sequi incommodum, quod iniustitia iis manifesta decideret, quæ tertia particula probationis minoris innuitur, sed & hæc iniustitia, quam tanti Caietanus facit cum cæteris è Sancti Thomæ familia propulsatur, siquidem quod iure fit, iustè fit, hæc autem subtractio filiorum à parentibus mancipiis Christianorum iure fit, ergo, & iustè: patet maior, quia ius iustitiæ contrarium non est ex legum peritis: subsumpti dilemmatis minor probatur: ex vi iuris, & potestatis in seruos, & mancipia potest princeps vendere, eorum filios ipsis etiam parentibus inuitis, vt probamus experimento, ergo multo magis subtrahere potest illos, & baptismo subdere.

Argumētū sui explicitum, & vrgens.

37 Hæc vltima illatio Caietano displicet aiens disparem esse rationem de baptizatione, & venditione, quia hæc est ciuilis iuris, illa diuini, propterea potest Princeps vendere seruorum filios, qui subduntur ei ciuili iure, non potest autem baptizare, quia hoc est iuris paterni, quod Princeps tollere non potest, ita propemodum is Auctor philosophatur 3.*p.q.*68.*art.*10.

Responsio Caietani.

38 Ego autem discriminis huius varietatem non video, immò oppositum videtur mihi deducendum ex Caietani doctrina, nam si parentes ius suum ciuile amittunt in filios si sint Christianorum mancipia, quodcumque fiat circa filios, qui amplius paterni iuris non sunt, recte fiet, nec est Pater magis Filij Dominus quoad animam, quam quoad corpus, immo non habet Pater in Filiorum animam ius aliquod, & siquod habet ad salutem habet, nō ad animæ perniciē neque iure vllo humano, aut diuino circa animæ perniciem filii parentibus subduntur; quare si Patres in casu ius ciuile, quod habent in filios amittunt, multo magis licite possunt iure illo suppostitio expoliari, Non igitur vereor, quin possit hoc fieri, si cautè hoc fiat.

Conuincitur Caiet.

39 Assero tertium: Non licere baptismo subdere infantes infidelium non subditorum fidelibus, subditorum autem fidelibus licere. Assertum duplici conflatur parte, & prior quidem liquidò constat, tum quia nullum in iis ius habent Christiani Principes, tum quia fieri hoc minime posset sine maximo tum baptizantium, tum baptizatorum periculo, & proinde cum nulla circa hoc opus adhiberi cautela posset, opus fieret non licite. Mitto, vt supposui disputationem hoc loco de auctoritate Pontificis Romani, an scilicet immediata, sit in omnium Regna, an indirecta, an in temporalibus, inquam, sit immediatè omnium Dominus, an vero mediante spiritu, quod alii efferunt, vide Auctores apud Barbosā *de pot. Epis. p. p.*

Assertio Tertia

Prima pars patet

40 Altera asserti particula probatur à Scoto *in 4. d. 4. loco citato.* In subordinatis potestatibus hoc certo statuendum est inferiorem nullius esse valoris in iis, quæ contra superiorem pugnant vnde Augustinus *hom 6. de Domini verbis. Si illud iubet potestas, quod non debes facere, hic sanè contemne potestatem timendo potestatem maiorem*, habetque eius effatum ex natura rei veritatē, cum inferior superioris iudex non sit, neque in superioris auctoritatem ius habeat, alioquin non inferior, sed superior esset, atqui hæ duæ sunt potestates subordinatæ potestas Dei, & potestas parentum in filios, & hæc est inferior illa; paterna

Probatio Scoti egregia

igitur

Igitur potestas in iis, quæ diuinam impugnant nullius est ponderis. Subsumendum deinde. At præceptum Parentum de non recipiendo baptismum à filiis pugnat contra diuinum de sacramento hoc ipso præceptum Matth. vltimo datum *baptizate omnes gentes, &c.* & implicite innuitum Ioann. 3. *Nisi quis renatus, &c.* ergo nullum est, ac nullius plane ponderis, ac valoris.

Caietani responsum

41 Audiamus ad hoc Scoti dilemma Caietani occursum. *Verum hoc esset* (inquit Caietanus) *si Deus Euangelicam legem instituisset ita, vt non obstante naturali iure seruaretur, atqui oppositum dicendum est, siquidem legem instituit Christus saluo naturæ iure: est autem de naturali iure parĕtibus subdi filios in infantili præsertim ætate.*

Ineptum satis

42 Ineptus tamen occursus, quasi vero Christiana lex in aliquibus naturali legi cŏtraria sit; lex enim positiua diuina legi naturali diuinæ minime contrariatur, ut probatur in materia de legibus: sed iuuat paulisper Caietanum arguere petendo, an hæc paterna potestas in animum filii sit ad perdendum an ad seruandum filium? si ad perdendum, ergo Deus, qui hanc potestatem parentibus tradidit, quique in perditione filios parentibus subdidit, perditionis filiorŭ primaria dicetur causa, qui subdidit filios parentibus, exque ipsius mandato parere filii tenentur parentibus in perditione, quod asserere impium est omnino: si hæc potestas ad seruandum est, ergo vbi de perdendo se se offert occasio, non est in patre erga natos potestas, si ergo ipsi præcipiant non baptizari; præceptŭ hoc nullŭ erit, quod ad perniciĕ tendit, non ad salutĕ: ultimo igitur vanum omnino credere legem naturalem validam esse, vbi cum diuina pugnare videtur; sed certè nullibi pugnat, cum diuina præcepta sint legis naturæ declaratiua potius; si enim natura docemur subdi filios parentibus, modum nos docet Euangelium in iis, quæ sunt pro anima, & ad animam; deditque nobis exĕplar Christus, dum postulatus à *Matre*, seu postulanti cuidam, ac affirmanti Matrem esse foris respondit. *Quæ est Mater mea? Quicumque fecerit voluntatem, &c.* hisce innuens subdi filios parentibus in iis, quæ ad animum spectant, & ubi de obseruatione præceptorum est sermo.

Matth. 12.

43 Hæc eadem doctrina suaderi potest, quia etsi ius aliquod haberent parentes in filios quoad animum, si nollent eos baptizari, ius illud amitterent; etenim si leges vt iustum ferunt Patrem paterna in filios potestate priuari, quos vellet occidere, quanto magis nudandi sunt iure paterno, si vellet eos damnari ad inferos ob præceptum de non suscipiendo baptismum? valet enim affirmatiua arguitio à minori ad maius, juxta illud. *Si de quo minus videtur inesse, & inest & de quo magis*, & illud oppositum. *Si de quo magis videtur inesse & nō inest, ergo & de quo minus*, porrò sotritualem vitam corporali præstare dubitare impium est. Quod si dicas, at ex Paulo *Rom. 3. non sunt facienda mala, vt eueniant bona.* Non dissentio, sed quæso te, vt de malum baptizare filios inuitis parentibus? hoc est enim, quod hucusque decucurrimus non esse malum.

Persuasio asserti.

Rom. 3

44 Non est tamen hoc loco silentio obuoluendum, vt notauit Gabriel *d. 4. q. 2. dub. 5. littera S.* quod cum hoc sine magna cautela fieri licitè nequeat, hinc fit, vt ex cautelarum defectu non consueuerint vsquam Principes Christiani hoc agere, & Romani Pontifices præsertim, qui in temporali Ecclesiæ Iurisdictione Hæbreorum filios parentibus inuitis nunquam baptizarunt, nisi in ea ætate, qua eorum expostulari consensus queat.

Obseruatio Gabrielis.

45 Et quoniam obiter consensus meminimus hoc loco, qui præceptum porrigit Aduersarijs oppositum sentiendi fundamentum, aduertimus non admodum difformiter de consensu requisito ad recipiendum baptisma in paruulo loquendum, ac de fide, tam est enim fidei, quam consensus capax infantulus, vtroque tamen habitu carens ob desectum rationis vsus, & sacramenti suscepti: porro fidem nullam exposci in parentibus contra Alensem monstrauimus *superiori art.* cum Scoto *d. 4. q. 2. in fine*, eo igitur modo philosophandum de consensu, vt nullus in paruulo necessariò expetatur realis consensus, nullus in parentibus, quorum voluntas in iis, quæ ad Religionem spectant, non censetur esse voluntas filiorum; quòd si qui requiritur cŏsensus, is erit consensus Ecclesiæ, & baptizantis, quod si nullus esset in Ecclesia consentiens, certè præterquamquod casus est impossibilis, saltem enim baptizans consentiret, nisi enim vellet baptizare, non baptizaret, quia intentio faciendi, quod facit Ecclesia ad sacramenti veritatem exposcitur, vt generatim de sacramentis loquentes ostendimus, neque quis in Parentibus dato

Nec fides nec consensus in paruulo exposcitur

casu

casu; neque quis in paruulis requireretur alius consensus, sed Christi merita sufficerent, lege Scotum *in calce quæst.* 2. *& q.*

Solutio obiectorum

46 Ex his facile dilues Thomistarum obiecta. Nam quæ à nonnullis feruntur de facto; scilicet, quod si hoc licitè fieri posset, accidisset aliquando, vel tempore Constantini pijssimi Imperatoris, vel tempore B. *Caroli* Magni; quorum vterque fidei Christianæ studiosissimus fidem ipsam in orbem induxit, is quidem in gentiles, Carolus autem in Hispanos, & *Mauros*. *Atqui* neuter hoc vsus est medio. *Hæc* (inquam) ruunt, nam forte nusquam cautelæ necessariæ adhiberi potuerunt, quarum defecta noluerunt Christiani Principes potestate vti, quemadmodum neque nostris hisce temporibus id à Summis Pontificibus fieri consueuit.

Constantini & Caroli pietas.

47 Quæ habet Sotus facile dilues. *Ait* is primo Paulum oppositum nos docere 1. *Corinth. cap* 5. *Quid mihi de his, qui foris sunt*, sed hoc ad rem non facit, dum Paulus de Infidelibus adultis loquitur, quorum iudicium ad se spectare negat, de paruulis autem baptizandis nec per somnium Paulus *ibi*. *Ait* secundo Concilij *Tolet* 4. *decretis can*.56. oppositum tradi his verbis. *De Iudeis autem præcipit sancta Synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri, &c.* Sed hæc etiam auctoritas de adultis loquens ad aliam disputationem retinenda est, siquidem paruuli non dicuntur cogi. *Ait* tertio decerni. *extra de conuers. infid. quod Patre ad fidem conuerso consentiente ad baptismum filij, baptizetur filius etiamsi Mater infidelis renuat*, ex quo colligit Sotus hanc sequelam. *Ergo si ambo in infidelitate persistentes renuont, paruuli eorum nequeunt licite baptizari*. Ineptus tamē arguendi modus, quia sequela nulla est; *ibi* namque præcipitur baptizari filium etiam renuente Matre; sequela ergo debet esse, ergo non præcipitur baptizari renuentibus Parentibus vtrisque, quæ consecutio conceditur, quia nos licere hoc probauimus, non autem necessum esse id facere.

Argumentum Soti primum solutum

Diluitur secundum

Soluitur tertium

48 Demum putat Sotus, seu saltem dubitare videtur, an Patre infideli; fideliquc Matre baptizari queat licitè vtriusque infans? & dubitandi hausisse visus est ansam ex Augustini facto, cuius baptisma ad alia tempora dilatum est, propterea quod etsi id Mater fidelis contenderet, renuebat infidelis Pater.

Obiectio Soti ex facto Aug.

49 At hæc dubitatio temere ponitur contra Toletanum allegatum Concilium, quod baptizandos decernit infantes ex infideli, fideliquè *Matre* progenitos: & *Augustini* factum longe præcitatum Concilium antecessit, is enim floruit Valentiniano, ac Valente Augustis, & Concilium illud coactum fuit Toleti circa tempora *Honorij Papæ* Primi, & Heraclii Imperatoris, *& can.* 62. decreuit tam baptizandos esse pueros ex *Matre* infideli, & *Patre* fideli gnatos, quam ex Patre infideli, & Matre fideli progenitos, vel fortasse in *Augustini* baptismo cautè incedere Mater fidelis non poterat, quem proinde prudenter distulit in opportuniora tempora.

Retunditur

Argumenta aliorum de lapsa parentum iustitia, & de lege naturali, & iure naturali Paterno in filios ex hactenus deductis diluito.

50 *Articuli* huius Appendix sit petitio de paruulis expositis, quid nimirum agendum de ijs? Scotus hanc ipsam petitionem prosequitur *d.* 4 *q.* 8. & Resolutio facilis est.

Paruulorum expositorum nomine intelligimus siue nothos, siue legitimos infantes, quos vel parentum metus, vel egestas in aliquem locum coegit aliorum, vel pietate, vel discretione alendos, quorum gratia multa apud nos Xenodochia constructa, insigne hoc pietatis argumentum prosequuntur alendo præfatos expositos; & de his quidem sin minus habeant de collato sibi baptismo schedulam, quam vt plurimum cum nomine inter infantilia indumenta gerere consueuerūnt consita, habendum est sicut de iis, de quorum baptismo veremur: baptizandi sunt ergo sub conditione. *Si non es baptizatus. &c.* quamuis Scotus velit per aliqua etiam signa à nutricibus experimento probatum, an quis esset baptizatus imposito, scilicet, sale in os pueri. Inter fideles autem raro factum inuenies, quin etiā in paruulis hisce schedulam reperias, vel baptisma notantem, vel baptisma petentem.

Appēdix prima de paruulo exposito

Alia superesset petitio de paruulis in vtero *Matris* existentibus, quam vtpote modica difficultate refertam dilues ex hucusque decursis; interim consule Scotum *d*.4 *q*.3.

Alia appendix

DE ADVLTIS.



CAPVT II.

AN ADVLTI IN VTERO *iustificati baptizari debeant.*



ARTIC. I.



41 QVæsitum hoc prosequitur *Scot. s d.4.q.6.4 sent.* cumque controuersiam non habeat, in re morali non admodum prolixo sermonis decursu transfigetur, quo iam autem duo dumtaxat homines in materno vtero sanctificati leguntur, Ieremias videlicet, & Ioannes Baptista, & prææteris singulariter ab originis culpa præseruata creditur Beatissima Virgo, Deiq; Mater, de ijs potissimum dubitatio vrget, an hoc lauacro regenerati fuerint, adque id subeundum tenerentur. Equidem de Ieremia, qui baptismi institutionem tot sæculis antecessit dubitatio præposita vix bitur cuipiam sacra, & inconueniens, res tamen attentiori mentis intuitu perspecta difficultate non vacat: quoniam si par de baptismo, ac de Circumcisione iudicium ferendum circa necessitatem rentur Patres alias in hoc opere relati, eadem potest de Ieremia ad Circumcisionem, quæ de Ioanne Baptista ad baptismum relato dubitatio vrgeri. In vniuersum autem nullum horum fuisse legi, vel Circumcisionis, vel baptismi respectiuè ligatum.

Ieremias, Ioannes Baptista, & B. Virgo in vtero Matris iustificati licet diuersimodè.

Ratio exemptionis eorum à baptismo.

Ratio cogere videtur, nam, qui quo indiget obtinuit, non indiget plane medio ad acquirendum, quod habuit: at hi viri, & Virgo Deipara obtinuerunt id, quod ex baptismo habetur, vt medio, nimirum deletionem originalis culpæ, vel præseruationem etiam, illa enim Baptista, hæc Virgo donata fuit; quare vterque medio ad id habendum, quod præhabuit, non indiguit.

Prima de B. Maria.

42 Consimiliter argue de Ieremia ad Circumcisionem. Maiorem habes ex dictis ab Ambrosio de Valentiniano Cæsare, qui inbaptizatus decessit; nec tamen dicendus est damnatus fuisse, cum quod poposcit habuerit Doctore Ambrosio. Et confirmatur, quia entium absque necessitate multiplicitas vitio non caret, vt notant Philosophi præceptore *Aristotele primo naturalium*, at in iis baptismi collatio necessaria non fuit, quippe quibus deletum fuit in vtero originale, vel præuentum, ne originali inficerentur labe, collataque gratia, hinc de Ioanne legitur, quod *Repletus est Spiritu Sancto ab vtero Matris suæ*, & de Virgine identidem effatus Angelus eam gratia vocauit plenam, & Dei præsentia munitam *Lucæ 1. Aue gratia plena Dominus tecum.*

Alia de Ioanne Baptista.

43 Idem puta de Ieremia, quem cum sanctificatum legimus Ieremiæ 1. in vtero Matris. *Antequam exires de vulua sanctificaui te*, & gratia donatum vidimus, cum regulariter absque gratiæ infusione non dimittatur peccatum. Consimilis vrgeri poterit difficultas de iis, qui ante receptionem baptismi vigore baptismi flaminis, vel baptismi sanguinis mundati non vltra baptismo fluminis indigere videntur, hinc neque vllibi leguntur Apostoli baptizati Christi baptismo, puta non indigentes flumine, quos iam mundauerat flamen. Specialis autem de Ioanne Baptista vrgeri dubitatio potest, quia præceptum de baptismo suscipiendo, vt alibi dictum est, non statim, ac institutum est baptisma obligatorium fuit, cucurrit enim quoad vtilitatem Circumcisio cum baptismo vsque ad Pentecostem in via Scoti, neutro existente sub præcepto, vtroque sub vtilitate; atqui Ioannes Baptista ante Christi mortem fuit capite truncatus, vt patet Marci 7. immo non multum post temporis à baptizatione Christi coniectus est in carcerem, vnde ab Herode decollatus exiit, nullibi igitur baptizatus creditur, dum nullibi legitur.

Et de Ieremia.

Et Apostolis.

44 Quod enim aliqui contendunt confisi auctoritate Crisostomi, *super c.5. Matth.* Ioannem à Christo baptizatum in Iordane statim ac Christus à Ioanne baptizatus fuit, vt vicissim baptizati ibi ambo fuerint Christus à Ioanne, Ioannes a Chri-

Reiectio sensus aliorum.

Christo, Christus Ioannis, Ioannes Christi baptismo, aniam porrigente Euangelico contextu, quo Ioannes renuens Christum aqua sui baptismatis lauare, *Ego (inquit) debeo à te baptizari*, cui respondit Christus *sine modo, hoc est expecta parumper idonec ego a te baptizer lege; ac institutã impleturus; mox ego te baptizabo.*

Leuis aliquorum coniectura

56 Quod enim hoc aliqui contendant, non minus leuiter, quam voluntarie loquuntur, non obid, vt retur Sotus *d. 5. quæstio... art. 1.* quia si id accidisset nimiè dissimulasset Matthæus suæ hystoriæ contexere, est enim leue argumentum ab auctoritate negante nullam vim faciens, eoque id magis, quia vt in calce sui Euangelij, profitetur Ioannes non omnia à Christo gesta relata sunt, defecissent enim libri; sed quia non, dum cum Christus baptizatus est à Ioanne, baptismus Christi institutus erat, neque tunc temporis institutus fuit, vt suo loco probauimus.

Sotus luditur...

Augetur dubium de Baptista.

57 Rursum de Ioanne augetur dubium quia is ad veterem potius, quam ad nouam spectare legem dicitur, siquidem ex Paulo Heb. 9. *testamentum nouum in Christi morte confirmatum est*, ante quam decesserat Ioannes; quare baptismi præcepto subiectus, aut actui baptizationis non fuit, quod indicat Ecclesia non canens in eius natiuitate symbolum.

58 Non est tamen à sententia affirmante recedendum, ac simpliciter statuendũ iustificatos in vtero teneri ad baptismũ. Elicitur generatim ex illo Seruatoris Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in Regnum Dei*, quod ante prædixerat *ibi Nisi quis renatus fuerit denuo non potest videre Regnum Dei*; & inculcat iterum in sequentibus. *Non mireris, quia dixi tibi oportet vos nasci denuo.* Tanta scilicet est huius lauacri necessitas, vt ter fuerit à Christo in eius instituti ne proclamata: quibus ne putes necessitatem dumtaxat iteratæ natiuitatis ad Spiritum scilicet esse expositã dum dicitur, *nisi quis renatus, &c.* habes ex prima auctoritate *nisi quis renatus fuerit denuò.* Quid est *denuo* nisi *iterum*, quid est *renasci*, nisi *iterum nasci*? ecce quomodo bis oportet nasci, hoc est renatos spiritu per sanctificationem, iustificationem, præseruationem: per sanctificationem, vti Ioannes, per iustificationem, vt Apostoli, per præseruationem, vt Beatissima Virgo Deiparens, oportet denuò nasci per lauacrum regenerationis, quod est baptismus: non ergo so-

Vera opinio.

Notabilis explicatio.

lum natos denuo nasci oportet, hoc est, non solum in peccato genitos, ac natos, sed & renatos, hoc est præseruatos, iustificatos, sanctificatos, denuo nasci oportet, & expositio est maxime aduertenda ad cuius captum recole ... tam necessitatis diuisionem in necessitatem medij, ac præcepti, ac dictò; si non vtique necessitate medij, saltem præcepti teneri renatos nasci.

59 Huiusce dicti rationem affert Scotus triplicem, quarum prior videtur vrgere magis Omnis lex generaliter promulgata, qua nullus excipitur omnes ligat, atqui lex de suscipiendo baptismo generaliter fuit edita, & promulgata, neque vllus ab ea in eius institutione, ac promulgatione exceptus est, omnes igitur ligat non est ergo cur iustificatos gratis ab ea eximamus.

Ratio Scoti vrgens.

60 *Maiorem* tradunt iure consulti. Minor ex loco Ioannis citatò liquet, vbi absque personarum discretione effatur de necessitate baptismi Seruator iuxta interpretationem à nobis hucusque decursam.

61 Nec ab re factum puta, vt nullus ab ea lege exciperetur, quia congruum fuit omnes de lege Christi in vno communi signo conuenire, quo a cæteris distinguerentur. *Lege Scotum*, eiusque rationes *loco citato littera A.* Atqui ex his deducendum necessario, tam Apostolos, quam Ioannem Baptistam, immò & Beatissimam Virginem Deiparentem lauacro baptismatis fuisse linitos & de Apostolis quidem id elicit Scotus ex illo Ioannis 13. *qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet, & vos mundi estis sed non omnes* vbi glosa auctoritatem de lotione per aquam baptismi intelligere videtur; minus tamen apte, vt reor, quia ibi renuentem Petrum lauari docuit Christus, Apostolos omnes esse in gratia, præter Iudam; subdit enim *Sciebat enim, quis eum esset traditurus, propterea dixit, non estis mundi omnes.* En quomodo de iustificatione simpliciter, & non in ordine ad aquam loquutus est Christus, alioquin dicendus esset Iudas non fuisse baptizatus, quod incredibile est singulariter illu... si cæteros baptizatos confitemur.

Concluditur tam Apostolos quam Baptistã, & Virginem, fuisse baptizatos.

62 Etsi igitur id minus dilucidè ex Euangelio colligitur, non ob id tamen negatur; quia ex ratione proposita non apparet ratio dispensationis in eis, immo de Apostolis dicendum ligatos eos ad baptismum fuisse; nam quamquam præceptum baptismi, quo tempore bapti-

zatos remur Apostolos, nondum erat obligatorium, ipsi certe Apostoli quo tempore obligare cæpit baptismi præceptum in humanis erant, nec vllus, Iuda excepto decessit, ante promulgationem legis, cui propterea non dispensati subiecti erant.

63 Secus dicendum de Ioanne Baptista, qui ante Christi passionem decessit, neque obindè præcepto suscipiendi baptismatis ligatus fuit, quod non prius, quam Christi mors esset sequuta, ligare cæpit: baptizatum igitur arbitramur Baptistam Christi baptismatè, non quidem ex necessitate medij, quia iam in materno vtero iustificatus medium habuit necessarium, ac sufficiens ad salutem, nec ex necessitate præcepti; quia circumcisio dumtaxat in eius ortu, sub præcepto erat, cui subiectum fuisse docet Lucas cap. 1. *& factum est die octauo venerunt circumcidere puerum*, & baptismus à promulgatione legis cæpit esse præcepto solum; vt *alibi* diximus, sed baptizatum remur Ioannem nedum ob Sanctorum dicta id testantium, *Hieronymi* præsertim *in 3. cap. Matth.* sed congruentia ducti, dedecet enim de tanto viro credere neglectum fuisse Christi baptisma, quod alijs tanto prosequebatur officio, & laude *Ille* (inquiens) *vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne* Lucæ 3. *Hic est, qui baptizat in Spiritu sancto* Ioan. 1.

Cur baptizatus Ioannes Baptista.

64 In quod autem tempus Ioannis Baptistæ baptismatis Christi susceptio inciderit temerè disinire quis audebit, dum de eo ne verbum quidem scriptura? probabiliter tamen opinari licebit, ac asserere Ioannis prædicationem, ac baptismum non diu durasse, is enim iuxta Lucæ Euangelium anno Imperij Tiberii Cæsaris decimoquinto venisse legitur in Iordanis regiones ad baptizandum, si autem annus fuit tertius ante Christi necem; Ioannes autem biennio ferè in carcerem ab Herode Antipa Galileæ Tetrarcha iniectus permansit; càpite autem truncatus circa festum Pascha anno Christi 32. expleto, Tiberij Cæsaris decimoseptimo; quia 18. eiusdem Imperij anno decessit Christus Crucis pro hominum salute supplicium ferens: dicendum igitur Ioanni baptismum, à Christo collatum incidisse in primum eiusdem Christi prædicationis annum paulo antequam inijceretur in Carcerem Ioannes, certum est enim Christum cæpisse baptismo suo linire populos ante Ioannis detentionem, nam Ioan. 3. legitur Christus demoratus in Iudæa baptizasse; quo tempore Ioannes baptismo suo baptizabat in Aennon iuxta Salim, vnde Ioannes Euangelista subdit ibi *Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem*, certum est etiam tunc temporis nondum baptizatum Ioannem; quia discipuli Ioannis quasi admirantes conquesti sunt, quod Christus etiam baptizaret, dixerunt enim Ioanni *Rabbi qui erat tecum trans Iordanem & cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat &c.* porro si ante hoc tempus Ioannem Christus baptizasset, admiratio discipulorũ nulli fuisset fundamento innixa; quia admiratio est de re noua, vt patet; ergo paulo post crediderim baptizatum à Christo Ioannem, cuius baptismo expleto coniectum eum in carcerem crediderim paulò antè; quam secederet Christus in Galileam, transiretque per Samariam Ioan. 4. dum scilicet Christi nomen in regiones Iudeæ, Samariæ, & Galileæ profundi cæperat; vnde Lucæ 3 fit mentio baptismatis à Christo suscepti incipiente quasi annorum triginta, circa quod tempus inclusus ibi memoratur Ioannes in carcere; quare crediderim baptizato Christo incidisse sermonem eius cum Nicodemo, & obinde baptismi institutionem, paulò post exhibitionem eius baptismi factam, Ioanni, post quam Ioannes in carcere fuit inclusus.

Et quando baptizatus?

Aucthoris opinio.

65 Sed quid dicendum de Virgine Deipara? Equidem baptizatam Virginem non hæsitamus. Maximè namque dedecens putari posset Christi parentem, ac obinde Christianorum omnium Matrem in Christi filij familiam non ascitam.

Dubitatio de Virgine Maria

Sed an ad legem baptismi, seu an ad suscipiendum baptisma lege, ac præcepto ligatam putes? enimuero Scotus affirmare videtur *loco citato littera B.* dum ait *consimiliter supponendum de B. Maria, nisi forte illa sit excepta ab illa lege, & de ea fuisset ratio dispensandi, quia forte habuit in conceptione filij sui illam gratiæ plenitudinem, ad quam Deus disposuit illam peruenire.*

Scoti verba.

66 *Hæc* Scotus; contra quem inuehitur Sotus *d. 5. q. vnica art. 2.* aiens rationem Scoti non consonare meritis Virginis; nam & post partum creuit Mariæ gratia per tot egregia virtutum officia nam etsi ab Angelo gratia plena dicta fuerit, non ita tamen fuit gratia plena, quin eius gratia posset augeri.

Instantia Soti.

67 Gratis tamen inuehitur, vt vides lector, quia Scotus dubitanter locutus

Voluntaria

[illegible] tus est, vt patet ex illa particula *forte*, quam bis repetiit, neque quod ratio dispensandi fuerit in Virgine docet Scotus, sed quod fuisset, si illam voluisset Deus excipere à lege. Quodue dubitanter fuerit, & non ex propriis locutus habes *littera* G. *ibi in solutione* 2. Quod si quis haberet plenitudinem gratiæ non frustra reciperet baptismū, quia non est frustra addere opera meritoria diuinis parendo mandatis. En quomodo Scotus Soto rationem mutuauit.

B. Virgo à Christo, & Petrus à Petro Ioannes. & Iacobus, ab his cæteri baptizati

68 A quo autem, & quando baptizata fuerit Christi Mater, & Apostoli, scriptura non memorat: probabiliter tamen censent Nicephorus, & Euthimius Virginem à Christo baptizatam, similiter & Petrum, à quo filios Zebedei, à quibus cæteros. Certum est autem præceptore Scoto *in solutione primi principalis* Apostolos ante vltimam cœnam fuisse baptizatos, quia tunc facti sunt Sacerdotes, sacerdotium autem supponit baptismū regulariter, nec apparet ratio dispensationis à Christo factæ in Apostolos. Vide Scotum *ibi*.

Occurritur obiectis

69 Ex his habes, quid dicendum oppositis in capitis fronte dubiis; nam Ieremias, qui tot sæculis baptismi institutionem antecessit, etsi in Matris vtero iustificatus circumcisionis, legi parere debuit, quæ absolute lata, ac promulgata nullumque excipiens Hebreum ligabat omnes, generatim namque clamatur Genes. 17. *Masculus, cuius caro præputii circumcisa non fuerit, peribit anima eius de populo suo*. Neque fuisse frustra receptionem circumcisionis in eo, & baptismi in aliis docet Scotus *in solutione* 2. Neque multiplicata entia sine necessitate, quoniam etsi necessitas medii nulla erat, suberat certe necessitas præcepti, non igitur sine necessitate multiplicatus baptismus, aut circumcisio.

70 Habes etiam, quid ad obiectum de Ioanne Baptista opponas; is enim etsi nondum lege ligatus, quæ nondum obligatoria erat, baptismo ex congruitate se subdidit. Quod vero in natiuitate eius non cantat Ecclesia symbolum leuis est coniectura, cum nec illud in festis Confessorum, Martyrum, ac Virginum, sanctarumque mulierum canat Ecclesia, de quibus tamen nefas est asserere, aut non recepisse baptismum, aut non esse legis nouæ partes.

Quando dicatur symbolum

71 Quando autem dicendum sit symbolum, habes ex cæremoniis Missalis: est autem illud non Nicenum, sed Constantinopolitanum, sed nec Constantinopolitanum purum, vt ait Antonius Demochares *tom. 4. cap. 15.* cum sit illi addita particula de Spiritu sancto *filioque procedit*, & iis in festis recitatur, de quibus potissimum adest in symbolo articulus.

ex Antonio Demochares

& Cur,

72 Hinc dicitur in singulis Dominicis ob Resurrectionem Domini, cuius articulum continet, *Et resurrexit tertia die*.

Dicitur in Natali Domini ob articulum, *& homo factus est*.

In Ephiphania, quia fit mentio baptismi in articulo *Vnum baptisma*, vt ait Innocentius Tertius *lib.* *cap.* 51. & Gauantus *par.* 1 *tit.* 11. loquendo de symbolo, cur, & quando recitandum sit, illo autem die baptizatus est Christus. Ratio tamen infirma est, quia etsi baptizatus est illa die, non tamen baptismo suo, sed Ioannis, cuius nulla fit mentio, nullusque statuitur in symbolo articulus.

Opinio Innocentii & Gauanti non arrides

73 Dicendum igitur dici in Ephiphania symbolum, quia est festum Domini, in quorum singulis dicendum est, siquidem de eo cōditum est symbolum præcipue, & ob hanc causam dicitur etiā in festo Christi Corporis, & in Cœna Domini, quamuis nullo peculiari articulo de sacramenti institutione refertū sit symbolum. In Ascensione dicitur speciatim, quia meminit ibi, *& ascendit in Cælum*.

Propria sententia

In Pentecoste ob articulū, *& in Spiritum sanctum Dominum*.

In festo Trinitatis, quia festum Domini, *Dominus autem Pater Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus*, & in symbolo fit mentio Patris, *Patrem omnipotentem*, mentio Filii *Filium Dei vnigenitum*, mentio Spiritussancti, *& in Spiritum sanctum Dominum*.

In festis omnibus B. Mariæ, quia in symbolo *ex Maria Virgine*.

In Transfiguratione, quia festum Domini.

In festis Angelorum, quia in symbolo *visibilium omnium*, hoc est mortalium, *& inuisibilium*, hoc est Angelorum.

In festis Apostolorum, & Euangelistarum, non quia hoc symbolum sit Apostolorum, sed quia ipsi fuerunt primi fidei præcones, ob idque in festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & in festis Doctorum dicitur, quia illa fuit Apostolorum Apostola, hi vero explicuerunt scripta articulorum arcana.

In octauis, & infra octauas dicitur, quia octaua est continuatio festi, dum

ergo in festo dicitur, pariter & infra octauas.

In octauis Sancti Ioannis Baptistæ, & Sancti Laurentij, & Sancti Stephani ob incidentes respectiue octauas Apostolorum Petri, & Pauli, Assumptionis Beatæ Mariæ, & Sancti Ioannis Euangelistæ.

In festo omnium sanctorum, quia in eo Domini, Virginis, Angelorum, & Apostolorum præcipuè memoria colitur.

In Dedicationibus, & anniuersarijs Ecclesiarum ob articulum *sanctam Catholicam Ecclesiam.*

In creatione, & coronatione Summi Pontificis, & in Electione, & consecratione Episcoporũ, & eorũ anniuersarijs ob eundem articulum de Ecclesia, est enim Papa Ecclesiæ Catholicæ Caput, Episcopi Vicarij Apostolorum.

In festis Patroni, Tituli, & vbi insignis seruatur Reliquia ob solemnitatem, ac maiorem populi concursum, quo fit, vt in festo etiam Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ, vbi hic sanctus est Patronus, sicut in nostra Diœcesi Mileten. dicendum sit symbolum.

74 Hæc igitur est ratio cur, & quando dicendum sit symbolum, non ea, quam in principio capitis ex Soto retulimus. Cæterum de his fusius vide Gauantum *loco citato*, quæ incidenter, ac casu quodam hoc loco inseruimus ad curiositati parendum.



AN INFIDELES ADVLTI cogi possint ad recipiendum baptisma.



ARTICVLVS II.



75 PErtinet disputatio præsens *ad tertium sent.* potissimum, quo de fide agitur, hic verò breuiter, quatenus ad materiã baptismi, eiusque suscipientes nostram intelligentiam iuuat, discutienda est. Communis est Thomistarum sententia tam *in tertia parte q. 68. art. 10.* quam *in secunda secundæ q. 10. art. 8.* quos Recentiores fere omnes sequuntur nullatenus infideles ad baptismi sacramentum suscipiendum cogi posse. *Opinio Thomistarum.*

76 E contra Scotus *d. 4. quæst. vltima* effatur credere se religiose fieri, si infideles adulti minis, ac terroribus cogerentur ad suscipiendum baptismum, & ad conseruandum postea susceptum. *Opinio Scoti.*

77 Pro cuius sententiæ intellectu, ac declaratione quæsiti adnot. 1. nos hoc loco non quærere, an tales adulti si cogantur verum recipiant sacramentum; supponendum enim, quod si coactus simpliciter inuitus sit contrariè simpliciter, vel negatiuè non recipit characterem sacramenti, hinc si quis manibus, ac pedibus reuinctus ad baptismi trahitur fontem, non suscipit baptismum; quia nullus in eo fuit consensus, nec voluntas, immò contrarius simpliciter consensus; & talis coactio secundum Sanctum Bonauenturam *d. 4. art. 2. q. 1.* dicitur coactio sufficiens, est etiam & alia coactio secundum eundem *loco citato*; quam coactionem inducentem vocat, quæ est dum qui propter flagella, & minas vult se sacramento potius Ecclesiæ subijcere, quam mortem subire, & tunc si is ad effugendam mortem alios tantum intendat illudere, non verò actionem illam, vti datur ab Ecclesia suscipere, non suscipit ex intentionis defectu sacramentum, si autem vult circa se fieri quod facit Ecclesia, siue credat illi, siue non, *Adnotatio prima*

non, sacramentum suscipit, vti alibi diximus: quærimus autem solum hoc locô, num coactio talis inducens sit licita, ita vt flagellis, ac minis possint ad fidem infideles cogi.

78 Secundo notandum, seu potius reuocandum est ad memoriam id, quod de infidelium paruulis loquentes *superiori disputatione* diximus quosdam esse infideles ciuili subiectione Christianis principibus subiectos, quosdam verò ciuili tantum, quosdam vero neutro modo, sed solum principibus etiam infidelibus subiacentes: licet præcipua difficultas sit de infidelibus primo, ac secundo modo, si tamen commoda se nobis præbebit occasio pauca etiam aliqua de infidelibus Principum infidelium ditioni subiacentibus Deo dante docebimus.

Secunda admonitio.

79 Tertium: quoniam non parum nostram iuuabit intelligentiam attigisse fundamentum Scoti hac in re præcipuum, adnotandum est, præter controuersiam fere esse, quod communiter dicitur à Scolasticis neminem ad fidem suscipiendam esse cogendum coactione sufficienti, quam primo not. explicuimus, præter controuersiam etiam esse neminem nisi debitis cautelis adhibitis coactione inducente esse cogendum ad baptismum, Scotus enim *loco citato* clarissime hoc expressit de paruulis, & deinde suam de adultis consequenter loquens proferens sententiam debitis cautelis id esse faciendum dicere tenetur, solum difficultas est, num debitis circumstantijs possit hoc fieri? pro quo cõsiderandum est, quod licet malum sit cogere infideles ad baptismum, cum lex Euangelica lex libera sit iuxta illud *proposui tibi ignem. & aquam*, atque adeo vnusquisque libertate arbitrij pollens mortem sibi, aut vitam prolibito posset eligere, tamen quando adest maius malũ, quod minus malum est eligendum erit, sicuti habetur *d.13. cap. duo mala*, hinc cum hæc sint duo mala, cogere infideles ad baptismum, & permittere eos impune gentilitatis ritus seruare, quorum alterum eligendum est, absq; dubio, quod minus malum est eligere debent Principes: at videamus quodnam istorum minus malum sit, debitisne cautelis cogere tales ad fidem, an impune relinquere in sua secta permanere eos? & certe si res paulo consideretur attentius, patebit profectò minus malum esse cogere eos modo citato, quam impune seruantes suos ritus derelinquere: Actus enim susceptionis sacramentorum, ac Euangelicæ fidei, & licitus est & bonus, immo & debitus, coactio igitur ad illum non est coactio ad malum in se, & in suo genere, nec coactio erit mala, nisi ex modo receptionis fidei, & sacramentorũ, quæ libera esse deberet, & voluntaria, & proinde ex circumstantia solum malum erit: è contra seruare gentilitatis ritus malum est ex genere, & maximum peccatum, quia vnusquisque post sufficientem Euangelij promulgationem tenetur legem nouam amplecti, ac baptizari: Principes igitur in se eligent minus malum, si illos cogant ad fidem, qui suæ sunt subditi potestati, quam si in quos sinant impune seruari ritus.

Tertia obseruatio.

Pronunciatum Canonicum.

Fundamentum Scoti ratio perpenditur.

81 Accedit, quod si hæc actio ex subsequentibus illam vim potest accipere, sique eam per illa dimetiamur, nulli profecto dubium erit, minus esse malum infideles cogere ad fidem, quam vt sic permanere permittere, subsequuntur enim ex permissione hac incommoda multa; cum è contra multa ex coactione illa sequuntur commoda, si enim impune ritus proprios seruare permittuntur infideles ad iter, occasionem Christianis, cum quibus assidua familiaritate vtuntur, præbere possent, vel illos assequendi, & verum fidei lumen relinquendi, si illius præcipue sectæ sint infideles, in quam ob liberam carnis petulantiam fortissimum vtique iuuentutis allicitamentum, dilabi possent: alterum etiam non leuius sequetur ex ea concessione incõmodum, quod est filiorum omnium infidelium per generationes etiam subsequentes quamplurimas æterna perditio, cum è contra posita coactione hæc omnia ruent, & infidelium filij in tertia, & quarta generatione saltem verè fideles essent, istis positis.

Et vrgetur.

82 Assero primo: Adultos infideles, qui fuere aliquando fideles, cogendos esse ad fidem. Conclusio nedum licentiã, sed & necessitatem arguit, & est expressa Concilij Toletani 4 *cap. 55 paulo ante citato*, & *cap. 17. Iudæi qui ad fidem Christianam promoti abominandas circumcisiones & alios Iudaicos ritus exercuerint ipsius pontificali auctoritate corrigantur, & ad cultum Christiani dogmatis reuocentur*, eandem etiam docuit Augustinus *Epistola 48. quæ est ad Vincentium & Epistola 50. ad Bonifacium*, in qua laudat Constantini Imperatoris edictum contra Idolatras, in quo vsque adeo in tales Imperator inuehitur, vt vsque ad perniciem iubeat esse plectendos, sicuti patet *l. placuit Cod. de paganis.*

Assertio prima de iis qui aliquando fuere fideles.

Probatur

Nostram

Suadetur ex scriptura.

Nostram autem sententiam videtur docuisse Apostolus Paulus 2. *ad Cor. cap.* 10. *in promptu habētes vlcisci omnē inobedientiā*, & Seruator noster Iesus Lucæ 14 *exi in plateas & vicos, & cæcos, & claudos introduc huc*, & infra. *Exi, &c. compelle intrare, &c.* per *cæcos* enim & *claudos* Apostatæ ex fidelibus intelliguntur, & Hæretici, qui lumine fidei destituti cæcutientes, & spei, & charitatis pede concusso, errant in inuijs, sentibus, & vicis, quos ad veritatis viam redire iubet Christus *loco citato*, cuius præcepto Ecclesia obediens obstinatos hæreticos vltima internicie plectit. Et suadetur ratione, nam illi tales directè ad Ecclesiā spectant iuxta id, quod habet Tridentinum Concilium *sess. 14. de pænit. cap.* 2. Ecclesiam in eos præcipuè exercere iudicium, qui ipsam baptismi ianuam ingressi fuerint.

Et Ratione

83 Assero secundo: infideles adultos licere ad fidem cogere, & ad susceptionē baptismi, qui sunt principibus christianis subiecti. Conclusio est Scoti *q. citata*, quem ex Nostratibus Maironus, ac Faber sequuntur, ex exteris autem vnus Gabriel Biel *d. 4. in fine*, in qua dedita operā addita est particula illa, *qui sunt subiecti christianis principibus*, cum secus sit de non subiectis dicendum. Probatur autem primo auctoritate Concilij Toletani 4. *can.* 55. vocantis Sisebutum religiosissimum Principem, quod Iudæos, ac infideles ad baptismum suscipiendum coegerit, simpliciter igitur religiose fit, ac licitè, si cogantur tales infideles.

Assertio secunda

Eius probatio

84 At respondet Caietanus, quod sententia synodi *loco citato* duo continet, & laudem Principis, & prohibitionē facti, & ex secundo patet, quod non approbat factum Sisebuti, sed solum de bona intentione commendat, multa autem mala fiunt bona intentione.

Caietani responsum

At contra: bona intentio, si actus ex suo genere sit malus, nihil ad rem facit; non ergo titulo religiosissimi cohonestandus erat propter intentionem tantum Sisebutus; præcipuè cum clare locus ille factum eius, non intentionem exprimat; quare autem factum condemnet in posterum, patebit in solutione argumentorū. Secundo probatur ex fundamento paulo superius à nobis iacto.

Refellitur

85 Quandocunque sunt duo mala, quorum vnum necesse est eligere, licitè, quod minus malum est elici potest: sed hæc sunt duo mala, scilicet permittere infideles in suis permanere ritibus, & ad veram, & ad licitam ipsos cogere fidem, ergo minus malum istorum si eligatur licitum erit: subinfero, atqui minus malum est cogere eos tales, quam sic permittere in suis ritibus, ergo totum argumentum abunde superius est probatum. Sed respondet Caietanus, quod maius malum est infideliter viuere occulte post suscepta fidei sacramenta, quam libere infideliter viuere; quia contumelia sacramentorū euitatur. At voluntariè loquitur Caietanus, quid est enim maius malum Christi fidem solo actu interno blasphemare, an interno, & externo simul? licet igitur fidem internam nō habeant, quod malum est, peius tamē est nec etiam externum Dei cultum protestari.

Alia probatio

Caietani occursus.

Voluntarius,

86 Confirmatur ex iis commodis, quæ nostram sequuntur sententiam; licet enim isti adulti intrinsecè verè fideles non essent, tamen filii eorum rectè educati in tertia saltem, ac quarta generatione vere fideles essent. Nec valet Caietani replica, & Soti, quod Apostolo teste *non sunt facienda mala, vt eueniant bona*, ac perinde non sunt adulti cogendi, vt filii sint boni, nam licet re vera Apostoli sententia sit verissima, qua nos etiam multoties vsi sumus; tamen quandocunque sunt duo mala, quorum alterum elicere necesse est, licite minus malum elici potest: auctoritas autem Apostoli absolute de malo simpliciter vera esse intelligitur.

Confirmatur assertum

Soti, & Caietani replica inanis

87 Verumtamen hoc loco adnotandum est, quod sicuti apud iuristas duplex reperitur mors, naturalis scilicet, & ciuilis, ita terrores, ac minæ duplicis generis esse possunt, naturalis scilicet, & ciuilis.

Mors ciuilis est à Ciuitate exilium, & bonorum omnium expoliatio; mors vero naturalis est vitæ totius ablatio; similiter terrores, ac minæ spectare possunt exilium, & priuationem bonorum, & vitam ipsam; si Scoti dictum intelligas de minis vitæ interitum spectantibus, difficile est ad sustinendum; dubium est enim num licite fieri hoc possit; hinc nedum illicite, sed praue agunt nonnulli Christianorum populi Hebræis adeo infensi, & contra fidem zelantes, qui obuiam habentes *Hæbreum* aliquem pugione, vel gladio mortem minitantur, nisi baptizari consentiat, quē deinde metu annuentem in flumen proiiciunt dicendo baptismi verba, vel gladio interimunt, vti facilius saluetur; præterquam quod enim baptismus ille, qui immer-

Mors, & minæ duplicis generis

sione

tione abſque emerſione eſt, nullus eſt, non ſunt enim facienda mala, vt eueniant bona, interficere autem hominem eſt contra præceptum decalogi *non occides*.

Laus Ferdinandi.

90 Intellecta autem Scoti ſententia de minis ſpectantibus ad ciuilem mortem veriſſima eſt; hinc immortalibus celebratur encomiis Hiſpaniæ Rex Ferdinandus Catholicus, ſicuti meminit Author *ſummæ Conciliorum prope finem Concilij Toletani primi*, qui ex ſuo regno Iudæos, ac Saracenos non conuerſos, nec conuerti volentes hac ciuili morte multauit, id & nouiſſimè præſtitit Philippus Indiarum, Hiſpaniarumque Rex Catholicus eijciens ex Hiſpaniarum Regnis Mauros, immò in Concilio Toletano *ſexto canone 3.* habetur hæc placitura Deo ſententia, *vt quiſquis ſuccedentium temporum Regni apicem ſortitus fuerit, non ante regiam conſcendat ſedem, quam inter cætera ſacramenta conditionum pollicitus fuerit nullum non Catholicum in ſuo Regno permittere*, ex quo patet licitam eſſe ciuilem hanc mortem, ac proinde minas etiam illam ſpectantes, ac terrores licitos eſſe. Sed quid de infidelibus nullo modo Chriſtianis Principibus ſubiectis? His profectò neutro modo videtur fieri poſſe coactio, cum nullatenus ad regimen Chriſtianorum ſpectent non quidem minæ, ac terrores de naturali morte adhiberi circa ipſos poſſunt propter eas rationes omnes, quas pro Thomiſtis adducemus, neque minæ de ciuili morte, cum non mancant in Principum Chriſtianorum ſtatu; quanam autem ratione liceat illos vexare bellis ad alium locum diſputandum remittimus, pro nunc verò breuiter cum D. Thoma 2. 2. q. c. dici poteſt, quod hoc licite fit, quandocunque infideles illi, vel apertis blaſphemiis, perſuaſionibus, ac publicis perſecutionibus, veræ fidei ſectatores à recto conantur tramite deducere; ſimiliter quando vellent nouum inter fideles acquirere ſibi dominium, nā cederet hoc (vltra temporalis dominii amiſſionem) in periculum, ac maximum fidei detrimentum, facile namque ſuperiorum infidelium auctoritate peruerterentur fideles ſubditi, ſicuti ſæpe ſæpius Byzantij fieri narratum accepimus. fieret etiam vt infideles ſuperiores facile ſubditorum fidelium peccata cognoſcerent, atque adeo fidem noſtram multo magis contemnerent.

Et Filippi Catholicorum Regum.

Solutio vltimæ petitionis.

91 Oppoſitum Scoticæ ſententiæ probant Thomiſtæ auctoritatibus primo: ſecundo decretis Pontificum, & Conciliorum: tertio rationibus. Auctoritas prima eſt ex ſcripturis deſumpta Matth. vlt. *docete omnes gentes baptizantes, &c.* vbi non dicit *compellite*, ſed *docete, ac docendo ſuadete*, & Matth. 10. Chriſtus mittens ad prædicandum diſcipulos noluit illos virgam portare: & non recipientes Apoſtolos non ait Chriſtus perſiſtentes cogite, ſed exeuntes foras de domo, ac Ciuitate illa puluerem calciamentorum excutite, & Eph. 6. clamat Apoſtolus, *ſuccincti lumbos veſtros non in feritate, ſed in virtute induti loricam iuſtitiæ non ferri, & calceati pedes in præparatione euangelij pacis*. Similiter & Lucæ 9. cum Boanerges Iacobus, ac Ioannes pari nequaquam fuiſſent humanitatis hoſpitio recepti dixerunt Domino. *Vis dicamus, vt ignis deſcendat de Cælo, & conſumat iſtos*, conuerſus autem Dominus increpuit illos dicens. *Neſcitis, cuius ſpiritus eſtis, filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare.*

Thomiſtarum fundamenta.

Primum ex ſcriptu ris.

Matth. vlt.

Ephes. 6.

Lucæ 9.

92 Accedit quod refert Iacobi Hiſtoria, quod Hermogeni ante illum ligatis manibus adducto, iuſſoque ſolui dixit Iacobus, *vti quocunque vellet pergeret, neminem enim vult Dominus inuitum conuerti*. His auctoritatibus ſcripturæ addit & Sanctorum Patrum ſenſum Sotus *d. 5. art. 10.* Gregorius enim *epiſtol. lib. 11.* ſicuti refertur *in canone, qui ſincera d. 45. qui ſincera* (inquit) *intentione extraneos à Chriſtiana Religione ad fidem cupiunt rectā perducere blandimentis debent, non aſperitatibus ſtudere*, & *epiſtola 45. quæ lib. 1. epiſtolarum habetur* Vigilium, ac Theodorum inſtantiſſimè admonet, ne vi Iudeos baptizent, ſed prædicatione, & admonitione eos ad fidem Deo adiuuante perducant, & *lib. 2. epiſt. 22.* idem repetit: Auguſtinus etiam *ſer. 6. de verbis domini* hoc idem docet admonens, ne Idolatræ per violentiam à ſua impietate diuellantur etiamſi in Chriſtianorum conſpectu idola adorent dicente Paulo *1. Corinth cap. 5. quid mihi de his, qui foris ſunt*. Adde eccleſiæ ſenſum in hymno Epiphaniæ. *Non eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia.*

Secundum ex Patribus.

Gregorio,

Et Auguſtino.

93 Adducunt ſecundo Pontificum, & Conciliorum decreta, & primo Concilium Toletanum quartum *cap. 55.* quod pro ſe à Scoto adducitur, ſi recte fuiſſet à Scoto perpenſum nedum non ſibi fuere, ſed apprime ſibi contrarium illud reperiiſſet, cum clariſſime præcipiat, nec

Tertium ex Concilijs.

nec Iudæos, nec alios infideles ad fidem esse cogendos. Hoc idem statuit Innocentius Tertius, *super caput Maiores in verbo, non compellant, vbi nullus ergo*, inquit, *vt Christianus fiat compellendus est*. Et Clemens Tertius *can. 6 sicut de Iudæis, statuimus*, inquit, *vt nullus inuitos, & nolentes Iudæorum ad baptismum venire compellat*.

Rationes Soti

Prima

94 Tertio rationes adducunt; primam Sotus *loco citato*. Nulli conferri debet baptismus, nisi ei, qui fidem habere præsumitur; nam cum permanenti in peccato non sit conferendum sacramentum, & infidelitas sit maximum peccatum, sacrilegium esset infidelem baptizare, sed nemo cogi potest ad fidem; ergo nec ad baptismum cogi aliquis infidelis renitens poterit.

Secunda ratio

95 Secundum argumentum: Christus per fidei Doctrinam humilitatem præcipuè, ac mansuetudinem docere voluit mundum iuxta eiusdem testimonium Matt. 11. *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, & beatos prædicauit Mites; *quoniam ipsi possidebunt terram*, huic autem ex diametro ira, ac superbia aduersatur; ergo ille, qui infideles armorum strepitu terreret, vt fidem Christianam susciperent, id, quod verbis persuadere contenderet, re ipsa dissideret minis vtendo, ac flagellis.

Tertia ratio

96 Tertium argumentum. Hac excellentia lex nostra inter alias cum Mahometis perfidia comparata resplendet, quod illa tanquam quæ nulla ratione poterat persuaderi vi, & armis in mundum obstrusa est; nostra vero per homines inermes, ac mites sola veritatis energia mundum vicit: hinc in sua prima Epistola cap. 5. clamat Ioannes *hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra*.

Quarta ratio

97 Quartum argumentum: si fides cum rationis naturalis lineam excedat per violentiam gentibus prædicaretur, vel ipsa exosa fieret, vel quasi tyrannis æstimaretur, & Diaboli figmentum rationi repugnans; vel Deus inde blasphemaretur, quando putarent infideles non fuisse Deum potentem legem suam, si sancta esset, sanctiori via in orbem introducere. Et confirmatur; quia nullum vnquam aut Sanctorum Pontificum, ac Christianorum Principum,

Confirmatio

vbi fidei zelus cum prudentia coniungitur (quod additum est vt Scoto fiat satis pro se Sisebutum Regem adducenti, in quo zelus vtique fuit ... fuit) memoriæ proditum est talem cogendi modum ad introducendam fidem, vel docuisse vnquam, vel effecisse, vel fieri permisisse, sicuti patet de S. Syluestro, & Ambrosio. Hæc omnia ex Soto collegi, quibus fretus, nescio, inquit, quisnam hic mente præditus dicere pergat fas esse quemquã ad fidei sacramentum minis, ac terroribus cogere.

98 Pro quorum inefficacia nullum arbitror aliud de Scoti mente iaciendum fundamentum, præter id, quod adnotabilibus nostris in hac eadem quæstione expressimus, secundum quod auctoritatibus omnibus ex scriptura elicitis vnica possumus responsione satisfacere dedita opera, & consulto ea Christum docuisse discipulos, quia & ipsi pauperes essent, sub quorum dominio non esse præsupponuntur infideles tunc temporis, & fides quid nouum erat, ideo ordinaria illam lege docendo, ac suadendo iubet promulgandam, vel quia debitæ tunc adhiberi non poterant cautelæ ad id agendum, hinc si minis, ac terroribus vti voluissent Apostoli, & si è Cælo descendere ignem iubere Ioannes, & Iacobus fuissent permissi, facile contra ipsos tam Romanorum, quam Hæbreorum Principum fieri poterat conspiratio.

Scriptura explicita

99 Ad auctoritatem autem ex Iacobi historia desumptam, quidquid de facto sit, quia potuit ex quibusdam hoc apocriphorum Scripturarum somnijs esse desumptũ, vti respondeatur ad distinctionem propositam recurrendum est, ac dicendum neminem inuitum conuerti velle Dominum, inuitum, inquam, contrarie, nec esse cogendum quempiã coactione sufficienti. Cæterum coactione inducente in his, qui principum potestati sunt subiecti non licitam esse coactionem non probat auctoritas.

Auctoritas ex historia quanta?

100 Ad Gregorij auctoritatem vtramque breuiter dicimus, quod ideo Gregorius admonet in secunda auctoritate, & epistola ad duos Episcopos illos, ne ui baptizent Iudæos propter maius scãdalum, quod inde nasciturum erat, ac proinde, quia debitæ adhiberi non poterant cautelæ, similiter respondemus ad primam scribit enim Gregorius Neapolitano Archiepiscopo *loco citato* admonens Iudæos à Christiana religione extraneos ad fidem non asperitatibus, sed blanditijs esse perducẽdos, propterea quod Iudæi tunc Neapoli degentes, quorum magnus erat numerus ad ipsum scripserant protestantes se de hoc facto, ideoque Gregorius vti maius euitaretur in-

Interpretatur Gregorius

com-

commendum, quod fieri poterat, siue quod conspirare in Christianos possent Hebrei illi, siue quod filios, ne Christiani fierent interficerentur à Parentibus, non esse id faciendum monet Gregorius.

101 Similiter potest ad Augustini admonitum responderi: vel ad vtrumque dicatur, quod tam Gregorius, quam Augustinus consulto monent non esse Idolatras compellendos ad fidem, nõ quod licitè fieri hoc minime posset, sed quia minus erat expediens, multa enim licent, Apostolo teste, quæ non expediunt, hinc esto liceret non tolerare etiam infidelium ritus, rectè tamen fit, & expedienter tolerantur, Deus enim licet omnipotens sit, ac summe bonus iuxta doctrinam, quam tradit S. Thomas 2.2. q. 10. art. 11. permittit aliqua mala fieri ne ijs sublatis, vel maiora tollantur bona, vel peiora subsequantur mala, inde egregiè testatum nobis reliquit Augustinus *lib. de ordine; aufer meretrices de rebus humanis, turbabis omnia libidinibus* ita in proposito non expedit cogere infideles propter maiora quæ in dies subsequuta sunt scandala quibus si occurri diligenter posset, & licitè, & expedienter possent infideles cogi, & docuere hoc Augustinus, & Gregorius *auctoritatibus allatis*.

Occurritur Augustino.

102 Porrò eandem doctrinam applicare possumus Conciliorum, & Pontificum Decretis, quæ secundo loco adducuntur à Thomistis. Concilium enim Toletanum, quod optime animaduertit Sotus, pietatem Sisebuti laudat, quod infideles coegerit ad fidem, præcipit tamen, ne in posterum id fiat, quoniam debitas cautelas difficile seruari posse cognouerat.

Et Concilijs.

103 Ad primã Soti rationẽ Respõdeo ad maiorem, quod vtique in adultis non licet, nec expedit baptismum dare, nisi ijs, qui fidem habere præsumuntur, atqui infideles, quos cogi ad baptismum licere diximus præsumuntur fidem habere. Non enim loquimur nos de coactione sufficienti, sed de coactione inducente, qui enim coguntur sic præsumuntur credere saltem *secundum quid*, præsumptio autem ista ex actibus fidei externis colligenda est; quia de intrinsecis Iudex est Deus, & cum minorem subinfert Sotus principium petit, probandũ est enim sibi, quod pro minori adducitur: sic responderi ad minorem potest, cogi aliquem ad fidem stare dupliciter, vel ad actum interiorem fidei, siue ad credendum in corde veram esse Catholicã Ecclesiæ doctrinã, vel ad actus exteriores fidei interioris præstatiuos, primo modo cogi ad fidẽ potest nemo, secũdo verò modo possũt aliqui: vel dicamus, ad maiorẽ, quod esto malũ sit dare baptismum non habentibus fidem; quia tamen oppositum est peius; ideo de duobus malis eligendum est minus.

Soluitur prima ratio Soti.

104 Ad secũdã Respõdeo primo, aliud esse promulgare fidẽ gentibus, quæ illam nunquam audiuerunt, aliud promulgare illam gentibus, quæ cum audierint nedum credere, sed illi contrariis opponi audent, prior vtique promulgatio blãditijs, ac mitè facienda est, posteriorem verò licet quandoque terroribus facere, terroribus, inquam, ac minis ciuilem, non naturalem mortem respicientibus modo in conclusione præexplicato, hinc Sotus ægregius in hoc argumento grammaticus, & Rethor, prauus autem logicus nostram bonus vir non percepit sententiam, dum armorum strepitus pro minis, ac mortalia flagella pro ciuili terrore transtulit: fortasse dices, seruili timore tunc perterrefactos subditos suscipere fidem, seruilis autem timor nihil valet. Concedo, quod aliqui seruili timore, nego tamen, quod aliquando seruilis timor vtiliter peccatores ad relinquenda peccatã non moueat de facto enim in libro Ionæ legimus Profetam in medio Ciuitatis Niniue clamasse, *adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*, quod Sancti viri dictum tanto fuit Regi gentium, ac subditis eius terrori, vt cinere, ac cilicio, & saccis induti pænitentiam egerint, diuinæque placatæ Maiestati placuerint.

Enodatur secunda.

105 Ad tertiũ dico, quod in hoc differt religio Catholica ab infami Saracenorum secta, quod illi vi, & armis in aliorum iurisdictionem ingressi, & sectam suam, & Imperium dilatauerunt, nos verò placide, ac mite prædicamus exteris verbũ Dei: vnde ad summum ratio concludit non licere minis cogere infideles Principibus Christianis non subiectos, quod gratis concedimus.

Diluitur tertia.

106 Ad quartam, potest negari consequentia, quia uiolentia illa ciuilis esset, ut puta si Rex iuberet infideles subditos sibi nolentes baptizari eijci à Regno, tunc illi facile possent Regis portare Imperium, nec sæuitiæ accusare illum, cum potuisset etiam (esto non licitè) flagellis, ac morte etiam multare illos. Concessa etiam consequentia, quid inde sequitur? nonne minus malum est legem

Negligitur quarta.

Christianam in corde tantum exosam esse, &; Deum blasphemari in corde, quã interius, & exterius esse exosum, & tam interno, quam externo actu blasphemari Deum, ex duobus autem malis eligendum est minus, vti diximus. Ad confirmationem patet ex dictis, dum de paruulis infidelium loquuti sumus, Sancti enim Siluester, & Ambrosius, * cum debitas adhiberi non posse viderint cautelas, idcirco id minime executioni mandarunt. Quod verò Sisebutus Rex zelum sine scientia habuerit, nimia Soti licentia est; expressè enim Concilium Toletanum Sisebuti Regis opus commendans Religiosissimum Principem illum vocat: vnde autem Religiosissimi nomẽ Rex ille sibi comparasset, si se imprudenter in eo facto egisset?

Occurritur, confirmationi

(†)



QVÆ DISPOSITIO NECESsaria sit ad recipiendum baptisma in adulto.



ARTIC. III.



107 EXplicatio terminorum tituli petitionis latiorem nobis ad dicenda aperiet viam. Apposite articulum hunc secundo de adultis capiti inseruimus, siquidem in paruulis dispositio nulla necessaria est, sicut & ipsi nondum vsu rationis sunt prædıti, est ergo de solis adultis petitio præsens.

108 Quoniam autem adulti in multiplici constituuntur differentia, hinc non uno faciendum est postulatio: ipsi uer bo satis. Rursum cum dispositiones tam in animi potentijs, quam in corpore collocentur, de singulis uerendum, ac respondendum. Iterum cum sacramenta septeno sint numero inclusa non tamẽ eidem omnia, aut singula in ordine ad suscipiens appellantur nomine, seu vt rectius dicam, non vno, & eodem in ordine ad illa suscipientes vocabulo sunt insigniti explicemus singula.

Distinctio adultorum

109 Adultorum partitionem commodat Scotus in 4. dist. 4. quæst. 4. littera A. cum enim adultus is sit, qui per rationis vsum à paruulo distinguitur, fierique possit, vt etiam adultorum aliqui ratione minime vtantur, hinc supponendũ seu prænotandum hoc loco interdum idem faciendum de adultis, ac paruulis iudicium, quod accidit, siquis adultus à natiuitate furiosus sit, vel amens, de quo probabilis nulla appareat coniectura fore, vt ad mentem reuertatur, quo casu per solam molis externæ quantitatem adultus à paruulo distat, immò paruulus præstare videtur adulto huiusmodi, quia ille ad vsũ rationis perueniẽs mente vtitur, hic vero desperata salute nusquam. Quod si adultus ita se habeat amens, vt de eo sperari salus queat, &

Scotus d. 4. 4.

magis

magis à rationis vsu æquiparari paruu lo videtur ; quia vterque ratione vti potest ; hic sub annis discretionis, quos vocant, ille vero sub lucidis interuallis, dum scilicet ad sanitatem reuocatur.

Significata varia nominum

Quamuis autem hi termini non parum ad inuicem distent, *Amens*, *Fatuus*, *Furiosus*, *Insanus*, *Insipiens*, *Mente captus*, *Stultus*, quia propriè *Amens* dicitur, qui est à mente deiectus, *Fatuus* teste Donato *in com. Terentij*, qui proprie à *Fando* deriuatur, qui fatua, & inepta loquitur, *Furiosus*, teste Seruio *in primum Virg lij Æneidos*, à quo nunquam furor recedit, qui obinde à furia to differt, quia *Furiosus* dicitur, qui quandoque ex causa surit, *Insanus* is dicitur, cui mentis sanitas non satis constat, vt castum iam tueri possit, *Insipiens* quasi non sapiens, hoc est non cogitans, quæ essent agenda. *Mente captus*, qui est nulla prodit furoris indicia, nihilo tamen minus sic inquiete agit, vt pars illa rationalis animæ vitiata videatur; *Stultus*, denique qui in prudens, incautus, est .n. leuius esse stultum, quam insanum, quam fatuum, quam furiosum: quamuis (inquam) prædicta nomina non parum penes significata differant, hoc plane loco indiscriminatim accipiuntur, dum non nomini, sed rei veritati attendendum est.

Secunda obseruatio

110 Secundo obseruandum pro explicatione petitionis illam ad duplicem præcipuum deduci, dum enim petimus dispositionem in adulto ad receptionem baptismi sciscitari possumus tã de valore sacramenti ipsius secundum se, quam de eius efficacia, refert autem satis alterum, vel alterum postulare, quemadmodum refert dicere aliquem recipere sacramentum, & rem, hoc est effectum eius, & aliquem recipere sacramentum solum, non autem sacramenti effectum.

Distinctio Magistri.

Hic enim referenda vulgata satis Theologorum distinctio, quæ ex Magistri sententiarum fonte manauit, quosdam scilicet recipere sacramentum tantum, quosdam effectum sacramenti tantum, quosdam vtrumque, & eos, qui sacramentum tantum recipiunt esse adultos non bene dispositos, qui effectum tantum adultos vel per contritionem, affectumque perfectum amoris Dei, vel per martyrium iustificatos, similiter & paruulos in materno vtero, vel præuentos, vel sanctificatos, qui certè sacramentum non recipiunt, effectu tamé sacramenti, qui est gratia, donantur, quæ dicitur effectus sacramenti, non quia eo casu per sacramenta daretur, sed quia regulariter per sacramenta datur, dareturque iis, nisi alio modo iustificati essent, eos demum & sacramentum, vt sacramenti effectum recipere, qui dispositi in voluntate, & intellectu ad sacramentum accedunt.

Tertia obseruatio.

111 Obseruandum tertio, disparem esse rationem de sacramentis singulis in hac re, nec ex responsione apposita pro vno sacramento, fas est consimili et respondere ad cætera circa sacramenti efficaciam.

Ratio diuersitatis ex ipsa sacramentorum diuersa natura oritur, cum enim sacramenta aliqua suapte vi primam apta sint nata dare gratiam, alia vero gratiæ augmentum, hinc fit, vt differ inter de iis, ac aliis censendum sit, quo circa & ipsa sacramenta diuerso appellantur vocabulo, nam quæ primam conferunt gratiam sacramenta mortuorum dicuntur; quæ vero gratiæ augmentum, sacramenta viuorum, hoc est, supponentia in suscipiente vitam spiritualem, quam elargitur Deus per gratiam iustificantem, sicut illa dicuntur mortuorum, idest supponentia mortem spiritualem ob peccati præsentiam, & gratiæ iustificantis carentiam. Hisce pro tituli petitionis obseruatis, quid alij sentiant, exponamus.

Opinio glosatoris

112 Et primo circa sacramenti substantiam, & valoré est prima opinio astruẽs contrariam suscipientis voluntatem nõ obstare ad sacramenti huius valorem, nec illius irritare substantiam: ita quædam glosa *in cap. solet de consecrat. dist. 4.* cuius verba sunt. *Ad hoc dico, quod si baptizans intendit baptizare, qualemcumque intentionem baptizatus habeat, recipit sacramentum &c* & alia glosa *in cap. maiores extra de baptismo, & eius effectu* idipsum sensisse visa est, dum ait, *si quis ore consentiat quamuis corde dissentiat, sacramentum nihilominus recipit, quia Ecclesia illud dare intendit.*

Quorundã dementia

113 Mittimus hoc loco quorundam à Suarez ex Theophilacto relatorũ demẽtiam, qui tam parui dispositionẽ ex parte suscipientis hoc sacramentum fecerũt vt mortuos etiam validè baptizari crediderint, vel saltem pro mortuis viuos iuxta illud Pauli 1. Chorint. cap. 15. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis si mortui non resurgunt ? vt quid & baptizantur pro illis ?*

Caietani opinio

114 Secundo loco recensenda est opinio Caietani *3. p. q. 68. art. 7.* parum ab inter preta-

pretatione glosæ diffidentis, dum putat ad substantiam sacramenti huius nullam ex parte suscipientis exigi intentionem, aut consensũ, cum sit satis, vt voluntatem non habeat contrariam, quamuis impossibilem arbitretur casum; quo suscipiens nec dissentiat, nec consentiat, & videtur hæc opinio Caietani ex auctoritate Innocentij Tertij deducta *capit. Maiores citato*, in cuius calce decernit Pontifex, quod *tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non inuenit obsistentem*.

Tertia opinio Coninch.

115 Possumus tertio loco opinionem aliquorum referre, qui in voto sunt, aliquos, qui attritionem habent de peccatis, non quatenus sunt offensiua Dei, sed inductiua pœnæ æternæ, & deductiua ab gaudijs æternis, etsi nihil cogitent, vel sciant de baptismo, vel etiam nihil de eo audierint, censeri consentire, & posse inde validè baptizari; quia implicite censetur baptismum petere, ex quo in illa attritione, & dolore peccatorum includi putant virtuale propositum seruandi diuina præcepta; quorũ præcipuum est sacramenti huius receptio, ità sensit ex Recentibus Coninch 3. p. q. 64 *art. 8 dub. 5. num.* 103.

Opinio Scoti, Maironi, Bassoli, Fabri, Radæ, & aliorum.

116 Communis tamen sententia dispositionem aliquam ex parte recipientis ad baptismi valorem exposcit modo infra explicando, ità noster Scotus *in 4. d. 4. q. etiam* 4. vbi Maironus *q. 1.* Bassolus *q. vnica art. 3. & in solut. 1. principalis* Faber *disp.* 11. 4. Rada *cont. 4 art. 3. sub initio* S. Thomas, & Thomistæ 3. *p. q. 68. art. 7.* & cum eis Vasquez *disp.* 150. Suarez *disp. 14. sect. 2.* Lugo *disp. 9. sect. 7. num.* 115. & alij omnes.

117 Circa aliud dubium de dispositione requisita ad receptionem effectus sacramenti huius, qui est gratia, de charactere enim non veremur, is siquidem sequitur substantiam sacramenti, eiusque valorem, non efficaciam, proindeque quotiescunque sacramentum est validum, characterem imprimit, alioquin reiterari posset, quod esse falsum superiori disputatione monstratum est.

Sententiæ variæ circa aliud dubium.

118 Circa aliud (inquam) dubium ex varietate sententiarum torquemur magis, enitentibus plerisque contritionem veram in suscipiente adulto exposci necessariò, vt effectum recipiat baptismi; aliquibus è contra arbitrantibus quamcumque etiam imperfectam attritionẽ esse satis in adulto suscipiente, ad hoc, vt gratiam per baptismum recipiat, eiusque peccata originale, & actualia deleantur; alijs media via incedentibus, & necessitatem quidem contritionis negligendo, attritionis verò cuiuscumque inualiditatem confessis, attritionem supernaturalem necessariò in adultis huiusmodi requirentibus.

Attritio duplex.

119 Quoniam autem hæc duplex esse potest, altera, quam putatam contritionem vocant, quæ est, dum quis attritus tantum se putat esse contritum, altera, quã notam, seu cognitam aiunt; estque, dum quis attritus nouit se solum esse attritũ, non autem contritum; tertia hæc etiam sententia bipartita est; quibusdam putatam contritionem requirentibus; alijs autem nota attritione contentis.

Alensis, S. Thomas, Piges, Gabriel, Victoria, Vega.

120 Primæ sentẽtiæ propugnatores fuerũt Antiquiores Theologi cum *Alense 4. p. q. 18. memb. 2. art. 1.* Sancto Thoma *in 4. d. 4. q. 2. art. 1*, quos secutus est Albertus Pigus *de fide. & iustificat. controu. 2. fol. mihi* 78. & Gabriel Biel *in 4. d. 4 q. 2. conclus. 4. & dist. 14 q. 2. art. 1.* Victoria *in summ. num.* 158. & Vega *lib. 13. in Conc. Trid. cap. 14 & lib. 6. cap.* 31.

Soti, & Cani opinio.

121 Sententia secunda propugnatores habet Dominicũ Sotũ *lib. 2. de natura & gratia cap. 5. & in 4. sent. d. 6. q. 1. art. 9. dubio postremo*, vbi subscribere visus est Caietano existimanti nullum alium requiri pœnitentiæ actum in suscipiente baptismũ, quàm velle suscipere baptismum in remissionem peccatorum, & Melchiorem Canum *lib. de pœnit. cap. 3.* & Pighianum *in 4. tom. 1. d. 4. quæst. 4. art. 3.*

Media sententia

Faber, Cabrera, Villalobus, Diana, Nugnus, Rada, Turrianus.

122 Mediam sententiam propugnant alij Theologi communiter iuxta tamen eius partitionem partiti. Putatam contritionem exposcunt Recentiores cum nostro Fabro *in 4 d. 4. disp. 12. & in tract. de pœnit. disp. 16. cap. 3.* citatque pro se Suarezium, & alios. Attritionem notam requirunt, & esse satis putant Cabrera *de sacr. q. 69. art. 8. disp. 2.* Villalobos *in summa tomo 1. tract. 5. diff.* 19. Diana *resol. 13. de hoc sacramento.* Ioannes de la Cruz, Nugnus, & alij ab eo citati. & ex nostratibus Ioannes à Rada *cont. 4. citata circa finem articuli*, & nouissime ex exteris Turrianus *in selectis p. p. disp. 21. dub. 2.* qui ait opinionem requirentem contritionem non esse probabilem.

123 Vtraque difficultas maximi est ponderis; proinde seorsum discutienda est. Auspicemur autem solutionem primæ ex Scoti mente prænotando dispositionem hoc loco non ad corpus, sed ad animum.

mum referri; dummodo enim corpus anima sit formatum, & ablui potens sufficienter censetur dispositum ad ablutionem externam recipiendam; at quoniam ratio sacramenti baptismi non in sola externa corporis ablutione constituta est, vt supra quidditatem eius venantes diximus, hinc nec in sola corporis dispositione sistendum ad valorem eius postulandum.

Potestas animæ triplex.

124 Rursum, cum in anima triplex consideretur potestas, nimirum, intellectus, memoria, & voluntas, sitque (qualiscumque censetur inter hasce potestates distinctio) memoria eadem cum intellectu cum præsentia obiecti saltem in specie, de intellectu potissimum, ac voluntate dicendum, & quidem habitum intellectus esse fidem haud dubie *ex 3. sent.* supponendum est; habitum vero voluntatis inter cæteros esse charitatem, & gratiam, quantacumque inter hæc discriminatio vertat.

Assertum primum.

125 Et de vtraque potestate statuendum breuiter, nec fidem in intellectu, neque gratiã, aut charitatem in voluntate expeti necessario ad sacramenti huius valorẽ in suscipiente. Assertum hoc dilucidissime patet de vtraque potentia, de intellectu quidem; quoniam etiam non credens sacramenti huius efficaciam, dummodo velit illud recipere, sacramentum ratum est, ac verum proportione ducta à ministro, qui est pariter extrinsecum sacramento, de quo alias constitutum est fidem in intellectu eius non esse necessariam ad sacramenti huius valorem, qui æque sequitur si ab æthnico, & infideli tradatur sacramentum, & à fideli; porrò non maiorẽ exposci in suscipiente, quam in dante.

Eiusque dilucidatio

fidem, ac intentionem præter communem Scolasticorum sensum ex Florentina Synodo non obscurè deducitur, solam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia in ministrante petente; quare & in recipiente ad summum sola intentio suscipiendi, quod tradit Ecclesia, exposci debet, vt sacramentum, sit ratũ, ac verum.

129 Quod maximè obseruatur in Ecclesia, ad quam confugientes hæretici sacro hoc lauacro apud consimilis Farinæ homines renati haud quaquam iterato baptismo subiiciuntur; scilicet, quia etsi fide destituti in Ecclesiæ tamen forma baptizati, & in intentione Ecclesiæ ritè censentur baptizati quæ experientia, ac ratio idẽ suadet de charitate, & gratia, qui enim fidem non habent, neque charitate, aut gratia muniti dicuntur; hæc enim fidem supponit in intellectu, sine qua præceptore Paul. Hæbreorum 11. *Impossibile est placere Deo*. Demum hæc est perpetua Augustini sententia; tum præcipue *lib. 2 contra Petilianum cap. 35.* vbi *si quis* (inquit) *baptizatur propter flagitium al. quod committendum dummodo baptizari velit, vere manet baptizatus.* Idipsum repetit *lib de baptizandis iudæis*, & *lib. 2. cont. Parmenianum cap 16.* & alibi quibus in locis voluntatem dumtaxat, eiusque consensum in suscipiente necessarium indicat Augustinus.

Probatio ex Aug.

130 At quoniam dissentire, quod assentire, seu consentire opponitur bifariam accidit; hinc ob oculos mentis statuenda est Scoti doctrina *d. 4 huius q. 4. littera C*, dissentientem nimirum dupliciter posse vel contrariè, vel negatiue; verba ipsa sensum eorum præseferunt; nam contrarie dissentit, qui nedum non consentit, sed actualiter dissentit, habetque actum consensui contrarium, qui dicitur dissensus; negatiue dissentientem esse, qui actum consensui contrarium non habet, sed nec habet actualem consensum: sumitur autem hæc distinctio dissentientis ab ipsis voluntatis actibus, in qua certum est esse actum volitionis, & nolitionis ei oppositæ contrariæ, & non volitionis, quæ ei opponitur negatiue, iuxta regulas logicas *in lib. Periher.*

Dissentiens contrariè & negatiue, qui nam ex Scoto

131 Huic autem distinctioni adhuc addendum, contrarie dissentientem spectari bifariam posse, vel vt dissentientem simpliciter & absolute, vel vt dissentientem secundum quid; quid vtrumque sit edisserit Scotus, tum *loco citato*, tum *in 3. d 15 q vnica art 2 littera F.* dissentiens enim simpliciter, & absolute is est qui actum absolute volitioni contrarium elicit, secundum quid verò, quando quis in aliquo casu quidpiam vult, quod suapte natura nollet, datque huius rei exẽplum ex Aristotele depromptum *3. Eth. cap. 2.* de mercatore periclitante in mare, qui merces ad effugiendũ vitæ discrimen in mare demergit, & volens demergit, nollet tamen si posset secus euadere mortem, quæ nolitio egregiè denotari potest per modum coniunctiui imperfectum *nollem*, nolitio verò simpliciter per indicatiuum modum *nolo*.

Simpliciter & secundum quid dissentiens

132 Praeterea obseruandum de consensu; non difformiter fere de eo, ac de intentione philosophandum, vnde plerique eum intentionem appellant, quamuis enim reuera intentio ad intellectum

specti.

spectare videatur penes actum à voluntate imperatum; attamen ex Scoto in 2. d. 28. ad voluntatem etiam refertur; hinc cum intentio sit triplex ex dictis in disputatione de ministris sacramentorum in genere, quædam actu, quædam habitu, quædam virtute, totuplex censendus est consensus; eritque proportionaliter consensus actualis actualis volitio de re aliqua elicita; virtualis, quando quis ex actuali præhabito consensu agit, quæ agit; habitualis, dum quis ex actu consentiendi aliquando, vel aliquoties efficito habitũ consentiendi contraxit; qui plane ex actibus pluribus, vel ex vno intenso comparatur, vt alias dictum est: & quidem si de actuali consensu loquamur, hunc in suscipiente necessarium non esse fatemur, alias Deus ad impossibilia hominem obligasset, in cuius enim potestate est non distrahi? in cuius potestate est actum sine distractione volendi continuare? certè nec intentio actualis in ministrante exposcitur; multo igitur minus actualis in suscipiente consensus; siquidem, vt egregie Richardus monet, non tanta in suscipiente, quãta in ministrãte requiritur actualitas: est ergo habitualis, ac uirtualis consensus satis; nec refert non esse satis in ministrante habitualem intentionẽ; quia vt diximus maior in illo, quam in recipiente requiritur actualitas, & quemadmodum docet Scotus *in solut. 2. q. 4. d. 4.* intendere est proprium agentis per rationem, non autem suscipientis, vt suscipiens est.

Consensus triplex.

Richardi monitum.

133 Obseruasse tamen oportet, satis vtique esse habitualẽ cõsensum, dũmodo tamẽ actualis nõ intercedat contrarius dissensus, sicuti enim fieri potest, vt cum habituali intentione fiet interdum contraria actualis intentio, ita cum habituali consensu dissensus actualis conuenire plerumque potest: hoc igitur conueniente consensus habitualis est nullus, ex qua doctrina elicere poteris de amẽtibus, & furiosis, alijsque id genus *in principio articuli*, relatis quid dicendum. Hi siquidem si ante insaniam, furiam, uel amentiam consenserũt quandoq; in baptismum, nisi actum dum suæ erant mentis compotes, contrarium elicuerint; ritè baptizari posse dicuntur ab omnibus, quamuis sub ipso furore, uel amẽtia dissentire videantur; hic enim dissensus vtpote elicitus ab hominibus mente captis non dicitur verè actus humanus, nec proinde imputatur.

Alia obseruatio.

134 An verò expediat huiusmodi sub furore, vel amentia baptizare, qui ante illam ægritudinem consensisse dicũtur in baptismum nullo actu elicito sub mente in oppositum? Vide Scotum *littera B loco citato*, docentem expedire quidem, si minus speretur eorum salus; expedire autem expectare salutis tempus; si spes afforet eos redituros ad valetudinem absque mortis periculo.

Dubium de furiosis.

135 Consimile iudicium ferri potest de dormiente, qui ante somnum baptismũ petierat, adsitque mortis periculum, quo deficiente expedit esuscitationem à somno exspectare.

Et dormientibus.

Sed nunquid validè baptizat minister dormiens, qui ante somnum voluntatem habuit baptizandi aliquem? equidem asserit Cabrera *q. 68 art. 7.* multos Theologos ratum tale habere baptisma; quorum placitum probabile ipse retur, & sic baptizatum deinceps retur sub conditione rebaptizandum.

Opinio Cabreræ de ministro dormiente.

136 Est tamen imaginatio falsa, nedum quia, vt diximus, maior actualitas expetitur in ministro, quã in suscipiente, vnde nõ licet arguere, suscipiens in somno baptismum validè suscipit; ergo & ministrãs in somno validè ministrat, sed etiã, quia actus ille à dormiente exercitus nõ est verè humanus; quia non fit à viro sui compote, etsi enim huiusmodi homines, qui in somno aut loquuntur, aut mouentur aliquo tactu vtantur, sui tamen compotes esse non possunt, dum interni sensus soluti non sunt, quorum solutio requiritur ad rationis vsum, qui tamen rationis vsus haud planè arguitur ex euigilatione alicuius externæ facultatis, eiusque versatione circa opus. Vide de huius conditionis hominibus Aristotelem *in libr. de somno, & vigilia cap. 2.* Galenum *lib. 2. de motu musc cap. 4* Thomam à Vega *in 3. Gal. de locis aff.* Cælium, & alios.

Reiicitur ex philosophia.

Aristoteles. Galenus. Thomas Vega. Cælius.

137 Hisce suppositis. Assero primo: dissentientem simpliciter siue contrariè siuè negatiue sacramentum baptismi nõ recipere. Assertio communis est, vti diximus, vno Caietano excepto, & suadetur auctoritate, & ratione. Auctoritas prima est sacræ scripturæ Prouerb. 23. *fili præbe mihi cor tuum*, qua non obscurè significatur nolle Deum in suã familiam adscribere reluctantem, & inuitum.

Assertionis primi probatio.

138 Subsequuntur deinde mille Patrum testimonia hoc idem probantia, & præcipue Augustini *lib. 4. de baptismo cap. 24* constituentis baptizandũ si per alium respondeat, nihil suscipere, quia ipse debet per se loqui, sunt autem Augustini

stini verba. *Si qui respondere potest, pro eo alius respondeat, non itidem valet: &c.* & paulo post *aetatem habet ipse pro se loquatur*.

Suasio ex Decretis Pontificum & Conciliorum.

139 Adsunt, & decreta Pontificum, præcipue Innocentii *cap. Maiores* statuentis nullum esse sacramentum siquis amens, aut dormiens baptizetur, nisi prius propositum baptismi suscipiendi habuerit. Vrgent Cõciliorũ decreta præcipuè *Arausicani* 1. cap. 12. cuius verba sunt: *Subito obmutescens baptizari potest si præteritæ voluntatis testimonium aliorum verbis, vel præsentis in suo nutu habeat*, & Concilii Cartaginensis 3. *cap.* 34. quo decernitur non debere ægrotantes baptizari nisi testimonium suæ voluntatis expresserint, quæ duo Concilia etsi non palam assertum nostrum de fide statuunt, quippe quæ detorquere quispiam cum Caietano posset ad efficaciã baptismi, vel ad expeditionem, multa enim licent, quæ non expediunt, si tamen res paulo inspiciatur attentius, & instituta Conciliorum perpendantur, apparebit plane statui ab iis sine suscipientis consensu irritum esse baptismum.

Argumentum primũ Lugo.

140 Quoad rationes proasserto: Pater Lugo bifariam arguit, primo auctoritate Ritualis Romani Pauli Quinti, quo statuitur, siue inhibetur baptizari eum, qui ante amentiam, cum aliquando sui compos fuerit, nunquam voluntatem ostendit, aut petitionem baptismi. Secundo, quia si baptismus absque omni voluntate recipientis conferretur obligaret hominem inuitum ad legem, quam nollet amplecti, maneretque obinde inuitus Ecclesiæ subditus.

Vtrumque ...cile.

141 Vtraque tamen ratio debilis est, prima quidem, quia nusquam Rituale statuit baptismum sic datum esse nullũ, sed non debere dari decernit, atqui Caietanus diceret, non debere dari non ob irritationem, sed ob eius inefficaciam, siue non debere dari, sed datum validum esse. Altera etiam paris est valoris, quia Ecclesia non iudicat de occultis, dissentientem igitur etiam interne cogeret ad fidem seruandam, est enim præceptore Scoto *d. 4. q. 4. littera D*, minus malum homini, quod inuitus seruet Christianam legem, quam quod impunè permittatur illam persequi, est enim minus malum inuitum bona facere, & mala fugere, quam impunè mala facere, & bona dimittere ex doctrina Iuristarum *de Reg. iuris in 6.*

142 Argumentum igitur præcipuum est Dei institutio, quæ neminem voluit baptizari inuitum, & clarè ex Christi verbis *Matt. 28.* colligitur vbi aiens *euntes in mundum vniuersum, docete omnes gentes, baptizantes &c.* patenter indicat debere doctrinam præire ad baptismum, quæ tamen super affluens esset, nisi consensus in recipiẽte exposceretur, ad quid enim illa prædicatio, illa doctrina; nisi vt fructu illecti homines ad baptismum accedant?

Ratio à priori.

143 Præterea vtamur argumento Durandi. Quod est de necessitate sacramenti in vno, est de necessitate sacramenti in aliis in similibus similiter, in proportionabilibus proportionabiliter, sed consensus, & non dissensus est de necessitate sacramenti in aliis ab hoc sacramento baptismi, & in hoc etiam penes paruulos proportione quadam, ergo multo magis in adultis.

Ratio Durandi.

144 Nec valet Caietani occursus dicentis argumentum supponere, quod esset probandum; quia paruuli nullum consensum habent: non valet (inquam) nam etsi verus in eis non requiratur consensus, at certe interpretatiuum requiri non pauci contendunt; sat enim consentire Ecclesiam, & fideles, & propterea in maiori addita est particula *in proportionabilibus proportionabiliter*.

Reijcitur Caietani responsum.

145 Porro consensum in aliis sacramentis etiam expeti patet, nam in sacramento Matrimonii planum est, cum situm sit in contractu, maiorem expeti consensum, quam habitualem: in extrema vnctione patet etiam, quia requirentibus datur; & si minus expresse id sacramentum requirant, præsumuntur requirere dum in Christiana lege, & Ecclesia mori, & viuere se velle profitentur, ex quo præsumit Ecclesia ipsa omnes fideles ita decedentes, etsi rationis vsum perdiderint ante sacramenti illius requisitionem, certè illud velle, dum præsumit eos velle sacramentis debito tempore iuuari.

Suasio minoris argumenti Durandi.

146 De pænitentia res clarior est, nisi enim atteratur pœnitens, & velit sacramentum recipere, neutiquam recipiet. Itidem de Eucharistia patet, quæ non nisi accedentibus exhibetur, & petentibus; quod, si ea quandoque in mortis articulo exhibetur non planè mentis cõpoti, adhuc dicendum, vt de Extrema vnctione dictum est. De Ordine res euidentior est, qui, si daretur dormienti, nullus esset; similiter & insano; putas, quia specialem habere debet ordinandus ad eius receptionem consensum.

147 Idem de Confirmatione puta, quæ accedentibus exhibetur duntaxat, proindeque petentibus, censentur enim petere, qui ad recipiendum accedunt.

Probatio per singula sacramenta.

De baptismo autem res ipsa in ritu baptizandi liquescit magis, quo baptizandus explicitè interrogatur à Ministro *Vis baptizari*, & respondens *Volo* confestim baptizatur. Et confirmatur assertio ex ipsa baptismi finitione perfecta, qua dicitur *Sacramentum ablutionis hominis aliqualiter consentientis*. Vnde interclauditur ansa respondendi Caietano dicenti ad passionem non requiri consensum, baptizari autem est pati, & in passiua baptizatione situm est sacramentum: intercluditur (inquam) ex diffinitione allata, quia baptizari non est pati absolutè, nec baptizatio passio absolutè, sed passio humana, vnde sicut baptizare est actus humanus, ad cuius elicitionem requiritur intentio, ita & baptizari est passio humana, ad cuius susceptionem expetitur voluntatis consensus.

Assertio secunda

148 Asserendum secundo, dissentientem contrariè secundum quid verum recipere sacramentum. Ad huius asserti probationem, quod statuit loco cit. Scotus noster spectant, quæ ab Innocentio dicuntur *extra de bapt. & eius effectu, cap. Maiores paulò antè finem* distinguente inter inuitum, & inuitam, coactum, & coactam, ac statuente conditionaliter volentem, licet absolutè nolit, cogendum esse ad obseruantiam legis, cuius rei rationem reddit glosa *ibi*, quia *coacta voluntas voluntas est*, quod etiam repetit 15. *qu. cap. merito*, & indicat 20. *q. 4. cap. displices*, cuius dicta nisi explicentur iuxta Scoti doctrinam, vt scilicet is qui dicitur conditionaliter velle intelligatur secundum quid dissentire tantum, sicut exemplificauimus de mercatore, proijciente merces in mare, qui simpliciter vult, sed secundum quid non vult: nisi (inquam) in hunc explicentur modum, minus rectè sunt dicta; quia si simpliciter, & absolutè nolit, vt supra statuimus, nihil facit baptizans: & Innocentius ibi nihil præterea eo loquendi genere indicauit, nisi dissentientem absolutè non recipere sacramentum, vnde subdit. *Ille verò qui nunquam consensit*, (en tibi necessitas consensus, & obex dissensus negatiui) *sed penitus contradicit* (en necessitas consensus, & obex dissensus contrarij) *nec rem, nec characterem suscipit sacramenti*.

Verba glossæ explicata.

Innocentius explicatur.

149 Nec refert coactam voluntatem esse voluntatem; nam nisi quoquomodo consentiat ad actum, non censebitur libera.

Huc referuntur etiam quæ superiori articulo dicta sunt, posse cogi ad baptismum infideles coactione videlicet inducente, ad quam certe qualis qualis concursat consensus, non coactione sufficiente, quæ libertatem penitus eneruat. Huc spectat decretum Concilii Tolet. 4. can. 8. cuius verba etiam ab Innocentio relata sunt *loco citato cap. Maiores*. *Qui iam pridem ad Christianitatem coacti sunt, &c.* & post pauca *oportet, vt fidem, quam necessitate susceperunt, tenere cogantur, &c.* quibus coacte baptizatos, quiue necessitate coacti fidem susceperunt, pro baptizatis recipiendos, & ad fidei seruanda præcepta cogendos decernit.

Probatio ex Concilio

150 Spectat & congruentiæ ratio, quia scilicet tales non simpliciter coacti consentire dicuntur, sed verè assentire, licet ob timorem, vel penæ, vel alterius cautæ: et si possent alias vitare baptismum, vitarent, quia tamen vitare non possunt consentiunt simpliciter, & dissentire secundum quid censentur.

Probatio ex ratione

151 Caue tamen putes huiusmodi dissentientes recipere baptismum, si in eum consentiant licet coacti non tanquam in lauacrum eo modo, quo statuit, & facit Ecclesia, sed tanquam in simplicem lotionem, aut balneum, quia in hoc casu si censerentur nec secundum quid, nec simpliciter consentire, sed absolute dissentire, vel saltem contrariè dissentire simpliciter in baptismi sacramentum, quod non est situm simpliciter in balneo, sed in ablutione, & forma cum intentione faciendi; quod facit Ecclesia.

Cautio necessaria

152 Sed quid, si quis neutro modo consentiat, aut dissentiat, sed neutraliter se habere? Caietanus arbitratur casum impossibilem, Scotus difficilem. Certè impossibilis non est, cum & nunc temporis infideles aliqui esse possint, qui inauditũ baptismi præceptum, ac necessitatem ex prædicatione Catholicorum præconum nec consentiant, nec dissentiant, quod facile euenire potest apud Indos, & Sinas. Data autem hypotesi dicendum cum Scoto talem neutraliter se habentem baptizari non posse validè iuxta illud commune adagium. *Qui non eligit, non diligit; qui non diligit, contemnit*. talis ergo censetur contemnere, nec obinde sacramentum baptismi reciperet.

Occurritur dubio

153 Dicendum igitur, seu colligendum

ex

ex dictis, aliquem in suscipiente requiri consensum, sin minus actualem, saltem virtute, vel habitu, & dissentientes absolute tam contrarie, quam negatiuè irritum facere sacramentum.

Soluuntur argumenta in oppositum.

154 Agè vero nunc opposita diluamus argumenta. Auctoritates in primis glosæ Recentiores contemnunt, eamque erraте constituunt, vt patet apud Becanum *cap. 4 de sacramentis in communi q.10.* ex doctrina tamen Scoti distinguendum est *littera D.* nam dissentiens dupliciter se habere potest, vel protestando exteriori signo suum dissensum, ac reclamando, vel non protestando, nec reclamando: rursum, vel res attenditur in ordine ad Deum, vel in ordine ad Ecclesiam; hoc est, vel in ordine ad forum conscientiæ internum, vel in ordine ad forum Ecclesiæ externum: & quidem in ordine ad forum internum, & ad Deum tàm reclamans, quàm non reclamans, si dissentiat, nihil recipit, nec ad legis obseruantiam cogi potest, quam non est professus in baptismate: in ordine autem ad forum externum reclamans non cogetur, non reclamans cogetur; Ecclesia enim non iudicat dè occultis, & iuxta regulas Iuristarum *tacens præsumitur consentire*; nō reclamans ergò præsumitur consensisse, & proindè cogi potest, dequè hoc loquutæ dici possunt glosæ atquè ità post Scotum glosas interpretantur Sotus *dist. 5. quæst. vnica art. 3.* & noster Faber *disp. 11. cap. 2.*

Becanus glosa lus vr cluditur ex doctrina Scoti.

Interpretatio Soti, & Fabri.

155 Si tamen attentius verba glosæ perpendantur nihil illa in contrarium; nam *cap. maiores §. perdurare* satis dilucidè docet cum Innocentio amentes, & dormientes non recipere sacramentum baptismi, nisi fuerint ante amentiā, & somnum Cathecumeni, hoc est consentientes ad baptismum, quem semper inuitos, & contradicentes non recipere decernit; quod si postea subdat; quod ore exprimentes, licet corde dissentientes sacramentum recipiunt, ipsa se ipsā interpretatur loqui de ficte accedentibus fictione ea, quæ baptismi valorem non tollit, sed effectum; vt ibi patet, dum citat *cap. sicut ficti*, & *cap. Solet de consecratione dist. 4.* cuius verba etiem in oppositum adducta non obsum; quia locus is expetebat scire, quantam deberet ministrans habere intentionem in huius collatione sacramenti? cui petitioni glosa occurrens ait debere ministrum intendere baptizare, hoc est, actu, vel virtute, *qualemcumque intentionem habeat recipiens* hoc est siue suscipiens actu, siue virtute, siue habitu recipere intendat; quia, vt diximus, actualitas minor in recipiente, quam in ministrante est satis; in quo maior exposcitur. Porrò hæc sentientes glosæ nobis fauent, ac suffragantur potius, quam refragentur.

Auctoris expositio.

156 Opinio à Suarezio relata fatua est, non solum hæretica; constat enim viatores dumtaxat esse sacramentorum capaces, vt alibi dictum est, ex quo illa instituta sunt in medelam, medela autem non vita functis, sed ægrotis aptatur solum. Et auctoritas Pauli ad rem non facit, ad quam missa Suarezij, & aliorum responsione dicendum institutum Pauli *ibi* esse palam facere futuram corporum resurrectionem multis argumentis, è quorum numero est illud *si mortui non resurgunt, vt quid baptizantur pro illis* quasi diceret ad quid opera hominum viuentium meritoria applicata pro mortuis, si mortui non resurgunt? quibus, vt vides, baptizationis vocem latissime sumpsit pro omni opere afflictiuo & bono siue pro se, siue pro alio oblato, quomodo etiam Christus dum de sua passione præmoneret Apostolos Marci 10. aiebat *potestis bibere calicem, quē ego bibo, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* & Lucæ 12. *baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur?*

Opinio relata à Suarezio fatua.

Interpretatio verborum Pauli.

157 Opinio Caietani præter auctoritatē Innocentij hisce coloratur argumentis; primo, quia Florentinum Concilium nihil expetit præterea, vltra materiam, formam, & intentionem ministri.

Primum argumentum Caietani.

Secundo, quia in Extrema Vnctione, & Eucharistia immò & in ipso paruulorum baptismo consensus huiusmodi non requiritur; vnde licet arguere, quidquid non est de necessitate sacramēti in vno, nec in alijs, at in prædictis consensus neutiquam necessarius est; ergo nec in baptismo.

Secundum argumentum.

Tertio, quia voluntas generalis procurandi propriam salutem videtur esse satis; sicuti hæc generalis voluntas sat est in sacramento Extremæ Vnctionis.

Tertium argumentum.

158 Hæc dilue; Innocentium *loco citato* nobis, non Caietano fauere, vt supra glosæ verba interpretantes diximus; nam dormientes, & amentes, quos docet non esse valide baptizatos, si baptizentur non præhabito eorum ante amentiam, vel somnum consensu, nihil præterea citatis pro Caietano verbis illis, *tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem*, indicat, nisi sequiri, ut

Solutio primi.

Suadetur ex scriptura.

Nostram autem sententiam videtur docuisse Apostolus Paulus *2. ad Cor. cap. 10. in promptu habētes vlcisci omnē inobedientiā*, & Seruator noster Iesus Lucæ 14 *exi in plateas & vicos, & cæcos, & claudos introduc huc*, & infra. *Exi, &c. compelle intrare, &c.* per *cæcos* enim & *claudos* Apostatæ ex fidelibus intelliguntur, & *Hæretici*, qui lumine fidei destituti cæcutientes, & spei, & charitatis pede concusso, errant in inuijs, sentibus, & vicis, quos ad veritatis viam redire iubet Christus *loco citato*, cuius præcepto Ecclesia obediens obstinatos hæreticos vltima internicie plectit. Et suadetur ratione, nam illi tales

Et Ratione

directè ad Ecclesiā spectant iuxta id, quod habet Tridentinum Concilium *sess. 14. de pænit. cap. 2.* Ecclesiam in eos præcipuè exercere iudicium, qui ipsam baptismi ianuam ingressi fuerint.

Assertio secunda

83 Assero secundo: infideles adultos licere ad fidem cogere, & ad susceptionē baptismi, qui sunt principibus christianis subiecti. Conclusio est Scoti *q. citata*, quem ex Nostratibus Maironus, ac Faber sequuntur, ex exteris autem vnus Gabriel Biel *d. 4. in fine*, in qua dedita opera addita est particula illa, *qui sunt subiecti christianis principibus*, cum secus sit de non subiectis dicendum. Probatur autem primo auctoritate Concilij Toletani 4. *can. 55.* vocantis Sisebutum religiosissimum Principem, quod Iudæos, ac infideles ad baptismum suscipiendum coegerit, simpliciter igitur religiose fit, ac licitè, si cogantur tales infideles.

Eius probatio

Caietani responsum

84 At respondet Caietanus, quod sententia synodi *loco citato* duo continet, & laudem Principis, & prohibitionē facti, & ex secundo patet, quod non approbat factum Sisebuti, sed solum de bona intentione commendat, iniqua autem mala fiunt bona intentione.

Refellitur

At contra: bona intentio, si actus ex suo genere sit malus, nihil ad rem facit; non ergo titulo religiosissimi cohonestandus erat propter intentionem tantum Sisebutus; præcipuè cum clare locus ille factum eius, non intentionem exprimat; quare autem factum condemnet in posterum, patebit in solutione argumentorū. Secundo probatur ex fundamento paulo superius à nobis iacto.

Alia probatio

85 Quandocunque sunt duo mala, quorum vnum necesse est eligere, licitè, quod minus malum est elici potest; sed hæc sunt duo mala, scilicet permittere infideles in suis permanere ritibus, & ad veram, & ad licitam ipsos cogere fidem, ergo minus malum istorum si eligatur licitum erit: subinfero, atqui minus malum est cogere eos tales, quam sic permittere in suis ritibus, ergo totum argumentum abunde superius est probatum. Sed respondet Caietanus, quod maius malum est infideliter viuere occulte post suscepta fidei sacramenta, quam libere infideliter viuere; quia contumelia sacramentorū euitatur. At voluntariè loquitur Caietanus, quid est enim maius malum Christi fidem solo actu interno blasphemare, an interno, & externo simul? licet igitur fidem internam nō habeant, quod malum est, peius tamē est nec etiam externum Dei cultum protestari.

Caietani occursus.

Voluntarius,

Confirmatur assertum

86 Confirmatur ex iis commodis, quæ nostram sequuntur sententiam; licet enim isti adulti intrinsecè verè fideles non essent, tamen filii eorum rectè educati in tertia saltem, ac quarta generatione vere fideles essent. Nec valet Caietani replica, & Soti, quod Apostolo teste *non sunt facienda mala, vt eueniant bona*, ac perinde non sunt adulti cogendi, vt filii sint boni, nam licet re vera Apostoli sententia sit verissima, qua nos etiam multoties vsi sumus; tamen quandocunque sunt duo mala, quorum alterum eligere necesse est, licite minus malum elici potest: auctoritas autem Apostoli absolute de malo simpliciter vera esse intelligitur.

Soti, & Caietani replica inanis

87 Verumtamen hoc loco adnotandum est, quod sicuti apud iuristas duplex reperitur mors, naturalis scilicet, & ciuilis, ita terrores, ac minæ duplicis generis esse possunt, naturalis scilicet, & ciuilis.

Mors, & minæ duplicis generis

Mors ciuilis est à Ciuitate exilium, & bonorum omnium expoliatio; mors vero naturalis est vitæ totius ablatio; similiter terrores, ac minæ spectare possunt exilium, & priuationem bonorum, & vitam ipsam; si Scoti dictum intelligas de minis vitæ interitum spectantibus, difficile est ad sustinendum; dubium est enim num licite fieri hoc possit; hinc nedum illicite, sed praue agunt nonnulli Christianorum populi Hebræis adeo infensi, & contra fidem zelantes, qui obuiam habentes *Hæbreum* aliquem pugione, vel gladio mortem minitantur, nisi baptizari consentiat, quē deinde metu annuentem in flumen proiiciunt dicendo baptismi verba, vel gladio interimunt, vti facilius saluetur; præterquam quod enim baptismus ille, qui immer

fione

tione absque emersione est, nullus est, non sunt enim facienda mala, vt eueniant bona, interficere autem hominem est contra præceptum decalogi non occides.

Laus Ferdinandi.

90 Intellecta autem Scoti sententia de minis spectantibus ad ciuilem mortem verissima est; hinc immortalibus celebratur encomiis Hispania Rex Ferdinandus Catholicus, sicuti meminit Author *summæ Conciliorum* prope finem Concilij *Toletani primi*, qui ex suo regno Iudæos, ac Saracenos non conuersos, nec conuerti volentes hac ciuili morte multauit, id & nouissimè

Et Filippi Catholicorum Regum.

præstitit Philippus Indiarum, Hispaniarumque Rex Catholicus eijciens ex Hispaniarum Regnis Mauros, immò in Concilio Toletano *sexto canone 3.* habetur hæc placitura Deo sententia, *vt quisquis succedentium temporum Regni apicem fortitus fuerit, non ante regiam conscendat sedem, quam inter cætera sacramenta conditionum pollicitus fuerit nullum non Catholicum in suo Regno permittere*, ex quo patet licitam esse ciuilem hanc mortem, ac proinde minas etiam illam spectantes, ac terrores licitos esse. Sed quid de infidelibus nullo

Solutio vltimæ petitionis.

modo Christianis Principibus subiectis? His profectò neutro modo videtur fieri posse coactio, cum nullatenus ad regimen Christianorum spectent non quidem minæ, ac terrores de naturali morte adhiberi circa ipsos possunt propter eas rationes omnes, quas pro Thomistis adducemus, neque minæ de ciuili morte, cum non maneant in Principum Christianorum statu; quanam autem ratione liceat illos vexare bellis ad alium locum disputandum remittimus, pro nunc verò breuiter cum D. Thoma 2. 2. *q. c.* dici potest, quod hoc licite fit, quandocunque infideles illi, vel apertis blasphemiis, persuasionibus, ac publicis persecutionibus, veræ fidei sectatores à recto conantur tramite deducere; similiter quando vellent nouum inter fideles acquirere sibi dominium, nã cederet hoc (vltra temporalis dominij amissionem) in periculum, ac maximum fidei detrimentum, facile namque superiorum infidelium auctoritate peruerterentur fideles subditi, sicuti sæpe sæpius Byzantij fieri narratum accepimus, fieret etiam vt infideles superiores facile subditorum fidelium peccata cognoscerent, atque adeo fidem nostram multo magis contemnerent.

91 Oppositum Scoticæ sententiæ probant Thomistæ auctoritatibus primo: secundo decretis Pontificum, & Conciliorum: tertio rationibus. *Auctoritas* prima est ex scripturis desumpta Matth. vlt. *docete omnes gentes baptizantes, &c.* vbi non dicit *compellite*, sed *docete*, *ac docendo suadete*, & Matth. 10. Christus mittens ad prædicandum discipulos noluit illos virgam portare: & non recipientes Apostolos non ait Christus persistentes cogite, sed exeuntes foras de domo, ac Ciuitate illa puluerem calciamentorum excutite, & Eph. 6. clamat Apostolus, *succincti lumbos vestros non in feritate, sed in virtute induti loricam iustitiæ non ferri, & calceati pedes in præparatione euangelij pacis*. Similiter & Lucæ 9. cum Boanerges Iacobus, ac Ioannes pari nequaquam fuissent humanitatis hospitio recepti dixerunt Domino. *Vis dicamus, vt ignis descendat de Cælo, & consumat istos*, conuersus autem Dominus increpuit illos dicens. *Nescitis, cuius spiritus estis, filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.*

Thomistarum fundamenta.

Primum ex scripturis.

Matth. vlt.

Ephes. 6.

Luca 9.

92 Accedit, quod refert Iacobi Historia, quod Hermogeni ante illum ligatis manibus adducto, iussoque solui dixit Iacobus, *vt quocunque vellet pergeret, neminem enim vult Dominus inuitum conuerti.* His auctoritatibus scripturæ addit & Sanctorum Patrum censum Sotus *d. 5. art. 10.* Gregorius enim *epistol. lib. 11.* sicuti refertur *in canone, qui sincera d. 45. qui sincera (inquit) intentione extraneos à Christiana Religione ad fidem cupiunt rectā perducere blandimentis debent, non asperitatibus studere, & epistola 45. quæ lib. 1. epistolarum habetur* Vigilium, ac Theodorum instantissimè admonet, ne vi Iudeos baptizent, sed prædicatione, & admonitione eos ad fidem Deo adiuuante perducant, *& lib. 2. epist. 22.* idem repetit. Augustinus etiam *ser. 6. de verbis domini* hoc idem docet admonens, ne Idolatræ per violentiam à sua impietate diuellantur etiamsi in Christianorum conspectu idola adorent dicente Paulo *1. Corinth cap. 5. quid mihi de his, qui foris sunt.* Adde ecclesiæ sensum in hymno Epiphaniæ. *Non eripit mortalia, qui regna dat cælestia.*

Secundò ex Patribus.

Gregorio.

Et Augustino.

93 Adducunt secundo Pontificum, & Conciliorum decreta, & primo Concilium Toletanum quartum *cap. 55.* quod pro se à Scoto adducitur, si recte fuisset à Scoto perpensum nedum non sibi fauere, sed apprime sibi contrarium illud reperiisset, cum clarissime præcipiat,

Tertium ex Concilijs.

nec Iudæos, nec alios infideles ad fidem esse cogendos. Hoc idem statuit Innocentius Tertius *super caput Maiores in verbo, non compellant*, vbi *nullus ergo*, inquit, *vt Christianus fiat compellendus est*. Et Clemens Tertius *can. 6 sicut de Iudæis, statuimus*, inquit, *vt nullus inuitos, & nolentes Iudæorum ad baptismum venire compellat*.

Rationes Soti

Prima

94 Tertio rationes adducunt: primam Sotus *loco citato*. Nulli conferri debet baptismus, nisi ei, qui fidem habere præsumitur; nam cum permanenti in peccato non sit conferendum sacramentum, & infidelitas sit maximum peccatum, sacrilegium esset infidelem baptizare, sed nemo cogi potest ad fidem: ergo nec ad baptismum cogi aliquis infidelis renitens poterit.

Secunda ratio

95 Secundum argumentum: Christus per fidei Doctrinam humilitatem præcipuè, ac mansuetudinem docere voluit mundum iuxta eiusdem testimonium Matt. 11. *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, & Beatos prædicauit Mites; *quoniam ipsi possidebunt terram*, huic autem ex diametro ira, ac superbia aduersatur: ergo ille, qui infideles armorum strepitu territaret, vt fidem Christianam susciperent, id, quod verbis persuadere contenderet, re ipsa dissideret minis vtendo, ac flagellis.

Tertia ratio

96 Tertium argumentum. Hæc excellentia lex nostra inter alias cum Mahametis perfidia comparata resplendet, quod illa tanquam quæ nulla ratione poterat persuaderi vi, & armis in mundum obstrusa est; nostra verò per homines inermes, ac mites sola veritatis energia mundum vicit: hinc in sua prima Epistola cap. 5. clamat Ioannes *hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra*.

Quarta ratio

97 Quartum argumentum: si fides cum rationis naturalis lineam excedat per violentiam gentibus prædicaretur, vel ipsa exosa fieret, vel quasi tyrannis æstimaretur, & Diaboli figmentum rationi repugnans; vel Deus inde blasphemaretur, quando putarent infideles non fuisse Deum potentem legem suam, si sancta esset, sanctiori via in orbem introducere. Et confirmatur; quia nullum vnquam aut Sanctorum Pontificum, ac Christianorum Principum,

Confirmatio

vbi fidei zelus cum prudentia coniungitur (quod additum est vt Scoto fiat satis pro se Sisebutum Regem adducenti, in quo zelus vtique sine anima fuit) memoriæ proditum est talem cogendi modum ad introducendam fidem, vel docuisse vnquam, vel effecisse, vel fieri permisisse, sicuti patet de S. Syluestro, & Ambrosio. Hæc omnia ex Soto collegi, quibus fretus, nescio, inquit, quisnam hic mente præditus dicere pergat fas esse quemquam ad fidei sacramentum minis, ac terroribus cogere.

98 Pro quorum inefficacia nullum arbitror aliud de Scoti mente iaciendum fundamentum, præter id, quod adnotabilibus nostris in hac eadem quæstione expressimus, secundum quod auctoritatibus omnibus ex scriptura elicitis vnica possumus responsione satisfacere dedita opera, & consultò ea Christum docuisse discipulos, quia & ipsi pauperes essent, sub quorum dominio non esse præsupponuntur infideles tunc temporis, & fides quid nouum erat, ideo ordinaria illam lege docendo, ac suadendo iubet promulgandam, vel quia debitæ tunc adhiberi non poterant cautelæ ad id agendum, hinc si minis, ac terroribus vti voluissent Apostoli, & si è Cælo descendere ignem iubere Ioannes, & Iacobus fuissent permissi, facile contra ipsos tam Romanorum, quam Hæbreorum Principum fieri poterat conspiratio.

Scriptura explicita

99 Ad auctoritatem autem ex Iacobi historia desumptam, quidquid de facto sit, quia potuit ex quibusdam hoc apocriphorum Scripturarum somnijs esse desumptũ; vti respondeatur ad distinctionem propositam recurrendum est, ac dicendum neminem inuitum conuerti velle Dominum, inuitum, inquam, contrarie, nec esse cogendum quempiã coactione sufficienti. Cæterum coactione inducente in his, qui principum potestati sunt subiecti non licitam esse coactionem non probat auctoritas.

Auctoritas ex hystoria quanta?

100 Ad Gregorij auctoritatem vtramque breuiter dicimus, quod ideo Gregorius admonet in secunda auctoritate, & epistola ad duos Episcopos illos, ne ui baptizent Iudæos propter maius scãdalum, quod inde nasciturum erat, ac proinde, quia debitæ adhiberi non poterant cautelæ, similiter respondemus ad primam scribit enim Gregorius Neapolitano Archiepiscopo *loco citato* admonens Iudæos à Christiana religione extraneos ad fidem non asperitatibus, sed blanditijs esse perducẽdos, propterea quod Iudæi tunc Neapoli degentes, quorum magnus erat numerus ad ipsum scripserant protestantes se de hoc facto, ideoque Gregorius vti maius euitaretur in-

Interpretatur Gregorius

com-

committendum, quod fieri poterat, siue quod conspirare in Christianos possent Hæbrei illi, siue quod filios, ne Christiani fierent interficerentur à Parentibus, non esse id faciendum monet Gregorius.

301 Similiter potest ad Augustini admonitum responderi: vel ad vtrumque dicatur, quod tam Gregorius, quam Augustinus consulto monent non esse Idolatras compellendos ad fidem, nõ quod licite fieri hoc minime posset, sed quia minus erat expediens, multa enim licent, Apostolo teste, quæ non expediunt, hinc esto liceret non tolerare etiam infidelium ritus, rectè tamen fit, & expedienter tolerantur, Deus enim licet omnipotens sit, ac summe bonus iuxta doctrinam, quam tradit S. Thomas 2.2. *q. 10 art. 11.* permittit aliqua mala fieri ne ijs sublatis, vel maiora tollantur bona, vel peiora subsequantur mala, inde egregiè testatum nobis reliquit Augustinus *lib. de ordine; aufer meretrices de rebus humanis, turbabis omnia libidinibus* ita in proposito non expedit cogere infideles propter maiora, quæ in dies subsequuta sunt scandala, quibus si occurri diligenter posset, & licite, & expedienter possent infideles cogi, & docuere hoc Augustinus, & Gregorius *auctoritatibus allatis.*

Occurritur Augustino.

302 Porrò eandem doctrinam applicare possumus Conciliorum, & Pontificum Decretis, quæ secundo loco adducuntur à Thomistis. Concilium enim Toletanum, quod optime animaduertit Sotus pietatem Sisebuti laudat, quod infideles coegerit ad fidem, præcipit tamen, ne in posterum id fiat, quoniam debitas cautelas difficile seruari posse cognouerat.

Et Conciliis.

303 Ad primã Soti rationẽ Respõdeo ad maiorem, quod vtique in adultis non licet, nec expedit baptismum dare, nisi ijs, qui fidem habere præsumuntur, atqui infideles, quos cogi ad baptismum licere diximus præsumuntur fidem habere. Non enim loquimur nos de coactione sufficienti, sed de coactione inducente, qui enim coguntur sic præsumuntur credere saltem secundum quid, præsumptio autem ista ex actibus fidei externis colligenda est; quia de intrinsecis Iudex est Deus, & cum minorem subinfert Sotus principium petit, probandũ est enim sibi, quod pro minori adducitur: siue responderi ad minorem potest, cogi aliquem ad fidem stare dupliciter, vel ad actum interiorem fidei, siue ad credendum in corde veram esse Catholicã Ecclesiæ doctrinã, vel ad actus exteriores fidei interioris præstatiuos, primo modo cogi ad fidẽ potest nemo, secũdo verò modo possũt aliqui: vel dicamus, ad maiorẽ, quod esto malũ sit dare baptismum non habentibus fidem; quia tamen oppositum est peius; ideo de duobus malis eligendum est minus.

Soluitur prima ratio Soti.

304 Ad secũdã Respõdeo primo, aliud esse promulgare fidẽ gentibus, quæ illam nunquam audiuerunt, aliud promulgare illam gentibus, quæ cum audierint nedum credere, sed illi contrarie opponi audent, prior vtique promulgatio blãditijs, ac mite facienda est, posteriorem vero licet quandoque terroribus facere, terroribus, inquam, ac minis ciuilem, non naturalem mortem respicientibus modo in conclusione præexplicato, hinc Sotus ægregius in hoc argumento grammaticus, & Rethor, prauus autem logicus nostram bonus vir non percepit sententiam, dum armorum strepitus pro minis, ac mortalia flagella pro ciuili terrore transtulit: fortasse dices seruili timore tunc perterrefactos subditos suscipere fidem, seruilis autem timor nihil valet.

Enodatur secunda.

Concedo, quod aliqui seruili timore, nego tamen, quod aliquando seruilis timor vtiliter peccatores ad relinquenda peccatã non moueat, de facto enim in libro Ionæ legimus Profetam in medio Ciuitatis Niniue clamasse, *adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur*, quod Sancti viri dictum tanto fuit Regi gentium, ac subditis eius terrori, vt cinere, ac cilicio, & saccis induti pænitentiam egerint, dummodo placata Maiestati placuerint.

195 Ad tertiũ dico, quod in hoc differt religio Catholica ab infami Saracenorum secta, quod illi vi, & armis in aliorum iurisdictionem ingressi, & sectam suam, & Imperium dilatauerunt, nos verò placide, ac mite prædicamus exteris verbũ Dei: vnde ad summam ratio concludit non licere minis cogere infideles Principibus Christianis non subiectos, quod gratis concedimus.

Diluitur tertia.

106 Ad quartam, potest negari consequentia, quia uiolentia illa ciuilis esset, ut puta si Rex iuberet infideles subditos sibi nolentes baptizari eijci à Regno, tunc illi facile possent Regis portare Imperium, nec sæuitiæ accusare illum, cum potuisset etiam (esto non licite) flagellis, ac morte etiam multare illos. Concessa etiam consequentia, quid inde sequitur? nonne minus malum est legem

Negligitur quarta.

Qq 2 Chri-

magis à ratione vsu æquiparari paruu lo videtur; quia vterque ratione vti potest; hic sub annis discretionis, quos vocant, ille vero sub lucidis interuallis, dum scilicet ad sanitatem reuocatur.

Significata varia nominum

Quamuis autem hi termini non parum ad inuicem distent, *Amens, Fatuus, Furiosus, Insanus, Insipiens, Mente captus, Stultus*, quia propriè *Amens*, dicitur, qui est à mente deiectus. *Fatuus* teste Donato *in com. Terentij*, qui propriè à *Fando* deriuatur, qui fatua, & inepta loquitur, *Furiosus*, teste Seruio *in primum Virg. lib. Æneidos*, à quo nunquam furor recedit, qui obinde à furia to d [illegible], quia *Furiosus* dicitur, qui quandoque ex causa furit, *Insanus* is dicitur, cui mentis sanitas non satis constat, [illegible] tueri possit, *Insipiens* qui non sapiens, hoc est non cogitans, quæ essent agenda. *Mente captus*, qui etsi nulla prodit furoris indicia, nihilominus minus sic inquiete agit, vt pars illa rationalis animæ vitiata videatur: *Stultus*, denique qui imprudens, incautus, est. n. leuius esse stultum, quam insanum, quam fatuum, quam furiosum: quamuis (inquam) prædicta nomina non parum penes significata differant, hoc plane loco indiscriminatim accipiemus, dum non nomini, sed rei veritati [illegible]dum est.

Secundo obseruatio

110 Secundo obseruandum pro explicatione petitionis illam ad duplicem [illegible] deduci, dum enim petimus dispositionem in adulto ad receptionem baptismi scrutari possumus tam de valore sacramenti ipsius secundum se, quam de eius efficacia, refert autem satis alterum, vel alterum postulare, quemadmodum refert dicere aliquem recipere sacramentum, & rem, hoc est effectum eius, & aliquem recipere sacramentum solum, non autem sacramenti effectum.

Distinctio Magistri.

Hac enim refertur vulgata satis Theologorum distinctio, quæ ex Magistri sententiarum fonte manauit, quosdam scilicet recipere sacramentum tantum, quosdam effectum sacramenti tantum, quosdam vtrumque, & eos, qui sacramentum tantum recipiunt esse adultos non bene dispositos, qui effectum tantum adultos vel per contritionem, [illegible] perfectum amoris Dei, vel per martyrium iustificatos, similiter & paruulos in materno vtero, vel præuentos, vel sanctificatos, qui certè sacramentum non recipiunt, effectu tamẽ sacramenti, qui est gratia, donantur; quæ dicitur effectus sacramenti, non quia eo casu per sacramenta daretur, sed quia regulariter per sacramenta datur, dareturque iis, [illegible] modo iustificati essent, eos demum & sacramentum, vt sacramenti effectum recipere, qui dispositi in voluntate, & intellectu ad sacramentum accedunt.

Tertia obseruatio.

111 Obseruandum tertio, disparem esse rationem de sacramentis singulis in hac re, nec ex responsione apposita pro vno sacramento, fas est consimili et respondere ad cætera circa sacramenti efficaciam.

Ratio diuersitatis ex ipsa sacramentorum diuersa natura oritur, cum enim sacramenta aliqua suapte [illegible] primam apta sint [illegible] dare gratiam, alia vero gratiæ augmentum, hinc fit, vt differ[illegible] inter de iis, ac illis [illegible] sit, quo circa & ipsa sacramenta diuerso appellantur vocabulo, nam quæ primam conferunt gratiam sacramenta mortuorum dicuntur; quæ vero gratiæ augmentum, sacramenta viuorum, hoc est, supponentia in suscipiente vitam spiritualem, quam elargitur Deus per gratiam iustificantem, sicut illa dicuntur mortuorum, idest supponentia mortem spiritualem ob peccati præsentiam & gratiæ iustificantis carentiam. Hisce pro titulo petitionis obseruatis, quid alij sentiant, exponamus.

Opinio glosatoris

112 Et primo circa sacramenti substantiam, & valorẽ est prima opinio astruẽs contrariam suscipientis voluntatem nõ obstare ad sacramenti huius valorem, nec illius irritare substantiam: ita quædam glosa *in cap. solet de consecrat. dist. 4.* cuius verba sunt. *Ad hoc dico, quod si baptizans intendit baptizare, qualemcumque intentionem baptizatus habeat, recipit sacramentum &c* & alia glosa *in cap. maiores extra de baptismo, & eius effectu* idipsum sensisse visa est, dum ait, *si quis ore consentiat quamuis corde dissentiat, sacramentum nihilominus recipit, quia Ecclesia illud dare intendit.*

Quorundã dementia

113 Mittimus hoc loco quorundam à Suarez ex Theophilacto relatorũ dementiam, qui tam parui dispositionẽ ex parte suscipientis hoc sacramentum fecerũt vt mortuos etiam validè baptizari crediderint, vel saltem pro mortuis viuos iuxta illud Pauli 1. Chorint. cap. 15. *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis si mortui non resurgunt? vt quid & baptizantur pro illis?*

Caietani opinio

114 Secundo loco recensenda est opinio Caietani 3. p. q. 68. art. 7. parum ab interpreta-

pretatione glosæ diffidentis, dum putat ad substantiam sacramenti huius nullam ex parte suscipientis exigi intentionem, aut consensũ, cum sit satis, vt voluntatem non habeat contrariam, quamuis impossibilem arbitretur casum; quo suscipiens nec dissentiat, nec consentiat, & videtur hæc opinio Caietani ex auctoritate Innocentij Tertij deducta *capit. Maiores citato*, in cuius calce decernit Pontifex, quod *tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non inuenit obsistentem*.

Tertia opinio Coninch.

115 Possumus tertio loco opinionem aliquorum referre, qui in voto sunt, aliquos, qui attritionem habent de peccatis, non quatenus sunt offensiua Dei, sed inductiua pænæ æternæ, & deductiua ab gaudijs æternis, etsi nihil cogitent, vel sciant de baptismo, vel etiam nihil de eo audierint, censeri consentire, & posse exinde valide baptizari; quia implicite censetur baptismum petere, ex quo in illa attritione, & dolore peccatorum includi putant virtuale propositum seruandi diuina præcepta; quorũ præcipuum est sacramenti huius receptio, ità sensit ex Recentioribus Conich 3. *p.q.64 art.8 dub.5.num.*103.

Opinio Scoti, Maironi, Bassoli, Fabri Radæ, & aliorum.

116 Communis tamen sententia dispositionem aliquam ex parte recipientis ad baptismi valorem exposcit modo infra explicando, ità noster Scotus *in 4.d. 4.q. etiam 4.* vbi Maironus *q. 1.* Bassolus *q. vnica art. 3.& in solut. 1 principalis* Faber *disp. 11.4.* Rada *cont. 4 art. 3. sub initio* S. Thomas, & Thomistæ *3. p. q. 68. art. 7.* & cum eis Vasquez *disp.* 157. Suarez *disp. 14. sect. 2.* Lugo *disp. 9. sect. 7. num.* 115. & alij omnes.

117 Circa aliud dubium de dispositione requisita ad receptionem effectus sacramenti huius, qui est gratia, de charactere enim non veremur, is siquidem sequitur substantiam sacramenti, eiusque valorem, non efficaciam, proindeque quotiescunque sacramentum est validum, characterem imprimit, alioquin reiterari posset, quod esse falsum superiori disputatione monstratum est.

Sententiæ variæ circa aliud dubium.

118 Circa aliud (inquam) dubium ex varietate sententiarum torquemur magis, enitentibus plerisque contritionem veram in suscipiente adulto exposci necessariò, vt effectum recipiat baptismi; aliquibus è contra arbitrantibus quamcumque etiam imperfectam attritionẽ esse satis in adulto suscipiente, adhoc, vt gratiam per baptismum recipiat, eiusque peccata originale, & actualia deleantur; alijs media via incedentibus, & necessitatem quidem contritionis negligendo, attritionis verò cuiuscumque inualiditatem confessis, attritionem supernaturalem necessariò in adultis huiusmodi requirentibus.

Attritio duplex.

119 Quoniam autem hæc duplex esse potest, altera, quam putatam contritionem vocant, quæ est, dum quis attritus tantum se putat esse contritum; altera, quã notam, seu cognitam aiunt; estque, dum quis attritus nouerit se solum esse attritũ, non autem contritum; tertia hæc etiam sententia bipartita est; quibusdam putatam contritionem requirentibus; alijs autem nota attritione contentis.

Alensis, S. Thomas Pigus, Gabriel, Victoria, Vega,

120 Primæ sentẽtiæ propugnatores fuerũt Antiquiores Theologi cum Alense *4. p.q. 18. memb. 2 art. 1.* Sancto Thoma *in 4. d.4.q.2.art.1*, quos secutus est Albertus Pigus *de fide. & iustificat. controu. 2. fol. mihi 78.* & Gabriel Biel *in 4. d.4 q.2. conclus. 4.* & *dist. 14 q 2. art. 1.* Victoria *in summ. num. 158.* & Vega *lib. 13. in Conc. Trid. cap. 14 & l.b. 6. cap. 31.*

Soti, & Cani opinio.

121 Sententia secunda propugnatores habet Dominicũ Sotũ *lib. 2. de natura & gratia cap. 5.* & *in 4. sent. d. 6. q. 1. art. 7. dubio postremo*, vbi subscribere visus est Caietano existimanti nullum alium requiri pænitentiæ actum in suscipiente baptismũ, quam velle suscipere baptismum in remissionem peccatorum, & Melchiorem Canum *lib. de pænit. cap. 3.* & Pitigianum *in 4. tom. 1. d. 4. quæst. 4. art. 3.*

Media sententia

Faber, Cabrera, Villalobus Diana, Nugnus, Rada, Turrianus.

122 Mediam sententiam propugnant alij Theologi communiter iuxta tamen eius partitionem partiti. Putatam contritionem exposcunt Recentiores cum nostro Fabro *in 4 d. 4. disp. 12.* & *in tract. de pænit. disp. 16. cap. 3.* citatque pro se Suarezium, & alios. Attritionem notam requirunt, & esse satis putant Cabrera *de sacr. q. 69. art. 8. disp. 2.* Villalobos *in summa tomo 1. tract. 5. diff. 19.* Diana *resol. 13. de hoc sacramento.* Ioannes de la Cruz, Nugnus, & alij ab eo citati. & ex nostratibus Ioannes à Rada *cont. 4. citata circa finem articuli*, & nouissime ex exteris Turrianus *in selectis p.p. disp. 21. dub. 2.* qui ait opinionem requirentem contritionem non esse probabilem.

123 Vtraque difficultas maximi est ponderis; proinde seorsum discutienda est. Auspicemur autem solutionem primæ ex Scoti mente prænotando dispositionem hoc loco non ad corpus, sed ad animum.

mum referri; dummodo enim corpus anima sit formatum, & ablui potens sufficienter censetur dispositum ad ablutionem externam recipiendam; at quoniam ratio sacramenti baptismi non in sola externa corporis ablutione constituta est, vt supra quidditatem eius venantes diximus, hinc nec in sola corporis dispositione sistendum ad valorem eius postulandum.

Potestas animæ triplex.

124 Rursum, cum in anima triplex consideretur potestas, nimirum, intellectus, memoria, & voluntas, sitque (qualiscumque censetur inter hasce potestates distinctio) memoria eadem cum intellectu cum præsentia obiecti saltem in specie, de intellectu potissimum, ac voluntate dicendum, & quidem habitum intellectus esse fidem haud dubie *ex 3. sent.* supponendum est; habitum vero voluntatis inter cæteros esse charitatem, & gratiam, quantacumque inter hæc discriminatio vertat.

Assertum primum.

125 Et de vtraque potestate statuendum breuiter, nec fidem in intellectu, neque gratiã, aut charitatem in voluntate expeti necessario ad sacramenti huius valorẽ in suscipiente. Assertum hoc dilucidissime patet de vtraque potentia, de intellectu quidem; quoniam etiam non credens sacramenti huius efficaciam, dummodo velit illud recipere, sacramentum ratum est, ac verum proportione ducta à ministro, qui est pariter extrinsecum sacramento, de quo alias constitutum est fidem in intellectu eius non esse necessariam ad sacramenti huius valorem, qui æque sequitur si ab æthnico, & infideli tradatur sacramentum, & à fidelis porrò non maiorẽ exposci in suscipiente, quam in dante fidem, ac intentionem præter communem Scolasticorum sensum ex Florentina Synodo non obscurè deducitur, solam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia in ministrante petente; quare & in recipiente ad summum sola intentio suscipiendi, quod tradit Ecclesia, exposci debet, vt sacramentum sit ratũ, ac verum.

Eiusque dilucidatio.

129 Quod maximè obseruatur in Ecclesia, ad quam confugientes hæretici sacro hoc lauacro apud consimilis Farinæ homines renati haud quaquam iterato baptismo subiiciuntur; scilicet, quia etsi fide destituti in Ecclesiæ tamen forma baptizati, & in intentione Ecclesiæ ritè censentur baptizati quæ experientia, ac ratio idẽ suadet de charitate, & gratia, qui enim fidem non habent, neque charitate, aut gratia muniti dicuntur; hæc enim fidem supponit in intellectu, sine qua præceptore Paulo Hæbreorum 11. *Impossibile est placere Deo*. Demum hæc est perpetua Augustini sententia; tum præcipue *lib. 2 contra Petilianum cap. 35.* vbi *si quis* (inquit) *baptizatur propter flagitium aliquod committendum dummodo baptizari velit, vere manet baptizatus.* Idipsum repetit *lib de baptizandis rudibus, & lib. 2. cont. Parmenianum cap 16.* & alibi quibus in locis voluntatem dumtaxat, eiusque consensum in suscipiente necessarium indicat Augustinus. *Probatio ex Aug.*

130 At quoniam dissentire, quod assentire, seu consentire opponitur bifariam accidit; hinc ob oculos mentis statuenda est Scoti doctrina *d. 4 huius q. 4. litera C*, dissentientem nimirum, cum posse vel contrariè, vel negatiuè; verba ipsa sensum eorum præseferunt; nam contrarie dissentit, qui nedum non consentit, sed actualiter dissentit, habetque actum consensui contrarium, qui dicitur dissensus; negatiue dissentientem esse, qui actum consensui contrarium non habet, sed nec habet actualem consensum: sumitur autem hæc distinctio dissentientis ab ipsis voluntatis actibus, in qua certum est esse actum volitionis, & nolitionis ei oppositæ contrariæ, & non volitionis, quæ ei opponitur negatiue, iuxta regulas logicas *in lib. Periher.* *Dissentiens contrariè & negatiue, qui nam ex Scoto*

131 Huic autem distinctioni adhuc addendum, contrarie dissentientem spectari bifariam posse, vel vt dissentientem simpliciter & absolute, vel vt dissentientem secundum quid; quid vtrumque sit edisserit Scotus, tum *loco citato*, tum *in 3. d 15 q vnica art 2 littera F.* dissentiens enim simpliciter, & absolute is est qui actum absolute volitioni contrarium elicit, secundum quid verò, quando quis in aliquo casu quidpiam vult, quod suapte natura nollet, datque huius rei exẽplum ex *Aristotele* depromptum *3. Eth. cap. 2.* de mercatore periclitante in mare, qui merces ad effugiendũ vitæ discrimen in mare demergit, & volens demergit, nollet tamen si posset secus euadere mortem, quæ nolitio egregiè denotari potest per modum coniunctiui imperfectum *nollem*, nolitio verò simpliciter per indicatiuum modum *nolo*. *Simpliciter. & secundum quid dissentiens*

132 Præterea obseruandum de consensu; non difformiter fere de eo, ac de intentione philosophandum, vnde plerique eum intentionem appellant, quamuis enim reuera intentio ad intellectum spectet.

ſpectare videatur penes actum à voluntate imperatum; attamen ex Scoto *in 2. d.28.* ad voluntatem etiam refertur; hinc cum intentio ſit triplex ex dictis in diſputatione de miniſtris ſacramentorum in genere, quædam actu, quædam habitu, quædam virtute, totuplex cenſendus eſt conſenſus; eritque proportionaliter conſenſus actualis actualis volitio de re aliqua elicita; virtualis, quando quis ex actuali præhabito conſenſu agit, quæ agit; habitualis, dum quis ex actu conſentiendi aliquando, vel aliquoties efficito habitũ conſentiendi contraxit; qui plane ex actibus pluribus, vel ex vno intenſo comparatur, vt alias dictum eſt: & quidem ſi de actuali conſenſu loquamur, hunc in ſuſcipiente neceſſarium non eſſe fatemur, alias Deus ad impoſſibilia hominem obligaſſet, in cuius enim poteſtate eſt non diſtrahi? in cuius poteſtate eſt actum ſine diſtractione volendi continuare? certè nec intentio actualis in miniſtrante expoſcitur; multo igitur minus actualis in ſuſcipiente conſenſus; ſiquidem, vt egregiè Richardus monet, non tanta in ſuſcipiente, quanta in miniſtrãte requiritur actualitas: eſt ergo habitualis, ac uirtualis conſenſus ſatis; nec refert non eſſe ſatis in miniſtrante habitualem intentionẽ; quia vt diximus maior in illo, quam in recipiente requiritur actualitas, & quemadmodum docet Scotus *in ſolut. 2. q. 4. ar. 4.* intendere eſt proprium agentis per rationem, non autem ſuſcipientis, vt ſuſcipiens eſt.

Conſenſus triplex.

Richardi monitum.

133 Obſeruaſſe tamen oportet, ſatis vtique eſſe habitualẽ cõſenſum, dũmodo tamẽ actualis nõ intercedat contrarius diſſenſus, ſicuti enim fieri poteſt, vt cum habituali intentione ſit interdum contraria actualis intentio, ita cum habituali conſenſu diſſenſus actualis conuenire plerumque poteſt: hoc igitur conuenīente conſenſus habitualis eſt nullus, ex qua doctrina elicere poteris de amẽtibus, & furioſis, aliiſque id genus *in principio articuli*, relatis quid dicendum, Hi ſiquidem ſi ante inſaniam, furiam, uel amentiam conſenſerũt quandoq; in baptiſmum, niſi actum dum ſuæ erant mentis compotes, contrarium elicuerint; ritè baptizari poſſe dicuntur ab omnibus, quamuis ſub ipſo furore, uel amẽtia diſſentire videantur; hic enim diſſenſus vtpote elicitus ab hominibus mente captis non dicitur verè actus humanus, nec proinde imputatur.

Alia obſeruatio.

134 An verò impediat huiuſmodi ſub furore, vel amentia baptizare, qui ante illam ægritudinem conſenſiſſe dicuntur in baptiſmum nullo actu elicito ſub mente in oppoſitum? Vide Scotum *littera B loco citato*, docentem expedire quidem, ſin minus ſperetur eorum ſalus; expedire autem expectare ſalutis tempus; ſi ſpes afforet eos redituros ad valetudinem abſque mortis periculo.

Dubium de furioſis.

135 Conſimile iudicium ferri poteſt de dormiente, qui ante ſomnum baptiſmũ petierat, adſitque mortis periculum, quo deficiente expedit eſuſcitationem à ſomno exſpectare.

Et dormientibus.

Sed numquid validè baptizat miniſter dormiens, qui ante ſomnum voluntatem habuit baptizandi aliquem? equidem aſſerit Cabrera *q. 68 art. 7.* multos Theologos ratum tale habere baptiſma; quorum placitum probabile ipſe retur, & ſic baptizatum deinceps retur ſub conditione rebaptizandum.

Opinio Cabreræ de miniſtro dormiente.

136 Eſt tamen imaginatio falſa, nedum quia, vt diximus, maior actualitas expetitur in miniſtro, quã in ſuſcipiente, vnde nõ licet arguere, ſuſcipiens in ſomno baptiſmum validè ſuſcipit; ergo & miniſtrãs in ſomno validè miniſtrat, ſed etiã, quia actus ille à dormiente exercitus nõ eſt verè humanus; quia non fit à viro ſui compote, etſi enim huiuſmodi homines, qui in ſomno aut loquuntur, aut mouentur aliquo tactu vtantur, ſui tamen compotes eſſe non poſſunt, dum interni ſenſus ſoluti non ſunt, quorum ſolutio requiritur ad rationis vſum, qui tamen rationis vſus haud planè arguitur ex euigilatione alicuius externæ facultates, eiuſque verſatione circa opus. Vide de huius conditionis hominibus Ariſtotelem *in libr. de ſomno, & vigilia cap. 1.* Galenum *lib. 2. de motu muſc cap. 4.* Thomam à Vega *in 3. Gal. de locis aff.* Cælium, & alios.

Reiicitur ex philoſophia.

Ariſtoteles. Galenus, Thomas Vega. Cælius,

137 Hiſce ſuppoſitis. Aſſero primo: diſſentientem ſimpliciter ſiue contrariè ſiuè negatiue ſacramentum baptiſmi nõ recipere. Aſſertio communis eſt, vti diximus, vno Caietano excepto, & ſuadetur auctoritate, & ratione. Auctoritas prima eſt ſacræ ſcripturæ Prouerb. 23. *fili præbe mihi cor tuum*, qua non obſcure ſignificatur nolle Deum in ſuã familiam adſcribere reluctantem, & inuitum.

Aſſertio primi probatio.

138 Subſequuntur deinde mille Patrum teſtimonia hoc idem probantia, & præcipue Auguſtini *lib. 4. de baptiſmo cap. 24* conſtituentis baptizandum ſi per alium reſpondeat, nihil ſuſcipere, quia ipſe debet per ſe loqui, ſunt autem Augu-

Stini

stini verba. *Si qui respondere potest, pro eo alius respondeat, non itidem valet:* &c. & paulo post *atatem habet ipse pro se loquatur*.

Suasio ex Decretis Pontificum & Conciliorum.

139 Adsunt, & decreta Pontificum, præcipue Innocentii *cap. Maiores* statuentis nullum esse sacramentum siquis amens, aut dormiens baptizetur, nisi prius propositum baptismi suscipiendi habuerit. Vrgent Cōciliorū decreta præcipuè *Arausicani* 1. cap. 12. cuius verba sunt: *Subito obmutescens baptizari potest si præteritæ voluntatis testimon um aliorum verbis, vel præsentis in suo nutu habeat*, & Concilii Cartaginensis 3. *cap.* 34. quo decernitur non debere ægrotantes baptizari nisi testimonium suæ voluntatis expresserint, quæ duo Concilia etsi non palam assertum nostrum de fide statuunt, quippequæ detorquere quispiam cum Caietano posset ad efficaciā baptismi, vel ad expeditionem, multa enim licent, quæ non expediunt, si tamen res paulo inspiciatur attentius, & instituta Conciliorum pe pendantur, apparebit plane statui ab iis sine suscipientis consensu irritum esse baptismum.

Argumentum primū Lugo.

140 Quoad rationes proaslerto: Pater Lugo bifariam arguit, primo auctoritate Ritualis Romani Pauli Quinti, quo statuitur, siue inhibetur baptizari eum, qui ante amentiam, cum aliquando sui compos fuerit, nunquam voluntatem ostendit, aut petitionem baptismi. Secundo, quia si baptismus absque omni voluntate recipientis conferretur obligaret hominem inuitum ad legem, quam nollet amplecti, maneretque obinde inuitus Ecclesiæ subditus.

Argumentum secundum.

Vtrumque [?]cile.

141 Vtraque tamen ratio debilis est, prima quidem, quia nusquam Rituale statuit baptismum sic datum esse nullū, sed non debere dari decernit, atqui Caietanus diceret, non debere dari non ob irritationem, sed ob eius inefficaciam, siue non debere dari, sed datum validum esse. Altera etiam paris est valoris, quia Ecclesia non iudicat de occultis, dissentientem igitur etiam interne cogeret ad fidem seruandam. est enim præceptore Scoto *d. 4. q. 4. littera D*, minus malum homini, quod inuitus seruet Christianam legem, quam quod impunè permittatur illam persequi, est enim minus malum inuitum bona facere, & mala fugere, quam impunè mala facere, & bona dimittere ex doctrina Iuristarum *de Reg. iuris in* 6.

142 Argumentum igitur præcipuum est Dei institutio, quæ neminem voluit bap-

Centinus de Sac. Baptismatis.

tizari inuitum, & clarè ex Christi verbis Matt. 28. colligitur vbi aiens *euntes in mundum vniuersum, docete omnes gentes, baptizantes* &c. patenter indicat debere doctrinam præire ad baptismum, quæ tamen super affluens esset, nisi consensus in recipiēte exposceretur, ad quid enim illa prædicatio, illa doctrina; nisi vt fructu illecti homines ad baptismum accedant?

Ratio à priori.

143 Præterea vtamur argumento Durandi. Quod est de necessitate sacramenti in vno, est de necessitate sacramenti in aliis in similibus similiter, in proportionabilibus proportionabiliter, sed consensus, & non dissensus est de necessitate sacramenti in aliis ab hoc sacramento baptismi, & in hoc etiam penes paruulos proportione quadam, ergo multo magis in adultis.

Ratio Durandi.

144 Nec valet Caietani occursus dicentis argumentum supponere, quod esset probandum; quia paruuli nullum consensum habent: non valet (inquam) nam etsi verus in eis non requiratur consensus, at certe interpretatiuum requiri non pauci contendunt; sat enim consentire Ecclesiam, & fideles, & propterea in maiori addita est particula *in proportionabilibus proportionabiliter*.

Reijcitur Caietani responsum.

145 Porro consensum in aliis sacramentis etiam expeti patet, nam in sacramento Matrimonii planum est, cum situm sit in contractu, maiorem expeti consensum, quam habitualem: in extrema vnctione patet etiam, quia requirentibus datur; & sin minus expresse id sacramentum requirant, præsumuntur requirere dum in Christiana lege, & Ecclesia mori, & viuere se velle profitentur, ex quo præsumit Ecclesia ipsa omnes fideles ita decedentes, etsi rationis vsum perdiderint ante sacramenti illius requisitionem, certè illud velle, dum præsumit eos velle sacramentis debito tempore iuuari.

Suasio minoris argumenti Durandi.

146 De pænitentia res clarior est, nisi enim atteratur pœnitens, & velit sacramentum recipere, neutiquam recipiet. Itidem de Eucharistia patet, quæ non nisi accedentibus exhibetur, & petentibus; quod, si ea quandoque in mortis articulo exhibetur non planè mentis cōpoti, adhuc dicendum, vt de Extrema vnctione dictum est. De Ordine res euidentior est, qui, si daretur dormienti, nullus esset; similiter & insano; putas, quia specialem habere debet ordinādus ad eius receptionem consensum.

ex dictis aliquem in suscipiente requiri consensum, sin minus actualem, saltem virtute, vel habitu, & dissentientes absolute tam contrarie, quam negatiuè irritum facere sacramentum.

Soluuntur argumenta in oppositum.

154 Agè vero nunc opposita diluamus argumenta. Auctoritates in primis glosæ Recentiores contemnunt, eamque errare constituunt, vt patet apud Becanum *cap. 4 de sacramentis in communi q. 10.* ex doctrina tamen Scoti distinguendum est *littera D.* nam dissentiens dupliciter se habere potest, vel protestando exteriori signo suum dissensum, ac reclamando, vel non protestando, nec reclamando: rursum, vel res attenditur in ordine ad Deum, vel in ordine ad Ecclesiam; hoc est, vel in ordine ad forum conscientiæ internum, vel in ordine ad forum Ecclesiæ externum: & quidem in ordine ad forum internum, & ad Deum tàm reclamans, quàm non reclamans, si dissentiat, nihil recipit, nec ad legis obseruantiam cogi potest, quam non est professus in baptismate; in ordine autem ad forum externum reclamans non cogetur, non reclamans cogetur; Ecclesia enim non iudicat dè occultis, & iuxta regulas Iuristarum *tacens præsumitur consentire*; nō reclamans ergò præsumitur consensisse, & proindè cogi potest, dequè hoc loquutæ dici possunt glosæ; atquè ità post Scotum glosas interpretantur Sotus *dist. 5. quæst. unica art. 3.* & noster Faber *disp. 11. cap. 2.*

Becanus glosa luso rcluditur ex doctrina Scoti.

Interpretatio Soti, & Fabri.

155 Si tamen attentius verba glosæ perpendantur nihil illa in contrarium; nam *cap. maiores §. perdurare* satis dilucidè docet cum Innocentio amentes, & dormientes non recipere sacramentum baptismi, nisi fuerint ante amentiā, & somnum Cathecumeni, hoc est consentientes ad baptismum, quem semper inuitos, & contradicentes non recipere decernit; quod si postea subdat; quod ore exprimentes, licet corde dissentientes sacramentum recipiunt, ipsa se ipsā interpretatur loqui de ficte accedentibus fictione ea, quæ baptismi valorem non tollit, sed effectum: vt ibi patet, dum citat *cap. sicut ficti*, & *cap. Solet de consecratione dist. 4.* cuius verba etiem in oppositum adducta non obsunt; quia locus is expetebat scire, quantam deberet ministrans habere intentionem in huius collatione sacramenti? cui petitioni glosa occurrens ait debere ministrum intendere baptizare, hoc est, actu, vel virtute, *qualemcumque intentionem habeat recipiens* hoc est siue suscipiens actu, siue virtute, siue habitu recipere intendat; quia, vt diximus, actualitas minor in recipiente, quam in ministrante est satis; in quo maior exposcitur. Porrò hæc sentientes glosæ nobis fauent, ac suffragantur potius, quam refragentur.

Aucthoris expositio.

156 Opinio à Suarezio relata fatua est, non solum hæretica; constat enim viatores dumtaxat esse sacramentorum capaces, vt alibi dictum est, ex quo illa instituta sunt in medelam, medela autem non vita functis, sed ægrotis aptatur solum. Et auctoritas Pauli ad rem non facit, ad quam missa Suarezij, & aliorum responsione dicendum institutum Pauli ibi esse palam facere futuram corporum resurrectionem multis argumentis, è quorum numero est illud *si mortui non resurgunt, vt quid baptizantur pro illis* quasi diceret ad quid opera hominum viuentium meritoria applicata pro mortuis, si mortui non resurgunt? quibus, vt vides, baptizationis vocem latissime sumpsit pro omni opere afflictiuo & bono siue pro se, siue pro alio oblato; quomodo etiam Christus dum de sua passione præmoneret Apostolos Marci 10. aiebat *potestis bibere calicem, quē ego bibo, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* & Lucæ 12. *baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur?*

Opinio relata à Suarezio fatua.

Interpretatio verborum Pauli.

157 Opinio Caietani præter auctoritatē Innocentij hisce coloratur argumentis; primo, quia Florentinum Concilium nihil expetit præterea, vltra materiam, formam, & intentionem ministri.

Primum argumentum Caietani.

Secundo, quia in Extrema Vnctione, & Eucharistia; immò & in ipso paruulorum baptismo consensus huiusmodi non requiritur; vnde licet arguere, quidquid non est de necessitate sacramēti in vno, nec in alijs, at in prædictis consensus neutiquam necessarius est; ergo nec in baptismo.

Secundum argumentum.

Tertio, quia voluntas generalis procurandi propriam salutem videtur esse satis; sicuti hæc generalis voluntas sat est in sacramento Extremæ Vnctionis.

Tertium argumentum.

158 Hæc dilue; Innocentium *loco citato* nobis, non Caietano fauere, vt supra glosæ verba interpretantes diximus; nam dormientes, & amentes, qui docet non esse valide baptizatos, si baptizentur non præhabito eorum ante amentiam, vel somnum consensu, nihil præterea citatis pro Caietano verbis illis, *tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem*, indicat, nisi sequiri, ut

Solutio primi.

suscipiens non dissentiat contrariè simpliciter; quamuis dissentiret secundum quid iuxta Scoti doctrinam; hoc enim sonant uerba illa *obicem obsistentem*, alioquin esset sibi ipsi eo loci contrarius, si qui consensum in eo, qui amentiam habet, & dormit, expetit ante somnum, & amentiam, negaret inde in fine illius capitis.

159 Ad locum Concilij Florentini, præterquamquod auctoritas negatiua nihil facit; cum locus arguendi ab illa deductus nihili fiat à logicis, adhuc dicere possumus Concilium ibi decernere necessaria ex perte ministrantis in vnoquoque sacramento, quæ certè sunt solum materia, forma, & intentio, de quibus erat peculiaris dubitatio, de suscipiente verò non fuisse effatum; quia generaliter in eo non est intentio necessaria, nisi sit adultus, nam in paruulo intentio necessaria non est.

Auctoritas Concilij Florentini fusè explicata.

160 Quod si vrgeas: nec etiam in ministrante paruulo intentio esse potest. Respondeo, quod si paruulus non sit rationis capax ministrare non potest, quia ad ministri cōplementū recti intentio est necessaria, ad suscipientis complementū non ita, nisi suscipiens sit adultus. Quid, quod nec omnia etiam necessaria ex parte ministri *ibi* à Concilio exponuntur? Vbi enim exponitur necessitas virtutis motiuæ in ministrante, quā tamē ad ministrationem baptismi necessariam esse *alibi* diximus? quare multa ibi etiam à Concilio supponuntur, quæ necessaria sunt; multa explicantur distinctè; quia id petebat *Armenorum* instructio, pro quibus ab Eugenio decreta illa manarunt.

161 Respondet etiam *Lugo*, intentionem suscipiētis subintelligi *ibi* ex parte materiæ, nisi. n. ablutio illa, quæ est proxima materia, esset hominis volentis, non esset debita materia. Petit tamen responsio principium; nam pueri, & infantes sunt vtique suscipientes, estque in eis ablutio proxima materies, nec tamen ij sunt verè volentes.

Lugo responsum principiū petit.

162 Rectius dicendum complementum sacramenti huius non spectari penes subiectum in quo, sed penes ea, quæ ad ipsum conflandum conspirant, vnde etsi ad valorem baptismi Francisci, exempli gratia, requiratur consensus Francisci ipsius; tamen ad valorem sacramenti baptismi secundum se inepta est consideratio subiecti; quia ad eius complementum materia, & forma tanquam quasi partes internæ concurrunt, & minister intentio tanquam principium, quo in agente, à quo quam pendeat actio, norunt philosophi.

Responsio verior.

163 Aies: at sacramentum hoc non in actiua, sed in passiua ablutione situm est; ergo magis suscipientis, quam agentis intentio requiritur. Nego consequentiā; etenim passiua illa ablutio in tantum est sacramentum, in quantum elicita est cū debita forma à ministro intendente, non in quantum recipitur à subiecto volente.

Instantia soluitur.

164 Ad secundum argumentum de paruulo concedunt plerique haberi consensum saltē ministrorū, & Ecclesiæ; vnde interrogatus paruulus *vis baptizari* respōdet per patrinum *volo* quem consensum Recentes vocant interpretatiuum; rectius tamen negatur talem requiri consensum, cum & sine patrinis, & sine assistentibus baptizatus paruulus sacramentum recipiat, etsi nullus esset volens; sicut si nullus esset fidelis, paruulus adhuc rite baptizaretur, vide Scotum *d. 4 q. 2. litera C*. Negatur igitur paritas de adulto, & paruulo, & ad illam maiorem. Quidquid est de necessitate sacramenti in vno, pariter & in alio. Cæteris paribus concede, si recipientes non sint paris conditionis, nega: vel concede illam cum hoc addito *si vterque sit capax*: porrò, cum infans consensus capax non sit, deductio nulla, proinde ex Durando addidimus nos pro nobis maiori illi hanc conditionem *in similibus similiter, in proportionabilibus proportionabiliter*, porrò suscipientes adulti, & paruuli similes non sunt.

Secundi argumenti solutio ex alijs

Solutio propria.

165 Atqui ex hoc dilue tertium concedendo proportione quadam in Eucharistia, & Extrema Vnctione, quæ duo sacramenta interdum dantur ægrotis rationis vsu destitutis; quia catholicè viuentis, Catholicè etiam mori velle censentur, & proinde ex illa generali, & habituali voluntate moriendi in Ecclesiæ, & fidei gremio, præsumuntur ab ipsa Ecclesia velle sacro illo pane vesci, & oleo sacro vngi; cæterum accedentes ad baptismum, cum sint infideles, nisi votum suum aperiant, non censentur velle se permittere baptizari, & Ecclesiasticis refici sacramentis; paritas ergò nulla; quia non in similibus similiter arguitur. Atqui hæc de priori dubitatione: iam ad secundi dubij enodationem descendamus.

Diluitur tertium argumentū.

SOLV-

SOLVTIO DVBITATIONIS

in posteriori sensu, scilicet, de dispositione requisita in adulto recipiente baptismum ad hoc vt baptismus effectus suos pariat.



166 Circa propositum dubium, quæ prius sunt certa, statuamus, vt exinde aperiamus incerta. Est autẽ certũ primo adultũ accedentẽ ad baptismum, vt eius recipiat effectum (non loquimur autem de charactere, qui sequitur valorem sacramenti, non efficaciam, vt diximus) debere aliquo pænitentiæ actu esse dispositum, sed & neq; hoc loco de pænitentiæ sacramento loquimur, sed de pænitentia virtute. Certitudinem huius dicti ex scripturis, & Patribus elicies; ex scripturis quidem, sapientiæ primo *Spiritus sapientiæ sanctus effugiet fictum*; quid est autem fictus, nisi qui aliud in ore, aliud in corde gerit, & consequenter qui pænitentiam habere videtur, & non habet, is fictus dicitur, quem ibi effugere Spiritus sanctus gratiarum elargitor legitur, & *Actorum* secundo *Pænitentiam agite* (exclamabat Petrus) *& baptizetur vnusquisque vestrum*. Ex Patribus autem Augustinus à Magistro citatus *lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 18. Baptismus* (inquit) *sine pœnitentia nunquam profuit ei, qui peccauit spontaneè*; quod antea dixerat *cap. 2. omnis, qui iam suæ voluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad sacramentum fidelium, nisi veteris eum vitæ pæniteat, nouam inchoare non potest*. Eiusdem Sancti Patris circumfertur vulgatum illud elogium. *Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te*. Ratio à priori est diuina voluntas, quæ sic instituit sacramentum hoc, vt in adultis consensum expeteret ad valorem, pænitentiæ actũ aliquem ad efficaciam.

Aliquis actus pænitentiæ prærequiritur in adulto baptizãdo.

Ratio à priori

157 Congruentia bona est, quam tetigit Scotus *d. 4. q. 5. littera A*, Deus nolentem non iustificat; at indispositus est nolens: ergo illum Deus non iustificat. Maiorem probant scripturarum acta sexcenta; Hinc Ioan. 5. Christus languentem ad piscinam interrogauit *Vis sanus fieri?* propterea enim Deus hominem libero donauit arbitrio, vt pro libito vitam sibi, vel mortem eligeret. Minor est euidens; quia si vellet se disponeret sciens necessum esse pœnitentia affici ad iustificationem. Hoc igitur certum est primo, scilicet debere accedentem ex parte voluntatis aliquo pœnitentiæ actu disponi ad effectum baptismi recipiendum.

Ratio Scoti

168 Ex parte autem intellectus adhuc certum est debere esse accedentem dispositum per fidem, sine qua impossibile esse proclamat Paulus heb. 11. placere Deo, hinc Matth. vlt. dicitur *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*, vbi ad baptismum credulitatem præcedere statuitur, & ibi tradens Christus de baptismo præceptum, et mandatum de docendis præponit populis, *euntes*, inquit, *in vniuersum mundum prædicate Euangelium*, & postea subdit, *docete omnes gentes baptizantes, &c.* prædicatio igitur præcedens baptismum satis indicat debere accedentes edoctos accedere, & propterea eius valorem, & efficaciam credere, quas & consimiles scripturarum locutiones maxime urget Tridentina Synodus *sess. 6. de iust. cap. etiam 6.* docens nos præparationis ad iustificationẽ modos; proinde etiam in ritibus ipsis baptizandi consueuit Romana Ecclesia interrogare Cathecumenos, *an credant in vnum Deum; &c.* & sic per singulos articulos, vt patet in Rituali Romano. Hoc igitur certum est ex parte intellectus.

Fides etiã prærequiritur necessario

Et probatur

169 Est autem incertum ex parte intellectus, an requiratur infusa fides, an sit satis acquisita, & numquid explicita, an implicita? Vtriusque fidei distinctionem fuse prosequuti nos fuimus *in Apparatu ad sacram Theologiam*, dum eius à sacra facultate Theologica distinctionem venaremur. Videtur enim primo mentis obtutu fidem prærequiri infusam à Deo, ex quo in probationem necessitatis eius in adulto cathecumeno adduximus nos in superioribus auctoritatem Pauli *heb. 11. sine fide impossibile est placere Deo*, quæ verba satis indicant fidei infusæ necessitatem in adulto accedente ad baptismum.

Sed numquid fides infusa an acquisita?

170 In oppositum tamen dicendum, fidem

dem acquisitam esse satis, nam infusa fides per baptismum regulariter datur, videturque hæc doctrina esse Concilii Tridentini *loco citato in summis capitis verbis*, quæ sunt *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum, &c.* vbi obserua particulam illam *fidem ex auditu concipientes*: qua plane de fide acquisita fit sermo, quæ dumtaxat ex auditu concipitur, nam infusa, vt nomen sonat à Deo infunditur, & Rursum *cap. 7. sequenti* clarius docet Concilium, in Iustificatione hominem vna cum remissione peccatorum recipere infusam fidem, spem, & charitatem, & rursum de hac infusa fide loqui Ecclesiam subdit Concilium, dum cathecumenos ante baptismi receptionem sciscitatur. *Quid petunt*. & ipsi respondent *fidem, quæ præstat vitam æternam*.

Acquisitæ fidei sufficientia monstratur ex Concilio

171 Possetque ex illa doctrina Scoti congruenter pars ista probari, qua ille *in 3. dist. 23. quæst. vnica litera F.* probat fidei infusæ necessitatē; quia Deus, quē perficit perfectè perficit, perficit autē hominem in baptismo, ergo perfectè perficit, at non perfectè perficeret, si perfecta pro gratiam voluntate intellectum fide non perficeret. Quod hominē in baptismo perficiat supposito ipsum esse dispositum docet satis Concilium *capite 7. citato circa finem*.

Et ratione Scoti.

172 Quod autem quem perficit perfectè perficiat ex ipsis Dei operibus, quæ perfecta esse nemo veretur, elicitur. Ad de paritatem ex corpore, secundum, quod quem Christus sanat perfectè sanat quanto ergo magis secundum animam? Vide Scotum *ibi*, & rursum *in eodem 3. d. 36 q. vnica littera R.* statuentem ex diuina liberalitate tres Theologicas virtutes connecti in infusione, quamuis suopte ingenio connexæ non sint, manente in via plerumque fide sine charitate, & in patria charitate sine fide.

173 An autem fides illa acquisita prærequisita ad baptismum debeat esse explicita, vel implicita, docet idem Scotus *d. 25 3. sent. q. 1. littera D*, monitque Concilium Tridentinum *loco citato cap. 6.* dum ait, iustificandos credere debere vera esse, quæ diuinitus reuelata sunt, ac promissa; vnde elicere poteris explicitam de singulis articulis fidem non necessario expeti, licet de præcipuis, quæ communiter prædicantur; quæ sunt contenta in *Apostolorum Symbolo* necessum sit explicite credere.

Implicitam esse satis ostenditur.

174 Contra hæc de fide infusa, quæ diximus opponi videtur Augustinus ab Alense citatus dicens. *Fides datur, & nutritur in baptismo, datur paruulis, nutritur in adultis.* Ex quibus educere forte posses non dari adultis, qui illam debent præhabere; est enim nutritio rei iam genitæ, & si fides in baptismo adultorū nutritur, certè non datur, sed data nutriri dicenda est.

Opponitur Augustinus.

175 Verum non est à priori constituta sententia discedendum; neque Augustini auctoritas obstabit, si dixerimus *Augustinum* loqui de adultis ijs, qui ante realem baptismi susceptionem iustificantur ex vi contritionis includentis in voto baptismi eiusdem susceptionem, de quibus verum est nutriri in baptismo fidem; quia augetur in ijs eo modo, quo docet Scotus *in 3 d. 23 q. vnica littera G*, & quo petit Ecclesia in quadam collecta *Da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum &c.*

Occurritur primo.

176 Vel dicendum, dici ab Augustino nutriri fidem in baptismo adultorum infundi in paruulorum baptismo; quia respectu paruulorum fides adultorum dicitûr grandior; quatenus non solum est in habitu in eis, sed exit in actum, paruuli enim solum in habitu recipiunt fidem; adulti recipientes habitum habent & actum, secundum quem quasi iam genita augetur, & nutritur.

Occurritur secundo.

177 Est incertum pænes voluntatem, an illa dispositio debeat esse perfecta, ita vt actus in ea dicatur contritio, an satis sit esse imperfectam contritionem, quam & attritionem vocant. Quo loco missa longiori de quidditate contritionis, & attritionis notitia ad disputationes de sacramento pœnitentiæ spectantes nominum tantum deriuata rimemur. *Atteri* igitur, & *conteri* deriuata sunt verba à *tero*: sicut & *attritio*, & *contritio*: retinent proinde paucis immutatis significata verbi deriuantis, est autem *tero* idē ac *consumo*, & *comminuo*. *attero* igitur ab eo deriuatum erit *aliquid ad aliud terere* eiusque contactu premi, & comminui, similiter & *contero* deriuatum ab eo erit idem, ac *simul teri, & consumi, ac minui*, sunt autem verba vtique ad corporalia primitus spectantia, similitudine autem, & proportione quadam ad spiritualia referuntur, vnde sicut in corporeis id atteritur, quod ad aliam rem teritur, ita in spiritualibus atteritur voluntas dum dolens de peccato, quod commisit consideratione æternæ pœnæ, eiusque timore premitur; & sicut in corporalibus

Petitio de dispositione voluntatis.

Quid sit atteri.

Quid conteri.

ralibus id conteritur, quod simul consumitur, ita in spiritualibus voluntas non solum timore, sed Dei amore pressa quodammodo frangitur, ac minuitur; ita vt nunc hæc duo nomina *attritio*, & *contritio* deriuata à verbis nihil sint præterea, nisi illa quidem dolor imperfectus in voluntate de peccatis, quæ detestatur ob timorem pœnæ, & amissionem præmij æterni, vel aliorum, hæc vero perfecta displicentia de peccatis, quæ ob diuinam offensam, eiusque amorem detestatur.

Descriptio attritionis & contritionis

178 Quoniam autem displicentia illa imperfecta multiplices habere potest fines, hinc enim diximus esse detestationē peccati ob timorem pœnæ, amissionē premij, vel alio modo, hinc eam partiuntur Scholastici iuxta finium partitionem. Quandoque enim quis dolet, & detestatur peccatum, quia per illud non potest aliud committere erratum, & hic dicitur attritus attritione peccaminosa, non vero Christiana. Quandoque quis dolet de peccato, & detestatur illud, propositum tamen dimittendi illud nō habet, & hic dicitur attritus attritione in penitentium. Quandoque quis dolet, ac detestatur peccatum, non tamē ita illud detestatur, quin magis doleat, ac detestetur penam temporalem pro illo inflictam, ita aliquis dolens, ac detestans carcerem, in quo detinetur vinctus propter homicidium magis, quam homicidium ipsum dicitur attritus de peccato homicidij.

Multiplex significatio nominis attritionis

Quandoque demum quis detestatur cum dolore peccatum, quia est offensiuum Dei, habetque propositum emendandi, nec dolet de peccato præcisè, quia est inductiuum pœnæ, vel priuatiuum gaudij æterni, sed quia turpe est, & læsiuum Dei, ob cuius amorem illud detestatur, & hic dicitur attritus attritione vera, quæ si fit absque charitate dicitur attritio putata contritio, si vero charitate formata fuerit dicitur cōtritio vera, vnde, & contritionis nomē à Concilio Tridentino *sess. 6. de sacramento pœnitentiæ cap. 4.* ad attritionem etiam extenditur, licet cum addito, vocatur enim contritio inperfecta.

179 Agunt de hac re fusè Caietanus *Opusculo peculiari de contritione*, Sotus *in 4. d. 17.* & ex Nostratibus Faber *lib. 4. tomo de pænit. disp. 16. capit. 3. per totum.* Nos hoc loco vno verbo, vel alio ad intellectum terminorum hæc prælibauimus iam tandem ad solutionem dubij regressuri.

Caietanus, Sotus, & Faber.

180 Dicimus igitur primo non tantam requiri in adulto accedente ad baptismum dispositionem, vt is vera debeat esse præditus contritione. Dictum hoc est contra Gabrielem, Marsilium, Alensem, Pighium, Victoriam, & Vegam, *supra citatos*, & elici videtur ex Concilio Tridentino *sess. 6. de Iustificat. cap. 6.* vbi pœnitentiam, quam agi oportere decernit ante baptismum vocat odium quoddam, & detestationem, in quibus obserua particulam illam *odium quoddam*, qua datur intelligi non odium perfectissimum peccati oriens ex Dei amore requiri necessario ad pænitentiam ante baptismum, sed aliquale odiū ortū præcipuè ex timore diuinæ iustitiæ, de quo paulo ante meminerat Conciliū ibi dicens *à diuinæ iustitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, &c.* odium igitur illud peccati ortum habens à timore iustitiæ, quod complere pænitentiam ante baptismum docet Concilium, sat est accedenti ad baptismum, at illud non est contritio, quæ dicit odium, ac detestationem peccati cum proposito nouæ vitæ ob amorem Dei dumtaxat. Est autem hoc dictum iam penè in Scholis communiter concessum, tum ob supra allatam Concilii doctrinam; tum ob eā, quam tradit *sess. 14. de pænitentia cap. 2.* differentiam commodans baptismi, & pænitentiæ, ac tradens ad integritatem omnium peccatorum remissionis consequendam, sine magnis nostris fletibus & laboribus peruenire nos neutiquam posse, sicuti fit in baptismo, & propter hoc pænitentiam vocat *laboriosum baptismum*: quare ex hac doctrina non obscure patet, non ita labores, & fletus requiri in baptismo, sicut in pænitentia, cuius pars vna est contritio.

Primum assertum contra Gabriel, Marsilium, Pighium, Alensem, Victoriam, Vegam.

Probatur ex concilio

181 Adde eiusdem Concilii *capite 5.* doctrinam, attritionem, quam & contritionem vocat imperfectam non esse superfluam, nec facere homines hypocritas, sed esse donum Dei mouentis hominem ad iustitiam sibi parandam; quibus doctrinis non obscure colligitur, attritionem esse satis, & non tantam dispositionem ad recipiendum baptismum in adulto expeti, quanta expetitur ad pœnitentiam.

Vrgetur ex eodem magis

182 Nec leuibus dictum hoc persuaderi potest coniecturis. Primo namque Sacramentum baptismi primam confert gratiam; quare ad ipsum accipiendum non est necessario præmittenda in adultis contritio: antecedens probatione non indiget, sequela probatur, quia per-

Suadetur ratione primo

perfecta contritio non est sine gratia ex Concilio Tridentino *sess.14.cap.4. Si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat*, quibus sine hæsitatione decernit perfici ex charitate contritionem, vnde multo magis Scoti doctrina *in hoc 4.d. 14. q. 4. littera C. art. 3.* consolidatur, dum ait nimis derogari sacramento pœnitentiæ, si per præuiam contritionem deleretur peccatum mortale; ex quo multo magis idem arguere licebit de baptismo, qui est prima tabula. Reuertendo igitur ad sequelæ probationem inane, dicendum esset baptismi sacramentum, si præuiam in adulto contritionem expeteret, qua ablato peccato, quid vltra dimitteret baptismus, non haberet.

Robur Scoticæ doctrinæ ex Concilio.

183 Nec est audiendus Gabriel aiens, quantum in se est dimittere posse baptisma, non tamen de facto dimittere, quia iam dimissum inueniret, non est, inquam, audiendus; quoniam Concilium Tridentinum *sess.6.de Iustificatione cap.7 alias citato*, docet in ipsa iustificatione, quæ fit per baptismum, haberi remissionem peccatorum; non autem docet posse haberi, vt pro voluntate interpretatur Gabriel.

Arguitur Gabriel.

184 Præterea argumentari licebit in hunc modum per regulam logicam. Si de quo magis inesse videtur, & non inest; ergo & de quo minus: sed magis videtur inesse debere contritio in accedente ad pœnitentiam, & non necessario semper inest: ergo multo minus inerit necessitas contritionis in accedente ad baptismum, de quo minor videtur esse necessitas. Minorem non verentur concedere aduersarij; quoniam baptismus faciliorem sternit ad Cœlum viam, nec tot indiget nostris laboribus, & fletibus ex Concilio Tridentino *sess.14. cap. 2.*

Alia argutio.

185 Gabriel tamen in sua opinione persistens etiam ad pœnitentiam præuiam contritionem exposcit perfectam *d. 14. q.2.* conuincitur tamen deceptionis ex eodem Concilio *sess.14.can.1.& 2.de sacramento pœnitentiæ*; primo namque dicitur anathema negantibus pœnitentiam esse sacramentum pro fidelibus Deo reconciliandis institutum; non reconciliaret autem, si reconciliatos per contritionem adinueniret; & *can. 2.* anathema dicitur ijs, qui pœnitentiam secundam tabulam negauerint post naufragium; quomodo autem esset secunda tabula, si neminem saluaret à naufragio, sed quemlibet seruatum inueniret?

Rursum reprehenditur Gabriel.

186 At, inquit Gabriel *loco citato* consist. 6. delet pœnam aliquam, sin minus culpam; ob idque secundam seruatur esse tabulam. Inepta imprimis responsio; quia tabula secunda à Concilio refertur ad salutem adipiscendam animæ, non vero ad pœnas vitandas, non enim est in naufragio debens temporalem pœnam, sed obstrictus lethali culpa naufragus est.

Inepta Gabrielis dilutio.

Præterea obsistit Gabrielis responsio decretis Concilij Florentini, quæ vidisse debuit Gabriel, qui decessit anno salutis 1495. vt patet *in calce suorum operum post quartum sentent.* Concilium autem Florentinum sub Eugenio Quarto Alberto Secundo Imperante, & Ioanne Paleologo Constantinopolitano Cæsare expletum est anno circiter 1440. Hoc ergo Concilium decernit baptismum gratiam, & remissionem peccatorum ex opere operato conferre, nusquam vero id ex opere operato conferret, si contritio peccata delens præexposceretur; quare Gabrielis opinio nota non caret.

Opinio Gabrielis notatur.

187 Rursum Concilium Tridentinum *sess.6 de Iust.cap. 4.* Habet hæc verba. *Docet præterea, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu concipiatur, &c.* quibus, vt vides lector candide contingere ait Concilium aliquando posse, vt contritio perfecta ex charitate reconciliet Deo hominem ante sacramentum pœnitentiæ actu susceptum; vnde argue: si contingit, ergo nō necessario expetitur, necessitas enim contingentiæ opponitur: si aliquando, ergo non semper, ergo falsa Gabrielis opinio, qui semper pro dispositione ad pœnitentiam necessariam arbitratur in accedente contritionem veram, & perfectam, quæ si non requiritur necessario ad pœnitentiam, multo minus ad baptismum, vt supra argumentatum est.

Argumentum ex verbis Concilij.

188 Cæterum de pœnitentia *alibi* Deo dante dicendum; circa quam etiam non admodum Scotizat Faber *tomo suo de pœnitentia disp.17.cap.1.* dum præuiam dispositionem ad iustificationem in pœnitentia de Scoti mente ait esse debere necessario contritionem perfectam informem, nititurque id probare ex Concilio Tridentino; tum *sess. 6. de iustif. cap. 7. summus verbis*, quæ sunt. *Hanc præparationem* (fuerat autem locutum de ea Concilium cap. præcedenti) *iustificatio ipsa consequitur*; tum *sess.14. de sacramento pœnitentiæ cap.4.* quod docet contritionem quouis tempore ad impetrandam

Non Scotizat Faber in hac re.

dam

dam peccatorum veniam fuisse necessariam, & hominem ad iustificationem præparare.

189 Non admodum (inquam) Scotizat; repugnat enim Scoti doctrinæ dicere contritionem dari perfectam, & informem, repugnat etiam eius doctrinæ *in 4. d.14. q.2.littera Q.& q.4.paulo ante litteram E.* contritionem debere necessario præire ad pœnitentiam, itidem & *littera H.* vbi attritionem fieri contritionem in sacramento pœnitentiæ docet, cuius modum præstiterat *q. 2. citata* dicens, quod *per actum pœnitentiæ informem sed plene, vel semiplene circumstantionatum in genere moris* (obseruet Faber particulam illam *semiplene*, & docebitur non necessario in Scoti sententia requiri perfectum contritionis actum informem antè pænitentiæ sacramentum) *tamquam per dispositionem præuiam, & meritum de congruo deletur peccatum, per actum vero pænitentiæ formatum, qui est contritio deletur, vt per actum concomitantem*, & inde subdit Scotus posse dici contritionem præcedere peccati deletionem, & consequi illam; nam vt actus est attritio præcedit; vt verò formatus, & factus contritio ordine naturæ deletionem sequitur; vnde concedi posse ait per actum, qui est contritio, deleri peccatum tamquam per dispositionem proximam, & contritionem ipsam, hoc est, actum illum, qui fuerat antea attritio, deletionem culpæ subsequi ordine naturæ; quia iam ille actus formatus est charitate, & factus est contritio de attritione: sed hæc suo loco videnda sunt.

Conuincitur non Scotizare Fabrum.

190 Interim loca Concilij non rectè perpendit Faber, nam in priori, qui de baptismo adducitur, non de contritione, sed de attritione, quam memorauerat cap. præcedenti loquutum est Concilium, cuius nos auctoritate doctrinam hucusque traditam muniuimus.

Loca duo Concilij perperam intellecta à Fabro.

191 Alter autem locus subtilius erat prænotandus Fabro, non enim Concilium statuit contritionem perfectam pro dispositione ad iustificationem, sed motum contritionis; sunt enim Concilij verba *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, & in homine post baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia diuinæ misericordiæ & voto præstandi reliqua coniunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum hoc sacramentum requiruntur.*

192 Hæc ibi, vbi duo statuere Patres Concilij, alterum motum illum semper fuisse necessarium; Alterum demum disponere ad remissionem peccatorum, si iungatur fiduciæ in Deum, & voto adimplendi, quæ expetuntur ad illud sacramentum, de quo loquitur; nec alterum ab altero sensum detorquet, sed semper de eodem motu loquitur in secundo, de quo loquutum erat Concilium in primo, sed certè motus contritionis non est ipsa contritio, quæ habetur in termino, sed est attritio, quæ deinde formata dicitur contritio. Nihil ergo contra, sed pro nobis potius Patres decreuere Concilij.

Concilium Scotofauet.

193 Vim fortassè facere posset Faber in subsequentibus Concilij verbis insinuantibus *Contingere aliquando posse fieri hanc contritionem charitate perfectam*; quibus videtur supponere contritionem dari absque charitate, & obinde informem, vt docet Faber. Vis tamen debilis omnino; quia de contritione ibi ita loquitur, vt in superioribus loquutum erat Concilium, erat autem loquutum prius de contritione pro motu pro contritionis, non pro contritione in termino; ergo & ibi, vbi docens, si contingat, motum illum esse terminatum, & actum in termino, tunc etiam non ipsi contritioni magis, quam voto suscipiendi sacramenti pœnitentiæ remissionem adscribendam. Sed hæc alias.

Explicantur verba Concilij.

194 Dico secundo, attritionem esse satis in accedente ad baptismum adulto pro præuia dispositione ad illum recipiendum. Dictum hoc exponitur primo, mox declaratum probatur. Exponitur autem sic; quod cum attritio multipliciter sumatur, vt supra notauimus, non arbitremur satis esse attritionem pro dolore, & detestatione peccati, vt prohibitiui alterius peccati; quia hæc attritio est peccatum, nō meritum de congruo; nec esse satis attritionem pro dolore, & detestatione peccati, vt naturæ offensiuis sine proposito emendandi, quoniam hæc attritio non est Christiana dumtaxat, cū & Ethnici dolere de peccato possint, vt offensiuo absque emendationis proposito; nec esse satis detestationem peccati, ob pœnam temporalem, quam magis, quam peccatum ipsum detestatur; cum nec ista sit Christianum opus, Ethnicis quoque carcerem interdum detestantibus magis, quam perpetratum homicidium, in cuius pœnam carceri mancipantur. Sed nec tantam requiri attritionem arbitramur, vt ea debeat esse plenè circumstantionata moraliter continens, sc-

Attritio satis est pro dispositione ad baptismum.

Qualis autem attritio, hic habes.

licet, detestationem peccati vt offensiui Dei, ob cuius amorem illud detestatur, quæ attritio vocatur putata contritio, eritque vera contritio, si charitate formetur; sed notam attritionem remur esse satis, pro præuia adulti ad baptismum accedentis dispositione.

Assertum ostenditur esse Scoti.

195 Hoc assertum ita declaratum Scoticum est omnino; licet enim Subtilissimus Doctor *in hac dist. 4. q. sent. q. 5. littera M*; indifferenter de contritione, & attritione loquutus doceat fictum esse pænes voluntatem, qui habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritum, de quo nullo modo atteritur, vel conteritur; quem ait effectum non recipere baptismi, & rursum *ibi littera E*, habet hæc verba *debet intelligi de peccato commisso post baptismum, vel omnino inhærente, sic scilicet quod de ipso nec fuerit attritio, nec contritio in baptismo &c.* & iterum *in solutione vltimi littera H culpam* inquit, *quæ tunc inest actu, vel quæ actu committitur, vel quia de illa nulla contritio inest non expellit; quia inuenit obicem contrariæ voluntatis &c.*

Scoti verba

196 Quibus locis patentissime videtur vel contritionem prærequirere in accedente ad baptismum, vel omnino sentire indiscriminatim de attritione, & contritione loquendum; vnde ansam arripuere nonnulli imponendi Scoto, quod cum opinione illa consenserit, quæ contritionem necessario prærequirebat in accedente ad baptismum. Nihilominus *in hoc eodem 4. d. 14. q. 4. littera D*, arguendo à simili de baptismo ad pœnitentiam tradit, *quod sicut in baptismo adultus primam gratiam delentem originale potest habere duplici via, vel ex bono motu disponente ad illam de congruo, vel ex susceptione baptismi &c.* & post pauca declarans hæc dicta subdidit, *ad primam susceptionem gratiæ* (hoc est, ad susceptionem gratiæ primo modo, is est enim illorum Scoti verborum sensus, vt litteram percurrenti patet) *requiritur aliquis motus meritorius de congruo, ad secundam autem* (hoc est, ad susceptionem gratiæ secundo modo) *non requiritur, nisi voluntaria susceptio baptismi, & sine fictione, hoc est, cum intentione suscipiendi, quod confert Ecclesia, & sine actu, vel voluntate peccati mortalis &c.* & paucis interiectis in accedente ad baptismum requirit solum opus exterius cum amotione interioris impedimenti, & *littera E* consimiliter loquens docet hominem huiusmodi habentem voluntatem suscipiendi sacramentum Ecclesiæ, & sine obice peccati mortalis actualiter sibi facto, vel in voluntate inhærentis recipere hoc sacramentum.

Perperam intellectus Scotus

197 Quibus locis omnibus tantum abest ipsum in accedente ad baptismum contritionem expetere, vt minimam potius attritionem exposcat; vnde habet *littera E, & sic parum attritus attritione, quæ non habet rationem meriti ad remissionem peccati mortalis* (hisce vides à Scoto contemni attritionem putatam contritionem; hæc enim habet rationem meriti quoquo modo ad remissionem peccati de congruo, non de condigno) *volens tamen recipere sacramentum sicuti dispensatur in Ecclesia* (en necessitas consensus in accedente) *& sine obice in voluntate peccati mortalis in actu, &c.* en attritio aliqua, sine qua obex esset in voluntate remanente complacentia illius peccati actualiter, vel inhærentis; quam attritionem consistentem in displicentia peccati, sine qua esset obex in voluntate declarat Doctor *littera H in solutione secundi: suscitari* (inquiens) *secundum quid scilicet, vt habeat aliqualem displicentiam de peccatis, & propositum cauendi de cætero, & velit suscipere sacramentum pœnitentiæ, in quo attritio fit contritio, tunc suscitatur simpliciter per sacramentum.* Quid clarius?

Adhuc Scoti mens aperitur ex eiusdem doctrina.

198 Libuit autem loca hæc Scoti verbatim referre, vt ex ijs colligat lector conditiones in suscepturo baptismum ad ipsum accedente pro dispositionibus expetitas, ex quibus constare, & dignoscere naturam attritionis necessariæ à Scoto inductæ poterit. Requirit enim intentionem recipiendi sacramentum, sicuti confertur ab Ecclesia. Postulat, vt nec actu, nec voto inhæreat peccato. Postulat demum, vt aliqualem de peccatis displicentiam habeat, cum proposito cauendi de cætero; vnde constitui quædam attritionis ab eo exposita diffinitio poterit dicendo sic. *Attritio prærequisita ad baptismum, & pœnitentiam est aliqualis displicentia de peccatis cum proposito cauendi in posterum in homine intendente percipere sacramentum eo modo, quo illud tradit Ecclesia.*

Diffinitio attritionis requisitæ ad baptismum

199 Ex qua doctrina patet, lapsum in via Scoti Fabrum *tom. de pœnitentia disp. 16. cap. 3.* dum in eius sententia putat *num. 69.* attritionem notam non esse satis pro susceptione baptismi, sed attritionem, quæ dicitur putata contritio, requiri; quid sit autem hæc attritio putata contritio ex doctrina eius *ibi* patet, eam non differre à contritione, nisi quia

Fabri error

vel

vel non est ita intensa, vt est contritio; vel quia non respicit Deum pro fine proximo, sed tantum virtualiter, & quasi remotè, vel denique, quia caret aliqua circumstantia requisita inculpabiliter tamen: lapsum (inquam) patet Fabrum, quia hanc attritionem, quam ipse memorat, exposcit Scotus *d. 14. q. 4. littera D*, tamquam meritum de congruo ad habendam gratiam, & non per sacramentum baptismi, ad quod tantam dispositionem negligit *ibi*; quod autem de hac loquatur patet *ex dist. eadem q. 2. littera Q*, vbi hæc habet *per actum pænitentiæ informem, sed plenè, vel semiplenè circumstantionatum in genere moris deletur peccatum, vt per dispositionem præuiam, & meritum de congruo*. Obserua particulam illam *semiplenè*, & idem cum nostro de Scoti sententia feres iudicium.

Lapsus Fabri in intellectu Scoticæ sententiæ.

200 Quid ergo? numquid Scotus *ibi* est sibi ipsi contrarius *in d. 4. cit.* qua videtur contritionem expetere, & indiscriminatim attritionem, & contritionem memorat? vnde saltem attritionem putatam contritionem requirere videtur. Æstimat Faber *in 4. d. 12.* satis vindicari à contradictione Scotum, qui nihil diuersi tradit *d. 14.* ab eo, quod tradiderat *d. 4.* nam dum ait *d. 14.* requiri in baptismo voluntariam susceptionem eius sine fictione, nihil prætereà innuit, nisi requiri cum voluntaria susceptione attritionem, vel contritionem; hanc enim indicat illa particula *sine fictione*; quia fictus per ipsum *d. 4. q. 5.* is dicitur, qui in actu suscipiendi baptismum, vel actualiter committit peccatum, vel iam commisit, de quo nullo modo atteritur; vel conteritur, quare à contrario is erit sine fictione, qui de peccatis commissis vel atteritur, vel conteritur.

Faber vindex contradictionis Scoti.

201 Verum nec doctrina hæc sana est; nec Scoticæ contraditionis est vindex, non, inquam, sana est, quia dimidiatur; nam si fictus dicitur, qui nullo modo de peccatis atteritur, vel conteritur, e contra aduersò non fictus erit, qui de peccatis aliquo modo atteritur, vel conteritur; sed particulam illam *aliquo modo* Faber omisit, quæ contra ipsius doctrinam feritura erat, cum & nos concedamus aliquo modo debere accedentem atteri, vel conteri, non quidem contritione vera, ned attritione perfecta, sed aliquo modo; hinc Scotus dicebat, hanc attritionem aliqualem esse displicentiam. Nec ipsa responsio est ad Scoti aures, qui *d. 14. cit. q. 4. littera D*, declarans, quid sibi vellet per illam particulam *sine fictione* ait, hoc est, *cum intentione suscipiendi, quod confert Ecclesia, & sine actu, vel voluntate peccati mortalis*; quibus ne verbum de attritione, & contritione quidem.

Haud tamen sanus

202 Ideo Andreas Vega *lib. 9. in Concil. Trid. cap. 15. & lib. 13. cap. 33* alio modo Scotum à contradictione vindicare præsumit aiendo, non esse Doctorem sibi ipsi contrarium; nam *d. 14.* dum ait accedentem debere esse sine actu, vel voluntate peccati, iam planè innuit debere atteri, vel conteri: quamdiu enim aliquem de peccato non pænitet, iam vel in actu, vel in voluntate is erit peccati.

Vega iterum vindex.

203 Sed & hæc interpretatio Scoto non quadrat, qui *d. 14 q. 4. littera E*, seipsum, quid nomine peccati in voluntate intelligat, exponit; ait enim satis esse in accedente, vt non habeat obicem peccati mortalis actualiter, vel in voluntate inhærentis, quod est dictu, esse satis, vt tunc non peccet, & non complaceat de peccato præterito; nulla igitur verbis ijs mentio apud Scotum attritionis perfectæ, & contritionis putatæ. Adde, quod patentius in reportatis Parisiensibus *d. 14. 4. sent. q. 4.* docuit dispositionem non requiri in baptismo, sed sat esse non indispositionem.

Sed nec ipse rectius.

204 Ego iunior existimabā facilè Scotum à contradictione vindicare dicendo *d. 4.* loquutum de peccatis lethalibus *d. 14.* loquutum de peccato originis, ad cuius deletionem non requiritur fletus, aut planctus iuxta assertum Ambrosij ab ipsomet Scoto relatum *d. 4. q. 4. littera B*, *Gratia Dei* (inquiebat Ambrosius) *in baptismo non requirit gemitum, aut planctum, vel aliquod opus, sed omnia gratis condonat*; vide *d. 4. de consec. cap. sine pænitentia &c.*

Auctoris iunioris sensus.

205 Re tamen oculo grandiori, & seniore ingenio perpensa fugam potius, quam responsionem hanc meam ad rem esse perpendi; quamuis enim certum sit Scotum *d. 14.* meminisse baptismi in ordine ad gratiam delentem originale, non tamen id præcisè egit, vt ad deletionem eius dumtaxat dispositionem sperneret, sed ideo illius meminit tantum; quia primus primæ illius gratiæ effectus, quæ per baptismū datur, est remissio culpæ originalis, quam certum est inesse omnibus ante baptismum tam paruulis, quā adultis, exceptis præuentis, vel sanctificatis; est etiam remissio actualium lethalium, si insunt; nam in paruulis non insunt actualia; proinde remissio origina-

Auctor mutat sententiam.

lis per baptismum est communior effectus. Adde Scotum ibi proportionem à baptismo arguens ad pœnitentiam, in vtroque gratiam dari posse docet bifariam, vel scilicet ex interno bono motu, vel ex receptione sacramenti non ponente obicem voluntate, vel consentiente: ad priorem igitur modum habendi gratiam dispositionem postulat, ad posteriorem negligere videtur *ibi* Scotus.

Constat sibi Scotus.

206 Dicendum tamen constare sibi Doctorem; nam etsi contritionem, vel attritionem postulet *dist.* 4. ibi tamen non explicat distinctè, quanta debeat esse hæc attritio: quia non erat is proprius de hac mensura statuenda locus, vbi satis erat cum communi constituere adultum accedentem de peccato debere atteri, vel conteri aliquo modo, *dist.* autem 14. occasione præstita de pœnitentia hoc, quod confusè, & ex communibus proposuerat *d.*4. declarat distinctè, & ex proprijs, nimirum sat esse aliqualem displicentiam modo exposito, & obinde attritionem notam sufficere.

Eius loca, quæ videntur diuersa exponuntur

207 Neque huius oppositum docuit *in Reportatis*, in quibus si dispositionem reiipuit ad baptismum, illam certè respuere dicendus est, quæ est meritum de congruo ad Iustificationem, de qua effatur *in 4. Oxoniensi d.14. quæst. 4.* aiens per eam haberi vno modo gratiam, alio autẽ modo haberi per sacramentum nõ ponente obicem peccati mortalis in actu, vel in complacentia voluntate hominis intendentis sacramentum recipere eo, quo illud modo confert Ecclesia: vnde patet; per non indispositionem in voluntate *in Reportatis* idem intelligi à Scoto, ac non obicem modo prædeclarato, vt sic idem omnino vtrobique Doctor sensisse dicendus sit.

208 Iam vero *Assertum* propositum probationem aliam ab hac doctrina non exposcit, constito namque ex superiori assertione, contritionem nequaquam esse necessariam in accedente ad baptismum pro dispositione præuia, alioquin baptismus non ex opere operato, sed ex opere operantis conferret gratiam, constito insuper non debere attritionem esse tam modicam, vt Christiana attritio dici nequeat, neque debere esse tantam, vt a contritione per solam charitatis carentiam distinguatur, à partium diuisione sufficienti sat erit attritio cognita, vel nota. Huc referto auctoritates allatas in principio pro opinione statuente contritionis necessitatem; quæ huius attritionis, non contritionis veræ necessitatem inuehunt, qualis est illa Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*, & illa Augustini, quam citat Magister *in litt. Baptismus sine pœnitentia numquam profuit, &c.* & consimiles alias.

Ex his partes asserit

Numquid attritio sit satis naturalis?

Opinio Pitigiani.

209 An autem attritio hæc cognita (est autem hæc, vt ipsum nomen sonat, dolor notus non esse perfectum, vt attingere queat contritionis nomenclaturam, sed vere cognitus, quod extra attritionis limites non egrediatur) naturalis sit satis, an supernaturalis esse debeat? dimicant Scholastici. Æstimat Pitigianus *in 4. Tomo 1. dist. 4. quæst. 4. art. 3.* et atque pro se Canum, ac Scotum naturalem attritionem esse satis.

Opinio Cabreræ Nugni de la Cruz Dianæ, & Rada

210 Exclamant contra communiter alii cum Cabrera *loco cit.* Nugno *in 3. p. tom. 1. quæst. 69. art. 9. dub. 4.* Ioanne de la Cruz *in direct. consc. p. 2. de baptismo q. 4. dub. 3.* Antonino Diana *resol. 13. de sacramen bap.* Ioanne Rada *cont. 4. art. 3. circa finem*, expeti necessario hanc attritionẽ debere esse supernaturalem ex illo principio, quod, cum gratia sit supernaturalis forma, attritio etiam debeat esse supernaturalis, quæ est dispositio ad gratiam, debet enim debita proportio inter dispositionem, ac formam seruari.

Ratio eorũ debilis

211 Hæc tamen ratio imbecilla est, quia hanc proportionem concederet quis inter formam, & dispositionem proximã, non vero inter dispositionem remotam ex Scoto *in 4. d. 1. q. 5.*

Scoti locus difficilis

212 Si quis Scoti textum inspexerit, facile dixerit naturalem attritionem sufficere; is enim *in 4. d. 14. q. 2. littera M.* docet, quod *peccator in peccatis existens potest ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, & vt contra legem diuinam, & vt auersiuum à Deo; & vt impeditiuum præmij; & vt inductiuum supplicij, & sub multis talibus rationibus, & potest voluntas sub aliqua illarum rationum, vel sub multis illud peccatum sic consideratum detestari, & hæc detestatio potest esse totaliter circumstantionata circumstantijs moralibus debitis, qui motus dicitur attritio, & est dispositio, siuè meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis*, Hæc Scotus ibi, & fusius *littera N. sequenti.* quibus, vt vides, loquitur de attritione perfecta, quæ est putata contritio: porro, si ex naturalibus hanc haberi posse cum communi influentia docet, quanto magis attritionem notam ex naturalibus haberi, & satis esse concederet?

213 Vix credas, quantum hic Scoti locus ne-

cus ne-

eius negotii facessat; conclamantibus fere contra Scotum singulis, opinionem eius esse erroneam, Semipelagianam, errorem, & ferè hæreticam: vt potius illis verba, quam contumeliæ, & conuicia in Catholicum Doctorem defecerint. Vide, quid contra eum proclamet ex Nominalibus Gregorius Ariminensis in 2. sent. dist. 26. 27. & 28. ex Thomistis Dominicus Sotus in 4. sent. d. 14. q. 2. ex exteris Gabriel Vasquez 1. p. disp. 91. cap. 10.

Conuicia Ariminensis Soti, & Vasquez in Scotum.

214. Aiunt etiam præfati Authores hanc perpetuam fuisse Scoti sententiam, vt nimium humano tribuens arbitrio diuina adiutoria paruipenderet; nam in 2. dist. 28. quæst. unica docuit posse humanam voluntatem se sola vitare peccata, & in 3. d. 27. q. pariter unica monuit ex naturalibus posse hominem diligere Deum super omnia, quod aduersatur aperte Concilio Tridentino sess. 6. de iustif. can. 3. quo dicitur anathema putantibus, ac dicentibus posse hominem sine præueniente Spiritus sancti gratia, eiusque adiutorio credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur.

215 Concertatim Nostrates Scotistæ visi sunt pro Scoto dimicasse; hinc Franciscus Lichetus in 1. d. 17. q. 2. aduertens Scotum valdè esse in hac re ponderandum ait, non dici à Scoto simpliciter posse hominem ita considerare peccatum, vt suprà dictum est, ex puris naturalibus: ponit enim Scotus duplicem regulam in intellectu dictantem displicentiam peccati; prior est merè naturalis; secunda supernaturalis sibi immediatè à Deo reuelata: prior dictat peccatum esse detestandum, quia est absolutè malum, secunda autem sub aliis conditionibus requisitis necessario: & supposita posteriori regula docet hominem ex naturalibus posse detestari peccatum de congruo ad gratiam obtinendam.

Tutela Scotistarum.

Licheti.

Subdit Lichetus, duo posse spectari in merito: alterum est substantia actus, intensio, & moralis rectitudo; & hæc dicitur meritum de congruo secundum quid, & materialiter: alterum est acceptatio passiua, qua acceptatur à Deo, in qua formalitas meriti sita est; & non potest haberi ab homine ex puris naturalibus.

216 Verum diuerticulum petit Lichetus in expositione Scoti, qui nusquam ibi duplicem illam regulam somniauit, & ne verbum quidem de distinctione illa meriti à Licheto adducta, quamuis vera illa sit, vt patet ex nostra digressione de merito in genere Tomo de Incarnatione nec unquam de attritione meritoria loquutus est Doctor ibi sed solum visus est materialitatem illam meriti sitam in detestatione peccati ex puris naturalibus cum communi influentia inuehere, quod carpunt Recentes.

Sed inanis

217 Andreas Vega libr. 6. in Conc. Triden. cap. 28. & lib. 9. cap 15. & Opusculo de necessitate gratiæ ad pænit. q. 11. ait, se pietate ductum in Subtilissimum Doctorem sic mentem eius interpretari, vt in 4. d. 14. loco cit. non loqui puteтur Scotus de voluntate, sed de intellectu, quem ipse rettur posse cum communi influentia ex naturalibus considerare peccatum: porrò secundum ipsum non est æquè de intellectu, ac voluntate putandum; in 3. loquatur Scotus de statu innocentiæ, non autem naturæ lapsæ, in 2. disputet, an homo possit omnia implere præcepta sine gratia habituali, non sine auxilio speciali. Sed & hæc Vegæ pietas Scotum à censura minus vendicat, qui in 3. haud solum, sed saltem de statu naturæ institutæ loquutus est, & in 4. patentissimè etiam de voluntate effatus est.

Vega.

Sed exilis

218 Ioannes Antonius Delphinus Opusculo de iustif. Scoti mentem se aperire putat aiendo, per influentiam generalem non excludere Scotum auxilium speciale, sed gratiam infusam, per vires naturales intelligere auxilium quidem in communi, sed non inhærens.

Delphini.

219 Philippus Faber de pænit. d. 14. nec Vegam, nec Delphinum putat Scoti opinionem intellexisse, quam ipse deinde per tria capita fusè prosequitur, ita tamen, vt velit, nolit ab explicatione præfatorum Doctorum non recedat.

Fabri.

220 Franciscus Herrera in suo manual. lib. 4. cap. 5. de pænit. exponit litteraliter Scotum in hunc modum ex naturalibus, idest, sine forma supernaturali, cum communi influentia, non generali, qua singulis influit creaturis, sed ea, quam promisit peccatoribus aiendo. Ego sto ad ostium, & pulso. &c. discrepat tamen à Scoto putans attritionem habere diuersum obiectum ab obiecto contritionis; quia hæc habet Deum summè dilectum, illa verò timorem pænæ, vel amorem alicuius boni consequendi, & obinde retur attritionem, & contritionem specie distingui, quod est apertè contra Scotum.

Herrere

221 Angelus Vulpes loquitur de hac re profusim tomo 2. 1. partis sui, quam vocat

Vulpis

cat Scoti *summa*, *disp.38.art.7.* & *disp. 45.art. 2.* quia tamen nihil diuersum à præcitatis Auctoribus sentit, sed singulas Scotistarum explicationes referens, nullam refutans, singulis videtur se subscribere; dum nullam ingerit nouã, nec obindè incassum ab eo dicta referendo laborandum est.

222 Res hæc aliò ducenda est, & hùc obiter dumtaxat relata, de qua etiam nonnihil nos diximus *in Apparatu nostro ad sacram Theologiam*, quem propediem Deo dante expecta.

Auctori spondet apparatum in sacram Theologiam.

Interim dicito, tam semper sanam, & Catholicam fuisse Scoti doctrinam; vt ne minimum quidem ex ea verbum saltem, vt suspectum damnarit Ecclesia; quod an euenerit aliquibus ex Aduersariis, nolo conuiciari. Caietanus nouit ex Thomistis, Ocham ex Nominalibus, ne quid dicam de Recentibus; cõprimet igitur censorem calamum Paulus Grisaldus qui *in suis decisionibus fidei catholicæ littera H.* non erubescit temeritatis arguere Scotum: comprimat nescio quis Hieronymi Musitani assecla, qui *disp. sua 1. Theol.* audet opinionem Scoti Pelagianam appellare, quam planè cõtrahet; quò lubet, vt licentiosius debaccetur. Bene Scoto actum est, quod Musitis actus est in latebras.

Caietanus, & Ocham notati.

Grisaldus similiter, & Musitanus acres censores.

223 Sed iam Scoti loca cribremus. Is certè *in 3.d.17.* nusquam alio modo constituit ex puris naturalibus posse hominem Deum diligere super omnia, nisi intelligendo pura naturalia, quatenus non habetur in voluntate habitus charitatis inhærens, quam tamen necessariam arbitratur *art.3. illius quæsiti*, & ad substantiam actus quoquomodo, & simpliciter ad acceptionem à Deo; non ergo simpliciter per pura naturalia quodcunque auxilium speciale negat; sed auxilium speciale dumtaxat inhærens, & habitum charitatis: quo etiam modo loquitur *in 2.d.28.* vt patet, quamquam *ibi* disputatiuè solum se habeat Doctor, non autem assertiuè.

Cribratur Scoti locus ex tertio.

Ex secundo.

224 Clarius id docet *in 4.d.14. citata paulò ante litteram M.* vbi distinguit dupliciter posse actum aliquem requiri ad deletionem peccati, vel vt dispositionem præuiam, vel vt concomitantẽ: *primo modo* (inquit Scotus) *actus est semper informis, quia dispositio præuia ad peccati deletionem est semper sine gratia, & charitate, à cuius solius inhærentia, & inclinatione ad actum dicitur actus formatus.* Hæc Scotus, qui declaraturus primum modum expositum docuit ea, quæ tantum faceßunt

Ex 4. sent.

Aduersantibus negotij. At hisce quis non videt Scotum loqui de charitatis dumtaxat, non de alterius auxilii carentia? quare & ibi per illam particulam *ex naturalibus* voluntatem intelligit dum de voluntate loquitur non formatam gratia inherente, per illam particulam *cum communi influentia*, non communem illum influxum, de quo sermonem habens Augustinus *lib. 7. de ciuit. Dei* dicebat *cap.30. sic Deus omnia, quæ creauit administrat, vt proprios motus agere sinat;* quia hic etiam ad omnia alia ab homine protenditur, sed intelligit auxilium aliquod præueniens, & adiuuans, præueniens ab initio, adiuuans in opere, quod auxilium generale dici potest, quia Deus omnes vocat, & omnibus sufficientia largitur ad salutem aduturam, dicitur autem speciale, quia non ad actus naturales, vt sunt comedere, & bibere, &c. sed hominibus tantum ad actus morales, & bonos elargitur, quibus se disponũt de cõgruo ad remissionem peccati: lege Scotum ipsum *quolib.21. littera S.* præter influxum generalem, hanc influentiam specialem ad actus hominis necessariam constituentem.

Quid sit communis influentia ex Scoto.

225 Adsunt duo alia Scoti loca in oppositum. Primus *quol. 14. art.1.* docet hominem ex naturalibus posse se disponere ad fidem: ergo & ad gratiam; quia fides regulariter cum gratia infunditur. Secundus locus est *ex 2. sent. d.7. q. 1. art. 2.* vbi ex instituto postulat, vtrum viator possit habere aliquem motum attritionis ex puris naturalibus existente influentia generali, vel requiratur aliqua operatio specialis: & solutionem dubij remittit *ad 4. sent.* & interim ibi affirmatiua parte supposita negat hanc potentiam in Angelo damnato.

Duplex alius locus Scoti in oppositum.

226 Quo ex loco conuincitur Vulpis responsio, & aliorum Nostratum dicentium, Scotum id concedere ex naturalibus, sed non ex puris naturalibus; quia vtrumque terminum pro eodem à Doctore sumptum inde colligitur; quod in secundo petens solutionem dubij ex puris naturalibus solutionem remittit ad quartum, in quo *d. 14. cit.* id posse concedit ex naturalibus hominem: porro si ly *ex puris naturalibus* non esset idẽ cum illo termino *ex naturalibus*; spopondisset in secundo, quod non seruasset in quarto. Dicendum igitur vtrumque terminum pro eodem sumptum, quod patet ex sequentibus Scoti verbis in secundo *loco cit.* quæ sunt: *sed huic videtur obuiare auctoritas Augustini supra allega-*

Vulpis expositio voluntaria.

ta de fide ad Petrum, *quæ magis concedit potestatê Angelo lapso redeundi ad bonum ex puris naturalibus, quam homini lapso: ergo si homo viator potest ex naturalibus suis habere illam potentiam dispositiuam, multò magis Angelus.* Hæc Scotus, quibus, vt vides, in consequenti vtitur termino *ex naturalibus*; in antecedenti termino *ex puris naturalibus*; esset autem fallax arguitio, nisi vtrumque pro eodē sumpsisset.

227 Nec tamen locus officit, quo de potestate ad merendum loquitur Scotus, vt patet ex subsequentibus verbis immediatè *secundum hoc ergo, quantum ad omnia membra de potentia, vt est principiū non videtur negandum ab Angelis posse meritoriè velle: nisi quia non habent principium merendi totale, nec principale, partiale respectu volitionis bonæ, nec respectu gratiæ specialis, quæ requiritur ad bonam volitionem &c.* Vnde liquet per illam particulam *ex puris naturalibus* exclusisse loquutum quoad habitū charitatis tantum, vt sit sensus, *numquid viator sine habituali gratia possit habere attritionem &c.* per illā autem particulam *existente generali influentia*, communia adiutoria intellexisse, quæ iuxta voluntatem Dei antecedentem dantur omnibus vt patet ex ipsomet Scoto *in 1.d.46.in solut. 1. principalis, & in quol. 21.* vltimis penè verbis prouidentiam specialem appellat, secundum quam Deus unicuique hominum prouidet: ecce quomodo uocat specialē prouidentiam auxilia Dei, quæ dantur singulis hominibus, quæ locis allatis uocauerat generalem influentiam; puta quia generalis vocabulum non in sua tota latitudine sumpserat; sed in latitudine ad hominum speciem; quatenus scilicet omnibus dantur auxilia generalia hominibus, cum sint tamē specialia adiutoria, tum in ordine ad generalitatem latam, tum in ordine ad hominum speciem.

Declaratur Scoti locus ex 2. sent.

Auctoritas Scoti ex quol. vlt.

228 Nec dissimiliter intelligendus est locus *quol.* 14. vbi concēdit vtiquè posse hominem ex naturalibus se disponere ad fidem infusam; sed particulam *ex naturalibus* modo exposito intelligens, præterquam quod loquitur ibi Doctor de dispositione remota; vt patet ex sequentibus verbis, quibus docet, nec ex interna natura, nec ex omnibus alijs concurrentibus causis naturaliter posse eam attingi ab homine, quæ infunditur à Deo.

Declaratur locus quol. 4.

229 Aies, distinctionem hanc esse ridiculam, esset enim petitio satis inepta, an homo sine gratia habituali possit atteri, quasi verò ad attritionem requiratur gratia habitualis; cum enim attritio sit de peccato, & gratia habitualis peccatum secum non patiatur; frustra quæritur, an sine illa sit attritio, cum semper attritio sit sine illa. Respondeo ex doctrina Scoti *locis citatis*, attritionem, & contritionē esse eundem actum diuersimode tamē nūcupatū ob inhærentiam, vel nō inhærentiam gratiæ habitualis, petitio igitur propósita inepta non est, nam est, ac si petatur; an sine gratia illa habituali haberi possit contritio, quæ sine illa attritio nuncupabatur; atque Scotus posse haberi actum illum sub ratione attritionis sine gratia habituali, non verò sub ratione cōtritionis; quia ille actus non dicitur contritio, nisi tantùm, quando est gratia formatus.

Oppositio.

Solutio

230 Appositè autem ad locum Scoti dè secundo sententiarum dicendum est; cō cedi ibi à Doctore in homine ex naturalibus puris cum communi influentia potestatem dispositiuam; ità enim loquitur *paulò ante litteram H*, non verò dispositionem; refert autem, hoc vel illud asserere. Dicendum insuper, non petere Scotum ibi, an homo viator habere possit ex puris naturalibus attritionem de peccatis; sed an habere possit aliquem attritionis motum; refert autem alterum, vel alterum asserere, vt patet ex terminis; quod si in quarto ad quem se remiserat de attritione melius, quàm de motu attritionis loquitur, plus ibi præstitit, quā in secundo spopondit; præstitit autem præexplicato sensu.

Interpretatio loci 2 sent.

231 Est igitur Scoticæ doctrinæ compendium in hoc dubio, attritionem haberi posse interdum ex naturalibus cum communi influentia, hoc est, cum auxilio generali, quo vocantur omnes, & sufficienti, quod datur omnibus viatoribus, quantum ex Deo est, absque aliqua gratia inhærente, & cum hoc etiam tantum posse hominem diligere Deum super omnia, non tamen sicut oportet; immò & omnia implere præcepta, nam si ad ea seruanda habitualis gratia requireretur, hoc dicere (inquit Scotus) esset omnes, quotquot semel in peccatum delapsi sunt, ad elicitionē boni ex genere auertere, cum tamen monendi, ac persuadendi sint, vt faciant opera bona ex genere, quia illa disponunt eos ad facilius gratiam assequendam.

Compendium doctrinæ Scoticæ in hac re.

232 Quid ergo in hac Scoti doctrina reprehendēdum sit, non video, nisi Aduersariorum liuorem, ac in cauillando Scoticam sententiam libertatem.

Rogati

Rogati igitur, vt ad petitionē propositā reuertamur; an attritio dicēda sit naturalis, an supernaturalis, respondemus distinctione supposita, nam si ly *naturale* sumas, prout excludit infusam gratiam; aio attritionem esse naturalem, si prout excludit etiam auxilium illud generale, quod & speciale modo exposito nuncupatur; aio, talem attritionem non esse satis, docente Tridentino Concilio *in summis verbis cap. 6. de iust. sess. 6.* disponi ad iustitiam homines excitatos, & adiutos diuina gratia; non loquitur autem ibi Concilium de dispositione ad iustitiam adipiscendam solum ex operibus, sed ad eam, quæ per hoc sacramentum baptismi habetur.

Resolutio petitionis propositæ.

2 Nec quid oppositum iuxta explicationem nostram docuit Scotus, contra quem allatum Concilii decretum non obstitit, quod non de diligere simpliciter, neq; de pœnitere, credere, & sperare absolutè effatur, sed de his omnibus Concilium loquutum est cum addito *sicut oportet*. Quod tam verum est, vt ad sicut oportet bonitate moris perfecta gratia adiuuans, & præueniens, ad sicut oportet cum merito gratia inhærens, & charitas requiratur, quod Scotus ipse *in 3. d. 27.* patenter ostendit necessitatem habitus charitatis ad diligendum Deum, sicuti oportet, exquirens.

Concilium non reprehendit assertum Scoti.

3 Atqui hactenus de articulo, & disputatione vniuersa de suscipientibus baptismum, alia enim si quæ supersunt, vel ex dictis de sacramentis in genere, vel ex dicendis disputatione sequenti patebunt, vel omninò moralia sunt omnia; Summistarum onus.



DE


DE EFFECTIBVS BAPTISMI

DISPVT. VII.



CAPVT I.



1  Acramentum hoc ex illorũ numero, quæ iterationem minimè pati possunt, quæue characterem imprimunt ex decursis, tum in ipsis de hoc sacramento disputationibus, tum cum de sacramentis in genere disputaremus, tam fusè patet, vt si de charactere hoc loco, qui est alter effectus eius, sermonem dirigamus, non nisi repetita dicturi essemus: de eius igitur quidditate, existentia, cæterisq; ad illam spectantibus sermone, vel omisso, vel ad alium locum dimisso. Hoc loco solum de gratia, deque iis, quæ vna secũ profert baptismus, effectis aliis breuiter, ex quo res scholastica disceptatione vacat, disceptandum est.

AN BAPTISMVS CONFERAT *gratiam delentem omne peccatum, omnemque pœnam, & num virtutes etiam conferat?*



2 SVpposito peccatũ esse duplex, aliud actu, aliud origine, & actu quidem aliud lethale, cum quo de potestate Dei ordinaria peccatum conuenire non potest, aliud veniale, quod ita vocatum est, quasi venia dignum, quippe quod cum gratia cohærere actu, & potestate potest, de singulis petimus. Similiter supposito accedentes ad hoc sacrosanctum lauacrum esse posse adultos, & paruulos, indiscriminatim hoc loco de vtrisque petimus. Supposito demum virtutes alias esse infusas, alias acquisitas, alias morales, alias Theologicas, & morales quidem, quas v. potè præcipuas Cardinales vocant, quaternario nomine generatim cõtentas, fortitudine videlicet, Prudentia, Iustitia ac Temperantia, ad quas tamẽ aliæ virtutes, ac semiuirtutes redigi ex Aristotele *in ethicis*, & fusius ex Francisco Piccolomineo *in sua philosop. de moribus*, patet, quas hoc loco *ex 3. senten.* & *ex* præcitatis auctoribus supponimus. *Prænotan da quædã de virtutibus.*

3 Supponendum est etiam, pœnas in duplici sese habere discrimine, quædam enim sunt æternæ, quædam temporales; æternæ pœnæ sunt varij in Inferis cruciatus, & diuinæ visionis priuatio, quas vulgo in damni, ac sensus partes diuidunt, temporales vero, quas tantum in hac perpetimur vita, quæ duplicis sunt generis, quædam enim assumuntur vel imponuntur, sicuti se habent orationes, ac ieiunia, eleemosinæ, & cætera id genus, spiritualia, & corporalia opera, & laboriosa exercitia, quæ vel Confessariorum iussione subimus, vel nostra sponte ad meriti augmentum assumimus. Quædam vero contrahuntur, quales sunt fames, sitis, frigus, &c. & aliæ similes contemporaneæ humanæ conditionis passiones, quas, & pœnalitates vocant. Hoc loco de singulis breuiter, sicut & de iis, quæ ciuile respiciunt forum, vt pœna exilii, pœna carceris, pœna capitis. *Et de pœnis.*

4 Hisce suppositis, hæreticorum aliqui baptismalem virtutem nimium fecerũt, alii vero nec satis. Prioris ordinis Auctores in varias diuisi sunt partes, nonnulli enim nedum per baptismum omnem deleri culpam, & remitti pœnam senserunt, sed & baptizatum ab humana quauis immo, & diuina lege obseruãda liberari, ita Lutherus *in lib. de votis monasticis*, & Caluinus *lib. 3. instit. cap. 29.* Alii præterea per baptismum reddi suscipientem impeccabilem existimarunt, ita Iouinianus referente Hieronymo *2. peculiari contra ipsum libro*, & Augustino *cap 82. lib. de ingressibus.* Alii in eo constituebant baptizatos statu, vt nullo modo damnari possent, quamuis perditissimè viuerent, ita *Hereticorum partitio.*

plerique ante Augustinum, quorum dementiam *lib.21.de Ciuit. Dei cap. 25.* refert. Alij denique nedum præterita, & præsentia, sed futura omnia deleri per baptismum peccata asserere non dubitarunt.

Errores varij

5. Quicunque vero parui baptismum æstimarunt in duplici se habent discrimine. Primo namque dixerunt aliqui inutilem esse baptismum, & nullius efficaciæ ad delenda peccata, vt Manichei referente Augustino. Secundo Massaliani ex Theodoreto *lib. 4. hæreticarum fabularum* baptismum non dixere omnino inutilem, sed nec etiam omnino peccata delere, sed medio modo se habere, atque ita peccata radere, vt peccatorum omnium radices in praua carne teneantur, nouaculæ instar acutæ quæ delet sic pilos, vt ipsorum radices in carne relinquat.

Vuiclephi amentia

6 His proximè accedit Vuiclephus, sicut refert Valdensis *2. tomo de sacramentis* 108. qui in hunc fere modum à veritate in hoc aberrauit, vt diceret, etsi alia peccata per baptismum tollantur, venialia tamen nullatenus remitti; durum enim visum est insipienti viro, quomodo per ipsum hæc possent remitti, quæ facile incurrimus, quasi vero quod potest in maius, in minus non posset.

Omnem culpam per baptismum tolli statuitur

7 Opposita sententia Catholica est, quam hisce assertis aperimus. Primo. Baptismus verè, ac propriè nedum originalem, sed actualem etiam delet culpam, dummodo nullum adsit ex partes recipientis, impedimentum. Assertum hoc de fide insinuauit vniuersaliter Triburiense Prouinciale Concilium *can.39. in baptismo soluuntur crimina*; quoad originale vero peccatum spectat nominatim Tridentina Synodus decreuit *sess.5 can.etiam 5.* anathematis pœna plectendos oppositum sustinentes: & quoad vtrumque hæc habentur in Florentino Concilio verba: *huius sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis*, & elicitur ex scripturis Rom. 8. *nihil nunc damnationis est his qui sunt in Christo Iesu.* Ad Titum 3. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* Ephesiorum 3. *Fundantes eos lauacro aquæ*, quæ auctoritates nominatim de peccato mundato loquuntur.

Et probatur

Hoc etiam assertum tradunt apertissima Sanctorum Patrum testimonia, quorum meminit longo discursu Bellarminus *lib. de Baptismo cap. 14. 15. 16. 17. 18 & sequentibus*, & Franciscus Suarez *3. tomo disput. 25. in principio.* Nobis vnica in præsentia Beati Patris Crisostomi satis sit auctoritas; is enim *hom. ad baptizandos habita paulò ante medium*, quæ habetur *tomo.5. operum eius* his verbis omnino hanc assertionem, tradidit, *diuina gratia lauacrum non corporis maculas, sed animæ sordes mundare consueuit, etsi mollis, etsi fornicator, etsi totius malitiæ nodis astrictus, cum ad Natatoria venerit, solis radijs mundior eleuatur.* Hæc ille, quibus nil clarius, nihil apertius, nihil ad rem accommodatius.

Ratio potior est Dei beneplacitum.

8 Ratio à priori à diuina voluntate, & ex diuina liberalitate desumitur, quæ tantam sacramento huic contulit efficaciam. Congruentem verò & à posteriori multiplicem habes rationem; quarũ prima desumpta est ex parte eius, contra quod primo baptismus est. Baptismus enim propriè contra originale peccatum institutus est in remedium, quod inter peccata omnia peiores habet sequelas, cuius corruptio est vniuersalis, & magna, & ideo congruum fuit, vt magnæ Deus efficaciæ remedium elargiretur, vt sicut in originalis peccati corruptione rigor diuinæ iustitiæ manifestatur, ita in remedio dulcedo miserationum Dei appareret, vt & non solum ille morbus, sed alia omnia consequentia illum huius remedii virtute delerentur. Hinc rectè Rom. 5. clamat Apostolus; *non sicut delictum ita & donum.*

Congruentia prima

9 Secunda congruentia ex parte effectus desumitur. In hoc sacramento transfertur homo ex potestate tenebrarum in adoptionem filiorum Dei, & maxime diuinæ manus liberalitas elucescit, omnia igitur per ipsum delentur errata, alioquin nec diuina liberalitas appareret, nec ex potestate tenebrarum transferretur homo, nisi forte dixeris deleri originale tantum, ac quoad illud liberalem esse Deum, non vero actuale, quod tamen est omnino falsum; commune enim axioma est ab Augustino traditum sicuti vult Scotus *d. 4. q. 5. in corpore Impium esse dimidiam à Deo sperare veniam*, hinc rectè ad Thimothæum 2. *per lauacrum hoc abunde Spiritum sanctum in nos effusum* Paulus Apostolus nobis scriptum reliquit.

Secunda

10 Vltima denique ratio ex parte ordinationis accipitur. Baptismi sacramentum primum est inter omnia euangelica sacramenta, & ad alia quasi fundamenti loco positum, hinc ad perfectum statuendum ecclesiasticorum mandatorum fundamentum annuit diuina clementia, perfectam sacramento huic ad omnem deletionem cuiusuis culpæ

Tertia

efficaciam

largiri, vt priorum is, qui baptizatus est, oblitus, & quasi nouus effectus omnino ad interiora rapiatur, quæ suasiones omnes de mortalibus præcipue probant intentum, ex quibus idem de venialibus constat, nullus enim est, qui sentiens mortalia peccata per baptismum tolli, id de venialibus neget, quorum remissio est facilior, vnum excipite Vvicleph, cuius vesaniam optime abolitam apud Vualdensem citatum auctorem legito.

Baptismus tollit omnē pænam impositam tēporalem & æternam.

11 Dico secundo. Baptismus omnem tollit pænam impositam, vel assumptam temporalem, & omnem æternalem. Assertio est diffinita in Florentino Concilio sub his verbis. *Huius sacramenti effectus est remissio omnis culpæ actualis, & originalis, omnis quoque pænæ, quæ pro ipsa culpa debetur, propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis iniungenda est satisfactio, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad cælorum regnum & ad diuinam visionem perueniunt.* Hæc ibi, cuius decretum sequuta est Tridentina Synodus pluribus in locis sess. enim 5. can. vltimo *si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam*, in medio habet hæc verba, *consepulti per baptismum Christo Innocentes, Immaculati, puri, Innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, ita ut nihil prorsus eos à cæli remoretur ingressu*; & sess 6. cap. 14. de iustificatione de pænitentia loquens habet hæc verba, *pæna temporalis, quæ vt sacræ literæ docent, non ita semper, vt in baptismo fit, dimittitur illis* &c. & sess 14. cap. hoc, hoc idem habet.

Suadetur ex Concilio.

12 Sancti etiam Patres veritatem hanc passim loquere, quorum sensum Recentiores ad longum referunt, Sotus præcipue, & Suarez, è quibus vnicum libet, idemque præclarissimum ad rem in medium proferre testimonium Clementis Alexandrini 1. libro Pedagogi cap. 6. vbi inter cæteros sacramenti huius effectus in hunc fere modum de culpæ, & pænæ remissione scribit *Multis modis diuinum hoc opus vocatur; primò lauacrum, quo peccata abstergimus, gratia qua remittuntur pænæ, quæ pro peccatis debentur*;

Ex Patribus.

13 Ratio à priori non nisi ex diuina potest liberalitate, & voluntate desumi, pari modo, quo superiori asserto de culpæ remissione arguimus; voluit enim Deus perfectissime ad hoc opus filii sui passionem applicari. Congruentia vero, & à posteriori optima ratio est tertia in ordine asserto superiori: cui accedit, quod congruum est facilius peccata illa ante baptismum habita remitti omnino etiam quoad pænam, propterea quod ex humana quadam imbecillitate, & infirmitate naturæ videntur elicita, cum iam homo, nec ad plenum à Deo sit illustratus cælesti lumine, neque gratiæ illius rore madeat, quæ per baptismum nobis infunditur.

Et Ratione

14 Dico tertio. Baptismus non tollit omnes pænas, quas homo contrahit, quas, & pænalitates vocant. Quoad aliquas pænalitates spectat, puta de concupiscentia & fomite, diffinita est in Tridentina Synodo *sess. 5. can. vltimo* sub his verbis; *manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem hæc Sancta Synodus fatetur, & sentit.* De aliis vero pænis experimentum assiduum idem probat. Vidimus enim infantes baptizatos, qui nullam habent culpam, originalis peccati sordibus expiatos innumeris subiacere calamitatibus, & ærumnis, & constat, quod non iniuste. *Assertio* igitur patet ad sensum, vti negans illam sensus pæna dignus esset, cuius à priori nulla ratio, nisi diuina voluntas, quæ baptismum ad hoc minime ordinauit; quare autem non ordinauit, dicendum quod à priori non est alia ratio à sua voluntate, atque adeo; quia noluit; voluntati diuinæ nulla est causa prior; congruentias vero adducunt varias auctores.

Baptismus non tollit pænalitates.

Assertio patet experimento

Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 31. cui Sanctus Thomas subscripsit *3. p q. 49. art. 3.* in hunc fere ratiocinatur modum. Poterat Deus impassibilitatem donare cadentibus. sed si hoc fecisset carni quædam felicitas adderetur, & meritum minueretur, & sic omnes ad remouendas mortem, ac molestias delicatius in Christo crederent: hanc eandem rationem sequutus est etiā Sanctus Bonauentura. *Addit* Suarez ex *Augustino lib. 1, conf cap. 1.* hoc factum esse, vti homo in hac vita secum semper ferat sui lapsus testimonium, & quantū Deus superbis resistat, quæ omnes suasiones pulchræ sunt.

Ratio Augustini.

Ratio Suarij.

15 Placet duplex ratio S. Bonauenturæ, prima ad ostendendum Christi passionis fructum tendit, altera vero ex amplificatione meriti in libero hominis arbitrio desumitur. Prima sic procedit. Remediū respicit, personā non naturā, at si Dominus curaret naturam, & fomitem, & pænalitates alias per baptismum, filius à culpa nasceretur immunis, nec Christi regeneratione indigeret; idcirco, vti omnes noscant se eius passione indigere, data est huic sacramento virtus

Approbātur duæ rationes S. Bonauenturæ.

ad remittendas personales pœnas, nō na-
turales; Secunda vero ex se patet;
Promouent enim pœnalitates istę multi-
plici ex capite ad bonum, dantur enim
Iob. 6. propter humilitatem, hinc Iob 6. *Sagit-
ta Domini in me, quarum indignatio ebi-
bit Spiritum meum*; ad timoris incusio-
nem, *timores Domini militant contra me*:
ad cognitionem sui ipsius; quia vexatio
(veteri prouerbio) dat intellectum;
Iudicum 3 ad exercitium virtutum Iudicum 3. *Hæ
sunt gentes, quas Dominus dereliquit, vt
erudiret in eis Israelem*: propter exem
plum non peccandi. Zacch. 13. *Adam
Zacch. 13* exemplum meum ab adolescentia mea,
& ob sexcenta alia capita, quæ mitti-
mus.

16 Hæc de pœnis, & pœnalitatibus ciui-
le forum non respicientibus, de pœnis
*Pœnæ ciui-
le fori non
tolluntur.* verò forum ciuile respicientibus dicen-
dum cum Diuo Thoma non tolli illas
per baptismum; hinc esto tales apud
Deum nulli sint pœnæ obnoxij, apud
homines tamen proprijs manent suppli-
cijs obnoxij licet Princeps benefaceret
si talibus pœnam remitteret, dummodo
hoc fieri sine scandalo posset, quotiescū-
que crimen tantum non sit, vt indul-
gentia illius redderetur illicita; quod fa-
ctum est cum Moyse Calimano Ferra-
riensi Iudæo, cui Eminentissimi Cardi-
nales pœnam condonauerunt triremiū,
ex quo baptismi se lauacro promisit
velle immergi, & ego cum Romæ, quē
iam de fide erudieram Ferrariæ ad San-
ctæ Mariæ ad Montes imposito Pauli no
mine baptizaui.

17 Dico quarto. Baptismus non tollit post
Assertio 4 Baptismū peccata perpetranda. Est de
fide, oppositum enim anathematis pœna
Synodus Tridentina plectit *sess. 7. de bap
tismo can. 10. si quis dixerit peccata omnia,
quæ post baptismum fiunt sola recordatione
& fide suscepti baptismi vel remitti, vel ve-
nialia fieri anathema sit*, de qua re nos lo-
quemur alias Deo dante, dum de neces-
sitate pœnitentiæ habebimus in propria
disputatione quæsitum. Iam hæc sint
ad præsens pro hac conclusione satis.

18 Assero quinto. Per Baptismum omni
Assertio 5 bus debitè accedentibus infunditur gra
tia gratū faciens, si prius non infuit, quæ
si præfuit, augetur. Assertio dupli-
cem habet partem, & est de fide Con-
cilium enim Tridentinum *sess. 7. can. 6.
7. & 8. de sacramentis in genere* anathema
dicit iis, qui de sacramentis nouæ legis
oppositū senserint, cuius sane Decretum
nemo nō videt valere de baptismo, cum
hic sit inter Euangelica nouæ legis sacra
menta ordine primum; iure autem meri
to addidimus in assertione particulam
illam, *debitè*, vti indignè, & fictè acce-
dentes excluderemus. Iam vero as-
*Suasio as
serti* sertionem quoad vtramque partem pro
viribus probemus: & primo, quia aptis-
simè probari potest ijs rationibus omni-
bus, quas de causatione gratiæ in sacra-
mentis nouæ legis propria disputatione
de eorum efficacia in tractatu de sacra-
mentis in genere habuimus; pro nunc
tantum breui potest ratione confirmari.
Baptismus omnem delet culpam, remit-
titque pœnam; ergo gratiam gratum fa-
cientem infundit, consequentia dedu-
citur; quidquid sit enim de absoluta
Dei potentia; certè secundū ordinatam
sine gratiæ infusione culpa non remitti-
tur, antecedens probatum est in supe-
rioribus. Secundam verò assertionis
partem dilucidè nobis tradidit Hiero-
*Hierony
mus.* nymus à Magistro sententiarum 4. d. ci-
tatus per hæc verba, *fides, quæ fideles fa-
cit, in aquis baptismi datur vel nutritur;
quia non habenti datur: & iam habenti vt
plenius habeat datur; qui ergo mundus ac-
cedit ibi fit mundior, & omni habenti ibi
amplius datur*. Hæc ille.

19 Ratio horum omnium, & assertio-
*Ratio à [illegible]
priori* nis præsertim est diuina voluntas, &
liberalitas. Congruentiæ verò illæ ea-
dem, quas superius adduximus bonæ
sunt. Quod si infunditur gratia, & cha-
*Charitas
infunditur
per baptis
mum* ritas infunditur, cum sit eadem realiter:
& confirmatur primo. Baptizatus si sic
moritur statim ad Cælos euolat iuxta
Tridentini Concilij Decretum *sess. 5. can.
5. ita vt nihil sit, quod ipsum à Cælestis Ia-
nuæ ingressu valeat remorari*, sed sine cha-
ritate non valet quis vitam ingredi æter-
nam, iuxta Pauli doctrinam 1. *Corinth.
cap. 3. si linguis hominum loquar, & An-
gelorum, charitatem autem non habeam,
factus sum velut æs sonans, aut cimbalum
tinniens*, in baptismo igitur charitas
infunditur. Confirmatur præterea,
quia baptismus constituit baptiza-
tum in adoptionem filiorum Dei, &
distinguitur homo per ipsum constitu-
tus filius Regni à filio perditionis, & car-
ceris, sed secundum Augustinum alias à
nobis citatum sola charitas diuidit inter
filios Regni, & carceris; ergo, &c.

20 Assero sexto. Fidem, & spem in sacra
*Fides, &
spes infun
ditur* mento baptismi cum gratia infundi tam
adultis, quam paruulis pro certo est sta-
tuendum. Assertionem hanc licet mi-
nus explicite Synodus Tridentina de-
creuit *sess. 6. cap. 7. de iustificatione* vbi
asserit iustificationem impij, quam per

baptismum efficit Deus, nedum esse peccatorum remissionem, sed & sanctificationem, & renouationem interioris hominis per voluntariam gratiæ, & donorum susceptionem, & in medio illius capitis discursum in hæc concludit formalia verba; *unde in ipsa iustificatione* (loquitur autem de ea, quæ per baptismum fit) *cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur fidem, spem, & charitatem.* Nostrum hoc assertum ante Concilij Tridentini Decretum amplexus est *cap. Maiores extra de baptismo, & eius effectu* Innocentius Papa Tertius, & Clemens Quintus *in Clementina* sicuti habetur *de Summa Trinitate, & fide Catholica.* Ex Patribus autem Augustinus ab *Alense* citatus in huiusmodi uerba significauit *fides datur, & nutritur in baptismo, datur paruulis, nutritur in adultis.*

Probatio ex Concilio

21 Et potest duplici suasione probari. Prima est: per baptismum renascitur tam paruulus, quam adultus spiritualiter, ergo ad vitam spiritualem; sed spiritualis vita est per fidem: iustus enim ex fide viuit, ergo per fidem renascitur; fides ergo per hoc sacramentum infunditur. Secundo, & fortius quantum ex Scoti verbis colligere potui *in 3. d. 36. q. vnica littera R.* Certum est quod perfectè sanatur homo per baptismum, Deus enim cum perficit, totum hominem perficit; ita quod sicuti corporaliter nullum sanauit nisi perfectè, ita etiam spiritualiter non sanat hominem nisi perfectè sanat; sed perfecta sanitas sicut habetur *de pœnitentia d. 2. cap. si quid,* tunc est, cum quantum ad intellectum habetur fides, spes verò, & charitas quantum ad voluntatem; ergo tres istæ virtutes infunduntur per baptismum homini, alioquin nec perfectè sanaretur.

Suasio prima

Suasio secunda.

22 Huc etiam accedunt duæ aliæ congruentiæ; quarum prima est: baptismus delet originale tam in adultis, quam in paruulis, at originale nedum animam in his, sed etiam potestates deformat; si ergo baptismus est perfectum remedium, nedum animas, sed etiam potẽtias reformabit; reformatur autem potestas virtutum habitibus, infunduntur igitur per baptismum habitus virtutum.

Congruentia prima

23 Secunda congruentia: baptismus facit paruulum, & adultum dignum, & idoneum ad dotes gloriæ, quæ sunt visio dilectio, tentio: sed ad visionem disponitur fide, ad dilectionem charitate, ad tentionem per spem: tres igitur virtutes Theologicæ infunduntur per baptismũ adultis, & paruulis, quæ planè Conciliorum decreta, & persuasiones adductæ indifferenter de adultis, & paruulis currunt, vt planè ruat ridiculum nonnullorum subterfugium dicentium adultis quidem infundi, non vero paruulis, contra quos clamat *Augustinus in epistola ad Bonifacium Regenerans Spiritus sanctus in Maioribus offerentibus, & paruulis oblatis communis est, eumdemque habet in magnis, & paruis effectum.*

Alia congruentia

24 Assero septimo. Morales virtutes in baptismo non infunduntur. Elicitur ex Scoto *in 3. d. 36. q. vnica littera O, & P,* & est contra Thomistas cum quibus cõuenire videtur S. Bonauentura, & obiter hoc loco probatur, nam morales virtutes infusæ non dantur, nec igitur paruulo, nec adulto in baptismo valent cõferri: antecedẽs *in 3. sen.* fusè probabitur: iam vero vnica ratione confirmatur, nã nulla adest necessitas, propter quam infusas cogamur ponere morales virtutes; quod enim *Aduersarij* dicunt necessarias illas esse propter modum, mediũ, & finem, omnino friuolum est, omnis enim finis, quem non possunt ex specie sua habere, determinatur sufficienter ex inclinatione charitatis, modus autem, & medium determinantur per fidem infusam, nulla ergo adest necessitas ponendi uirtutes morales infusas, sed sufficient acquisitæ in habentibus, & in his, qui eas habere possunt, similiter & in his, qui ob defectum usus liberi arbitrii non possunt acquisitas habere, non sunt necessariæ infusæ, non enim apparet ratio, quare isti debeant habere, illi verò non; ex quibus omnibus licet rationem in forma colligere, quod Deus in operibus suis nihil agit frustra, sicut etiam de natura docent Philosophi, hinc 1. *Phisicorum* Aristoteles contra Antiquos docuit melius esse pauciora accipere, si æque bene potest res per pauciora saluari, ac per plura; sed ad ordinandum nos in supernaturale bonum Theologicæ virtutes infusæ sufficiunt, non igitur necesse est alias infusas ab his virtutes dari.

Morales virtutes non infunduntur.

Non dantur virtutes morales infusæ

25 Nec valet responsio Sancti Thomæ, quod virtutes Thelogicæ sufficienter nos ordinant ad finem supernaturalem secundum quandam inchoationem, quãtum scilicet ad ipsum Deum immediatè; oportet autem animam per alias infusas perfici circa alias res in ordine tamen ad Deum. Non valet, inquam, nam in ordine ad res alias sufficienter perficitur anima acquisitis moralibus

Responsio Aduersariorum nulla

bus virtutibus absque eo quod opus sit infusas dari; quod si perfectionẽ hanc in anima respectu aliarũ rerũ in ordine ad Deũ spectet S. Thomas, adhuc acquisitæ sufficiunt; determinatur enim, vti dicit Scotus, finis, quem acquisitæ non possunt ex sua specie habere ex inclinatione charitatis, ex charitate igitur dirigentur actus in Deum huius virtutis acquisitæ.

Caietani insultatio.

26 Cardinalis Caietanus 1.2.q.63.*in com. art.3.* post longum de hac re sermonem, *Scotistæ*, inquit, *ex proprijs se deberent cognoscere; ipsorum enim opinione, ac ratione posita non minus necessarium est ponere morales infusas, quam Theologicas infusas, ad idem enim obiectum perficiunt charitas, spes, & fides acquisitæ de Deo ad quod perficiunt infusæ, & nihil creditur nihil speratur, nihil amatur infusis, quod non acquisitis, & quacunque ratione soluent hoc Scotistæ soluemus etiam de moralibus infusis.* Hæc ille, qui hac in re si commune axioma verum est, quod addúcere inconueniens non est soluere, clare patefacit se argumenti in contrarium vim subterfugere; quidquid autem de hoc sit ad Caietanicam rationem de fide loquẽtes dicimus, quod necessitas fidei infusæ

Comprimitur.

dupliciter spectari potest, vel respectu reuelatorum credendorum, vel in ordine ad salutem adipiscendam, primo modo non est simpliciter necessaria; quia sufficit acquisita; posteriori verò modo est necessaria; de prima autem necessitate loquutus est Caietanus, atque adeo de fide consequens, & consequentia posset concedi, vniuersaliter tamen consequentia negari potest; & ad probationem dico, quod ponuntur ad maiorem perfectionem actuum, neque ob id poterit Caietanus idem de moralibus infusis asserere; nam ad hoc vt perfectè actus virtutum illarum eliciantur satis sunt acquisitæ cum Theologicis infusis, sicut hucusque docuimus.

Refutatio errorum.

37 Errores Hæreticorum omnes sub initio capitis relatos damnat Concilium Tridentinum *seß.7. de baptismo can.7. & 8. & sequentibus.* Horum autem fundamenta, & solutiones apud Bellarminum consulendæ sunt.

Difficultas subtilis.

28 Vnicam tantum difficultatem, quoniam Scoticam redolet subtilitatem, libuit proferre in medium, & est. Communis Philosophis reclamat remota causa remoueri & effectum; sed causa pœnalitatum harum, & mortalitatis nostræ fuit culpa, ergo innocentia per baptismum restituta nulla debet pænalitas, vel mortalitas remanere: nec valet, si dixerit aliquis, quod culpa fuit causa mortalitatis, non sic innocentia causa sui cõtrarii, scilicet, immortalitatis; non valet, inquam, nam si oppositum est causa oppositi, & propositum erit causa propositi, si ergo culpa est causa mortalitatis, similiter innocentia ponet immortalitatẽ; cum igitur baptismus ad innocentiam reducat hominem, omnem videtur pænalitatem auferre.

Diluitur.

29 Respondeo distinguendo de causa; quædam est enim causa efficiens, & con conseruans; quædam verò inducens tantum, & non conseruans; exemplum causæ efficientis, & conseruantis est de sole, qui inducit, ac conseruat lucem, & hac de causa vera est maior, quod causa remota remoueatur effectus: exemplum causæ inducentis tantum est de gladio vulnera faciente; de qua causa non est vera illa maior; nam remoto gladio, nõ ob id remouetur factum vulnus, ad propositum culpa non est causa harum pænalitatum, nisi secundo modo, ideo argumentum nullum. Ad id, quod subijcitur, si oppositum est causa oppositi, dicendum, quod illud verum est, vbi est tota causa; atqui in proposito non sic innocentia est tota immortalitatis causa, minor subsumpta aliquam patietur difficultatem; nam non audeo simpliciter asserere immortales futuros homines, si status innocentiæ durasset; sed probabiliter arbitramur potuisse mori, atque adeo non fuisse simpliciter immortales ab interno, & obinde consequẽter tenemur asserere innocentiam non esse totaliter immortalitatis causam, nec proinde mortalitatis ab interno culpam.

Alia dubitatio.

30 Difficultatem maioris ponderis reperies apud Scotum 2. *sententiarum d.* 23. nam si culpa non remittitur nisi opposita iustitia restituatur, cum originalis iustitia non restituatur in baptismo sicut vniuersa Theologorum scola fatetur, nec etiam videtur originale peccatum per ipsum deleri. Respondetur tamen, quod

Enodatur

oppositam iustitiam reddi dupliciter potest attendi, vel in se, vel in æquipollenti, vel etiam eminenti; hinc ad argumentum esto originalis iustitia in se per baptismum non redditur; infunditur tamen gratia, quæ donum est per excellentius.

31 Vnde aduertendum hoc loco quantum præsens fert occasio; quia peculiaris de originali peccato disputatio ad secundum sententiarum spectat; aduertendum, inquam, quod illud, quod est for-

maie

mali in peccato deleri debet per oppositum formale, vel virtualiter in remissione peccati, formale autem in peccato non est debitum iustitiæ; nam etiam in innocentiæ statu fuit debita iustitia, sed est carentia illius iustitiæ; ista ergo carentia deleri debet vel per oppositum proprium, scilicet per iustitiam, vel per aliquod virtualiter continens oppositũ illud, modo, licet gratia quantum ad accidentariam aliquam conditionem non ita perfectè coniungat vltimo fini, sicut originalis iustitia, perfectius tamen coniungit, et alio loco Deo dante docebimus, & ideo in baptismo cum infunditur gratia simpliciter dimittitur peccatum illud eminentiori modo, quam remitteretur proprium positiuum. Dices: atqui tunc carentia illius positiui remanet, puta carentia iustitiæ originalis. Dico quod non ob id remanet culpa; quia positiuum illud non est debitum, soluitur enim debitum habendi illud, & commutatur in debitum habendi aliud donum, puta gratiam.

Quomodo dimittatur originale.

32 Ad capitis huius appendicem addendum, quod baptismus non tollit omnes pœnas canonicas, non enim tollit irregularitatem ortam ex bigamia, quamuis auferat irregularitatem ortam ex homicidio. Quid sit autem irregularitas, & quo casu contrahatur? adhibe Scotũ in 4. d. 25. q. 1. teque docebit, irregularitatem esse inhabilitatem ad suscipiendos ordines, atque eorum actus exercendos, incurrique illam quandoque ex criminibus, quandoque ex non criminibus, quandoque ex aliquibus, quæ possunt interdum esse crimina, interdum non sunt crimina. Ex crimine quadrupliciter oritur, simonia videlicet, furto in ordine, ministerio in ordine non suscepto, contumacia in non seruandis Ecclesiæ pœnis. Ex non crimine triplici oritur, nimirum seruitute (intellige tu mancipalem) illegitimatione, & turpi mutilatione, vel infirmitate. Ex iis, quæ quandoque possunt esse crimina, interdum non, duobus oritur, puta homicidio, & bigamia, & homicidium intellige voluntarium, vel etiam inuoluntarium secundum quid, nam ex inuoluntario simpliciter non oritur irregularitas. Hæc omnia vno verbo ex Scoti fonte hausta huc supposita reuoca.

Appendix de pœnis Canonicis.

Quibus casibus contrahatur irregularitas.

33 Cur autem per baptismum tollatur irregularitas orta ex homicidio, non autem ex bigamia? lege Scotum in 4. d. 33. q. 3. littera C, docentem causam aliam nõ reddi posse, nisi Ecclesiæ statutum volentis illam per baptismum remitti, non istam; nec sine ratione; nam homicida non est inhabilis ad ordines suscipiendos, nisi propter horrorem sanguinis effusi, propter quem etiam in lege veteri 2. Reg. cap. 7. prohibitus est Dauid ædificare templum Dei, & concessum Regi Pacifico Salomoni; horror hic autem per baptismum tollitur, in quo renatus fit è Saulo Paulus, è lupo agnus: quocirca cessante causa inhabilitatis in baptismo, & inhabilitas cesset necessum est; porrò causa inhabilitatis in Bigamo non cessat, est autem illa defectus sacramenti, i. significationis, ex qua, quia Christus est vnicus sponsus vnius Ecclesiæ, & Ecclesia vnica sponsa vnius Christi, Sacerdos, qui est Christi Vicarius, Christi personam repræsentans in Ecclesia non debet habere aliquid repugnans Christo in ordine ad Ecclesiam, nec Ecclesiæ in ordine ad Christum: Bigamus autem, qui habuit duas, habet aliquid repugnans Christo in ordine ad vnam sponsam, & qui habet vnam, quæ fuit duorum, habet aliquid repugnans Ecclesiæ in ordine ad Christum: vterque igitur deficit in significatione, vel vnius sponsi ad vnam sponsam, vel vnius sponsæ ad unum spõsum, nisi ergo dispensetur, per baptismum irregularitatem non tolli statutum est.

Per baptismum tollitur irregularitas orta ex homicidio; non vero orta ex Bigamia, & cur?

34 Sed numquid alias irregularitates auferat baptismus? Non ita dilucidè effantur auctores; cognita tamẽ ipsarum irregularitatum natura responsio patet ex doctrina Scoti præcitata; nam nisi causa inhabilitatis tollatur, nec ipsam inhabilitatem tolli dicendum est, constat autẽ in deformiter mutilatis, inque deformi morbo laborantibus causam inhabilitatis non auferri per baptismum remanentibus mutilatione, ac infirmitate prædictis; quare & ipsa remanebit inhabilitas.

Dubium de aliis irregularitatibus, et resolutio

35 Irregularitas orta ex simonia locum non habet in nondum baptizato; simonia enim vel est in ordine, vel in beneficio ex doctrina Scoti *loco citato d. 25 littera D*, quorum neutrum locum habet ante baptismum in homine, nec beneficij, nec ordinis capace. Similiter, quæ oritur ex furto in ordine, hoc est, ex furtim ordinato; quia ordo nullus est ante baptismum. Similiter, quæ oritur ex ministratione in ordine non suscepto, quæ infligitur tantum baptizatis se immiscentibus in exercitio ordinum non susceptorum, vt patet *extra de Clerico non ordinato ministrante*. Similiter ea, quæ ex contumacia oritur non seruando

Ecle-

Ecclesiasticas pœnas; pœnæ enim Ecclesiasticæ feruntur ab Ecclesia in subditos; porrò non baptizati (non loquimur hic autem de paruulis fidelium, sed de adultis infidelibus accedentibus ad baptismum) non subduntur Ecclesiasticis pœnis, quæ sunt *interdictum*, *excommunicatio*, *suspensio*, *degradatio*, *irregularitas*, *infamia* hæc autem potest etiam contrahi ab infideli non quidem vt pœna inflicta à iure Ecclesiastico solum, sed etiam à iure humano, & à Iudice proprio. Porrò hanc per baptismum tolli reor, quo fiunt accedentes etiam qui fuerunt sæculo infames, in Christi familiam adsciti omni infamiæ pœna exempti: vide glosam *1. parte decr. dist. 16. cap. 3.* & *dist. 4 de cons. cap. fine pœnitentia*, redduntque rationem Doctores; quia per baptismum tolluntur peccata, & quæ sequuntur ex peccatis, vt talia sunt, qualis est infamia. Agunt de hac re Summistæ Angelus, Syluester, Tabienus, Viualdus & alij verbo *Baptismus*.

Ecclesiastica pœna quæ sint.

Angelus, Syluester, Tabienus, Viualdus.

36 Sed numquid tollat irregularitatem ortam ex non criminibus, puta ex seruitute, defectu natalium, enormi infirmitate, vel turpi, & enormi mutilatione? Missa Summistarum concertatione respondeo negatiuè ex doctrina Scoti, qui *in 4. dist. 33. quæst. 3. littera C*, docet cessante causa inhabilitatis in baptismo cessare inhabilitatem illam, ac obinde irregularitatem: porrò non cessat hæc ratio in casibus adductis; quare nec inhabilitas: minor patet; quià seruus remanet in suo seruitio, nec eximitur per baptismum, vnde Scotus *in hoc 4. dist. 25. quæst. 1. littera E*, seruum in minoribus ordinatum domino inscio, & non consentienti monet esse reddendum domino suo iuxta doctrinam Canonum, tum *in decretis dist. 45.* tum *in decretalibus extra de seruis non ordinandis* rursum illegitimus remanet post baptismum in suorum natalium defectu, & morbo enormi, vel mutilatione enormi laborans in suo remanet morbo, & mutilatione, cum ergo non cesset in baptismo causa inhabilitatis, neque dicenda est irregularitas cessare.

Pœna orig ex non criminibus non tolluntur.

37 Et hæc regula statuenda est in alijs irregularitatibus, si quæ sunt præter eas, quas Scotus eo loco memorauit, quemadmodum enim notauit egregiè ex Nostratibus Aluarus Pelagius *De planctu Ecclesiæ lib. 1. art. 48.* ex externis Simon Maiolus *lib. peculiari de irregularitate circa initium* sin minus improbabile, saltem admodum difficile est hac tempestate crescente hominum malitia singulas irregularitates, & singulos, quibus illa contrahitur, casus sigillatim enumerare, ac recensere, & quisquis textus, aut auctoritas te cogat asserere irregularitatem omnem per baptismum tolli, occurre id esse verum de irregularitatibus ex delicto, & crimine deriuantibus, non de alijs, sed nec de ijs omnibus, quæ è crimine nascuntur; quia bigamia interdum esse potest cum crimine, & irregularitatem parit, quæ tamē ex vi baptismi non tollitur.

Regula Scoti

Aluarus, Maiolus.

38 Hic etiam obserua, quod sicut irregularitatis pœnas baptismi receptio modo prædeclarato omnino tollit, ita à contrario iterata baptismi susceptio noua irregularitatis labe inficit rebaptizatum vt *supra* diximus *quæstio peculiari de ministro iterante baptismum*.

39 Verum, nunquid eadem pœna plectatur rebaptizans? diximus *ibi* non adesse textum huiusmodi pœnas infligentem; proinde probabiliter opinari posse non induci in rebaptizatione irregularitatis notam, & quæ loca ferebantur pro affirmante sententia eludimus; lusimus tamen, cum & alij pro ea, quam communiter propugnant omnes, textus Canonum adhibeantur à Iuris peritis pro pœna irregularitatis in rebaptizante, citatur enim Canon. 46. Apostolorum, qui habet, *Episcopus, & Sacerdos, eum, qui verum baptisma habeat, iterum baptizauerit, aut pollutum ab impijs non baptizauerit deponitur, vt qui Crucem, & mortem Domini derideat, neque discernat veros Sacerdotes a Sacerdotibus impostoribus*.

Rebaptizans, an irregularis?

40 Sed præterquam quod Canones Apostolorum Gelasius reiecit vt Apocriphos, si quam etiam vim habent, canon allatus explicationem patitur de depositione, non de inhabilitate. Hæc autem depositio, vel per degradationem fit, vel per amotionem à gradu, & statu Clericali, estque pœna maior irregularitate; quia regulariter legitime depositus non restituitur, irregularis dispensatur; est ergo distincta pœna depositio ab irregularitate, & regulariter depositus traditur curiæ seculari, non sic irregularis: vide Scoti doctrinam *in 4. dist. 25. q. 1. littera B*.

Interpretatio Canonis Apostolorū.

41 Citatur & Innocentius Tertius *extra de baptismo, & eius effectu cap. vlt.* quo Græcos rebaptizātes Latinos anathemate ferit, & ab omni officio; ac beneficio Ecclesiastico deponi iubet Textus tamē ad rem non facit; quia in eo Pontifex nō irregu-

Et verborum Innocentij.

irregularitatis, sed excommunicationis mucrone Græcos plectit, & omni beneficio, ac officio priuat, nec ob rebaptizationem tantum, sed quia talia facientes non se Ecclesiæ Romanæ Catholicæ conformabant, & ab ea dissentientes, vnum ouile, vnumque in ea Pastorem negligebant, vt patenter loquitur textus.

42 Citantur, & Institutiones Canonicæ *lib. 2. §. ille quoque &c.* sed hæc parum roboris habent, vtpotè nec a Pontificibus, nec à Concilijs, sed doctorum licentia editæ, vnde nec omnes institutiones vniformiter se gerunt. *Institutiones Canonicæ.*

43 Citatur & lex secunda *cod. ne sanctum baptisma* qua rebaptizantes vltimo supplicio puniuntur: sed citatio leuis; lex enim ciuilis pœnas Canonicas infligere non potest, preterquamquod illa necem, non irregularitatem indicit rebaptizantibus. *Lex Ciuilis.*

44 Hæc dixisse volui, vt lectorem admonitum velim, nullam patenter rebaptizantibus irregularitatis impositam pœnam Canonicam, quamuis ipsa rebaptizatio tam actiua, quam passiua immanissimum sit scelus, atque euidens impositã rebaptizatis irregularitatis pœna per Canones. Cæterum admonitione hac profiteor me nolle plus sapere, quã oportet, & iudicio, & correctioni omnium interpretationem hanc subiectam esse, quam ne singularis videar opinando, non affirmando prosequutus sum in hoc opere loco proprio; immò post Scotum, cuius lacte doctrinæ potatus sum à communi sententia statuente in rebaptizante etiam irregularitatem non recedam. *Protestatio Authoris.*



AN ÆQVALEM BAPTISMVS conferat effectum omnibus.



CAPVT II.



45. NE alibi præiacta inutili labore repetamus, vide, quæ diximus *in disput. de sacramentis in genere peculiari cap.* & appositè facies propositæ petitioni satis loquendo de gratia tam in paruulis, quam in adultis, dummodo isti obicem non ponant, sintque consentientes, ac sufficienter dispositi. Certum est enim reliquos effectus æquè cõferri singulis, de quibus *superiori capite* abunde disceptatum est, & *loco citato* etiam sat factum est Soto, Suarezio, ac Vasquezio satis.

46 Solum superest dubitatio ex P. Ioanne de Lugo *disp. 9. de sacramentis in genere sect. 2.* qui ex Concilio Tridentino primum, mox ex rationibus Scoticam doctrinam labefactare contendit. & certè Concilium illud *sess. 6. de iustif. cap. 7.* dum de ijs, qui per baptismum iustificationẽ obtinent, effatus est hæc verba nos docuit causas iustificationis exponens. *Demum vnica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, quia videlicet ab eo donati renouamur Spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed verè iusti nominamur, & sumus iustitiam in nobis recipientes, vnusquisque suam secundum mensurã, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem.* Hæc ibi, ex quibus (inquit Lugo) constat sacramenta inæqualem pro inæquali dispositione recipientis conferre gratiam; quod ante docuerat Damascenus *lib. 4. cap. 20.* & optimo consilio; quia si dispositio est mensura gratiæ, nec datur maior gratia habenti minorem; nec minor maiorem habenti dispositionem. *Oppositiones Lugo. Ex Concilio. Ex Damasceno. Et ratione.*

47 Ratio autem huius congruens est, quia sic decet prudentem dispensatorem, & retributorem, cum enim gratia suscipiat magis, & minus, quippe qua qualitas est, adque eius assecutionem expetatur ex parte hominis dispositio, planè congruit, vt dispositioni maiori maior, & abundantior gratia respondeat.

48 Confirmantur hæc dicta Patris Lugo ex iis, quæ habet *ibi num.* 19. quia vel ille excessus gratiæ prouenit aliquo modo ex ipso sacramento, vel non: si primum. Contra. Sacramentum cum sit signum practicum id causat, quod significat, porro cum illum gradum excedentem mensuram dispositionis non significet, nec causabit. Si secundum certè id eueniet, vel à voluntate Dei, qui hunc hominem prædestinauit ad maiorem gloriam, vel ab impetratione parentum, vel ministrorum; sed hæc omnia repugnant aperte legi communi Dei, qui non vult dare gratiam habitualem, nisi vel propter merita condigna, aut per sacramenta applicata, vel per contritionem absque, seu extra sacramentum, alioquin possemus dicere, quod absque vllo merito dat illi gratiam, similiter absque vllo sacramento, & similiter posset dari dormienti, & absque vlla dispositione, & contritione.

Discursus Patris Lugo.

49 Adde Patres nullum agnoscere excessum in eo, qui baptizatur à meliori ministro, hinc Crisostomus *hom. de reditu suo de Asia, Multi (inquit) me absente baptizati sunt, & quid tunc Nihil minus habet gratiæ, non claudicat donum Dei, absente me baptizati sunt, sed præsente Christo baptizati sunt.* idipsum habet August. *lib. 4. de bapt. contra Donat. cap. 20.* Nazianzenus *orat. in S. Baptisma in ord. 40.* Nicetas, & alii.

Auctoritas Crisostomi.

Nazianzeni Nicetæ.

50 Reducat tamen studiosus lector in mentem, quæ loco citato de sacramentis in genere, & eorum effectu disceptando diximus, nec multi adducta à Lugo faciet, dictum est autem ibi Scotum non de facto, sed de possibili locutum; vnde *littera B. ibius quæst. 7. dist. 4. huius* 4. monet ex parte causæ principalis, nempe Dei, effectum baptismi regulariter esse æqualem, obseruanda est particula illa *regulariter*, & rursum loquendo de causa meritoria, quæ est Christi passio, secundum quam prius distinxerat, quia illam efficacius posse, vel potuisse operari euenit bifariã, primo, quia specialiter offertur, secundo quia exhibetur alicui in actu, alicui in præuisione diuina, loquitur deinde de primo modo ait paulo *ante litteram D, Si autem per specialem oblationem in voluntate Christi. Sit inæqualitas gratiæ in aliquibus nunc baptizatis, dubium est de facto, sed possibilitas est ostensa,* ecce quomodo possibilitatem Scotus, non factum posuit, & qua petitio vergit ad probationem ministrorum, vel parentum subsequentibus verbis sententiam suam aperit Doctor, nullam aiens esse inæqualitatem ad recipiendam gratiam ex parte paruulorum, sed ex parentum, vel assistentium, vel ministrorum merito posse Deum vni maiorem conferre gratiam, quam alteri, quia orationes Sacerdotis boni exaudiuntur magis: ecce rursum nostri Scotus possibilitatem, non factum asserens; de quo nec verteri putarim eruditissimum Patrem Lugo, cuius rationes (pace eius dicta hæc velim) infirmæ sunt, vel sunt ad oppositum.

Resolutio.

Scoti mens aperitur.

51 Et certè locus Concilii Tridentini cõtra potius, quam pro Lugo facit; ait enim Concilium iustitiam recipi ab vnoquoque secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam vniuscuiusque dispositionem. Quod est dictum bifariam haberi mensuram iustitiæ, vel ex mensura dispositionis, vel ex Deo, et ex Deo quidem, & Spiritu sancto, qui dat, & partitur singulis, prout vult, en quomodo potest inæqualis gratia conferri ex ratione causæ principalis, quæ partitur, prout vult iustitiam, quod est idẽ cum Scoti dicto posse, scilicet, Deum conferre cui voluerit maiorem iustitiæ gradum. Voluntati enim eius quis resistit? nam & in Euangelio *Matt. 20.* conquerentibus operariis in vinea, quod vltimi acceperant similem cum primis mercedem, respondit, *Amice non facio tibi iniuriam, tolle, quod tuum est, & vade, an non licet mihi, quod volo facere?*

Concilium perperam adductũ à Lugo.

52 Nec Damascenus aliud sensit, nisi de facto ita fieri, secus autem euenire non posse, nec Damasceni, nec vlla Patrum docebit auctoritas.

Similiter Damascenus.

Ratio autem prior Patris Lugo rectè conuincit ex parte potentium se disponere, quales sunt adulti, Deum spectata vniuscuiusque dispositione gratiam partiri, nam & hoc docet Scotus *l. c. littera E.* cæterum non posse Deum ex sua liberalitate alium citeriorem gratiæ vni, quã alteri elargiri gradũ, ratio infirma, nõ conuincit. Alia ratio diluitur dicendo, quod non ex virtute sacramenti in casu spectaretur excessus, sed ex voluntate Dei

Ratio prior debilis.

Dei, vel quia elegit vnum ad maiorem gloriam, vel quia orationes assistentium, ministrantium, ac parentum bonorum exaudiuntur; ut aliquem maiorem baptizato infanti conferat gratiæ gradum, qui tamen non ex uirtute sacramenti, sed ex diuina liberalitate largiretur: cumque Aduersarius insurgit probando, hæc repugnare legi Dei communi, respondeo, nec Scotum id adstruere de lege communi, qui, ut eius uerba tulimus, regulariter ita fieri sensit; cæterum non posse secus fieri ratio aduersa non cogit, quia tunc id fieret citra regulam illam communem ex potestate Dei plenaria, quæ nullis coarctatur legibus.

Opposita à Lugo refelluntur.

53 Nec est, cur nobis Lugo opponat casum de Dormiente, de non contrito, de non disposito, de non recipiente sacramentum, quia etiam opposuit Scotus & Suarez, quorum solutiones vide apud Fabrum *disp. 14. cap. vii.* Quid enim si dormiens obicem non poneret, ita ut ante somnum dispositus fuisset, numquid implicat augeri gratiam ex liberalitate Dei? Quid si non posset quis recipere sacramentum, numquid interclusa esset illi ad gratiã via? Nec est par ratio de non disposito, & nolente, quia nos loquimur de augmento gratiæ non de prima gratia, quam nec etiam eximiæ sanctitatis viros mereri cuipiam nolenti posse concedimus.

Potestas Dei ordinaria, absoluta, & absolutissima.

54 Adde, quod si Deus ex absolutissima potestate secus vellet, non est cur de eius potestate vereamur, quæ nulla lege ligatur, sed alibi distinximus potestatẽ Dei in ordinariam, absolutam, & absolutissimam, hic nec de ordinaria, nec de absolutissima, sed de absoluta loquimur, nam de ordinata concedit Scotus cum Aduersarijs æqualitatem gratiæ in æque dispositis, absolutissima non attendit leges; cum sit supra leges, *absoluta est vtique supra leges, sed respicit secundum nostram interpretationem res, quæ frequentiori vsu dispensantur. Auctoritates Patrum à Lugo adductæ nihil magis probant, quam de facto, ac regulariter ita euenire, possibilitatem Dei tamen ne verbo quidem metiuntur.

AN BAPTISMVS GRATIAM CONFERAT FICTE accedenti.

(†)



55 IN hac re certum est primo, ficte accedentem gratiam non recipere, pr⟨æco⟩gnita nominis ficti significatione; apposite nominis mentio, ne qui videatur fictum hoc loco participiale esse à fingo, fictus autem nominaliter dicitur, qui & falsus, & simulatus, ostendens pro vero falsum, habens aliud interius ab eo, quod exterius profitetur: hinc fictus accedens ad baptismum dicitur is, qui diuersam habet interius intentionem ab opere, quod ostendit exterius; accidit, hoc autẽ dupliciter, primo si quis præ se ferat velle se exterius ablutionẽ baptismalem recipere eo modo, quo illam tradit Ecclesia, intrinsecus autem nec credat, nec uelit. Secundo, si quis velit quidem, & credat, sed se esse dispositum ostendat exterius, cum sit tamen interius omnino indispositus, vtpote nullo modo de suis peccatis attritus. Primo modo fictus, nec effectum, nec sacramentum ipsum recipit, vt suo loco dictum est, petendo dispositionem necessariam in adulto accedente *superiori disputatione*; Ecclesia tamen, quæ non iudicat de occultis, huiusmodi fictum ad obseruantiam legis cogeret. Secundo modo certum est fictum non recipere gratiam sacramenti ex *ibi* dictis iuxta illud Sapientiæ 1. *Spiritus sapientia sanctus effugiet fictum*.

Fictus qui nam sit.

56 Certum est secundo, obinde fictum huiusmodi secũdo modo debere pænitere, vt effectum sacramenti recipiat, pænitere, inquam, sed non constat nũ pænitentia sacramento necessario, an saltem pænitentia virtute, attritione videlicet, vel contritione, alioquin Deus illum sine remedio reliquisset, quod falsum est, idque patentissime tradidit Augustinus à Scoto citatus de baptismo paruulorum, & refertur *d. 4. de cons.* *Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit*, circa quæ Augustini verba maximum reperies Scolasticorum litigium, contendente Vasquezio requiri ad deletionem illius fictionis actũ veræ, ac perfectæ contritionis, ita enim loquitur *disp. 160. n. 21.* contendentibus è contra Suarezio *d. 28.* Coninch, *q. 62. art. 1. dub. 6.* Lugo *disp. 9. sect. 4.* sat esse attritionem, non quidem vniuersalem illam etiam extra sacramentum, quã contentus erat Petrus à Palude *d. 4. q. 5* sed particularem. Atqui hæc est prima in hoc capite incertitudo.

Pœnitentiam aliquam requiri certum est.

Primum dubium.

57 Altera autem incertitudo est. Posito debere per sacramentum pænitentiæ, aut saltem per contritionem, vel attritionem auferri obicem illum fictionis in adulto, cuius merito deleantur in ficto illo peccata, baptismi ne, an pænitentiæ?

Secundum dubium.

58 Fuit enim quorundam opinio, quam suppresso auctorum nomine memorat Durandus *dist. 4 quæst. etiam 4. huius q.* [illegible] & eius mentionem aliqualem facit Scotus *quæst. 5.* characterem, qui fuit in baptismi receptione impressus, deleri fictionis peccatum, cæteraque alia, quæ obice fictionis posito deleri non poterat baptismus, quorum ratio illa fuit potissima, quod character vulgò dicitur dispositio ad gratiam nisi impedimentum obstiterit superueniens; ablato igitur obsistente impedimento ex vi characteris, qui est ad gratiam dispositio, fictus ipsemet gratiam acquirere dicendus est.

Opinio aliquorum.

59 Secunda opinio est glosatoris *in caput illud dist. 4. de consecr.* quod incipit. *Tunc valere incipit*; quem glosatorem Durandus, & Gabriel volunt esse Ioannem Andream æstimantem in casu proposito nullam peccati remissionem dari virtute baptismi sed pænitentiæ, vel contritionis dumtaxat, ex eo fundamento, quod Phisica causa non causat nisi quando est, at baptismus est Phisica causa gratiæ, ergo, dum est, tantum causat, non existens igitur amplius baptismus gratiam non causat.

Opinio Glossæ.

60 Hanc sententiam etiam propugnare tenebatur Gabriel, qui in *superiori disceptatione* citatus autumabat peccata ante baptismũ contracta non ex vi baptismi, sed contritionis, quæ erat expetita in suscipiente dispositio, deleri, à fortius ergo post baptismum *ex vi* contri-

Sensus Gabrielis

tionis

tionis tenebatur asserere omnia deleri peccata, tam ante, quam post baptismum contracta, sed is in 4. dist. 4. quæst. 1. arctatus iis angustiis, quas allata perperiebatur opinio alium effinxit sentiendi modum, aitque baptismum id tollere quod reperit, nihil autem reperit auferendum nisi pœnas, quia peccata delentur per contritionem, solæ igitur pœna fictione recedente tolluntur virtute baptismi.

61 In hanc sententiam citat Lugo nostrum Scotum l. c. post Vasquez, sed miror doctissimum virum, quomodo Vasquezii in posturam propugnarit, cum nihil tale ibi somniauerit Scotus vt patet legenti; est igitur illa sententia Gabrielis, non Scoti; sed & aliter diceret idem Gabriel ex doctrina sui 4. sent. d. 31. q. vnica nō teneri fictum conteri de peccato originis, quod illi fuerat in baptismi receptione dimissum ex vi sacramenti, quamuis cum ficte accesserit gratiam non receperit.

Lugo, & Vasquezium postura ad Scotum

62 Adducit aliũ respondendi modum Lugo ex Scoto *loco citato num.* 26. sed quem nec sub tegmine quidem in Scoto reperias, est tamẽ mos Recentium acceptissimus ex aliorum recensitione Scoto quam malint sententiam impingere, vt pro libito illam corrigant.

63 Aperienda est igitur Scoti mens. & quidem *is d. 4. q. 5.* postquam *litera B* fictè accedenti non esse reclusam ad salutem viam fusè probauit petens, quomodo si fictio tollitur per pœnitentiam baptismi effectum recipiat, qui fictè baptismum recipit.

Aperitur Scoti mens

64 Respondet primo fictionem solam per pœnitentiam tolli; cætera verò peccata ante baptismi susceptionem commissa per virtutem ipsius baptismi auferri; vt si quis septem enodatus criminibus ante baptismum doleat de sex, de septimo autem complaceat, hoc septimum virtute pœnitentiæ, cætera virtute baptismi delebuntur, nec de illis sex debet iterum conteri, vel atteri, sufficiente attritione, vel contritione habita ante baptismum.

Primus modus dicendi.

65 Secundò Respondet, quod in pœnitente verè de fictione illa infunditur gratia perfectior, quam esset illa, quæ prædicte infunderetur ex vi pœnitentiæ, ita vt illa gratia includeret in se perfectionem gratiæ baptismalis, & pœnitentialis, & hoc modo pro tanto dici potest in eo effectum suum habere baptisma, quatenus gratia illa æquiualeret gratiæ baptismali, & pœnitentiali simul vtriusque perfectionem includens.

Secundus

66 Tertio Respondet, quod pœnitens de fictione reciperet tantũ gratiam virtute pœnitentiæ, nullam autem virtute baptismi, quia eius susceptio mortua est, & mortuus reuiuiscere non potest; dicitur autem huiusmodi pœnitens recipere effectum baptismi, quia fit filius Regni; & soluitur à præcepto recipiendi baptismatis, vt sit filius Regni, quia iam præceptum impleuit, & iterari baptismus nequit.

Tertius.

67 Hæc est vniuersa Scoti doctrina *loco citato*, ex quo nescio quid vltra somniant Aduersarij. *An* autem primum, an secundum, an tertium respondendi modum magis probauerit Scotus, ex ipso non liquet. Primus tamen modus plausibilis est apud Scotistas; hunc illum dumtaxat referunt, ac sequuntur Ioannes Bassolus *dist. 4. quæst. vnica in solutione argumentorum*, & Philippus Faber *dispu. 12. 4. sententiarum*, & declaratur ab ipsomet Scoto *loco citato litera D* hoc modo.

Primus modus Scotistis probatur.

68 *A*liud est dicere peccata omnia tam ante susceptionem baptismi contracta, quam in ipsa collatione baptismi (de his enim, quæ baptismi receptionem consequuntur, res patens est debere per solam pœnitentiam dilui siue in re, siue in voto, cum hæc sit secunda tabula post naufragium) deleri per pœnitentiam, aliud dicere deleri in pœnitentia; hoc secundum conceditur; quia in ipsa pœnitentia de fictione delentur omnia alia, sed non per pœnitentiam illa alia, sed per aliam causam, nempè per baptismum, ante cuius susceptionem eorum pœnituit accedẽtem; itaut in ipsa pœnitentia non expetatur de iis alia displicentia perfecta, hoc est, alia contritio, confessio, & satisfactio, & sic occurritur dicto illi Augustini ab ipsomet doctore citato, *Quod Deus non dat dimidiatam veniam*; dat enim Deus totam veniam in pœnitentia, licet ex duplici motiuo, scilicet baptismi pro originali, & aliis peccatis antecedentibus baptismum, & pœnitentiæ pro fictione, & aliis commissis in ipsa receptione Baptismi, puta sacrilegii, irreuerentiæ, & similium; quam explicationem Scoti ad verbum ferè amplexus est

Declaratio primi modi.

Lugo Scotum sequitur.

git est Lugo loco citato numero 39. qui, nescio, quo grato animo aliud Scoto imponere potuerit.

69 Est autem hic primus respondendi modus à Scoto inuectus apposite quadrans intentioni Augustini in illa auctoritate adducta *dist.* 4. *de Cons.* qui, scilicet valor baptismi, in quo baptizatus ius quoddam ad deletionem originalis, & actualium præcedentium acquisiuit, tunc sentitur primo, cum fictio illa, & obex per pænitentiam tolluntur, oportet autem pænitentiam esse veram, scilicet, vel quod recipiatur in re sacramentum pænitentiæ, in quo ex attrito fit contritus, vel quod habeatur contritio perfecta cum voto sacramenti; quoniam actualia peccata mortalia non delentur nisi per sacramentum pænitentiæ in re post baptismum, vel per contritionem perfectam cum voto eiusdem sacramenti ex Concilio Tridentino *sess.* 14 *de hoc sacramento*; id quod aperte indicat *Augustinus* illis verbis, *veraci confessione ncesserit &c.* & Scotus noster *littera C, oportet ergo quod verè pæniteat &c.* loquimur autem de vera fictione modo exposito *in principio capitis*, secundum quā accedens ad baptismum scit se esse in peccato mortali, & complacet, nec dolet aliquo modo de illo, non autem de fictione impropriè, secuudum quam accedens, esto sit in peccato, dolet tamen; vel quia non putat esse necessariam displicentiam, vel quia se putat esse attritum, cum non sit verè attritus; quia ad tollendam hanc fictionom secundo modo acceptam forte necessaria non est pænitentia vera, ac perfecta, sed sat est attritio; quæ satis erat in accedente ad baptismum.

Scoti interpretatio quadrat Augustino.

70 Atque ita fortasse Paludanus locutus est, dum solam atritionem ratus est esse satis ad fictionem tollendam, vide Recentiores Cabreram, Silium, Nugnum, & alios apud Dianam *resolut.* 14. *de sacramento baptismi*, res enim admodum ad mores attinet, vt ipse protestatur.

Excusatur Paludanus.

71 Atque ita priori petitioni incertæ sub vestibulo capitis fit satis, similiter, & posteriori: Nam quod alii hanc vim dimittendi peccata ante baptismum, baptismo inutiliter suscepto per obicem, charactori tribuerint; reprehenduntur cognita characteris essentia, ad quam peccata remittere nullatenus spectat etiam tanquam instrumento morali, alioquin character ipsemet non esset effectus sacramenti, sed sacramentum efficax; quomodo autem dicatur dispositio ad gratiam vide Scotum in hac 4. d. 6. q. 9. *littera R.*

Confutatio primæ sententiæ.

72 Quod etiam glosator aiebat, inepte aiebat; siquidem, vt egregie monuit Durandus, glosatoris glosa textum destruit; ait enim textus, *quod remoto per confessionem veracem obice fictionis, sacramentum valere incipit baptismi*; ait glosator *per pænitentiam tolli singula peccata tam ante, quam in ipsa susceptione baptismi contracta.* Quomodo enim valere incipit baptismus, si nihil valet, sola valente pœnitentia?

Glosator destruit textum.

73 Gabrielis opinio in superioribus reiecta est per Concilii Tridentini canones statuentes, per baptismum non solum pænam, sed omnem tolli culpam, & quæ Gabriel ex 2. *sent. d.* 31. innuit reprehensione indigent maiori, etenim quamuis de potentia Dei absoluta dimitti queat peccatum absque infusione gratiæ, præcipuè peccatum originale vt late probat Scotus *in* 4. *d.* 1. *quæst.* 6. *littera B.* quia hoc non opponitur formaliter gratiæ; attamen de potentia ordinata, & de facto eodem Scoto præceptore *loco citato littera H.* 15
impossibile est originalem culpam, & aliam quamcumque mortalem absque gratiæ infusione deleri; quod deinde statuit Tridentinum Concilium *sess.* 6. *de Iustificatione* decernens peccatum originale tolli per veram iustificationem, quid sit autem iustificatio, idem Concilium ibi diffinit *summis verbis cap.* 7. *Hanc dispositionem, seu præparationem iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum &c.* Hæc ibi Concilium; vnde Gabrielis opinio fidei principijs minimè quadrat.

Censura opinionis Gabrielis.

74 Si tibi primus Scoti dicendi modus non arrideat, sectare tertium, & argumenti auctoritatem interpretare de valore baptismi circa aditum ad Cæli fores; est enim eius præcipuus effectus, Cælestis Ianuæ patefactio; vnde *Ioannis* 3. in eius institutione Seruator aiebat. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in Regnum Dei &c.* Ablato igitur obice,

Tertii modi approbatio aliqua.

deleta

deletisque per pænitentiam peccatis etiam ante baptismum commissis, secundum hunc dicendi modum, dicitur valorem suum incipere habere baptisma: quatenus tunc incipiunt Cælestes patere pænitenti fores.

95 Atqui hæc de præsenti capite, immò de sacramento baptismi in specie, cætera enim minoris ponderis, & quæ ad baptismi ritus attinent, & quæ ad baptismata Flaminis, & sanguinis pertinent consulenda sunt apud Recentes.

Deo interim datori munerum, & institutori tam salutiferi lauacri honor, & decus per omnem æternitatem.

Amen.

(∴)

FINIS.

DISPVTATIONVM DE BAPTISMO.







TRACTATVS DE SACRAMENTO *CONFIRMATIONIS.*



Melchiades, Papa.

ANtiquissima totius Ecclesiæ consuetudine receptum est; vti immediatè post Baptismi Sacramentum; Sacramentum Confirmationis accederet; inde hoc sensu Melchiades Papa docuit Hispaniæ Episcopos *peculiari epistola cap. 3. Hæc duo baptismi scilicet, & confirmationis sacramenta ita inter se esse coniuncta; vt non nisi morte præueniente possint segregari;* quod ex ipsa plane Apostolorum doctrina, & exemplo constat; dum in Actorum libro super statim baptizatos imposuisse manus leguntur; ac confirmasse: & rite profectò baptismus siquidem est sacramentum intrantium Ecclesiasticum fidelium coetum, confirmatio autem sacramentum est progredientium ad robur fidei, & gratiæ profectum; hinc iure factum est vti subtilissimus Scotus cum sententiarum Magistro post tractationem de Sacramento Baptismi *dist. 6.* completam, de confirmatione *d. hac 7.* disputationes fuerit aggressus, cuius nos declaraturi sententiam eadem, quam in superioribus adhibuimus, vtentes methodo licet breuiori discursu, quam & libenter omissam fecissemus, nisi hoc ipsum sacramentum nostri ordinis, ac muneris esset: primo pertinentia ad quæsitum, an sit; secundo ad quidditatem; tertio ad effectus: post hæc ad suscipientes; postremo ad ministerium inuestigabimus, examinationem nominis omittentes, propterea, quod facile vnusquisque cognouerit non sumi hoc loco confirmationem pro constanti firmitate in bono; sicuti confirmati dicuntur beati, nec pro signo talis confirmationis, nec alio aliquo modo; sed solum pro quadam vnctione, quæ inter sacramenta nouæ legis secundum in ordine obtinet locum.

(✠)



DE EXISTENTIA CONFIRMATIONIS.



CAPVT I.

AN CONFIRMATIO SIT Sacramentum à Christo Domino institutum, & quando.

CAPVT VNICVM.



1 Acramentorum esse ex institutione pendere diximus alias; propterea quæstionem, an sit examinaturi titulum dubitationis apposuimus, institutorem, ac tempus institutionis huius quærentem, in qua nedũ veteres Hæretici ex Vvaldensi, & Nouatiani ex Theodoreto *lib 5. hæret. fabularum*; sed Recentiores etiam Lutherus, ac Caluinus, ipsorumque sectarij sacramentum confirmationis è medio conantur tollere propterea, quod nec vlla illius apparet necessitas; nec vlla illius apud scripturas mentio: Patres enim isti in hoc non recipiunt, sicuti refert Bellarminus *lib. de Conf. per sex cap. sequentia*, hinc Melchiadem Pontificem, quem ceremoniæ huius primum appellant institutorem, nefarij homines innumeris prosequuntur calumnijs.

Hæreticorum, Nouatianorum, Lutheri, et Caluini errores.

Inter Catholicos vero quãuis nulla sit cõtrouersia, an hoc sit nouæ legis sacramentum, cum nouissime, Tridentini Concilii decretis *sess. 7.* sancitum id fuerit; non vna tamen est sententia, an fuerit à Christo Domino immediate institutum. Quidam referente S. Thoma 3 *p. q. 72. art. 1.* ab Apostolis sacramentum hoc immediatè affirmauerunt institutum non vero à Christo; *Alensis 4. p. q. 24. m. 1.* asserit nec à Christo nec ab Apostolis fuisse institutum, cuius sententiæ *d. 7. q. 1. ac 2.* Sanctus Bonauentura subscribit, dicens Christum post Resurrectionem confirmasse quidem apostolos quantum ad effectum dando eis Spiritum sanctum in die Pentecostes, hæc autem confirmatio & sine sacramento, & sine ministro facta fuit; ipsos etiam Apostolos confirmasse fideles credentes sed sine sacramento, deficientibus denique Apostolis ab Ecclesia institutum hoc sacramentum; quando vero, S. Bonauentura non explicat, Alensis vero ait instincto Spiritus sancti in Meldensi Cõcilio fuisse institutum.

Opiniones catholicorum.

2 Catholici etiam ij, qui Christum immediatum sacramenti huius fatentur institutorem de tempore huius institutionis non conueniunt. Quidam institutum putant tunc primo cum *Matthæi* 19. oblati sunt Christo paruuli, quibus super imponens manus, *sinite inquit ad me paruulos venire; ipsorum est enim Regnum Cælorum*. Alii in die Pentecostes existimant factam esse institutionem hanc primo, cum cofirmati sunt apostoli; alii factam esse credunt *Ioan.* 20. cum Christus Discipulis suis dixit *Accipite Spiritum sanctum*, & insufflauit eis, cui sententiæ, subscripsisse Scotum docent Dominus à Soto *d. 7. art. 1.* & Franciscus Suarez *tom. 3. q. 72. disp. 32 sec. 1.* Diuus Thomas sacramentum hoc à Christo vocat institutum non exhibitiue, sed promissiue *Ioan.* 16. *si non abiero paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero mittam eum ad vos.* Legatur Suarezius, & nouam quoque ipsius reperiemus de hac re sententiam, inchoatiue institutionem hanc in nocte cœnæ factam, completiue vero *Ioan.* 20.

aliorum catholicorum placita.

3 Nihil hoc loco necessario adnotandum de Scoti mente iudico. hinc pro resolutione quæsiti. Assero primo, cõfirmationem esse verũ nouæ legis sacramentum: assertio de fide est Sanctorum Patrũ auctoritatibus, & Conciliorum, & Pontificum stabilis effecta decretis, inter Patres enim antiquissimus Dionysius eius meminit *lib de Eccles hierar. cap. 2. ac 4.* Deificum vnguentum illud vocans, quo signantur baptizati, diuinæque generationis sacrosanctam perfectioné, & Clemens Alexandrinus referente Eusebio *lib. 3. Historiarum cap. 17.* historiam refert de adolescente à Ioanne Euangelista vnice dilecto, & Ephesino Episcopo tradito, quem ille, inquit Clemens, baptismi sacramento illuminauit, postea vero Christi sigillo, hoc est confirmationis sacramento obsignauit: illius etiam Cyrillus Hierosolymorum antistes *Cathechesi* 3. Ambrosius *lib. 3. de sacramentis cap. 5.* & Augustinus *pluribus in locis* meminerunt, quorum dicta ex Bellarmino accepta refert Suarez *loco citato*

assertio prima.

Probatur ex Patribus.

citato sect. 1. Conciliorum autem vetustissimum Aurelianense *can.* 3. Meldense *can.* 6. & Terraconense *cap.* 6. sacramentum hoc docent sicuti videre est apud Gratianum *de cons. d.* 5. quæ & si nulla essent, pleniorem fidem, ac apertiorem recentiores Synodus Florentina, ac Tridentina fidem facerent, illa enim in Decreto Eugenii *post baptismum* inquit *secundum sacramentum est confirmatio*. Hæc autem *sess.* 7. *can.* 1. *de confirmatione* anathematizat negantes confirmationem verum esse nouæ legis sacramentum, quod ante etiam *eadem sess. can.* 1. *de sacramentis in genere*, fecerat.

Concilia varia.

4 Adsunt, & Pontificia decreta; Vrbanus enim Papa Christianos docet omnes debere post baptismum confirmari, & Melchiades Hyspaniarum Episcopis scribens præeminentiam sacramentorum baptismi, ac confirmationis examinans *senore*, inquit, *vtrumque magnum esse sacramentum*. Alii quoque hoc idē sanxere Romani Pontifices. quos apud Bellarminum consulite.

Decreta Pontificia.

5 Assero secundo, Christum sacramenti confirmationis immediatum institutorem fuisse. Hanc tradidit Scotus *d.* 7. *q.* 1. *paulo post initium*, & hac tempestate est certissima si quidem sacra Tridentina Synodus statuit *sess.* 7. *can.* 1. *de sacramentis in genere*; omnia nouæ legis sacramenta à Iesu Christo Domino nostro instituta. Antiquiora hac de re fuisse Decreta Moguntiaci, ac Senonensis Concilii refert Suarez, quæ tamen ego in vtroque non reperi.

Assertio 2

6 Assertionem hanc iuxta doctrinam à nobis traditam in disputationib. de sacramentis in genere facilè probare possumus, stante enim ex assertione prima confirmationem verum esse nouæ legis sacramentum, necessariò inferendum est, non nisi à Deo, & Christō fuisse institutum; sacramenta enim nec instituta sunt, sed nec institui à creaturis possunt.

7 Addendum tamen huic assertioni arbitror, institutionis huius tempus neutiquam constare; quod planè tradidit Scotus *loco citato* sub his verbis *supponitur sacramentum hoc a Deo institutum, licet tempus, & modus in scriptura non legatur, forte quia Historiographi scripturam usque ad id temporis non produxerunt, nec est improbabile multa esse tradita auctoritatiue a Christo Ecclesiæ per Apostolos, quæ tamen in scriptura non legimus, hinc Damascenus lib.* 4. *cap.* 4. *docuit traditam esse traditionem hanc nobis quemadmodum oporteat ad orientem adorare Crucem*.

Scoti auctoritas.

8 Hæc Scotus, quibus sanè nil clarius, nec apertius potuit suam aperuisse sententiam, quam sub eadem forma *in reportatis, eadem distinctione, ac quæstione expressit*; vt non possim non mirari Franciscum Suarez, ac Sotum Scoto tribuentes, quod asserat Ioan. 20. *accipite Spiritum sanctum* confirmationem fuisse institutam.

Suarez, & Sotus pro libito Scotum carpunt.

9 Duplici forte fundamento innixi hanc viri isti nostro Doctori tribuisse mihi visi sunt sententiam; primo, quia *in hac quæstione* habet, quod contra formale, & materiale Christus non sic instituit. vt patet Ioan. 20. quando insufflauit, & dedit discipulis Spiritum sanctum, & similiter actorum 2. quando misso Spiritu sancto in linguis igneis confirmabantur: secundo quia *in hoc eodem* 4. *d.* 2. *q.* 1. hæc habet verba *de confirmatione patet institutio Ioan.* 20. *accipite Spiritum sanctum, vel in die Pentecostes actorum* 2. hæc ibi; quæ tamen omnia non cogunt hanc Scoto tribuendam esse sententiam; in primis enim ad id, quod in hac quæstione ponitur dicendum, quod nihil habet roboris: propterea quod alicuius auctoris sententia vti rectè hoc loco Faber monet non ex obiectionibus, quas facit, colligenda est, sed ex determinatione quæstionis, & responsione ad obiecta; atqui dubitationem illam soluit ibi Scotus, ac soluens docet sacramentum hoc certum esse fuisse à Christo institutum; licet tempus, & institutionis modus ignoretur; ex hac igitur solutione desumere debebat Soto, ac Suarez Scoti mentem, non aliunde.

10 Quod etiam *ex secunda distinctione* adducitur nullam vim habet; ex communi enim, & aliorum opinione Scotus *ibi* loquutus est; quod inde patet; quod subdit sacramentū hoc institutū fuisse Ioan. 20 vel actorum 2. nec deest ratio, propter quam dicamus non ex sua, sed ex aliorum *ibi* sententia loquutum fuisse; aliud siquidem erat Doctoris *loco citato* institutum, factum scilicet non tempus, aut modum ostendere, institutionem à Christo factam, non institutionis tempus, quam institutionem obiter attingens *ibi*, vbi proprius de hac loquendi locus non aderat, docet constare hoc sacramentum à Christo institutum siue actorum 2. siue Ioan. 20. quasi dicat: institutio patet; tempus vero ab alijs Ioan. 20. ponitur ab alijs actorum 2. institutionis ergo huius tempus non constat in scriptura de mente Scoti.

Exponitur Scoti mens fusius.

Exponitur Scoti institutum

11 Vbi obserua Scotum numquam absolute dixisse Institutionem hanc non constare, sed non constare ex scriptura; hæc enim duo malè una [illegible] defecuit, vt patet; primum enim secundo latius patet; quod aduocasse volui, nè vel inscitiæ, vel inertiæ redarguere possint nos Recentiores isti nostræ doctrinæ cauillatores; proptereà quod Fabianum non viderit Scotus, nec nos cum ipso viderimus *epist. 2. cap. 1.* asserentem; sicuti refert auctor summæ Conciliorū in decretis Pontificis huius, *In Cæna Domini conficiendum esse Crisma, quia in illa die Dominus Iesus post quam cænauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes, sicuti a sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit.*

Institutionis tempus scriptura non memorat

12 Iam vero institutionis huius tempus ex scriptura non haberi patet; si quis Euangelia, Apostolorum actus, nec non & Epistolas percurrerit, in quibus nihil tale reperimus scriptum; & confirmatur ex aliorum Catholicorum sententiæ reiectione; non fuit enim Matthæi 19. institutum, cum Christus *sinite* inquit *paruulos uenire ad me*; & super illos manus imposuit; quia nulla ibi de hoc Sacramento aut promissio, aut mentio facta, aut præceptum datum, aut materiæ, & formæ designatio; vnde adumbratum ibi potius, quàm institutum verosimilius iudicamus: in die Pentecostes etiam fuerunt confirmati Apostoli non per huius Sacramenti vsum, sed eminentiori, & altiori quodam modo, visibili scilicet spiritus Sancti descensu super eos in igneis linguis: accedit quod nulla tunc materiæ, & formæ facta designatio, propter quam rationem neque Ioan. 2. videtur hoc factum, cui addi potest quod *loco citato* non ad robur, sicuti in hoc Sacramento datur, sed ad potestatem remittendi peccata datus est spiritus Sanctus Apostolis: sicuti modo in ordinatione Sacerdotum fit ab Episcopo. Neque etiam Sancti Thomæ opinio approbanda est, nam Ioan. 16. non huius Sacramenti, sed visibilis spiritus Sancti descensus facta est promissio, si etiam Sacramenti huius promissio facta sit, non adhuc sequitur propositum; nam simplex promissio spiritus Sancti non est Sacramenti huius institutio, cum ad eam materiæ, & formæ requiratur determinatio.

Aliarum sententiarum cribratio

Suarez reiicitur

13 Ipsa quoque Suarez opinio non militat aduersum nos, qui non absolute, sed specificatè dicimus, non colligi ex scriptura institutionem huius Sacramenti; in se etiam viri huius opinio includit aliqua dubia, ait enim complete Sacramentum hoc Ioan. 20. institutum instituendo Apostolos Episcopos; inchoatiuè verò in nocte cænæ, cum tamen cuicumque patere deberet ministri deputationem, non facere ad rei institutionem, sed ad vsum tantum; preterquam quod verisimile est in eadem nocte cœnæ deputatos etiam fuisse Apostolos ministros Sacramenti huius saltem promissiuè, Ioan. vero *citato loco* auctoritate data, & exhibitiuè. Ex his igitur liquet ex scriptura institutionis huius tempus non colligi: quod si resolutè, quid in hac re dicendum sit, quæratur.

In aliquo commendatur opinio Suarezii

14 Amplecten iam iudico Suarezij sententiam quoad aliquid, quo ad scilicet id, quod ait in cœna Domini factam fuisse hanc institutionem; non vero quo ad omnia, quia is inchoatiuè tantum, nos completiuè quoque id factum fuisse credimus, & hoc propter sancti Pontificis Fabiani auctoritatē *paulo ante* à nobis adductam, quod ita esse eo verosimilius redditur, quod in ea nocte nouum Christus condidit testamentum.

Rationes congruentes

15 Porro ratio a priori institutionis huius nulla præterea esse potest, nisi diuina voluntas: à posteriori vero à sancto Melchiade traditur *loco citato* dicente, quod sicuti imperatorum est munus non solum designare militem; sed congruentibus illum armare adiumentis, & competentibus decorare armis; ita Christi muneris erat nedū nos per baptismū Christianæ adoptare militiæ sed & per confirmationem militiæ præstare adiumentum; & sicut Parentes relicturi magnam pupillo facultatem ei statim de tutore prouident, ita in hoc Sacramento renatis fonte baptismatis congruum fuit dari sanctum Consolatorem spiritum, ac Tutorem, in baptismo enim abluimur, per confirmationem roboramur, per baptismum regeneramur ad vitam; per confirmationem confirmamur ad pugnam; ac denique in fonte plenitudinē recipimus ad innocentiam; in confirmatione augmentum præstatur ad gratiam.

16 *Quæ* sanè omnia quamuis per ipsum baptismum fieri potuerint, voluit tamen per hoc Sacramentum præstare Deus, tum vti Sacramentorum multiplicitate, ac sapientissima varietate magis à nobis coleretur, ac custodiretur fides, quam in baptismo recepimus, tum etiam vt magis, ac magis, diuinorum beneficiorum faceret nos esse participes, & ip-

fius

tus magnificentie, donorumque mirabilis appareret varietas. Obiecta contra hucusque tradita videre est apud Bellarminum.

DE QVIDDITATE

Sacramenti Confirmationis.

DISPVTATIO II.



CAPVT I.

17 COnfirmationis Sacramenti quidditatem duplici possumus ex capite venari, nimirè per *Metaphys.* generis, ac differentiæ rationem, & per physicam materiæ, & formæ discussionem. & de primo capite duo essent videnda primū, num confirmatio posset diffiniri: secundū, quę sit eius diffinitio; quoniam vero diximus de hac re fusius in disputatione de Sacramento baptismi & de Sacramentis in genere, quæ omnia proportione huc valent transferri, præcipuè quæ primum petunt quæsitum, inde cæteris omissis, quæ ad rationem Metaphysicam spectāt sacramenti huius diffinitionem solum ponimus.

18 Triplicem apud Franciscum Suarez Tom. 3. *disp.* 33. Confirmationis diffinitionem adinuenio, quarum prima est quod *confirmatio est Sacramentum nouæ legis, quo baptizati in gratia roborantur, & speciali modo spiritum sanctum accipiunt.* Secunda est, quod *confirmatio sit nouæ legis Sacramentum speciale robur gratiæ spiritus sancti significans, & conferens.* Tertia denique, quam videtur ex dictis Magistri sententiarum collegisse: *Confirmatio est unctio chrismatis in fronte signo crucis facto cum præscripta forma verborum.* Harum tamen nulla sufficiens est & adequata huius Sacramenti ratio, cum tertia non sufficienter explicet ea omnia, quæ ad hoc Sacramentum sunt necessaria, actionis.n. simultas cū prolatione verborum, nec minister, nec efficiens exprimitur, prima autē, & secunda nimis generales sunt, non minus Sacramento Euchristiæ quam Confirmationis accomodabiles, illud.n. dat etiā speciale robur, ac Spiritus sancti gratiam. Scoticæ ergo doctrinæ persistentes reuocandum duximus ad memoriam, quod *in disp. de quidditate baptismi* diximus, Sacramenta omnia formaliter relationem dicere in tractatu de eis in genere declaratam, quæ ita se habere dicta est, vt in sensibile fundaretur, quod propter ea sensibilia signa Sacramenta omnia dicantur, hoc autem sensibile in vnoquoq; Sacramento duo includit rē, & verba, unde Eugenianū Florētinæ Synodi extat decretum Sacramenta omnia rebus, ac verbis perfici, de quibus illud potissimum dubitatum est apud Theologos, num res & verba ex æquo fundamentum sint relationis signi, an vero fundamentum sit res, uerba vero concomitantia tantum, & conditiones necessario requisitæ: sententiam vtramque probabilem etiam docuimus ibi, & quidem secundum posteriorem opinandi modum locutus *hac disp. 7.* Scotus confirmationem diffinit dicens. *Confirmatio, seu sacramentum confirmationis est unctio hominis uiatoris aliqualiter consentientis uel libero arbitrio numquam usi facta in fronte in figura Crucis cum crismate sanctificato, & hoc a ministro idoneo, simul cum intentione debita inungente. & uerba certa proferente, significans efficaciter ex institutione diuina unctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendum cum fiducia uerbum. & cum constantia fidem Christi*, quam diffinitionem, & in Reportatis *d. & q. eadem repetiit*: exactius tamen Scoti mentē qui d. 7. ex communi sententia forte loquens rationem illam posuit, exactius, inquam, mentem ipsius indigantes veritati videbimur accessisse magis, si priori adherentes sententiæ ponenti ex æquo rem & verba fundamentum relationis sacramenti cum Bassolio Scotistarum longe clarissimo dixerimus; hinc potiorem esse sacramenti Confirmationis diffinitionem conformiter ad ea quæ tradidit de baptismo Scotus. *Confirmatio est sacramentum nouæ legis consistens in unctione hominis uiatoris aliqualiter consentientis, uel libero arbitrio nunquam usi facta in fronte, in figura Crucis cum Chrismate sanctificato a ministro idoneo simul cum intentione debita inungente. & uerba certa proferente significans efficaciter ex institutione diuina unctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendum cum constantia fidem Christi.*

19 Quæ diffinitio non differt à prima circa positionem, ac assignationem necessariò requisitorum ad confirmationem:

Suarez diffinitiones uaria

Reiiciuntur

Obseruatio necessaria

Diffinitio Scotica

Alia diffinitio Bassolii, quæ placet anctori

sed

sed solum in eo, quod vna ponit fundamentum relationis rem, verba verò circumstantias, ac conditiones, altera verò probabilior rem, & verba ex æquo.

20 Porrò ex discursu nostrarum disputationum patebit diffinitionis huius declaratio, in ea enim ponitur genus, quod est *sacramentum nouæ legis*, cum loquemur de materia, patebit quod sit *unctio*, & *chrisma*, cum de ministro, quis idoneus, cum de effectu quid sig nificet, intentio auté, ac simultas actionis cum prolatione verborum declarata est aliàs, cum de forma, patebunt verba debita: difficultates autem, siquæ sunt, quas proportionaliter à baptismo ad confirmationem adduceret Sotus, ac Gulielmus de Rubione, solutæ sunt in citata disputatione de Baptismo.

Diffinitio proposita declaratur

DE MATERIA, ET FORMA

Confirmationis.

CAPVT. II.



21 QVo sensu accipiamus hoc loco materiam, & formam, vlteriori declaratione non indiget, cum de hac re alibi fuerit sermo, non enim propriè, sed methaphoricè secundum communem loquendi modum materiæ, ac formæ nomen accipitur, prout res materia, verba verò rationem formæ subeunt, his determinantis, & actualis magis, potentialis illis, ac determinabilis rationem præseferentibus, vt non immerito docuerit Augustinus, verbo accedente ad elementum fieri sacramentum.

Titulus explicitur.

22 Hanc autem materiam, de qua loquimur, duplicem in hoc sacramento, non secus ac in alijs, imaginamur, quorum remotam vnam, alteram proximam vocant: & de proxima quidem quæro vtrum, nũ .s. proxima hæc materia sacramenti huius sit vnctio sola absque manus impositione.

23 Præter Vnctionem, impositionem quæ manus proximam esse sacramenti huius materiam, suadetur ex Apostolicis gestis, actorum enim 8. 9. & 11. leguntur Apostoli sola manus impositione confirmasse, & sacramentum hoc administrasse absque vlla vnctione, & chrismatis vsu, vnctionem ergo, vel non essentialem sacramenti huius materiam, vel saltem non esse solam, sed manus, cum illa impositionem, inde deducitur. Et confirmatur ex Patribus, qui hanc confirmandi rationem per impositionem manus post Apostolorum tempora fuisse seruatã, sũt hinc antiquissimus Tertullianus *lib. de resurrectione carnis cap. 8. Caro manus impositione adumbratur, vt anima spiritu illuminetur, & lib. de baptismo cap 8. dehinc manus imponitur per benedictionem aduocans, & inuitans Spiritum sanctum.*

Aduersa opinio.

24 In oppositum dicendũ est proximam sacramenti huius materiam esse vnctionem factam ex chrismate, ita docet Florentinum Concilium in Decreto Eugenij addens vnctionem hanc dari in Ecclesia loco manus impositionis factæ olim in primitiua Ecclesiæ ab Apostolis: hoc etiam indicant Patres omnes sacramentum hoc vnctionem vocantes, vti est Dionysius *supra citatus*, & Augustinus *tract. 118. in Ioan.* & ratione confirmatur. Generalis est sacramentorum, quæ in vsu cõsistũt, regula: vt materiam proximam eam habeant, quæ est actualis vsus materiæ remotæ circa suscipientem, inde proxima sacramenti baptismi materia est aquæ vsus, hoc est ablutio; extremæ vnctionis olei vsus hoc est vnctio, & sic de singulis: atqui sacramentum confirmationis, vt patet, in vsu consistit, & materia eius remota est chrisma, vt patebit, actualis ergo chrismatis vsus circa suscipientem proxima erit sacramenti huius materia: quod sanè nihil præterea est, nisi ipsa inunctio.

Sententia verior.

Eiusque probatio.

25 Impositionem autem manus aliam ab hac inunctione nõ esse talem materiam, probatur etiam breuiter. Illa est remota materia proxima alicuius sacramenti, in quam proximè forma cadit, sed forma in hoc sacramẽto nõ in impositioné manus, sed in vnctionem cadit, ergo impositio manus non est hæc proxima materia: minor ex discursu nostræ disputationis patebit: maior est clara inductione in alijs sacramentis; super ablutionem enim in baptismo proximè baptismalis forma verborum cadit.

26 Adducta in oppositum ratio pul hes

rimę difficultatis nodũ nobis exhibet explicandũ; Apostolicũ videlicet sactũque modo in primitiua Ecclesia cõfirmabãt.

Circa quam difficultatem non vna omnium extat Scholasticorum opinio, concorsque sensus. Alensis 4. *p. q.* 24. *memb.* 1. quem sequitur Sanctus Bonauentura *d.* 7. *q.* 1. non nisi impositione manus vsos censent *Apostolos* absque alia chrismatis, aut olei inunctione, quorum ea communis est ratio, parque fundamentum, quod nondum sacramentũ hoc erat institutum; sed speciali modo Spiritus sanctus dabatur per impositionem manus; in vno tamen præfati authores discrepant; quod *S.* Bonauentura sensit deficientibus *Apostolis*, qui *Ecclesiæ* bases erant istitutam esse sacramenti huius formam, ac perinde asserere videtur non nisi Christum, & apostolos per impositionem manus solam confirmasse, Alensis verò cum non nisi in *Meldensi* Concilio sacramentum confirmationis arbitretur fuisse institutum, dicere tenetur nedum *Apostolos*, sed & succedentes per tempora *Episcopos* ad Meldense vsque Concilium per impositionem manus dedisse Spiritum sanctum.

Opinio Alensis, & S.Bonauenturæ.

27 Opinionem huic extremè contrariam amplectitur Cardinalis Bellarminus *lib. de confirmatione cap.*9. Brentij obiectiones dissoluens, sequutus, vt inquit, Vualdensem *2.tom de sacramentis cap.*113. asserendo nullum apostolorum, nec Sanctorũ (vno excepto Christo sanctorum, & Apostolorum capite) alio modo dedisse Spiritum sanctum ab eo, quo datur in confirmatione per impositionem manus; nec vnquam aliam manus ad hoc adhibuisse impositionem, præter eam, quæ in ipsa vnctione includitur.

Opinio Bellarmini, & Vualdensis.

28 Hæc opinio probatur primo; nam Apostolos in confirmatione chrismate esse vsos, constat ex Patribus Dionysio *Areopagita*, & Clemente: vnctionis etiam meminerunt antiquissimi Auctores Theophilus *Antiochenus*, Tertullianus, Origenes, & alij, ante quos nullum fuit Oecumenicum Concilium, in quo id institui potuerit: constat etiam tutius esse, & expeditius defendere Apostolos eadem semper materia, ac forma vsos, quam modo vna, modo altera, si ergo ex Euangelistis colligere possumus chrismate vsos Apostolos, ad quid asserere manuum impositiones tantum? Colligi autem posse ex Euangelistis hoc patet, nam sancti Patres ita confundunt hæc duo vnctionem, ac impositionem manus, vt idem omnino per hæc astruant, dicere ergo possumus Lucam, & alios Euangelistas per impositionem manus circumscripsisse vnctionem quasi ex vna parte vniuersum significantes ritum.

Superioris opinionis probatio multiplex.

29 Præterea: quando Patres dicunt Episcopos per vnctionem crismatis dare Spiritum sanctum, semper allegant verba Lucæ actor. 8. vel ergo ibi apostoli manus imponendo vngebant, aut isti Patres omnes male argumentantur. Tandem scriptura sæpè solet breuissimè aliquid comprehendere; & tamen necesse est plura intelligere, actorum enim octauo Eunuchus Candacis Reginæ profitens fidem ait *credo filium Dei esse Iesum Christum*; cum tamen verisimile sit de alijs fuisse à Philippo instructum; similiter *ibi. & cap.*19. refert Lucas apostolos baptizasse in nomine Christi, cũ tamen in nomine Patris, & *Filij*, & Spiritu sancti baptizauerint; at Lucas rem sciens esse necessariam; id quasi per compendium dicere maluit; hoc idem possumus dicere in proposito; hæc sunt viri huius opinio, & opinionis argumenta, quam satis piam, ac probabilem indicant Suarez, ac Faber.

confirmatio sententiæ prædictæ

30 Tertia sententia quasi inter vtramq; media est, Apostolos nonnunquam ex dispensatione effectum sacramenti huius dedisse per solam impositionem manuum absque vlla chrismatis inunctione; nonnunquam verò sacramentum hoc in congruente materia, ac forma exhibuisse; quæ sententia bifariam intelligi potest; primo per personas, non per tempora; secundo per tempora, non per personas; qui eam secundum persona substinent, asserunt Apostolos aliquibus per vnctionem, aliquibus per impositionem manuum spiritum dedisse sanctum Paraclitum; Gentilibus quidem visibiliter; Iudæis autem sine sensibili effectu, ita Recentiores nonnulli, quorum placitum inde probare possumus, quod 1. Corinth. *cap.* 4. docet Paulus signa non fidelibus, sed infidelibus data fuisse: qui verò sententiam hanc per tempora considerant, asserunt in ipso apostolicæ Prædicationis initio sub signo visibili per impositionem manuũ sanctum Spritum datum fuisse; dehinc verò viuentibus forte ad huc apostolis per vnctionem sine effectu sensibili, ac visibili, ita Doctor subtilis Scotus *in q.* 1.*d.*7. & S.Thomas 3.*p.q.*72.*art.*2.

Tertia opinio S. Thomæ, & Scoti.

31 Ego hac in re dicendum arbitror primo, apostolos in primitiua Ecclesia per solam manuum impositionem aliquando esse

Dictum primum auctoris.

do esse

do effectum sacramenti huius dedisse. Dictum hoc est contra secundam sententiam, estque primæ, ac tertiæ sententiæ commune, deberetque hac tempestate ita esse certum, vti nulla de eo apud Theologum remanere debeat dubitatio, traditur enim apertissime in Prouinciali Coloniensi Concilio centum fere ab hinc annis habito, in doctrina de hoc sacramento per hæc verba *Vis scire, cur neque Christus Apostolos, neque Apostoli in primis Ecclesiæ primordiis populos confirmandos chrismate unxisse legantur &c.* & paucis interiectis de effectu sacramenti huius *spiritus, inquit, sanctus signo visibili descendit in confirmatos, quod per impositionem manuum Apostolorum in primis illis Ecclesiæ crescendis factum legimus.* Hæc ibi. Cui simile testimonium habetur in Florentina Synodo in Decreto Eugenij per hæc verba *loco autem illius manuum impositionis datur in Ecclesia confirmatio.*

Verba concilij Coloniensis.

31 At respondet auctoritati Florentini Concilij Bellarminus primo, non omnia, quæ habentur in Concilijs ad fidem pertinere; sed solum ea, quæ diffiniuntur: verba autem hæc non diffinitiuè, sed obiter dicta sunt: secundo, Concilium non velle dicere chrisma esse loco impositionis manuum, quasi Apostoli non vterentur chrismate, sed velle dicere, idipsum, quod Apostoli faciebant, cum dicebantur imponere manus, facere nunc Episcopos, cum dicuntur confirmare; distinguitur enim in Concilio non ritus à ritu, sed modus loquendi à modo loquendi; & quod hic sit Concilij sensus, probatur; quia Concilium non dicit chrisma esse loco impositionis manuum, sed sacramentum confirmationis esse loco impositionis manuum, at certè Apostoli omnium consensu dabant sacramentum confirmationis.

Responsio Bellarmini

32 Hæc tamen responsio pace tanti viri dixerim, decidit; nam quod primo ait, dubium patitur quæcumque enim in decreto Eugenij habentur determinatiue dicta esse videntur propterea quod orthodoxæ fidei veritas Decreto eo tamquam breui quodam compendio sacro approbante Concilio traditur Armenijs, quos vnieus Ecclesiæ Catholicæ Pontifex catholica debuit imbuisse doctrina, esto etiam verba illa non determinando dicta fuerint, ac propterea scrupulum erroris aperti responsio euadat; certè cum detur à Concilio opinionem nostram satis reddunt tutam; oppositam verò non satis certam; secunda similiter responsio apertum argumenti petit subterfugium, dum gratis loquitur; satis enim aperte patet Concilij locum intuenti de ritu sibi non de loquendi modo disserere, dum ritum traditionis Spiritus sancti, & confirmationis excernens ministros idoneos dicit Episcopos, quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem gerunt Episcopi, quod per manus impositionem Spiritum sanctum dabāt; cuius impositionis manuum loco datur in Ecclesia confirmatio.

Reijcitur.

Verba concilij Florentini.

33 Quibus planè constat, non de loquendi modo, sed de ritu locutum ibi fuisse Concilium; nec ratio pro Cardinale Bellarmino adducta valet quippiam, concedimus siquidem non dicere Conciliū chrisma esse loco impositionis manuum sed confirmationē esse loco talis impositionis, at certe Apostolos per impositionem illam manuum sacramentum confirmationis quo ad substantiam dedisse omnino negamus quod sane innuit Scotus *d. 7 q.* 1. dū ait sine materia, & forma cōfirmasse Apostolos. & apertè fatetur S Bonauentura *loco citato*, & Alensis, & S. Thomas *loco citato*, in solutione primi principalis; vt videre non possim, quorū nam sic communis iste assensus, datum tunc ab Apostolis confirmationis sacramentum à Bellarmino citatus; effectum enim in impositione illa manuum Apostolorum, sacramenti huius, vt puta Spiritum sanctum datum fuisse gratis ex Apostolicis actis concedunt citati authores omnes; sacramentum autem exhibitum negāt; quod communi sensu rebus, ac verbis constare dictum est; quæ quidem omnia etiam si nulla essent, profectò ita plana est Coloniensis Concilij doctrina vt nulli ab ipso viro possit ei glosa accommodari. Præter hæc Conciliorum testimonia fidem clarissimam dicto faciunt verba actorum 8. 9. & 11. simpliciter vt iacent intellecta, quibus per manus impositionem datum esse Spiritum sanctum credentibus Euangelista nos docet; quibus certè minus rectè valet Bellarmini, ac Valdensis glosa accommodari per manus impositionem circumscriptam fuisse vnctionem cum propriè vngere non sit manus super imponere, nisi forte dixerint ambo infulsse, vnctionem scilicet, & impositionem manus, & per vnum innui alterum ritum; quod tamen stare non potest, defecisset enim in enarratione Euangelista, dum tanti sacramenti faciens mentionē principaliora omiserit, accidentia retulerit.

Responsio Bellarmini.

Confutatur.

Glosa Valdensis uana.

Factum

34 Factum ostendimus facti modo rationem ostendamus, & à priori quidē alia ratio à diuina voluntate assignari nequit, quæ sicut potentiam suam sacramentis non alligauit, ita voluit effectū sacramenti huius per manuū impositionem Apostolorum dari. Congruentia verò, & à posteriori pulcherrima est ratio illa, quam adductum Coloniense Cōciliū affert per hæc verba *vis scire cur neque Christus Apostolos, neque Apostoli in primis Ecclesiæ primordiis populos confirmandos chrismate vnxisse leguntur, animaduerte chrismatis exterioris vnctione (quæ denotaret inuisibilem Spiritus sancti vnctionem) tantisper non fuisse opus, quantisper Spiritus sanctus signo visibili descendit in confirmatos, quod per impositionem manuum Apostolorum in primis illis Ecclesiæ crepundiis factum legimus; postea vero dilata Ecclesia Dei cum signo illo visibili diuersitatis linguarum opus non esset amplius à Spiritu sancto roborandi, ac confirmandi chrismate sunt inuncti, vt & ipsi externo signo admonerentur, excitarenturque ad interioris mysterii fidem, & contemplationem.* Hactenus Concilium, quod congruentiam adducit ex eo, quod in primitiua Ecclesia sensibilia aliqua dabantur signa; puta communiter Spiritus sancti descensus super confirmatos, & donum linguarum, quibus cessantibus miraculis ad dilationem Ecclesiæ datis, Ecclesia dilatata, ministri materiam, & formam adhibere debebant; quam congruentiam trecentis fermè ante hoc concilium annis perspicacissimus Scotus vidit, & in hac *d.7.q.1* adduxit.

Ratio à priori

Verba Concilij Coloniensis.

35 Dicendum secundo, dispensatione cessante in propria materia, & forma Apostolos hoc confirmationis sacramentum exhibuisse. Dictum hoc explicitè non habet Scotus; conformiter tamen ad sua principia non negaret illud, ratione namque dispensationis cessante, dispensatio cessare dicenda est, atqui ante Apostolorum mortem ratio dispensationis factæ Apostolis, qua possent dare Spiritum sanctum, ac dona linguarū sensibiliter cessauit & hæc est vt innuit idem Scotus, & Coloniense citatum concilium dispensationis ratio; ante igitur Apostolorum mortem in propria materia debuerant hoc sacramentum ministrasse. Huic etiam dicto certam adeo adhibendam arbitror esse fidem, vt nefas de eo putauerim dubitare, hoc enim à Sancto Pontifice Fabiano edocemur in sua secunda ad episcopos orientales epistola dum ait, *singulis annis in noctis cœna conficiendum esse chrisma, ita enim à sanctis Apostolis, & successoribus eorum accepimus vobisque tenenda mandamus. Hæc sancta Romana ecclesia, & Antiochena à tempore apostolorum custodit, hæc Ierosolymorum, & ephesiana ecclesiarum tenet, in quibus apostoli præsidentes hæc docuerunt, & vetus chrisma incendi, & non amplius, quam vno anno eo permiserunt.* Hæc ille quibus plane à tempore apostolorum in vsu fuisse sacramenti huius in propria materia, quæ chrisma est, administrationem innuit.

Assertio 2.

Probatio 1.

Fabiani auctoritas

Nec congruentiæ fortasse deerunt. Primo namque præcipuam rationem, seu congruentiam, qua dicamus Apostolos per solam impositionem manus dedisse sacramenti huius effectum ex dispensatione desumimus ad dilationem Ecclesiæ, dispensatio autem illa ex causa facta fuit, ergo causa dispensationis cessante, dispensatio quoque cessasse debuit. Secundo, quia congruentius est dicere in illis Ecclesiæ primordiis non semper toto tempore Apostolos dispensationibus, ac priuilegiis fuisse vsos circa sacramentorum administrationem præcipuè perpetuo in ecclesia duraturam.

Congruentia prima.

Secunda.

36 Addiderim tamen dicto huic, dispensationem hanc non per personas, sed per tempora esse sumendam, ita ut nō sic imaginer Apostolos se habuisse, vti Hebræis in propria materia sacramentū hoc dederint, Gentilibus vero effectum tantum sacramenti huius in signis visibilibus, sed indifferenter tam his, quam illis in initio ecclesiæ per impositionem manus Spiritum sanctum fuisse datum. Hoc contra Ledesmam, ac Recentiores nonnullos adiecimus, quorum opinio non satis est tuta, Iudæi enim erant ferè omnes, qui in die Pentecostes erant in cœnaculo Ierosolymis, & tamen visibili omnes Spiritus sancti descensu in linguis igneis sunt confirmati. Præterea, visibiliter Spiritum sanctum cum donis linguarum Gentilibus non fuisse datum ante Cornelium acta Apostolorū testantur, vnde cap.10 obstupuisse ex circumcisione fideles leguntur, qui cū Petro Cæsaream ingressi fuerant, quod & in nationes Spiritus sancti gratia diffusa est, sed ante Cornelii factum per impositionem manus Apostoli Spiritū sanctum dederunt, hinc *cap 8.* actorum missi sunt Petrus, & Ioannes Samariam, qui manus imponentes Spiritum sanctū credentibus dederunt, & actorum 2. monet Petrus turbas vti pœnitentiam

Admonitio necessaria ad captum eorum quæ dicta sunt.

agerent, ac baptizarentur, vt acciperet Donum Spiritus sancti, non ergo verum est, quod hi auctores dicunt Iudæis aliquibus per sacramentum, gentibus autem per impositionem manus datũ Spiritum sanctum fuisse. Hæc pro quanto dixisse probabilius est visum, hinc siquis hanc sectari velit sententiam facile ad aliorum obiecta Respondebit, & in primis.

Solutio fundamenti primæ sent.

37 Prioris sententiæ fundamentum falsum esse omnino superiori quæstione est ostensum, dum Christum sacramenti huius, sicut & aliorum institutorem immediatum Conciliorum, ac Patrum sensu, nec non & rationibus demonstrauimus. Quæcunque etiam pro secunda sententia obiiciuntur friuola sunt omnino. Patrum namque authoritas nostro posteriori dicto fauet, non enim illi dicunt semper Apostolos chrismate vsos, sed absolute chrismate vsos sicuti in sua epistola Fabianus fecit, at multum refert hoc, vel illud dicere, vnum enim alio patet latius, hinc ex hac propositione, Apostoli sunt chrismate vsi, deducere hanc ergo Apostoli sunt sēper chrismate vsi, non est logice discurrere, à maiori namque affirmatiuè ad minus consequentia nulla est.

Solutio 1. rationis 2. sent.

Solutio 2.

38 Ad secundam, primo argumentatio supponit asserere nos Apostolos in exhibitione effectus sacramenti huius vna aliquando, interdum altera materia fuisse vsos, quod plane falsum est, neque enim manus impositionem illam materiam sacramēti huius imaginamur, sed nec per eam sacramentum hoc confirmationis quo ad substantiam datum, licet bene quo ad effectum, & hoc ex particulari Dei dispensatione facta, vt per visibilia signa, ac miracula ad Ecclesiæ dilationem data cessaret paulisper exterioris chrismatis vnctionis necessitas. Accedit quod nec verum est, quod in argumento assumitur tutius esse defendere Apostolos semper vna, quam modo vna, modo altera in sacramenti alicuius administratione materia fuisse vsos, si enim dispensatio fiat, oppositum constat esse verius de forma baptismi, qua in re diximus suo loco Apostolos aliquando in nomine Trinitatis, aliquando in nomine Christi in illo Ecclesiæ principio baptizasse, quod etsi nos ibi sectati non sumus, non esse tamē omnino improbabile ostensũ est, denique dubium est in eadem argumentatione aliud, quod assumitur, nimirũ ex scriptura facile colligi posse, apostolos chrismate semper vsos, propterea quod sancti Patres ita hæc duo, vnctionem chrismatis, & impositionem manus confundant, vt idem per ea omnino astruāt, licet enim idem per vtrumque significetur effectus dictus, non tamen ea vnquam fuit sanctorum Patrum intentio, vt simpliciter impositionem manuum sacramentum dicerent; sed dum hoc innuere videntur, sicut in sua epistola tertia Eusebius Pontifex fecit, dicens manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum esse, &c. sano sensu declarandum est, sicuti Florentina synodus innuit, vbi innuant Patres confirmationis sacramentum, in cuius administratione, & superimpositio manus intercadit, magnum, ac venerabile esse, & certe per hanc impositionem manus vnctionem circumscribere, improprie loqui est, nec non in enarratione hystoriæ actorum defecisset Lucas, dum per accidentia vellet essentiale sacramenti intelligi.

39 Ad tertiam, bonam esse dicimus sanctorum argumentationem; quia ij effectum, nō sacramentum respexerunt, vel quia vt Concilium Florentinum docet solis apostolis hoc concessum legimus, quod per impositionem manuum Spiritum sanctum dederint act. 8. modo autem loco impositionis illius manuum cū citatur Ecclesia, sequitur non nisi Episcopis apostolorum successoribus Deificam hanc vnctionem dare licere.

Solutio tertiæ.

40 Vltima ratio possibilitatem forte probat non actum, sicuti enim alibi scriptura breuiter vnum dicit, aliud dat intelligi: ita potuit eo loci actorum fieri, non vero actum, quia simpliciter locutum fuisse Euangelistam ibi, & Concilia citata, & rationes adductæ suaserunt.

Occurritur Recentioribus.

41 Recentiorum opinionem distinctionē nostræ opinionis per personas facientem hucusque confutauimus: nec ratio pro illa adducta nos vrget; quia visibilis ille Spiritus sancti descensus, cæteraque mirabilia signa non propter ipsos dabantur, quibus exhibebantur, sed ad dilationem ecclesiæ, ad hoc, vt infidelis Synagoga, & ritus gentilitatis agnoscerent vere fidei lumen, vnde simpliciter desidere possumus & indifferēter gētilibus, ac Hebræis in primitiua ecclesia visibiliter Spiritū sanctū cū donis linguarū datū per impositionē manus apostolorū & asserere signa data infidelib. nō fidelibus cū apostolo Paulo 1. Cor. cap. 4. Hæc

de

de materia sacramenti huius proxima, nunc ad remotam descendamus quærentes.

NVM OLEVM BALSAMO

admixtum sit sacramenti huius materia.



CAPVT II.



Cardinalis Aureoli relatio.

41 REfert hoc loco Petrus Cardinalis Aureolus Canonistarum quorundam sententiam asserentium, oleum balsamo admixtum, & chrisma non esse necessario materiam sacramenti huius: ita Brucardus, & alij ab ipso relati, quorum fundamentum illud idem est, quod pro Alense, ac S. Bonauentura præcedenti quæsito adduximus, quia scilicet, quod in tali materia fieret sacramentum confirmationis, non fuit traditum à Christo, nec ab Apostolis præceptum obseruari; sed statutum fuit in antiquis Concilijs; talia autem auctoritate Papæ, qui supra Concilium est immutari possunt; horum sententiam moderatur is Author Cardinalis dicens, necessaria in duplici se habere discrimine, quædam enim sunt ita ad aliquid necessaria, vt ijs corruptis necesse sit corrumpi alia: ita cor in homine, quædam sunt necessaria ad bene esse tantum, sicuti manus in homine; modo in proposito chrisma posteriori modo est materia sacramenti huius, non priori: ita vt si in confirmatione non adhibeatur chrisma, sit quidem sacramentum, non tamen integrum, & sic declaratam sententiam is Author *loco citato* sequitur.

Et doctrina.

Opinio Caietani.

43 Caietanus & ipse Cardinalis 3. *p.q.* 72. *art.* 1. oleum solum de essentia sacramenti huius esse imaginatur, balsamum autem admixtum non esse de necessitate sacramenti, sed solum de necessitate præcepti.

Ipsum imitati sunt in hoc Recentiores Thomistæ Victoria, Ledesmus, & Sotus, licet diuersis principijs: Caietanus enim putat à Christo non fuisse institutum sacramentum hoc in chrismate propriè dicto, quod ex oleo, & balsamo conficitur, sed ex oleo tantum; Sotus autem fatetur Christum instituisse sacramentum hoc in chrismate propriè dicto; subdit tamen Christum non instituisse in oleo, & balsamo absolutè, sed solum quando haberi possit balsamum.

Victoria, Ledesmus, Sotus.

44 Porro eum præfatis auctoribus iuxerunt postmodum Recentes, Zanardus *in direct. Theol. p.p. de hoc sacram.* Viualdus *in suo Candelabro*, Noster Angles *in floribus 4. sent. de hoc sacram.* & alij.

Zanardus Viualdus Angles.

Recepta nihilominus communiter opinio, quam Recentiores sequuntur omnes, sustinet oleum, & balsamū esse de necessitate sacramenti huius ex parte materiæ. Pro cuius declaratione adnotandum, quod cum quærimus hoc loco, num oleum balsamo admixtum sit materia sacramenti confirmationis; non sumimus oleum in ea lata significatione, qua commune est oliuarum, nucum, & amigdalorum succis, sed propriè sumimus oleum pro oleo oliuarum, quod propriè dicitur oleum, succi enim amigdalorum, et nucum non sunt propriè oleum, quia non naturaliter, sed artificiate elaborantur, modo sicuti in materia de quidditate baptismi diximus artificialem aquam non esse sacramenti illius idoneam materiam, ita planè hoc loco dicendum artificiales succos tales non esse idoneam confirmationis materiam; sed oleum naturale tantum, quamuis autem triplex sit sancti huius olei acceptio: prima pro eo, quod & chrisma dicitur ex admixto balsamo coalescens in coena Domini benedictum; secūda pro oleo cathecumenorum, quod est simplex oleum ab Episcopo benedictum; tertia pro oleo infirmorum, quod etiam est simplex oleum ab Episcopo benedictum, quo vnguntur extremè laborantes infirmi, si quandoque Patres absolutè vocent materiam sacramenti confirmationis oleum, hoc nonnisi secundum primam acceptionem verum erit, prout idem est, quod chrisma, quod quidem nomen Græcum *a chrio* verbo deductum, licet simpliciter latinè redditum vnguentum in genere sonet non secus, ac verbum *crio* significat vngo, ecclesiastico tamen vsu factum est,

Obseruatio necessaria.

Oleum quoddam nerum, quoddam artificiale.

vt solum ad significandum id, quod ex oleo, & balsamo componitur, sit accommodatum, vti docet ad longum Innocentius Tertius *de sacra unctione lib 1: decretalium tit. 15.*

Assertum primum eiusque probatio ex Conciliis.

45 His præsuppositis dico primo, quod materia simpliciter necessaria sacramenti confirmationis est chrisma. Dictum hoc est Scoti *d. 7. q. 1.* in quo Catholici omnes conuenire debent; traditur enim à Florentina synodo per hæc verba *secundum sacramentum est confirmatio, cuius materia est chrisma*; innuiturque à Tridentina *sess. 7. can. 2. de confirm. si quis dixerit iniurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt, anathema sit*, & Coloniense Concilium in doctrina de hoc sacramento *materia*, inquit *sacramenti huius est chrisma.* Cuius rationē à priori ab institutione diuina desumere possumus, quia scilicet ita Christo instituenti visum est, quod vero in hac materia institutio hæc facta fuerit licet scriptura nō memoret vnanimi tamen Pontificū Conciliorū, ac Patrum assensu probatur; sicuti videre est apud Bellarminum *lib. 2. de confirmatione cap. 4. 5. & 6.* quorum auctoritates in re parum scolastico Theologo proficua apud ipsum legendas omitto; satis vna sit Pontificis Fabiani decretalis epistola 2. ad Orientales Episcopos edocens in nocte cœnæ renouandum chrisma; quia tunc fuisse à Christo institutum à Prædecessoribus suis, & à sanctis Apostolis acceperat; immò antiqui Patres ob materiæ huius excellentiam consueuere aliquando sacramentum totum chrisma appellare, vel chrismatis sacramentum, quam sane de chrismate doctrinam à Christo emanasse docet epistola citata Fabianus; quam Fabiani sententiam fusè prosequitur Romanus Cathechismus de hoc sacramento locutus *pag. 226.*

Secundum assertum.

46 Assero 2. materiam confirmationis necessariam ex institutione diuina non esse oleum solū; sed oleū balsamo admixtum. Hæc assertio communis esset secundæ, ac tertiæ sententiæ; nisi particulam illam ex institutione diuina haberet adiunctam. & probatur ex præcitata Fabiani Epistola decretali. Christus in nocte cœnæ confecit, ac instituit chrisma; ergo ex institutione diuina materia sacramenti huius nedum oleum simplex, sed balsamum ei admixtum erit: probo consequentiam; nam chrisma vt admonet Innocentius Tertius *de sacra unctione*, ex Ecclesiastica accommodatione oleum balsamo admixtum significat.

Probatur ex auctoritate Fabiani PP. & Innocentii

Diceret forsan pro Soto aliquis hac argumentatione conuictus, Christum vtique sic instituisse, sed non absolute, cum conditione tantum, quandocumque s. haberi balsamum posset; hoc tamen gratis est dictum, & ad difficultatem effugiendam adinuentum, præterquam quod enim diuina potentia non necessitabatur ad instituendum sacramentum hoc in incerta materia, non parum etiā maiestati tanti sacramenti derogatur si materiam ita dubiam haberet.

Concilium Florentinum.

47 Præterea Concilium Florentinum in hunc fere modum de hoc sacramento loquitur *secundum sacramentum est confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo, quod odorem significat bonæ famæ per Episcopum benedicto:* Hæc ibi, cui planè Concilii auctoritati minus rectè accōmodari valet Aduersariorū responsio intelligendum esse de necessitate præcepti Concilium, non vero de necessitate sacramenti; quandoquidem in absoluta locutione satis indicatur semper in eodē loco, in eademq; re eodē modo Conciliū fuisse locutū, tria autē enumerat ibi de necessitate circa materiam sacramenti huius Concilium, oleum balsamum, & benedictionem Episcopalem; at primum, & tertium sunt de necessitate sacramenti, vt ipsi quoque fatentur, ergo secundum; nec ratio vlla suadet cur oleum, & benedictio simpliciter, balsamum verò ex præcepto solum sit necessarium. Porrò Florentinam Synodum Coloniensis imitata, *materia*, inquit, *sacramenti huius est chrisma, quod ex oleo oliuæ & balsamo componitur.*

Concilium Coloniense.

48 Tertio principaliter. Illa materia est de necessitate sacramenti, quæ facit veritatem in forma, efficitque, vt forma illius sacramenti non sit falsa, sed ad hoc, vt vera sit forma sacramenti huius requiritur ex parte materiæ balsamum cum oleo; balsamum igitur cum oleo est de necessitate sacramenti, non verò præcepti materia confirmationis: Maior clara est, quia veritas formæ est de essentia sacramenti; similiter & quodcumque efficit illam esse veram, hinc diximus nos in disputatione de quidditate baptismi vnum non posse abluere altero verba proferente; quia requiritur veritas in forma. Minor probatur; quia forma sacramenti huius, de qua infra est, *signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti;* in qua forma exprimitur chrisma, quod secundū Fabiani, ac

Probatur ratione.

Inno-

Innocentij Pontificales decretales litteras oleum balsamo admixtū significat.

49 Et confirmatur ex Patribus, inter quos antiquissimus Dionysius *de Eccles. hierar. cap.* 4. sacramenti huius faciens mentionem ipsum sacramentum vocat vnguentum, cuius perfectio eum, qui initiatus est suauitate odoris fragrantem facit: quibus innuit admiscendum esse balsamum, quod fragrantissimum est, quod ex institutione Christi factum esse plane constat circa finem capitis illius quarti. Citatur à Recentibus Cyprianus, sed perperam. Sed num de necessitate materiæ huius sit, vt sit recens, ac nouū chrisma? certe Fabianus citata Epistola satis clarè significauit Apostolicam esse traditionem, vt in nocte cænæ renouetur chrisma: cæterum num hoc ad substantiam pertineat sacramenti, non explicat.

Auctoritas Dionysii.

Cyprianus perperam citatur.

50 Breuiter dicerem, renouationem hanc non esse de essentia sacramenti; conditio enim hæc confectionis in tempore valde accidentaria est, & extrinseca sacramento ipsi: esse autem de necessitate præcepti dati ab Apostolis, qui, vt refert Fabianus, tàm Antiochiæ, quàm Ierosolymis, Ephesi, & Romæ non permiserunt nisi vno anno chrismate vti, & vetus comburi fecerunt.

Petitionis solutio.

51 Fundamentum primæ sententiæ solutum est, dum institutionem sacramenti huius inuestigaremus, neque enim Apostoli, neque Concilia, sed Christus Dominus immediatus extitit sacramenti huius institutor: ipsa vero Aureoli interpretatio ex adductis hucusque rationibus confutatur; nam si de essentia sacramenti huius est balsamum; iam planè sequitur, nullum hoc esse sacramentum sine illo.

Exile fundamentum primæ sententiæ.

52 Secundi asserti oppositum sequens Caietanus vnicam pro se adducit rationem ex auctoritate Innocentii Papæ Tertii desumptam, is enim *in cap. pastoralis officii de sacramentis non iterandis*, ad aliquorum consulta respondens num iterari debeat confirmationis sacramentum in eo, qui non balsamo, sed oleo tantum vnctus erat, Respondet, nihil esse iterandum; sed cautè supplendum; quod incaute fuerat prætermissum. Hęc ille, quibus plane innuit balsamum, quod fuerat omissum, non esse de sacramenti huius essentia, alioquin si defectus substantialis fuisset totum iterari debebat sacramentum.

Caietani fundamentum.

53 Huic fundamentali Caietani rationi Recentiores alias adhibent coniecturas, & primo Sotus *dist. 7. art. 2.* arguit. Materia sacramenti necessaria clara esse debet & apertissima, de qua nemo debeat dubitare, vt est aqua in baptismo, vinum, & panis in Eucharistia, at balsamum, vt vult Plinius *lib. 12. naturalis historiæ cap.* 25. multis adulteratur modis, adeo vt viri prudentes vix verum esse arbitrentur, quod ad nos affertur, ergo semper esset dubium, num validum esset sacramentum, ac solidum.

Ratio Soti.

54 Præterea Materia sacramenti debet esse communis, quæ vbique reperiatur vt aqua baptismi, oleum autem in multis regionibus nullum est, præcipuè oliuarum, quod idoneum solum diximus ad sacramenti huius materiam, & multo minus balsamum, non sunt hæc igitur necessaria sacramenti confirmationis materia. *Forte* dixerit aliquis, quod, cum confirmatio non sit sacramentum necessitatis, vt baptismus, non est necesse, vt vbique terrarum eius nascatur materia, sed satis est, vt possit aliunde adduci. At hoc nihil est, inquit, Sotus, etsi enim hoc de oleo curratur, tamen de balsamo non est ratio eadem, cum balsamum neq; per vecturam possit vbique afferri, arbuscula enim illa balsamum ferentia teste Plinio *loco cit.* vni Iudæorum terræ concessa sunt, duobusque tantum felicibus Indiarum hortis, at si vera est orientalium historia quam audiuerat Sotus, iam plane arbuscula illa bellorum frequentia dissipata sunt, hinc quam rarissimum est in regionibus nostris verum balsamum, sed pro eo substituitur aliud balsamum non castum ex occidente, quod indicia veri balsami non habet, atqui sacramentum ecclesiæ ex tam multis periculis pendere non est facile concessu.

Alia ratio.

Plinii testimonium.

55 Denique, Materia sacramentorum in omnibus semper terræ partibus eadem esse debet, at si balsamum esset talis necessaria materia iam plane maioris oppositum verum esset, balsamum etiam si reperiatur, constat rem esse preciosam: sed Apostoli, & illorum successores idonei tantum sacramenti huius administratores admodum pauperes erant: non ergo rem preciosissimam emere poterant.

Vltima ratio.

56 Et confirmatur, quia sacramentum hoc aliquando appellatur oleum *d. 4. de cons. Presbiteris*, signum ergo euidēs si ex materia fit denominatio, oleum solum hanc esse materiam. *Accedit*, quod si balsamum, mirum esset, quomodo antiquissimi Patres eius non meminerint,

confirmatio.

iclo

hinc rectè Dionysius sacramentum hoc non oleum, & balsamum simul, sed odoriferum vocat vnguentum, & chrisma.

57 Facile tamen ex dictis aduersariorum rationibus faciemus satis dicentes ad primam, Innocentii ibi institutum non esse asserere dandam tantum vnctionem ex balsamo in casu illo non vero ex oleo, sed solum declarare nihil tunc adesse, quod iteretur, quia nihil sacramenti actum fuerat, non enim dicitur actum cum aliquid superest ad agendum, vt vult glossa ibi, consuluerunt enim Pontificem aliqui, si confirmationis sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem non chrismate, sed oleo fuerat vnctus, ad quod respondens Pontifex nihil esse iterandum significare voluit, non ideo non esse iterandum quasi essentiale factum fuerit, sed quia nihil sacramenti fuerat datum, ac proinde declarat Innocentius nullam in supposito casu adesse iterationem, & quod ita intelligenda sit Innocentij auctoritas, inde patet, quod esto vera sit, seu probabilis opposita sententia etiam secundum illum si talis in præsentia casus eueniret, vt quis confirmaretur oleo tantum, confirmandus sub conditione esset, quia sacramentum actum esse incertum esset, ne igitur relinquatur homo carens hoc sacramento, in certa iterum materia dandum esset, non igitur hoc astruit Innocentius ibi, sed quod diximus. Vel dicendum si Responsio hæc non placet, quod Pontifex vnum dicit supplendū alterum non iterandum, supplendam, dicit vnctionem totam ex oleo, & balsamo, non iterandas astruit cæremonias omnes illas, quæ in huius sacramenti administratione concurrunt, vtraque responsio est *Hostiensis* Cardinalis, & summorum Pontificum Innocentii Quarti, & Adriani, quam confutat *loc. cit.* Sotus, quia destruit, inquit, textum hæc expositio, ridiculum .n. dicere est, quod tunc non iteratur propterea, quod non fuit sacramentum factum, notissima quippe res est id, quod non fuit non iterari, ideo Pontifex non fuisset sollicitus id admonere, ergo vbi dixit non iterari docuit fuisse sacramentum, & dum dicit caute supplendum, quod fuerat prætermissum, docuit balsamum non esse de substantia sacramenti huius. Præterea si primum non fuisset sacramentum nulla obstaret ratio, quominus solemnitates omnes essent postmodum cū sacramento reiterandæ.

Solutio 1. rationis

Alia responsio

Leuiter tamen, vt arbitror, responsionem hanc redarguit Sotus, non est enim ridiculum decernere tunc nullam adesse reiterationem; quando de ea consuluerunt homines illi Pontificem, vnde Sotus existimat nos secum conuenire in consulto, discrepare in responso, in consulto enim, quia illi quæsierunt à Pontifice, num confirmatio deberet iterari; in responso autem discrepamus, quia iterare, dicimus nos, significat idem iterato facere; docet autem Pontifex idem tunc non esse iterato faciendum, quod nos concedimus; sed minor est, in qua dissidet à nobis Sotus, at qui tunc datum fuit sacramentum, non enim fuerat datum, ideo supplendum exhibitione erat non reiterando aliquid, hoc est, non iterum faciendo eas, quas adhibuerant cæremonias.

Ratio etiam apparet, quare non debuerant iterari cæremoniæ, quia istæ publicè adhibentur, ad euitandum autem scandalum priuatè talis erat confirmandus, ac propterea sine cæremoniis, quod sane indicauit illic Innocentius dum dixit, caute esse supplendum, quod non fuerat factum.

58 Ad secundam, quæ erat prima Soti argumentatio breuiter concessa maiori, ad minorē dicimus posse vtique adulterari balsamum, atque adeo inuigilandū Pastoribus, vti verum, ac castum assumant balsamum, prudentes autem ii, qui de veritate balsami dubitant insipientes sunt, cum odore, colore, aliisque proprietatibus verum debeant balsamum agnoscere. *Solutio 2.*

59 Ad tertiam dicendum est, vti dicebatur in argumentando. Ad instantiam contra eam in primis dicendum est maius robur habere experientiam, quæ à principio nascentis Ecclesiæ hucusque profluxit, sufficiētem reperiri balsami copiam; cum Auctore Fabiano singulis annis à principio Ecclesiæ nouo balsamo conficeretur chrisma, quam Plinii testimonium. Quid, quod nec Plinius de sua tempestate effatus est, sed de priscis temporibus? vnde ait. *Balsamum vni Iudææ concessum fuit quondam in duobus tantum hortis.* Fieri tamen potuit, vt in maiorem post illud temporis creuerit abundantiam; vnde Iosephus Iudæus *lib. 8. cap. 2. & 6. antiquitatum* feracem ait balsami vniuersam Iudææ regionem propter arbuscula quædam à Regina Saba pacifico Regi Salomoni oblata. Nunc etiam plurimum balsami ex India aduehitur, vt sit plane falsum Soti placitum non nisi in duo- *Solutio 3.*

Postre-

bus Indiæ hortis reperiri.

60 Postrema obiectio ridicula est, dum non ita existimo Pauperes extitisse Apostolos, & Apostolorum successores, ut tantũ emere non possent balsami, quantum ad sacramentum hoc conficiendum esset satis; hinc bene Fabianus non recipit excusationem Orientalium Episcoporum dicentium non posse singulis annis conficere chrisma propter balsami defectum, non recipit inquam decernens reperiendum esse balsamum, & singulis annis chrisma iterandum; quia sic præceperunt, ac fecerunt Apostoli.

Diluitur vltima obiectio.

61 Ad confirmationem patet ex superiori adnotabili responsio; tripliciter.n. sumitur oleum vt diximus, hinc veteres sub hoc nomine aliquando totum circũscripsere sacramentum; quomodo etiam antiqui Patres meminerint balsami probatum est: Dionysius enim si non explicite, implicite quidem id fecit; quid est .n. admisceri cũ oleo balsamũ aliud, quã fragrantissimum sacramẽti huius vnctionem appellare vnguentum; nam sicut est *loco citato*, Author Plinius balsamum omnibus præfertur odoribus, vnde *Eccle. 24. Quasi balsamum non mixtum odor meus.*

Soluitur confirmatio

Sciscitatus cur facta sit hæc institutio in balsamo, & oleo, respõdeo ex Florẽtina Synodo, & Innocẽtio Tertio *de sacra vnctione*, quod per oleum nitor bonæ conscientiæ designatur, hinc legitur. *Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus*, per balsamũ odor bonæ famæ exprimitur, propter quod dicitur *sicut balsamum aromatizans, odorem dedi*; hoc ergo vngimur vt interius nitorem conscientiæ quantum ad Deum, & exterius odorem bonæ famæ quantum ad proximum habeamus; agit Innocentius de hac re fusè. Hæc secundum communem sententiam dixisse visum est, sciscitati vero quænam ex oppositis probabilitati accedat magis, respõdemus, quod secunda opinio, quæ Christum supponit sacramenti huius institutorem; inter Authores autem opinionis illius secundæ tutius locutus est Cardinalis Caietanus, quam Sotus, ille enim astruit Christum non instituisse in balsamo, hic autem instituisse quidem in balsamo sacramentum hoc Christum, sed non pro semper, sed pro quando haberi balsamum posset, quod sanè dictu puerile est, sacramentorum enim materia certa esse debet, vt forma est certa; hoc igitur confirmatio nudari non debet priuilegio, vt diffinitam à Christo habuerit materiam.

Duæ petitiones, & earum responsa.

NVM CHRISMA DEBEAT esse ab Episcopo benedictum.

CAPVT III.

62 DEbere chrisma hoc; quod remota est confirmationis materia ex oleo, & balsamo constans, benedici ab Episcopo, simpliciter Theologi fatentur omnes propter Concilij Florentini auctoritatem docentis materiam sacramenti huius esse chrisma ab Episcopo benedictum; difficultas solum est, num necessarium sit necessitate præcepti tantum, an vero necessitate sacramenti simul, vt ab Episcopo solum hoc benedicatur chrisma: & quidem singularis nobis sese offert primo Cardin. Caietani opinio 3. *p. q. 72. art. 4.* asserentis probabile admodum esse valere benedictionem Sacerdotis simplicis ad hoc, vt plane Episcopalis benedictio non nisi necessitate præcepti sit necessaria. Fundamentum huius sententiæ hoc vnũ est, quod Sacerdos simplex potest efficere maximam consecrationem, qualis est consecratio Eucharistiæ; ergo & quãcumque minorem, ita vt facta teneat; licet faciendo peccet Ecclesiasticis non parendo mandatis; ergo & consecrationem chrismatis, quæ est illa longe minor.

Opinio Caietani singularis

63. Caietanũ sequitur Recẽtior in suo manuali Theologico. Paludanus *in 4. d. 7. q. 1. nu. 19.* quẽ ferè sequitur *q. 2.* Capreolus, multo diuersimode ab alijs hac in re locutus est, arbitratur enim esse vtique nunc de necessitate sacramenti, vt

Sententia Paludani & Capreoli.

Diluitur Caietani fundamentum.

66 Caietani fundamentum omnino friuolum est, non enim verum est, quod qui potest in maius, potest in minus in diuersis generibus, vnde non valet, homo potest generare hominem, ergo & formicam, sic non valet, præsbiter potest consecrare hostiam, ergo altaria, & ecclesias, ita ergo in proposito potest consecrare hostiam, ergo chrisma, nego consequentiam, quia processus iste non est in eodem genere, nec vnum includit alterum, sed nec est à maiori ad minus proprie, sed vel à disparatis, vel potius à minori ad maius, quia maius est posse vtrumque, quam alterum. Longius vero Paludanus à veritate aberrauit, nam si benedictio est de necessitate sacramenti, vt etiam ipse concedit, consequenter etiam non esse in potestate ecclesiæ dicendum est mutare illam, quia sacramenti essentialia variari non possunt: aliud etiam nescio quod contradicens Paludanus ait, constitutam hanc consecrationem ab ecclesia tãtum quod si ita est, iam plane non necessitate sacramenti, sed præcepti tantum necessaria erit hæc consecratio, friuolum autem est authoris huius fundamentum, licet enim aliter potuerit Christus hoc sacramentum instituere, ac facere, vt benedictio non sit essentialis ei, voluit tamen esse de necessitate sacramenti, ac propterea, & ipse benedictionem instituit, ac consecrationem. Hactenus de materia nunc.

Paludani error

NVM HÆC SIT FORMA

Confirmationis, signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.



CAPVT IV.



67 RAtiones dubitandi pro negatiua parte esse possunt. Prima, quia nullum forma prædicta habere videtur fundamentum, cum neque Christus, quem immediatum diximus sacramenti huius institutorem; neque Apostolorum aliquis legatur aut illa vsus, aut illam tradidisse. Et confirmatur, quia forma sacramenti alicuius eadem debet esse apud omnes, non omnes autem Ecclesiæ hac vtuntur forma; quia aliqui dicunt *confirmo te chrismate sanctificationis*; aliqui *chrismate salutis*. Secunda: tantum abest, vt hac semper vsa fuerit ecclesia forma, vt potius nouiter in Cõc. Floren. videatur inuenta, Ambrosius enim, qui multo ante Concilium fuit, aliam sacramenti huius habet formam *lib. 2. de sacramentis cap. vltimo*, quæ talis est *Deus qui te regenerauit omnipotens, concessitque tibi peccata tua, ipse te vngat in vitam æternam*, Alcuinus etiam *de diuinis officijs* ait, Pontificem confirmaturũ orationem præmittere solitum, qua Spiritum sanctum inuocabat, qua finita faciebat crucem in fronte cum chrismate dicendo *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, in edicto etiã Constantini pijssimi Imperatoris reperimus scriptũ, hac in eius confirmatione sanctissimum Pontificem Sylueftrum forma fuisse vsum, *signet te Deus sigillo fidei sua in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti in consignatione fidei*.

Rationes dubitandi prima.

Secunda

Oppositum verius.

68 Oppositum tamen est verum, quod vt

vt facilius intelligatur adnotandum du plici formam hanc constare parte, quarum prima est, *signo te signo crucis*, altera vero est *confirmo te chrismate salutis*, *&c.* difficultas modo est, num vtraque essentialis sit pars, an altera tantum accidentaria, & sane vnam, aut alteram satis esse probat antiquum Rituale Romanum, in quo hæc pro forma confirmationis verba leguntur. *Confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Verius tamen iudico oppositum vtramque partem essentialem putans; cum vtraque æqualiter à Florentino Concilio paulo inferius citando adducatur; Rituale autem antiquum illud ab aliis relatum, quod ego non vidi, vel typographorum incuria dicēdū est aliqua omisisse, vel & melius non totam, sed aliquam formæ partem prælibasse solum. Hoc loco reuocanda sunt ea omnia ad memoriam, quæ de quidditate baptismi differentes quidditatē physicè versantes habuimus, suoque morali modo hic applicanda. Breuiter igitur dicendum ad quæsiti resolutionem eam esse necessariam sacramenti confirmationis formam, quam in capitis titulo proposuimus, Hanc enim Florentina Synodus tradit in decreto Eugenii per hæc verba, *forma autem sacramenti huius est signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti*, illam semper Ecclesia adhibuit, vt facile exit mem à Christi institutione manasse, à qua tota ratio à priori desumitur: etsi autem de ea nihil legamus in scriptura, omnino tamen dicendum est ex apostolica traditione manasse. Regula namque generalis ab *Augustino* traditur, quod illud, quo vtitur, & vsa semper Ecclesia est, neque constat esse in aliquibus conciliis institutum dicendum est à Christo, & *Apostolica* traditione prouenisse, atqui hac semper vsa est Ecclesia forma, nec vllibi in conciliis primo inuenta, nam ante Florentinam Synodum in vsu erat, vt patet ex Doctoribus D. Thoma, S. Bonauentura, & Scoto, qui illam referunt, & tamen ducentis fere concilium antecesserunt annis; ergo à Christo, & *Apostolis* effluxit.

Adnotatio

Sententia verior.

Probatio eius.

69 Denique ex Concilio Tridentino *sess.* 7. sacramentorum omnium Christus perfecte institutor fuit, ergo quoad materiam, & formam hoc etiam sacramentum instituit, quæ sunt partes Physicè sacramentum constituentes. Porro forma ipsa perfectissima est, exprimitur enim in ea sacramentalis actus, cum dicitur *signo te, & confirmo*, exprimitur materia per ly *chrismate*, causa principalis sanctificans *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, & finis tangitur, ad quem institutum est sacramentum, christianæ, scilicet, fidei confessio, cuius summa in tota Christi passione consistit, dicente 1. *corinth. cap.* 2. *Apostolo* Paulo *non iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum*, & hic finis tangitur, cum dicitur *signo te signo crucis*, vt crucis confessio publice fiat. Per hæc facile rationes soluuntur in oppositum.

Confirmatio.

70 Ad primam dicendum est & Christū instituisse hanc formam, & ea vsus *Apostolos* secundum eam sententiam, quæ ponit aliquando Apostolos dispensatione cessante sacramentum hoc in debita forma, ac materia exhibuisse, nec refert, quod hoc ex scriptura nō habeatur, non enim oportet omnia quæ ad fidem spectant expresse in scriptura contineri; multa enim sola traditione habentur; sed sufficit perpetua Ecclesiæ obseruatio, quæ si talis est, vt à nullo Pontifice, vel Concilio habeat initium, ex apostolica dicenda est traditione fluxisse, sicuti pauloante dicebamus:

Solutio primi argumenti in oppositum

71 *Ad* confirmationem dicendum, sicuti de baptismo dictum est, variationē aliquam fieri posse in forma dummodo essentialia non mutentur, atqui mutatio illa *sanctificationis pro salutis, consigno, pro signo* accidentaria est, facile igitur admissa illa sacramentum integrum erit, licet peccent grauiter non vtentes formalibus Ecclesiæ verbis; hinc valeret etiam forma, & sacramentum si quis diceret *signetur seruus christi signo crucis, & confirmetur chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, factum est enim sacramentum dummodo actus exprimatur, vt exercitus, & persona suscipiens cum inuocatione explicita Trinitatis, quam ideo de necessitate sacramenti huius dicimus, tum, quia hoc sacramentum est quædam quasi baptismi perfectio, & ideo in vtriusque sacramenti forma sanctissimæ Trinitatis fit expressio, tum etiam quia in hoc sacramento armatur homo ad fidem confitendum, in qua mysterium Trinitatis est præcipuum.

Soluitur confirmatio

72 Ad secundam omnino dicendum est hanc formam semper in vsu fuisse in ecclesia Dei, essentialia namque sacramentorum variari non possunt. *Ad* Ambrosii auctoritatem, profecto sanctus hic eo

Solutio 2.

loci

loci nullam agit de hoc sacramento mentionem, vt plane non sit ad propositum ex illius auctoritate argumentatio, loquitur enim ibi Ambrosius de ea vnctione solum, qua fit à sacerdote in nouiter baptizato in vertice, non vero de vnctione hac sancta confirmationis.

73 Ad Alcuinum dicimus, quod is integram formam non retulit, fortasse quia aliud erat viri huius institutum ibi; & cum dicit solitum Episcopum præmittere orationem deprecatiuam sancti spiritus, verum est, estque talis, quam Coloniensis habet Synodus. *Immitte in eum Domine Spiritum sanctum, tuum septiformis gratiæ tuæ paraclitum, sapientia cælis, spiritum sapientiæ, & intellectus, spiritum consilii, & fortitudinis, spiritum scientiæ, ac pietatis, & imple eum spiritu timoris tui, & signa eum signaculo sanctæ Crucis, & Spiritum sanctum non amittat in vitam æternam.* Hæc ibi quibus prolatis administrans sacramentum forma etiam illa vtitur, *Alcuini mens*

quam retulimus, hinc præcedentia retulit Alcuinus ibi, & partem formæ, non formam ipsam totam, sed & nunc etiam præcitata Episcopus confirmans oratione vtitur paucis duntaxat mutatis, vt ex Pontificali Romano patet.

74 Ad Constantini edictum quidquid de illo sit, fortasse enim apochripha aliqua in eo inuoluuntur, vt ostendit Sotus: dicendum etiam eo concesso auctorem non retulisse verba omnia, quæ dixit Syluester, sed breui quasi quodam compendio id insinuasse. *Quid dicendum de edicto constantini*

Sciscitatus quare nec Patres integrè huius totius formæ meminerint. Respondeo, quia forte occulta materiæ fidei mysteria pandere verebātur sine magna causa, quā sane responsionē habet Innocentius Papa 1. *sua prima ad Decennium epistola*, qua cum nonnulla de chrismate, & materia sacramenti huius dixisset, de forma subdit *verba prodere non possum, ne magis prodere videar, quā ad consultationem respondere.* Satis.



DE EFFECTV CONFIRmationis.

DISPVT. III.

1 HOc confirmationis sacramentum vnum ex ijs est, de quibus à Pontificum, quam Tridentina Synodus decreuit præter communem etiam peculiarem etiam habere effectum, characterem, scilicet, imprimere; iuxta quæ conciliorum doctrinam duo sunt in hac disputatione quærenda; primum num effectus sacramenti huius sit gratia sanctificans; secundum, num sacramentum hoc imprimat characterem.

2 Et quidem circa primum nulla est nobiscum cum Scholasticis altercatio, eo ipso enim, quod conciliorum decretis constat confirmationem esse nouæ legis sacramentum, patet etiam quomodo per ipsam gratia gratumfaciens conferatur; Hæretici solum, qui vel negant confirmationem verum esse nouæ legis sacramentũ, vel vniuersaliter negant sacramenta nouæ legis gratiam conferre, dicerent hoc loco nullum talem dari per confirmationem effectum: qua de re quoniam alias de sacramentis in genere disputauimus, nihil vlterius addendum remanet.

Prior quæstionis sensus.

Primus error.

Alter error huic extremè contrarius esse potest, quod confirmatio nedum gratiam absolutè, sed primam conferat gratiam, peccatumque deleat originale: ita plane sensisse visus est Raymundus Lullius sicuti refertur in directorio inquisitorum *p.2.q.9.* dum dixit infanti confirmari renuenti nullius esse valoris baptismum; qui sane error colorari fortasse posset ex aliquibus sanctorum Patrum locutionibus vocantium sacramentum hoc baptismi perfectionem, ac complementum, quasi vero sacramentum illud sine isto nullum haberet gratiæ, & remissionis peccatorum effectum.

Error 2.

3 Dicendum nihilominus, sacramentum hoc [illegible] sua gratiam conferre, licet nõ primam. Assertionis vtraque pars, certa est, & primo [illegible] concilio Tridentino *sess.7. de sacramentis in genere can.6. 7. & 8.* [illegible] te ijs, qui sacramenta nouæ legis gratiam conferre negauerint, [illegible] tio hæc vnum est ex septem sacramentis, vti decernitur [illegible] confirmatione, ergo [illegible] quod confirmatio ex vi sua gratiam conferat [illegible] hoc etiam Romani [illegible] Pontifices [illegible] Melchiades Papa relatus *de cons. dist.5.* [illegible] *Spiritus sanctus* [illegible] Spiritum [illegible] ctum, qui in fonte plenitudinem tribuit [illegible] ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam [illegible] *per confirmationem* [illegible] *sus sancti* [illegible] bus [illegible] Pontificum [illegible] asserti pars [illegible] tia ad augmentum [illegible] quod non datur prima gratia [illegible] existere sentimus partem.

Assertio catholica.

Accedit, quod primã gratiã sacramẽta illa solũ cõferũt, quæ ad remittẽda peccata originale, ac mortale instituta sunt, talia autem sunt baptismus, & pænitentia post lapsum, hinc factum esse crediderim, vt à nonnullis duo illa sacramenta mortuorum dicantur; reliqua viuorum: quia illa primam, reliqua vero augmentum gratiæ præstant, gratiam igitur gratum facientem confert confirmatio, licet non primam: quod si absolutè dixerit quispiam per hoc sacramentum dari gratiam gratum facientẽ absque vllo addito, rem etiam non nouam, sed plane veram proferet: gratia etenim gratum faciens ex Seraphico Doctore *d.7. art.2. q.1.* dupliciter sumitur, aut pro ea, quæ facit de non grato gratum, & sic gratiam solum pænitentia, ac baptismus donant, aut pro ea, quæ de grato facit magis gratum, & sic confirmatio dat gratiam.

Confirmatur

Gratia gratum faciẽs dupliciter sumitur

4 Raymundi error damnatus est, & iure quidem, ipsa enim viri huius circa Patrum auctoritates intelligentia falsa est, non enim ideo baptismi confirmatio uocatur perfectio, quasi uero nullum ille sine ista sortiatur effectum, sed quia in hac homo perficitur, ac roboratur ad bene operandum, constanterque credendum, confitendumque fidem: ex qua licet per breui doctrina difficultates omnes tollantur præuiam ad hoc sacramentum dispositionem quærentes, si enim non primam, sed augmentũ

error Raymundi

solum

solum elargitur gratiæ, iam plane sequitur necessarium esse, vt recipiens illud primam gratiam habeat, hinc baptizatus, qui posteaquam baptismalem per peccatum amisit gratiam sufficienter effectum sacramenti huius recipiet, nec vlterior aliqua requiritur in eo dispositio, immo nec intentio in paruulo, licet bene in adulto: sequitur etiam, quod cum is effectus non nisi in habente primam gratiam recipiatur, qui mortaliter cecide rit post baptismum conteri debet, & ipsum pœnitere, vt per pœnitentiæ sacramentum deleto peccato, & data gratia, augmentum per confirmationem recipiat; neque attritio satis erit sicuti in baptismo; quia attritio imperfecta dispositio est, & informis; inde attritus solum gratiam non habet, & sacramentum hoc supponit gratiam, hinc sancti... d. 5. de conf. can. ieiuni admonentur adulti, vt ante sacramenti huius receptionem, confessionem præmittant.

An dispositio requiratur ad confirmationem

5 De hoc etiam effectu quæri solet hoc loco, num sit effectu sacramenti baptismi præstantior, & ratio dubitandi ex nonnullis sanctorum Patrum auctoritatibus ortum habet; Patres enim omnes vno ferè ore proclamant, sacramentum hoc conferre christiano homini perfectionem, homo siquidem confirmatus ad se baptizatum tantum comparatur, vt vir ad puerum, propter quam rationem Suarez simpliciter existimat via perfectionis superari ab hoc sacramento baptismum; Melchiades enim in sua ad Episcopos Hispaniæ epistola interrogatus quod sit maius sacramentum baptismus, an confirmatio: *scitote* (inquit) *vtrumque magnum esse sacramentum, & sicut vnum à maioribus fit ita maiori veneratione tenendum est*, ac venerandum, & statim multis huius sacramenti effectum exagerat.

Alia quæstio

Ratio dubij

6 Præterea Apostolis maior gratia videtur data in die Pentecostes quando confirmati sunt, quam antea per baptismum.

Oppositum tamen dicendum, cum Scoto *d. 7. & q. 3.* baptismus enim omnem cum culpa remittit pœnam absque pœnitentia, confirmatio vero non sic; deinde, quia magis est de inimico facere amicum aliquem, quam de amico facere magis amicum, gratia autem baptismalis facit de inimico amicum, confirmationis de amico magis amicum; ergo illa est ista maior.

Vera sententia

Adnotandum tamen propter Patrum auctoritates, quod quando aliquid includit, vel supponit aliud illa possunt comparari, vel secundum illud, quod præcise pertinet ad vtrumque, vel secundum illud, quod secundum ponit præsupposito primo, prima comparatio est per se; quia est secundum proprias comparatorum rationes; secunda vero non est per se; quia sic, videlicet, secundum excedit primum, sicuti duo bona excedunt alterum eorum; primo modo baptismus est nobilior, nam ad maiorem gratiam, & ad plures effectus simpliciter nobiles confertur baptismus, quam confirmatio, secundo modo potest dici confirmatio baptismo maior. Irridet hanc distinctionem Franciscus Suarez *disp. 32. sect. vlt.* quia eodem modo dici posset quodlibet sacramentum dare maiorem gratiam, quam baptismus, quia supponit gratiam baptismalem; hinc ergo dignitas, quam sancti de hoc sacramento intelligunt, colligi nequaquam posset.

Observatio

Suarez censura

7 Immerito tamen, quia sancti non simpliciter dicunt maiorem in confirmatione, quam in baptismo gratiam dari; sed confirmationem aliquando nobiliorem baptismo vocant, nobilitas autem hæc non est nobilitas simpliciter, sed secundum quid, quæ non secundum finem, & effectum, sed secundum ministrum attenditur, eo quod confirmationis ordinarij ministri sint Episcopi, baptismi vero simplices sacerdotes, hinc non considerauit Suarez, quod dixit Melchiades ab ipso citatus, qui interrogatus de præeminentia horum sacramentorum maiori veneratione decernens tenendam esse confirmationem rationem reddit. *quia hæc à solis summis Pontificibus datur, & ab Episcopis*. Ecce quomodo nobilitatem ab extra à ministro desumit: nequis autem putaret traditum à Deo ministrum sacramenti huius episcopum propter sacramenti nobilitatem rationem reddit Scotus, quare Sacerdoti simplici liceat baptizare; quia baptismus maioris est necessitatis ideo pluribus conceditur ministris; confirmatio vero, quia non tantæ est necessitatis ideo collatio eius non nisi specialibus ministris conuenit; hoc est episcopis, vt infra dicemus, & per hoc patet ad modum loquendi Patrum; concedimus enim dari per confirmationem perfectionem homini, non tamen perfectione, quæ per baptismum datur maiorem, aut nobiliorem, nisi præexplicato modo, comparatio autem illa confirmati ad baptizatum sicut viri ad puerum ... solum adinquam

Inanis

Reprehenditur Suarez

gio.

nio, quod si sanctorum eam innuat aliquis sane intelligenda est, quod sicuti vir constantior est ad aliquid faciendũ puero, ita confirmatus constantia maiori profitetur Christi fidem, quam suscepit, quam baptizatus solum, comparatio enim, & exempla non currunt quatuor pedibus.

Alius occursus.

8 Similiter negandum est maiorem gratiam datam apostolis in die Pẽtecostes, quam in baptismo, nisi nobilitatem gratiæ à signis visibilibus, & sensibili Spiritus sancti descensu attendamus, quæ quidem fuere in confirmatione omnia, non vero in baptismo. *Accedit* quod Apostolorum confirmatio eminentiori quodam data fuit modo ab eo, quo datur ab Ecclesia, sicuti in superioribus explicuimus.

9 Circa alium sacramenti huius effectũ, cum nihil difficultatis habeat disputatio omittetur; præsertim; quia de sacramentis in genere generalem de characteris effectu tradidimus doctrinam, quam moraliter huic sacramento applicare possumus, solum hæc dubia perpendimus resoluenda.

Dubium non leue.

Primum, num iterari valeat confirmatio? Affirmasse quondam videbatur *Augustinus lib. 3. de bapt. cap. 16.* dicens, quod manus impositio non sicut baptismus repeti non potest, quid est enim aliud nisi oratio super hominem? ex perpetuo autem vsu; loquendi Sanctorum Patrum manus impositio pro confirmatione sumitur, sicuti idem *Augustinus* habet *in initio illius 16. capitis,* nec forte deerit pro hac opinione ratio: morbus enim, contra quem instituta est confirmatio, iteratur, quare & ipsum sacramentum iterari potest, idcirco n. non iteratur baptismus, quia non iterum committitur originale peccatum ad quod delendum præcipuè institutũ est, consequens patet, quia post baptismum iterum pusillanimitate potest homo detineri, contrà quam confirmationem præcipue Deus instituere voluit.

Augustini sensus.

Opinio vera,

10 Oppositum tamen omnino dicendũ est, & traditur à Florentino Concilio in decreto Eugenij per hæc verba. *Inter hæc tria sunt baptismus, confirmatio, & ordo quæ characterem à cæteris distinctum imprimunt in anima indelebilem vnde in eadem persona non iterantur.* Et à Tridentino *sess. 7. de sacramentis in genere can. 9.* & colligi videtur ex scriptura *Hebræorum 6. non rursum iacientes fundamentum pænitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum baptismatum, doctrina, impositionis quoque manuum, &c.* quibus interabilem esse confirmationem innui docuerunt Crysostomus, & Anselmus, & Theophilactus eo loci, colligitur etiam ex Terraconense Concilio *cap. 6.* sicuti refertur *d. 5. de cons. cap. dictum est nobis,* & ex Gregorio Secundo Pontifice ibidem relato *can. de homine.* Ratio principalis, & à priori est diuina institutio: Deus enim sicuti voluit hoc sacramentum instituere, ita decreuit non esse iterandum, itaut iteratum nullam prorsus habeat efficaciam. Congruentia vero inde desumitur, quod sacramentum constituens hominem in determinato Ecclesiæ gradu nõ iteratur; hoc autem sacramentum constituit hominem in gradu bellatoris, non igitur iteratur. *Accedit* quod effectũ imprimit indelebilem characterem, scilicet, qui per peccatum non amittitur vnquam.

Probatur ex Patrib.

11 Auctoritas *Augustini* in oppositum magnum quidem authoribus facessit negotium: vnde quidam simpliciter aiunt eo loci Augustinum illius fuisse sententiæ, quo sane concesso facilis esset Responsio, nisi vilis fieret tanti Patris auctoritas, qui nec posset à contradictione vindicari, dum oppositum innuere videtur *lib. 2 contra epistolas Petiliani cap. 104.* ideo alij dicunt non negare *Augustinum* confirmationem semel datam valide, ac rate esse sacramentum, nec iterari posse dicere, sed sensisse confirmationem datam ab hæreticis de quibus ibi loquitur non esse validam, ac propterea iterandam. Quæ responsio facile difficultatem effugeret, nisi vnum supponeret falsum ex sententia *Augustini,* cuius tamen oppositum de mente eius suo loco ostendemus; Confirmationem, scilicet ab *Hæretico* Episcopo datam inualidam esse: *Florentinum* n. ac Tridentinum Concilium vnanimiter decernunt bonitatem, aut malitiam ministri nihil facere ad rem in sacramentis dummodo essentialia, quæ ad sacramentum conferendum, aut conficiendum pertinet, obseruauerint ministri, ita enim Synodus Tridentina statuit *sess. citata can. 11.* *Accedit* quod ratio adducta ab *Augustino* ibi, propter quam impositionem manus iterari posse sentit multo ab ea, quæ in hac responsione traditur diuersa est: sentit enim *Augustinus* iterari posse impositionem illam manus; quoniam nihil aliud est nisi oratio super hominem; & Franciscus Sua

Occurritur Augustino.

Aliorum responsa cribrata

rez d.34. sect. 1. cum Vualdense cap. 2. *de sacramentis cap.* 115. aliter Respondet negando Augustinum ibi de sacramento confirmationis fuisse locutum, alias sibi contradiceret; sed accepisse in aliqua alia significatione impositionem manus, vnde adnotat, vocem hanc impositionis manus valde esse æquiuocam, significat enim aliquando impositionem manus curatiuam, de qua intelligitur illud Marci vlti o *super ægros manus imponent, & bene habebunt*; nec non & illud act. 9. *abijt Ananias. & introiuit domum, & cum imposuisset ei manus dixit saule frater, &c.* Aliqua etiam est manus impositio consecratiua; de qua prima ad Timotheum cap. 4. *Noli negligere gratiam, quæ est in te per impositionem manus presbiteri*, alia est impositio manus confirmatiua, quæ eadem est cum sacramento confirmationis, quædam cæremonialis tantum ad baptismum, quædam denique reconciliatiua, quæ & deprecatiua dici potest de qua act. 19. *tunc ieiunantes, ac orantes imponentesque eis manus dimiserunt illos.* ad rē ergo dicēdū Augustinū ibi nonnisi de impositione manus deprecatiua fuisse locutum. Quæ responsio licet quoad doctrinam bona sit, non enim ex proprio illam fonte Suarez haurit, sed optam pene desumpsit ex glosa *cap. 1. q. 1. cap. manus impositio*, vbi eodem modo Respondet ad auctoritatem Augustini glosa, parum tamen me Iudice Augustinianæ eo loci doctrinæ videtur consentanea; quoniam Augustinus ibi clare conferens confirmationem baptismo iterari illā dicit, hunc negat, in initio autem capitis illius expresse testatur hic Sanctus se non aliter accipere impositionem manus nisi pro confirmatiua dū dicit dari in ecclesia Spiritum sanctum per impositionem manus, & paulo inferius, nunc non dari sensibilibus miraculis attestantibus Spiritum sanctum per impositionem manus sicuti antea dabatur, vel ergo æquiuocè vsus est nomine impositionis manus eo in cap. Augustinus, quod plane dicendum non est, alioquin ineptus esset discursus eius, vel semper eodem modo in eodem loco idem nomen sumpsit, quod si ita est, vti ita esse existimamus nulla est Suarezii distinctio; quia in principio capitis non de deprecatiua, sed de confirmatiua loquitur, dum dicit dari per illam in ecclesia Spiritum sanctum non tamen sensibiliter, sicuti in primitiua fiebat ecclesia, quibus patet hanc manus impositionem fuisse ab Augustino comparatam cum illa, quæ fiebat ab apostolis act. 8. illa autem non deprecatiua, sed confirmatiua fuit, vel ergo de confirmatiua ibi locutus est Augustinus semper, vel discursus eius ineptus est, & incongruus.

Distinctio notanda

Lapsus Suarezij

12 Aliter igitur ad locum eum dicendū arbitror, consueuisse olim Hæreticos suos etiam baptizatos confirmare per impositionem manus absque vlla forma, ac materia, sed per orationem tantum, quod sane ita fuisse patet, quod Hæretici negarunt confirmationem esse sacramentum, ideo pro ea nulla materia, vel forma vtebantur.

Solutio propria

Augustinus ergo ibi loquens de baptismo, & confirmatione datis ab Hæreticis, repeti non posse baptismum ait, cum is in debita daretur forma, ac materia; repeti vero posse impositionem manus; quoniam tradita ab Hæreticis verum non fuerat sacramentum, sed oratio tantum super hominem.

13 Ad rationem dubitandi in principio adductam Respondent aliqui, consequentiam non sequi, morbus iteratur ergo, & medela; quia in prima susceptione imprimitur aliquid, per quod habet medelam interiorem contra morbum futurum quoties pænituerit.

Ad rationem in principio.

Quæ tamen responsio difficultatem patitur, nam etiam in baptismo hoc aliquid imprimitur, & tamen sequitur ibi consequentia, ergo & hic. Dicendum igitur cum Scoto aliter in reportatis *d. 7. q. 5.* negando antecedens, non enim iteratur morbus, contra quem confirmatio instituta est, ad probationem autem dicimus, quod non simpliciter contra pusillanimitatem, sed contra eam pusillanimitatem, quæ ex originali peccato contrahitur institutum est confirmationis sacramentum; illa autem pusillanimitas non redit, vt patet.

Responsio propria.

14 Alterum dubium est de pæna iteratæ confirmationis. Richardus *d. 7. art. 6. q. 1.* & Maior *in fine distin.* cum quibus est glosa *d. 5. de cons. cap. dictum est*, Nauarrus in manuali *cap. 27. num. 247.* S. Antoninus *p. 2. tit. 28. c. 6.* Simō Maiolus *de irreg. lib. 3. c. 5.* existimant tam iterato dantem, quam iterum recipientem in se sacramentum hoc sciēter manere irregularem, cuius sententiæ fundamentum à paritate potuit esse desumptum, iterantes enim baptismum irregulares fiunt *cap. qui bis de cons. d. 4.* ergo & iterantes confirmationem, cum præsertim *citato capit. dictum* eadem pœna vtrique imponatur

De pœna iteratæ confirmationis sententia Richardi, Maioris, Nauarri, Antonini, Maioli

ponatur delicto, vt scilicet, ita delinquentes non sæculo, sed solum Deo sub habitu regulari, vel clericali famulentur.

15 *Scoti sententia negans.* Oppositam sententiam sustinet Scotus *a.7.q.5* nullam talem irregularitatem esse, quæ sententia, vt communior, ita & probabilior est, nulla enim canonica pœna, quæ non est inflicta à Papa condente ius incurritur ipso iure, neque ex argumentis exponentium *Probatur* canones, neque à simili, neque à contrario sensu est aliquis tali astrictus pœna; quia exponentes possunt vtique exponere ius conditum, non tamen possunt per expositiones suas nouum ius condere, vnde Innocentius Papa cum multum in expositione iuris canonici insudasset interrogatus quale robur vellet suum habere tractatum dixit, quod nollet illum esse authenticum, sed *Ma*gistrale solum; ergo cum non reperiatur in iure canonico expresse pœna irregularitatis inflicta pro iteratione confirmationis sequitur; quod non incurratur, verba enim constitutionum pœnalium restringenda sunt, non amplianda, hinc si legislator voluisset talem inflixisse pœnam iteranti confirmationē, qualem iteranti baptismum, potuisset exprimere hic de confirmatione sicut de baptismo fecit. *Tollitur obiectum.* Nec valet dicere; quod ab auctoritate negatiua non valet arguere; nam in hac materia pœnali, & odiosa argumentatio hæc robur habet, cum præsertim iure ipso cautum sit irregularitatem non incurri nisi in casibus à iure expressis *cap.15. qui de sententia excommunicationis in 6.* Hinc argumentum ab auctoribus oppositæ sententiæ adductum à simili in hac re nullum est. Quod vero additur *ex cap. dictum de cons. d. 5.* præterquamquod nec vlla ibi pœna irregularitatis infligitur, nec pœna illa iniuncta est, tantum etiam abest, vt illud pœnam arguat irregularitatis, quod potius oppositum, puta exercitium officij clericalis; nam in executione ordinum, & precipue in consecratione Eucharistiæ clericus Deo suo religiosissimè famulatur. Cum Scoto sunt Valentia *tom.4. disp.5 q.1.* Henriquez *in summa, lib.4. cap 4.* Martinus Bonacina de censuris *disp.7 q.3. puncto 3. num.8.* & Augustinus Barbosa *de potestate Episcopi alleg. 30. num.30.* qui omnes citat præter Scotum, cum tamen huius sententiæ primarius propugnator Scotus fuerit, &c. *Scotum sequuntur Valentia, Henriquez Bonacina Barbosa.*

DE SVSCIPIENTIBVS Confirmationem.

16 Disputationem de effectu iuxta ordinem propositum sequuntur de suscipientibus difficultates aliquæ, quas breuiter ad duo possumus capita reducere. Et in primo quidem quærendum est subiectum sacramenti huius capax, in posteriori vero obligationem ex parte suscipientium ad recipiendum illud.

NVM

NVM QVILIBET HOMO

sit sacramenti huius subiectum capax.

CAP. II.

Communis assertio.

17 SImpliciter, & absolutè circa factū nulla est in hac quæstione difficultas apud Scholasticos; immo apud Catholicos omnes; qui vnanimi affirmant consensu nullam esse in hoc faciendam sexuum, aut statuum distinctionem, vt plane quilibet siue vir, siue mulier, siue adultus, siue paruulus dummodo baptizatus subiectum sit ad hoc sacramentum recipiendum aptissimum: addunt particulam illam dummodo baptizatus; quia character confirmationis de necessitate baptismū characterem supponit, vt sine illo nihil in confirmatione homo non baptizatus recipiat, quodinde patet, quod baptismus est sacramentorum omnium nouæ legis ianua, & per ipsum regeneramur ad vitam, per confirmationem vero augmentum recipimus vim vero augmento supponitur, augeri namque diximus, quod præexistit prius.

Accedit à simili, quod ordo datus ante baptismum nihil valet, nec est sacramentum *ext: de presbitero non baptizato*; ergo & confirmatio similiter.

Probatio.

Nullam quoque faciendam esse in hoc negotio sexuum, aut statuum distinctionem patet ex vsu, & traditione Ecclesiæ, quæ sine exceptione quoslibet baptizatos accedentes confirmat. in actibus etiam apostolorum absolutè, ac sine limitatione legimus Apostolos confirmasse baptizatos.

Oppositio.

18 Vnicum solummodo actorum testimonium his, quæ diximus de non baptizatis refragari videtur *cap. .n. 10.* descendit Spiritus sanctus visibiliter super nonnullos nondum baptizatos, visibilis autem Spiritus sancti descensus locum confirmationis habebat in primitiua Ecclesia, sicut docet nos Florentinum Concilium in institutione Armenorum. Patet tamen, quod sicut Deus

Solutio.

potentiam suam sacramentis non alligauit; ita potuit in hoc in primitiua Ecclesia dispensare, & præter legem voluit id fieri, vnde ægregiè Nazianzenus *oratione* 24. nos monet, facto illo Spiritum sanctum ostendisse se esse Deum, ac Dominum, qui spirat in quos, quando, & quantum vult, ita quoque Beda locum illum exponit.

De ætate opinio Paludani, & Soti.

19 De congruentia circa ætatē est aliqua controuersia inter Scholasticos. Paludanus *in 4. q. 4. num. 10.* & Sotus *art. 8.* ætatem septem annorum in accedente saltem requirunt, quorum ratio est, quia vbi non adest necessitas, maior reuerentia exhibetur sacramento, si in propria, quam si in aliena suscipiatur intentione, ac fide; paruuli autem ante illud temporis non in sua dicentur, sed in Ecclesiæ fide, ac dispositione accessisse: & confirmatur, quia per Scotum maior gradus gratiæ datur accedenti ad sacramenta per dispositionē propriam, quam in aliorum fide: hinc semper dicebimus adultos paruulo cumulatiorē accipere in baptismo gratiam. Denique quia in confirmatione fit quasi secunda fidei professio: congruum igitur est, vt si primam in baptismo per alios infans, secundam saltem per seipsum faciat, quod sane ante illud temporis fieri non posse censendum est.

Opinio Marsilij.

20 Alij nonnulli neque sufficere ætatem hanc septem annorum existimant, sed duodecim saltem annos in accedente requirunt, ita Marsilius *in 4. q. 4. art. 4.* & ex Canonistis glosa *super caput, Vt ieiuni de cons. d. 5.* quorum sententia per illam Canonis illius auctoritatem suadetur, decernitur enim ibi, vt ieiuni ad confirmationē veniant perfectæ ætatis.

Opinio Laiman Villalobos Filliucij & Siluij.

Alij dispensatiuè tantum fieri posse credunt, vt ante septennium confirmentur infantes, vel quia scilicet hæc est Diœcesis consuetudo, vel quia periclitantur infantes, vel quia infantes aliqui ante id temporis rationis vsu pollent ita Paulus Laiman *lib. 5. tract. 5.* Villalobos in summa *trac. 6. diff. 6.* Filliuccius *to. 1. tract. 3. cap. 2.* Siluius *3. p. q. 72. art. 8.*

Verior opinio S. Bonauentura Richardi & Gabrielis

21 Probabilius dicendum arbitror cum Sancto Bonauentura *d. 7. art. 3. q. 1.* Alense *4. p. q. 28. art. 3. num. 2.* Richardo, & Gabriele *d. 7. art. 3.* omnem ætatem ad hoc esse conuenientem; seclusa enim speciali Ecclesiæ aut ordinatione, aut consuetudine non est facile assignare conuenientem ætatem, quod si antiquum Ecclesiæ recipiamus vsum, profecto videbimus expedire magis, vt in infantili ætate pueri confirmentur, hinc Melchiades *d. 5. relatus can. de his vero,* coniunctim existimat hæc duo sacramenta simul, confirmationē, ac baptismum, vt non nisi morte præueniente separari possint; quia, nimirum, tunc temporis

statim post baptismum confirmatio exhibebatur; & confirmatur ex actibus Apostolorum, in quibus leguntur Apostoli statim baptizatos confirmasse; quæ consuetudo ad solemnitatem hoc etiam tempore in die Sabbati sancti in plurimis seruatur Ecclesijs, in quibus baptizatos confirmant Episcopi.

22 Accedit, quod discreti est munus Ducis armare suos milites ante pugnam, & ante læsionem, sed pugna, læsiones, ac lucta statim incipiunt in annis discretionis; competens ergo est confirmationis sacramentum ante annos discretionis dari. Denique valde humanum est, ac moraliter contingens, vt ante discretionis annos plurimi puerorum decedant; ne igitur hoc fieret ante sacramenti huius susceptionem, quantum fieri posset, non est admodum differenda confirmatio; alioquin perpetuè tanto gloriæ gradu decedentes priuarentur.

Corroboratio

23 Huc referri posset difficultas de amentibus, ac furiosis, de quib. sentit Sotus perpetuò amentes non debere confirmari; propter quod, cum desperatus sit in ijs rationis vsus, militiæ spiritualis capaces non sunt; ad quid ergo opus est eis arma huius militiæ elargiri? Aliter tamen dicendum arbitror, ac distinctione Scotica vtendum; vel enim amentes sunt à natiuitate, vel non sunt à natiuitate, sed aliquo tales casu effecti, si à natiuitate nec vlla de eorum salute spes habeatur congruit, ac debet eis dari hoc sacramentum, ne tanto bono priuentur, effectu, scilicet, ipsius, & augmento gratiæ, existimantur autem ij recipere vere sacramentum, cum sint dispositi nullo mortali crimine obnoxij, si in amentiā inciderunt nondū confirmati in ætate vero annorum discretionis recolendus est sensus is, quo inciderunt in amentiam si enim in peccato mortali erant, non recipient sacramenti huius effectum, atque nec conscientes, nec characterem recipiant, qui videlicet amentes, & furiosi in eo videntur statu esse, quo detinebantur cum in amentiam, vel furiam lapsi sunt; quod si iudicentur consensisse, propterea quod probabile est fidelem vnumquemque desiderare salutis sua remedia, ac beneficia, & in statu gratiæ, dandum est eis hoc sacramentum, qui & characterem, & gratiam recipient. Sed quid, si iudicentur consensisse ante amentiam, sed in mortali peccato amentes facti? num exhibendum est hoc sacramentum eis, si nulla de eorum salute spes habeatur? Res admodū incerta est.

Dubium de furiosis. & mente captis

Soti Resolutio vana

Vera resolutio

VTRVM FIDELES OMNES sacramentum hoc suscipere teneantur.

CAP. IIII.



24 VArij variè in hac dubitatione sentiunt. Diuus Thomas *in 4. d. 7. q. 1. art. 1. & in 3. p. q. 72. art. 8.* existimasse videtur, non teneri fideles suscipere necessario hoc sacramentum, cum nullum de eo suscipiendo aut ecclesiasticum, aut diuinum extet præceptum. Sanctum Thomam sequuntur Recentiores Thomistæ, Sotus *d. 7. art. 8.* Ledesma, & Suarez *disp. 37. sect. 1.* Valentia, Fernandez ab Heredia, Molfesius & Adriambranus, & alij citati à Diana *resol. 25.* de hoc sacramēto. Ex exteris vero cōsentire uisus est Richardus, & Adrianus in materia de confirmatione.

Thomas, Sotus. Ledesma, Valentia, Fernandez, Molfesius Zambranus, Diana, Richardus & Adrianus

25 Sententiæ huius hoc vnum arbitror præcipuum esse fundamentum, quia vbi non constat de præcepto, non est facile imponenda obligatio, de hac autem re, nullum est præceptum ergo nulla obligatio, minor in qua tota difficultas est, probatur, quia neque in scripturis, neque ex Patribus certi aliquid de hoc præcepto reperimus scriptum.

26 Pars vero asserens sacramentum hoc esse in præcepto sectatores habet quam plurimos, non tamen inter se conuenientes: Alensis 4. p. q. 25. memb. 1. & Sanctus Bonauentura *d. 7. art. 1. q. 2.* ex institutione ecclesiastica sacramentum hoc necessarium dicunt, vt grauiter habentes locum, ac tempus suscipiendi illud, non tamen suscipientes iudicentur peccasse. Durandus vero simpliciter arbitratur datum de hac re à Deo præceptum non tamen pro semper, sed in vsu, quando scilicet imminet persecutor, coram quo fides, est confitenda, habetur copia ministri uolentis, ac potentis confirmare cuius fundamentum est; quod quando effectus est necessarius, & causa necessaria est, sed effectus confirmationis, s. confessio fidei tempore persecutionis cuilibet fideli est ad salutē necessarius, ergo & sacramentum confirmationis cuilibet fideli est necessarium in casu illo, quando habeatur copia ministri confirmantis. Et confirmatur per auctoritatem

Opinio Alensis

Papæ

Papæ Melchiadis relati d. 5. de conf. can. Spiritus sanctus dicente, quod quamuis cotinuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamẽ necessaria sunt confirmationis auxilia.

26 Alij vero dicunt vtique datum à Christo præceptum de receptione sacramenti confirmationis, quod tamen præceptum obligat baptizatos omnes, si commodè possent, hoc sacramentum recipere, ita Vualdensis tom. 2. de sacramentis ca. 111. cuiusnam sententiæ fuerit Scotus, non est facile diffinire, Franciscus Suarez, Scotum putat cum Vualdense consentire, reuera tamen Scotus d. 7. q. 2. vbi de hac necessitate loquitur nihil apertè, solum habet, quod hoc sacramentum non est simpliciter necessarium ad salutem, iuxta illud Marci vltimo, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*. & *de consec. d. 5. cap. Spiritus sanctus*, habetur quod baptizatus per solum baptismum saluatur, est tamen necessarium adulto sic, quod non contemnat sicuti dicitur *extra de sententia excommunicationis*, vbi glosa dicit, *quod non est plenus christianus, qui contemnit*, tenetur igitur secundum Scotum adultus non contemnere, & pro congruo tempore suscipere in effectu, qui iudicaretur contemptus, si omnimoda opportunitate oblata non susciperetur.

De Scoti mente l[e]sigium

Vera Scoti intentio.

27 Hæc ille, quibus innuit primo necessitate medij non esse necessarium hoc sacramentum; siquidem solum sufficit baptismus, & pœnitentia post lapsum, esse autem necessarium adulto, vt non contemnat: quasi dicat esse ex præcepto necessarium vniuersaliter. n. totam sacramentorum necessitatẽ ad duplicem retulimus, ad necessitatem medij, & ad necessitatem præcepti. Cæterum, cuius nam præcepto sit hoc sacramentum necessario adulto suscipiendum, non explicat Scotus. Ego hac in re distinctione vtendum arbitror cum Bellarmino *in disp. de sacramentis in genere cap. 22.* necessitatem esse duplicem alteram medij alteram præcepti, & quamuis duæ hæ necessitates sint aliquando inter se coniunctæ, quoniam eo ipso, quod aliquid est medium ad salutem necessariũ, simul etiam est de ea præceptum, hæc tamen est inter vtramque differentia, quod cum quis ex ignorantia inuincibili, & aliqua iusta causa præceptum nõ implet excusatur, neque aliquid patiatur detrimenti. omittens vero necessariũ mediũ multũ detrimenti perpetitur, neque circa illud aliqua cadit excusatio.

Auctor Bellarmini sententiã sequitur

28 Præterea necessitas medij duplex est, alia simpliciter, alia ad bene esse; exemplum primæ sanguis ad vitam, secundæ, vt equus ad iter faciendum.

Ex his breuiter dicendum arbitror primo, sacramentum confirmationis non esse simpliciter necessarium necessitate medij, esse tamen hac necessitate ad bene esse, & conditionatè necessarium, & prior pars suadetur. Marci enim vltimo, *qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*. Accedit quod ea sacramenta solum sunt hoc modo necessaria, quæ primam dant gratiã, hæc autem non sunt nisi duo illa baptismus, scilicet, & pœnitentia, illa ergo tantum simpliciter necessitate medij necessaria erunt. Posterior etiam pars clarissima est, traduntque eam canones illi omnes, quibus ad pugnandum arma necessaria esse decernitur, sicuti est decretum illud Melchiadis *de conf. d. 5.*

Assertum primum probatur

29 Dicendum secundo, sacramentum hoc necessitate præcepti esse necessariũ. Est contra priorem sententiam, traditur autem implicite à Scoto *loco cit.* & probatur, quia omnia sacramenta nouæ legis necessaria sunt aliquo modo, siue respectu singularum personarum, siue totius communitatis; hinc *sess. 7.* Concilij Tridentini *can. 4. de sacramentis in genere* anathema dicitur ijs, qui negauerint sacramenta nouæ legis esse ad salutem necessaria, licet non omnia singulis necessaria sint, atqui sacramentum confirmationis vnum est ex septem, ut ibi decernitur ergo aliquo modo necessarium erit, non autem necessitate medij, vt vidimus, ergo necessitate præcepti, similiter Laodicenum Concilium *can. 8.* oportere statuit hoc sacramentũ recipere, & Melchiades citatus.

Secundum assertum.

Suadetur.

Sed cuius nam præcepto? non incongruè fortasse respondebimus si ecclesiastico dicamus mandato sacramentum hoc esse necessarium. Summi enim Pontifices id sanxerunt Vrbanus Papa Primus, & Melchiades, illo enim sicuti refertur *in summa conciliorum in decretis huius Pontificis*, & *d. 5. de conf. cap. 1. in epistola ad omnes christianos scripta*, *omnes*, inquit, *christiani per impositionem manus episcoporum spiritum sanctum post baptismum recipere debent, vt pleni christiani inueniantur*. Hic vero Hispaniarũ Episcopis scribens victuris necessaria statuit confirmationis auxilia, quarum decreta secutum Laodicenum Conciliũ oportere statuit sacramentum istud recipere, quibus non facile applicatur Sua-

Necessitas ex præcepto ecclesiastico probatur.

rezij. Responsio, quod Pontifices isti non nouum ius condant, sed conditum à Christo declarent, præterquamquod enim Vrbanus loco cit. expressè nouum indicat præceptum, dum omnibus scribens omnes decernit debere confirmari, ipsa quoque Responsio in se stare non potest, cum in ea id supponat, quod ante contra Durandum, & alios negauerat, datum à Christo Domino humano generi de hac re præceptum. Quod si Scoticum hac in re placitum expetatur dicendum arbitror, dum scilicet Scotus ait esse aliqualiter sacramentum hoc necessarium indicari datum de non contemnendo præceptum, ac propterea teneri omnes opportunitate oblata recipere illud, quia iudicatur contemnere, qui omnimoda opportunitate habita non susciperet, licet non explicet à quo datum id fuerit. Discipulus tamen eius Bassolius d.7. q. vnica art. 2. fortassè ex eius hausit fonte, dum dixit ab Ecclesia id præcipi per Vrbanum Pontificem cap. omnes christiani.

Relectio responsi Suarez.

Scoti placitum

30 Per hæc uero, quæ diximus ad aliorum fundamenta respondere facile erit. Prioris enim sententiæ ratio maiorem assumit veram, minorem falsam; quia præceptum hoc ab Vrbano Melchiade, & Laodiceno Concilio significatur. Durandi ratio nostræ fauet sententiæ, cum vniuersaliter asserat necessarium esse hoc sacramentum, quatenus vero obligationem pro casu tantum inducit, soluitur, non est enim de omnibus causis verum, quod manentibus eorum effectibus ipsæ quoque debeant manere, nã ex Sancto Bonauentura lancea est causa vulneris, vulnus tamen manet non manente lancea, est utique de omnibus causis verum, quod inducant aliquando effectum, ideo enim causa, quia causat: ad propositum effectus huius sacramenti primarius est gratia, & eius augmentum, quæ gratia manere potest multo iam antea confirmationem habita, qua deinde gratia constanter poterit verbum Dei, eiusque fidem profiteri. Adde præcisum confirmationis effectum non esse confessionem fidei, vt reatur Durandus, proinde minor argumenti eius probationem desiderat.

Solutio fundamenti primæ sententiæ

Durandi ratio nulla

31 Ad confirmationem ex auctoritate Melchiadis dicendum, quod ly victuris non desumpsit ex proprio verbo Durandus; illud enim licet tam à vino, quam à vinco deduci possit, tamen Melchiades ibi desumpsit à vinco, dum dicit, quod agonizantibus sufficiunt bene-

Verba Melchiadis expensa

ficia regenerationis, victuris autem necessaria sunt confirmationis auxilia.

DE MINISTRO CONfirmationis.

32 VNica superest, eademque non leuis difficultas de ministro, num scilicet solus Episcopus sit sacramenti huius minister, ita ut neque ex dispensatione possit simplex presbyter munus istud obire. Qua in re tres extant principaliores sententiæ: prima est dicentium quemlibet simplicem sacerdotem esse idoneum ex institutione Christi sacramenti huius ministrum, vel saltem commune esse episcopis, & presbiteris sacramenti istius ministerium, ita sensit ex Catholicis Richardus Armacanus lib. 11. de quæstionibus Armenorum cap. 4. à quo desumpsit hunc errorem teste Vualdense tom. 2. de sacramentis cap. 114 Ioannes Vuicleph, quo paulò antiquior Armacanus fuit. Secunda opinio huic contraria ponit ita necessario sacramenti huius ministrum esse Episcopum, ut nulla ratione ostendi possit hoc ministerium simplici sacerdoti committi nec etiam ab ipso Papa, ita Durandus d. 7. q. 3. & 4. Tertia denique opinio extremè contraria secundæ est, quod ordinarius minister Episcopus est solum, potest tamen ex commissione, ac dispensatione Pontificis hoc munus alteri cuipiam demandari, quæ multos habet sectatores, sed diuersimodè, quidam enim potestatem hanc, ac dispositionem Pontificiam nedum penes sacerdotes attendi posse arbitrantur, sed etiam penes clericos, itaut ex dispensatione tam clerici, quam sacerdotes valeant confirmare, immo forte quilibet baptizatus, est enim generalis quædam glosæ regula de cons. d. 5. cap. munus ex facultate Pontificis quemlibet eleuari posse ad sacramentum hoc ministrandum; alijs contra non alij inferiori clerico, neque laico, nisi sacerdoti hoc committi posse ministerium, eique nonnisi à Summo Pon

Prima sententia

Armacani

Secunda sententia Durandi.

Tertia sententia laxa nimis

Pontifice, ita Sanctus Thomas *in* 3. *p. q.* 72. *art.* 11. quem Recentiores Thomistæ sequuntur.

Scoti sensus incertus si credas Suarezio, & Soto

33 Scotus hac in re est valde ambiguus, vt variè varij quid ipse sentiat, existimarint; Franciscus Suarez ait Scotum ex parte cum Armacano conuenire *d.* 7. *q* 1. dum censet ministrum esse Episcopum necessario necessitate præcepti non vero sacramenti, ita vt si attentaret presbiter hoc sacramentum rite conferret licet grauissime peccaret obuiando præceptis. Sotus Scotum ait cum Durando consensisse in hac re, nec scilicet ex dispensatione Papæ posse munus istud simplices sacerdotes exequi.

Lapsus Suarij.

34 At profectò Scotum non intellexerunt authores isti, quod enim ad Suarez spectat, is certè nec vidit Scotum, sed nec à limine salutauit, qui numquã imaginatus est tale, quod de necessitate præcepti Episcopus solum sit necessarius Minister, sed simpliciter ministrũ idoneum vocat episcopum *in illa quæstione* 1. vel alium, cui committi potuerit; immo *in reportatis eadem distin. & quæst.* clarissimè videtur supponere à Christo esse decretum in institutione, vt minister esset episcopus solum, ac proinde de necessitate ex institutione Christi pendente necessarium ministrum esse Episcopum. Quod vero ad Sotum attinet, non miror, quia mos est viri huius sæpè sæpius vel leuibus redarguere Scotum, vel falsam ei plerumque sententiam imponere; Scotus ait minister idoneus est Episcopus, vel alius, cui committi poterit, ideoque dicitur in diffinitione à *Ministro idoneo*. Sotus vero vult Scotum asserere non posse nec ex dispensatione alium præter Episcopum hoc facere, at quomodo simul hæc duo stare possunt?

Soti mos in Scotum.

Origo huius dubij vnde?

35 Hæc controuersia ortum habuit ex quadam diui Papæ Gregorij epistola ad Ianuarium Episcopum relata *d.* 95 *cap. Peruenit*, in qua sic scribit Pontifex, *Peruenit ad nos quosdam scandalizatos fuisse eo quod presbiteros tangere chrismate eos, qui baptizati sunt prohibuimus*, & subdit *nos quidem secundum veterem vsum Ecclesiæ nostræ fecimus, sed si omnino hac de re aliqui contristantur vbi Episcopi desunt, vt presbiteri etiam in frontibus baptizatos chrismate vngere debeant concedimus*. Hæc ille, cui sane accommodari non potest aliquorum glosa dicentium non de confirmatione locutum Gregorium, sed de vnctione chrisma- [illegible] baptismum [illegible] de vnctione in fronte scribit Gregorius non vero de vnctione in vertice qualis est illa, quæ fit post baptismum à quouis etiam simplici sacerdote.

36 Vt igitur resolutè procedamus, sit primum assertum, quod minister sacramẽti huius ordinarius est Episcopus solũ. *Assertio prima* Est Scoti, & hisce temporibus de fide est diffinitum in Tridentino Concilio *sess.* 7. *de conf. can.* 3. *Si quis dixerit ordinarium ministrum sanctæ confirmationis non esse solum episcopum, sed quemuis simplicem sacerdotem anathema sit*, satisque sufficienter insinuauit eam Synodus Coloniensis in doctrina de hoc sacramento & Florentina in institutione Armenorũ vbi & ratio huius adducitur à posteriori: quia scilicet de solis legitur Apostolis, quorum vicem gerunt Episcopi, quod per manus impositionem Spiritũ sanctum dabant.

A priori sumenda est ratio à voluntate, & institutione Christi; quæ per Ecclesiæ traditionem, assiduumque vsum nobis innotescere potuit; à posteriori vero, & congruentia non admodum displicet ea Sancti Thomæ *in* 3. *p. loco citato*, quod Episcopus in Ecclesia Dei est veluti dux in exercitu, ad quem spectat milites recipere, & consignare; & multæ sunt aliæ rationes assignabiles, seu conuenientiæ potius: quia magis habet locum congruitas, quam necessitas, quæ nonnisi ex institutione dependet.

Ratio a priori diuina voluntas

Congruentia bona

37 Hac vero diuina de hoc institutione stante consequenter est asserendum ordinariũ ministrum necessario necessitate nedum præcepti, sed sacramenti esse Episcopum solum, ea enim necessitate sacramenti dicimus necessaria, quæ ex ipsa institutione Dei dependere cognoscimus: accedit quod si necessitate præcepti solum necessarium ministrum dicamus Episcopum, apertè sequitur, quod si sacerdos attentaret facere sacramentum hoc, factũ vtiq; esset validum, licet is grauiter peccaret; quod tamen asserere nonnisi temeritate notandum esset, cum communi Scholasticorum refragetur assensui: vnde rectè glosa super caput actorum 8. ait, quod Philippus ille, ad cuius prædicationem conuersi sunt Samaritani, & crediderunt, non poterat manus imponere, quia non erat Apostolus, loco autem impositionis manuum successit confirmationis vsus, & loco apostolorum Episcopi ex præcitato Florentino Concilio.

Necessitas ministri huius qualis,

38 Secundum assertum, ministerium [illegible] ico, aut inferiori, quam *Assertum secundum*

sacerdoti committi posse etiam ex dispensatione Pontificis probatur. Quæcumque sunt de sacramentorum substantia, & essentia alterari, aut immutari nequaquam possunt; atqui ex diuina institutione Episcopus solum est ordinarius minister, vt Concilia diffiniunt, soliusque sacerdotis facienda est exceptio ex traditione ecclesiastica, quā nullatenus fieri posse, vt extendatur ad inferiores ordinatos probari nusquam potest; ergo non est aliquid in re tam graui ex diuina institutione pendente temere contra vniuersalem Ecclesiæ sensum asserendum. Et confirmatur, quia in his quæ sunt iuris diuini absolute, ac simpliciter dispensari non potest nisi iuxta modum ipsomet diuino iure concessum, ac statutum, at ius hoc ministrandi sacramentum hoc diuinum est, ordinariaque lege Episcopis solum concessum, & ex traditione habemus posse Summum Pontificem in hoc circa presbiterum dispensare solum, nihil igitur vlterius tenere asserendum.

Ratio non inefficax.

39 Tertiū assertū, ex cōmuni scolasticorū consensu sit, quod auctoritas conferendi sacramentum confirmationis ipsis quoque sacerdotibus ex dispensatione committi potest. Hoc tradunt communiter fere omnes; quod probant de facto, ex quo possibilitas elucescit magis. Gregorius enim Papa Primus cum audisset scandalizatos quosdam propterea, quod confirmationem sacerdotes conferre, prohibitum fuerat Ianuario Episcopo de hac re scribens, concedit quod absente Episcopo in fronte possint simplices sacerdotes chrismate vngere.

Tertium assertum.

Probatio.

Respondet *Maironus* post multa Gregorium defendi non posse, & eo facto potuisse vt hominem errare. Responsio tamen hæc sustinenda non est, ne tanti Pontificis vilifiat auctoritas.

Responsio Maironis nulla

Alij dicunt Gregorium non dedisse hanc potestatem, nec dispensasse in hoc casu, sed potius permisisse hoc fieri. Hæc extorquet textum. Pontifex ait *concedimus* in eo decreto non permittimus. *Alij* dicunt quod non concessit administrationem sacramenti confirmationis, sed quoddam sacramentale tantum, vnctionem, scilicet, olei in fronte, ista etiam responsio textum destruit, in quo de chrismate, non de oleo loquitur Gregorius, apertissima modo res est, quod chrisma dicit oleū balsamo simul admixtum.

Aliorum falsa.

Aliorum vana

40 Alij dicunt, quod concessit hoc Papa ad tempus ad euitandum scandalum. Hæc tamen responsio friuola est, vtilius est enim permittere, vt veniant scandala, quam veritatem deserere, & Pontifex tunc mortaliter peccasset concedens de facto, quod non posset de iure.

Aliorum inanis.

41 *Alij* ergo dicunt, quod in primitiua Ecclesia non erat inter episcopos, & presbiteros vlla differentia, idem enim erat Episcopus, & presbiter, ideo potuit illud facere Pontifex nō quasi dans presbiteris aliquam potestatem, sed licentiam impertiens, & prohibitionem prius factam reuocans, quod vero olim idem esset Episcopus, ac presbiter, probant per auctoritatem beati Hieronymi cuius verba referuntur *cap. olim d.* 95. sunt autem hæc *olim idem presbiter & episcopus, antequam diabolico instinctu scismata in religione fierent*, similiter idem sanctus hoc habet super illud Pauli ad Thimotheum *noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manus presbiteri*, hoc insuper insinuauit Apostolus ad Titum cap. 1 *ad hoc reliqui te Cretæ, vt ordinares presbiteros*.

Responsio plausibilis

Hæc responsio, vt unam euadat in aliā momenti non minoris difficultatem incidit, num .s. eadem esset Episcopalis olim dignitas, ac presbiteralis, & quidem licet hanc rem non videatur determinasse Scotus *in 1. q. d. 7.* vbi hanc responsionem adducit, verisimiliter tamen arbitror magis à Christo factam Episcoporum, ac presbiterorum distinctionem, dum duodecim fecit Apostolos, & 72. discipulos, *d. antē 21. cap. in nouo* habetur, quod loco Apostolorum surrexerunt Episcopi, & presbiteri auctoritatem gerunt septuagintaduorum discipulorum, distinctio igitur facta de apostolis & discipulis à Christo innuit nobis Episcoporum, & presbiterorum distinctionem, nec Diui Hieronymi obest auctoritas, ipse enim etiam relatus *d. 93. cap. legimus* fatetur in primitiua Ecclesia aliquem actum ita fuisse Episcopo proprium, quod non conueniret sacerdoti simplici, ordinare, scilicet, vnde habet, *quid facit episcopus ordinatione excepta, quod presbiter non faciat* tamen Papa potuit sic dispensare non quasi mutando aliquid essentiale sacramenti, at faciendo Episcopum quemlibet sacerdotem subiectum Ianuario Episcopo in hoc facto, sic possumus respondere ad factum Gregorij XIII. si tamen illud est ve-

Difficultate vrgetur.

rum

rum, quod aliquibus in Indiam proficiscentibus hoc concessit, hæc tamen concessio nobis non constat, vt putari queat voluntaria.

Prima ratio Soti

42 Vrgent contra Scoticam hanc sententiam Soti, ac Suarez rationes, arguit enim Sotus primo, Præsenti tantum non absenti sacramentum ordinis conferri potest, ideo non potest Papa ordinare absentem, vt patet ex his, quæ in Episcoporum consecratione adhibentur. Secundo, quia Papa non potest ordinare simplicem presbiterum ad vnum actum Episcopalem, & non ad omnes, Episcopus enim omnibus Episcopalibus functionibus fungi potest. Denique, quia Gregorius non solum concessit hoc illis sacerdotibus actu viuentibus, sed etiam successoribus, modo Papa non potest facere episcopum aliquem hominem futurum.

Secunda ratio

Suarij argumentum

43 Suarez etiam reprehendit Scotum quasi diuidentem Episcopalem dignitatem, non enim Papa valet aliquem efficere semiepiscopum.

Verior sententia

Ponendo Episcopatum ordinem à sacerdotio distinctum verius arbitror dicendum, confirmare esse actus ordinis Episcopalis; inferiores enim ordines si illud attentent nihil faciunt; sicut si Diaconus attentet consecrare hostiam nihil faciet. Et cum contra arguitur, quod tunc Papa non potuisset dispensare, vel dici potest, quod simpliciter sacerdotes illos fecerit Episcopos, vel quod ex dispensatione Dei reuelata Pontifici ob necessitatem gentium, & Episcoporum inopiam factum illud fuit, si dicatur hoc secundum consequēter dicendum in institutione sacramenti huius Christum instituisse ordinarium ministrum Episcopum, causa vero dispensationis adueniente declarasse dispensationem per successores Petri, vt per Gregorium Primum, & decimum tertium, sicut in primitiua Ecclesia dispēsatum fuiße tentur plerique in forma baptismi, & in administratione, & collatione effectus sacramenti huius. Si dicatur primum dicendum ad Sotum, quod non impedit, quominus absentem possit Pontifex creare Episcopum, sicut de facto accidit in Germania, vbi ex conuentu canonicorum fiunt episcopi, qui absentes electi confirmantur à Papa, & ordinantur ab aliis Episcopis; similiter fieri potest, vt Pontifex velit sacerdotes omnes futuros in aliqua vrbe esse Episcopos, dummodo ab aliis ordinantur ibi; & dum simul cum Suarez ait Sotus, non posse Papam ordinare, quoad vnum actum sacerdotem in Episcopum quin ad alios; alias faceret eum semiepiscopum, non intelligit Scoti sententiam, quam si legisset Gabrielem Biel, optime apud ipsum declaratam reperisset: dum n. ait Scotus, quod Papa fecit Episcopos illos sacerdotes, quoad hunc actum, non intelligit, quod gradus Episcopalis diuidi possit, & vna pars sine alia conferri sicut verba sonant nam aut fecit eos episcopos, aut non, si sic contulit omnem potestatem ad hunc ordinē pertinentem, si non, tunc rediret ratio, quod concessisset non Episcopo confirmare, sed intelligit Scotus, quod verè fecit eos Episcopos; sed quantum ad omnes alios Episcopales actus potestatem præcepto restrinxit, & hunc solum confirmandi actum liberè concessit.

Eiusque explicatio

Occurritur Soto

Alia responsio

44 Quid si dicamus Gregorium illa epistola, quæ est 26. in ordine lib. 3. indict. 12. temperare rescriptum suum in alia epist. ad eundem Ianuarium 9. in ordine ad eundem lib. & indictionem, qua tamen epistola 9. inhibet sacerdotes signare sacro chrismate infantes in fontibus, sed iubet vngere in pectore, certum est autem sacro chrismate non vngi infantes in pectore, sed in capite; dici igitur posset locutum Gregorium de alia vnctione, non de confirmatione, porro illam antequauit Ecclesia.

Aureoli Cardinalis opinio

45 Ponendo Episcopatum non esse ordinem à sacerdotio distinctum dicendū esset cum Cardinali Aureolo, qui propius ueritati accessisse videtur, duplicē esse potestatē alterā ordinis, alterā iurisdictionis, ex quibus duabus potestatibus simul iunctis consurget tertia potestas mixta, cuiusmodi sunt audire confessiones, conferre ordinis sacramentum; potestas enim audiēdi cōfirmationis est potestas mixta ex potestate ordinis, & Iurisdictionis; ordinis quidem, quia sola iurisdictio non sufficit, alias plebanus non ordinatus posset audire confessiones iurisdictionis etiam, quia nec ordo sat est sine illa, nullus enim potest audire, nisi subiectum sibi, vel de iure, vel de commissione: similiter potestas ordines conferendi est mixta aliquomodo ex ordine, & iurisdictione, ideo Papa potest committere simplici sacerdoti potestatem conferendi minores ordines, non vero potest alicui inferiori non sacerdoti, similiter potestas confirmandi est potestas mixta sic quod nec soli ordinato, nec soli iurisdictioné habenti committi potest, sed vtrumque habenti.

His

DE AVGVSTISSIMO EVCHARISTIAE SACRAMENTO.

DISPVTATIONES

(1)

INSTITVTVM DICENDI.





HACTENVS de confirmatione, & baptiſmo, quantum pro modulo licuit, diſſeruimus nunc ad Auguſtiſsimi ſacramenti, quod optimo, ac merito iure ſacramentorum omnium ſacramentum nuncupari conſueuit, diſputationes deſcendimus, nec tamen vniuerſa, quæ de eo effari, vel poſſemus, vel teneremur, ſpondemus, codicis ex decurſis incremento limites præſcribente; fauente tamen Deo plura peculiari de hoc eodem ſacramento, & qua ſacramentum, & qua ſacrificium eſt, ſi per otium, & vitam licebit, diſceptaturi. Interim dicendorum ordinem metire.

Ordo dicendorum

Non hic præſtantiæ, ſeu dignitatis methodi rationem gerimus, ſecundum quam primo omnium loco de altaris ſacramento fuiſſet dicendum; ſicuti tam hoc ipſum cæteris, quam cæteris aliorum ſacramentorum effectibus Chriſtus Dominus effectorum largitor præſtare dignoſcitur. Sed nec Hyerarchicum ſectamur ordinem, ſecundum quem inſectati dictorum à Beato Dyoniſio Patrum antiquiſſimo *in ſuo de Eccleſiaſtica Hyerarchia libro* ſeriem prius de ſacramentis, quæ à Præsbiteris, quam de his, quæ ab Epiſcopis miniſtrantur, ſolum diſſeruiſſemus. Sequitur igitur dicendorum inſtituta ſeries vitæ naturalis ſeriem, ſicuti ſacramentorum merito ſpiritualem aucupamur vitam, eſt autem, vt alibi decurſum eſt, ſacramentum baptiſmi noua generatio ad vitam; proinde monebat Seruator Ioan. 2. *oportere vnumquemque denuo renaſci*, & ex inde primo loco conſtitutum eſt baptiſmatis ſacramentum; ſubſequitur naturalem ortum augmentum vitæ, propterea in regeneratione ſecundum ſpiritum ſecundo loco conſtituebatur confirmatio, quæ datur ad robur, & ad incrementum ſpiritualis vitæ: Huic proxima eſt nutritio vitæ naturalis, qua vita ipſa conſeruatur, & fouetur, & ob hanc cauſam tertio loco cibus hic, paniſque de Cælo veniens conſtitutus præſtat nobis tertium de eo differendi locum. Nec officit, ſi dixeris, etiam in vita naturali augmentum ſubſequi ad nutritionem; quia ex nutrimento augetur viuens; videri que ob eandem cauſam in vita ſpirituali confirmationem eſſe poſt Euchariſtiæ ordinem collocandam. Non officit (inquam) quia augmentum, quod in confirmatione datur, non eſt ex alimento, vel ex nutritione, ſeu per modum nutritionis, ſed

Dionyſius de eccleſ. Hyerarchia.

per modum vnctionis datur; ante cibum autem naturalem, etiam in spirituali vita, augmentum ipsum per modum vnctionis potest nutritionem præire.

Oppositio debilis

Nec etiam refert quotidianus Ecclesiæ regularis usus, secundum quem fideles pœnitentiæ prius sacramento expiantur, quam Eucharistiæ sacro pane cibentur; quia hoc per accidens euenit demerito culpæ, quam contrahunt, nam in primitiua Ecclesia secus fiebat, & confirmatis sacramentũ Eucharistiæ statim conferebatur, & paruulis etiam sacramentum hoc consueuisse dari non obscure indicat Augustino *epistola* 107. scribens Vitaliano Carthaginensi. Hæc etiam si tanti non essent ordinem dicemur insequuti nouissimorum Œcumenicorum Conciliorum *Florentini* in *Decreto Eugenij*, & *Tridentini* sess. 13. quorum vtrumque tertium inter sacramenta nouæ legis locum Eucharistiæ assignant.

Ordinis methodus ea erit, quæ peremnis disputationum nostrarum fuit, quam repetere inutile censemus.

DE NOMINE HVIVS SACRAMENTI

EIVSQVE DIFFINITIONE, ET ESSENTIA.

(1)

NOmine ignorato, petendæ rei quidditas, quæ nominis significationi affinis est, ignoretur, necessum est, cuius propterea notitiam primo loco statuere Philosophi, neque hac in harum disputationum vestibulo debuit prætermitti, cum hoc ipsum sacramentum multinomium sit, ex qua nominum, ac appellationum varietate equiuoca vigeri de eo posset disciplina.

Multifariam igitur appellatur hoc sacramentum, quod sacramentũ sacramentorũ appellamus ex ea hyperbole, qua insignem diem Sabbatum Sabbatorum, insignem Lazari suscitationem miraculum miraculorum appellarunt Patres.

Sacramentum sacramentorum

Nos autem distinctione vtentes singula vnico, si fas est, verbo recensemus vocabula. Est autem distinctio, sacramentum hoc, & qua sacramentum specifice, & qua sacrificium posse spectari, quæ distinctio, etsi Nouatoribus displiceat Luthero, & Caluino, passim præstatur ab Ecclesia, et, dum de sacrificio loquemus, dicendum est fuse, ex quo loco illam supponimus; & quidem qua sacrificium est singula sibi sacrificiorum antiquorum vocabula pacisci potest; siquidem erant autem sacrificia quædam ad Deum colendum dumtaxat, quæ vocabantur *honoraria*; quædam ad gratiarum actiones, quæ nuncupabantur *Eucharistica*; quædam pro beneficijs impetrandis, quæ appellabantur *impetratoria*; quædã ad placandum Deum pro peccatis pacatis iratum, quæ dicebantur *propitiatoria*: primi generis vocabantur holocausta, secundi, & tertij hostia pacifica, quarti hostia pro peccato, & hoc sacrificium dum solum ob Dei cultum offertur sacrificij in primo significato nomen patitur; appellatur hostia pacifica, dum pro gratiarum actione pro beneficio Christi passionis offertur, de qua re vide Augustinum *in Enchirid cap. 2. & cont. aduersarium legis, & Prophetarum lib. 1. cap. 18.* Appellatur hostia pro peccato, dum propitiatorium dicitur à Concilio Tridentino *sess. 22. can. 3.*

Vt sacramentum, et vt sacrificium

Nomina Eucharistiæ, vt est sacrificium

Qua sacramentum vero est, hæc sentiuntur vocabula Eucharistiæ, panis de cælo descendentis, panis angelici, panis vitæ, cibi animæ, escæ spiritus, conuiuij, cænæ dominicæ, sacramenti corporis, & sanguinis Domini, communionis, viatici, synaxis, & similia.

Nomina eius vt est sacramentum

Hæretici cœnam approbant

Hæretici illud solo cœnæ Dominicæ nomine appellant, vt exinde alia propugnent errata, quorum illud non leue est, quod censeant sacramentum hoc esse in cœnando positum, hauriuntque existimationis huiusmodi intellectum ex illo Pauli p. Chorinth cap. 11. *Conuenientibus vobis in vnum iam non est dominicam cœnam manducare.*

2 Nec tamen intelligunt non vnicam in vltima Christi cœna cœnam factam, cum tamen triplex illa fuerit, legalis, communis, & sacramentalis: in legali comestio fiebat agni Paschalis, in communi cibi vsitati, in sacramentali sumptio sacri corporis, & sanguinis Christi, an autem de secunda, an de tertia cœna locutus ibi Paulus fuerit, consulendus est Cardinalis Baronius *tom. 1. annalium ad annum Christi 57.* Sanctorum varia placita recensens, quæ hoc loco ad scripturæ interpretem remittimus, sicuti & cætera huius sacramenti vocabula, vno perpenso, scilicet eo Eucharistiæ nomine, quod Græcum est, an autem simplex, an compositum ab Eu, & *Charis* quæ apud Græcos bonam gratiam sonant, an vero simplex nomen Eucharistiæ à verbo *Eucharisteo*, quod gratias agere significat, ita vt Eucharistia eadem sit, ac gratiarum actio, dissident interpretes: nec sine ratione ortum est dissidium, cum varia sint eiusdem Græci vocabuli significata, vt patet apud *Lexicon Græcum*. Et quidem Sotus *art. 3. d. 8.* nomen Eucharistiæ à verbo deriuans posterioris sententiæ fit patronus, tum quia hoc sacramento non tam gratiam accepturi, quam à fuci. Trinus Deo sacrificium, tum quia in psal. 110. ante versiculum *memoriam fecit mirabilium suorum*, præmittitur alter, qui incipit *Confessio*, hoc est gratiarū actio, & *magnificentia &c.* Non arbitror tamen à communi sententia recedendum, quæ statuit Eucharistiam significare bonam gratiam, vt pote nomen ab *Eu*, & *Charis* compositum, Eu autem bonum & *Charis* gratiam sonat. Ita enim loquitur magister *sent. in littera*, quem secuti sunt deinde antiquiores Theologi omnes ob eas, quas suse rationes tradit Magnus Albertus *in tract. de corpore Christi*. Nec refert, quod *eucharisteo* verbum significet gratias agere, nam & euangelizo significat absolute nunciare iuxta illud Lucæ 1. *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum*, cum tamen Euangelium non nuncium dumtaxat, sed bonum nuncium designet.

Triplex cœna, legalis, vsualis, sacramentalis.

Cardinalis Baronius.

Eucharistiæ duplex deriuatio

Vtra placeat authori

3 Nec rationes Soti coniecturam pariunt, nam prima decidit, cum hoc sacrificium sit melius hostia pro peccato, quam ad gratiarum actiones; vnde ad oblationem ait Sacerdos. *Suscipe Sancte Pater hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus offero, &c. pro innumerabilibus peccatis, &c.* & post aliam oblationē tertio iterum ipsa ob ratione dicens *Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, &c.*

Soti ratio nes nulla Prima

Inanis est secunda, quia fuit Christo in more positum ante miraculorum patrationem patri gratias agere, vt factum est in suscitatione Lazari. Vana est tertia, quia versus ille ad superiorem relatus connectitur melius cum generibus operum Dei, quam cum speciebus, in superiori autem dicebatur. *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius.* Vide varia patrum in eius explanationē placita apud Lorinum *tom 3.* Hausit autem interpretationem suam Sotus ab Osio Cardinale Varmiense *in lib. de Eucharistia cap. 41.* Quidquid autem sentias, lis est de nomine.

Secunda item.

Tertia pariter

4 Porro descriptionem nominis Eucharistiæ præstolatur Scotus *d. 8. huius 4 q p. littera A.* hanc ferme in modum. *Eucharistia est sacramentum corporis, & sanguinis Christi contenti sub speciebus panis, & vini post consecrationem factam à sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis ex institutione diuina efficaciter significans corpus Christi, & sanguinem sub eis realiter contineri.* Descriptionis huius partes suse prosequitur Doctor *ibidem*, in qua obseruat secus esse philosophandum, ac in sacramentis cæteris, cum enim cætera in vsu dumtaxat sint posita, esto enim benedicatur aqua, vel oleum, vel chrisma, haud quaquam tamen erit baptismi sacramentum, nisi suscipiens abluatur, nec confirmationis nisi chrismate, nec extremæ vnctionis, vel ordinis, nisi oleo proportionabiliter proprio vngantur suscipientes. Secus autem in hoc sacramento euenit, nā, dum à sacerdote conficitur, nondū est, expletis verbis confectum est, nec fit dum suscipitur, sed sicuti sacerdotis actio est quædam via ad ipsum, ita susceptio est quædam via, qua ipsum applicatur ecclesiæ membro.

Descriptio Eucharistiæ ex Scoto

Obseruatio necessaria

5 Quo constituto habes in primis pro genere, si methaphisicam descriptionem postulas, sacramenti vocabulum, pro differentia particulas cæteras, quæ, quām sacramentum hoc ipsum distinguant ab alijs

Descriptio perpensa.

alij per se absque nostra expositione demonstrant. Si phisice diffinitionem quæris, en tibi quatuor causarum descriptio: materialis per illa verba *sub speciebus panis & vini*, non ita vt materia, vel forma in hoc sacramento permaneant, sed quatenus in eius fieri conueniunt, vt dicetur infra: tum forma per illa *sub certis verbis*. Effectrix ministerialis per ea *à sacerdote cum debita intentione*.

Quatuor causæ diffinitionis.

Principalis effectrix per hæc *ex institutione diuina*: finalis demum per illa, *veraciter significant corpus Christi, & sanguinem* &c. Irridet eam Sotus *in 4. d. 8. q. vnica art. 1.* quasi multa accumulantem, quæ in disputatione potius ventilanda sunt, quam diffinitione exprimenda; sed more suo voluntarie, sat enim alias ostensum est ex Aristotele debere diffinitionem esse orationem longam explicantem quid, & quale; sat etiam liquet esse falsum, non debere assumi in diffinitione, quæ in disputatione sunt cribranda, cum oppositum in singulis rei diffinitæ diffinitionibus eueniat, nam in diffinitione baptismi singulæ particulæ, quæ sumuntur, deinde disceptatione cribrantur; ita etiam in sacramento confirmationis, de quibus hucusque disceptauimus: nec inani consilio mehercle, nam quæ quasi compendio diffinitio colligit, disputatio exinde fusè demonstrat: cur autem non prius disputationi subijciantur, quam diffinitioni, habes Scoti responsum *in vestibulo 4. sent.* quia scilicet ratio quid rei, & quid nominis affines sunt in rebus præcipuè quidditatem habentibus.

Soti reprehensio ca... illusa.

6 Contra præfatam diffinitionis Eucharistiæ notionem hoc vnum urgeri posset dubium, quod diffinitum debet esse vnum, at hoc sacramentum vnum non est, cùm sub duplici contineatur specie, panis videlicet, ac vini, proinde finiri recte non posse videtur. Diluitur tamen ex Scoti doctrina *loco citato* obseruatione duplici proposita, quarum prima est corpus bifariam posse spectari, primo late, quatenus, scilicet omnia complectitur, quæ ad integrandum corpus organicum conueniunt, siue illa animata sint, siue anima destituta. Secundò presse, prout ea solum complectitur, quæ anima hominis uiuunt; priori modo sanguis est pars corporis, posteriori modo non ita, cum vti diximus *tomo de Incarnatione*, loquentes de Christi sanguine, sanguis formaliter non viuat, sed sit vitæ ipsius vehiculum. Altera obseruatio est, vnum dici multifariam, vt autem præsentis est loci proprium bifariam: est namque vnum aliquod vnitate indiuisibilitatis, aliquod vnum integritatis vnitate.

Dubium contra diffinitionem.

Diluitur.

7 In re nostra signum proprium corporis, & signum proprium sanguinis non sunt vnum vnitate indiuisibilitatis, quia, si presse corpus, & sanguis sunt diuersa signata, sunt autem vnum unitate integritatis, quia constituunt unum signatum totale, quod est corpus late sumptum, atque ita unum dici potest sacramentum hoc; hoc proindeque diffinitionis priuilegio non destitui.

Vnitas huius sacramenti qualis.

8 Porro ueritatem diffinitionis præfatæ fusè prosequitur Scotus, nos vno, vel altero uerbo, Illa est apta rei diffinitio, quæ non est ratio in se falsa, hæc est huiusmodi, ergo recta censebitur. Addendum maiori etiam, quod communiter logici de diffinitione proclamant, scilicet, quæ naturam diffiniti sic explicat, vt nulli alij ab eo conueniat, qua additione proposita dubitatione vacat maior. Suadetur minor, quia illa est oratio in se falsa, cuius partes inuicem pugnant, hæc autem non est huiusmodi, quare falsa non est; subductæ argumentationis minor probatur, quia non implicat Christi corpus sub illis contineri speciebus, neque hoc est impossibile, vt ex dicendis patebit: similiter probabile est posita aliqua signa à Deo ad signandum contineri sub illis signis signata, nam quod Deus potest facere, potest etiam per aliquod signum signare, sunt ergo omnia probabilia, & non implicantia, quæ in illa oratione sumuntur, nec exinde illa censeri potest oratio falsa, lege Scotum.

Dilemma ad probandam diffinitionis veritatem.

9 Ex hac diffinitionis propositæ decursa doctrina facile illa duo eneruabis dubia, quæ tot coaceruatis prosequuntur verbis Recentes, Suarez *disp. 42. sect. 3.* Vasquez *disp. 167.* Ioannes à Lugo *tomo 1. ac de sacramentis disp. 1. de sacram. euchar. bis sect. 2. & 3.* Quorum primum est, an hoc sacramentum componatur ex speciebus panis, & vini, & ex corpore, & sanguine Christi?

Suarez, Vasquez, & Lugo argumen...

Primum.

Alterum uero huius appendix. Numquid dicat in recto Christi corpus, & sanguinem, in obliquo species, an è contra in recto species, & in obliquo corpus, & sanguinem, an vero in recto, vtrumque?

Secundum.

10 Quod enim ad primam dubitationem attinet, quamuis Vualdensis *tom. 2. de sacr. cap. 2.* à constitutione sacramenti huius speciei coerceat solum

Controuersia in solutione prima.

Christi

Christi corpus, & sanguinem putans intrare ad sacramenti huius constitutioné, & è contra Marsilius solas species sacramentum hoc constituere sit ratus; vera tamen opinio est, conspirare vtrûque: & quidem, si de speciebus loquamur, est omnis inepta probatio, eo enim ipso, quo Eucharistia sacramentum statuitur species illas ad eius constitutionem intrare dicendum est, cum nihil aliud in eo sensibile appareat præter species, ex quo sacramenta omnia sensibilia debent esse signa.

Marsilij placitum.

Vera sententia

11 Ne tamen putes sensibile hoc loco sumi pro materia, aut forma huius sacramenti, quæ, vt dicemus in hoc nulla est, sed sensibile intelligendo fundamentû illud relationis signi, quod nullum aliud est in hoc sacraméto præter species sensibiles panis, & vini. De Christi corpore, & sanguine fusè Recentiores Patrum testimonia congeruunt statuentia sacramentum hoc Christi corpore constitui, & sanguine, quæ apud ipsos consule. Certe congruentia ex doctrina Scoti collecta *loco citato littera A.* præstare videtur quâ deinde prosequutus est Lugo *loc. cit. num. 15.* desumpta ex ratione nutrimenti, quod spiritualiter nobis in hoc sacramento datur congruum est autem dari id sub similitudine nutrimêti corporei, quod cum præcipuè in pane, & vino statuatur, plane congruit corpus, & sanguinem dominicum, quem ipsemet Seruator appellat escam, & potum, sub panis, vinique specie nobis dari: quo supposito quis non videt tam species, quam Christi sanguinem, & corpus sacramentum constituere?

Sensibile in hoc sacramento quodnam?

Ratio Lugo

Aies primo, non videri species constituere hoc sacramentum, tum quia hic sensibile signum non est opus, vbi nulla signata est gratia pro effectu, gratia autem accidentalis in hoc nulla veraciter signatur: tum etiam, quia sensibilia signa in sacramento id efficiunt, quod signant, hic autem species non possunt efficere Christi corpus, & sanguinem, quæ sunt signata, cum nulla virtus finita id possit.

Primum obiectum.

12 Respondeo vtramque deductionem inanem esse, primam quidem, quia et si non gratia accidentalis, saltem effectus Dei gratuitus, qui est præsentialitas Christi sub illis speciebus veraciter signatur: dictum est autem in diffinitione sacramenti generica, gratiam, vel effectum gratuitum debere per signa sensibilia sacramentorum denotari: nisi velis cum aliquibus ex Nostratibus nomine gratiæ intelligere, vel habitû gratiæ accidentalis, vel gratiam subsistentem, hoc est, esse Christi, vt patet ex Scoti *littera D.* Alteram etiam deductioné reor inanem: nam eo, quo causant, modo sacramenta gratiam, dici possunt effectum causare gratuitum, non quidem phisicè, sed moraliter, quatenus scilicet species illæ sunt dispositiones immediatæ ad esse corporis Christi ibi, non à se, sed à Deo paciscente ita, vt post consecrationem assistat speciebus illis ad hanc Christi præsentiam in eis Vide Scoti doctrinam *littera F. in solut. 2.*

Solutio.

Aies secundo, Christi corpus generatim dici contineri in hoc sacramento: ergo dici nequit sacramentum hoc esse Christi corpus: idem argue de sanguine, quia nihil continetur in se ipso.

Alter obiect.

Occurro, argumentum ad summum conuincere sacramentum hoc non esse præcisè Christi corpus, vel sanguinem, sed non esse partem, vt ita dicam, constituentem sacramentum hoc non conuincere, nam & anima rationalis, licet alioquin paritas nulla sit, continetur in homine, vt pars in toto, nec tamen homo est sine anima ratione prædita.

Tollit

13 Quod spectat ad secundum dubium, scio aliquos Recentes cum Ioanne Rada *contr. 5. art. 1. 4. p. concl. 7.* autumare solas species ab hoc sacramento significari in recto, corpus autem Christi in obliquo solum. Scio Franciscum Suarez *disp. 47. c.* sentire, tam species, quam Christi corpus in recto ab hoc sacramêto significari. Scio denique alios cum Lugo persuadere sibi solum Christi corpus ac sanguinem in recto, species vero in obliquo tantum importari, ita vt triplex in eo soluendo conspiret sententia, duæ oppositæ, alia media. Constituamus nos aliam mediam statuentem, neutrum dici in recto, sed in obliquo solû, cum hac animaduersione: vel enim loquimur ex vi diffinitionis propositæ, vel ex vsu loquentium: primo modo videtur Eucharistia tam species, quam Christi corpus in obliquo inuoluere: sicut enim de alijs sacramentis, ita pariformiter, demptis ijs, in quibus hoc sacramentum præstat alijs, circa diffinitionem sentiendum est: constat autem res sacramentales quascunque diffinibiles in recto genus tantum inuoluere: reliqua vero, nisi sint differentiæ essentiales, inuoluere in obliquo: loquimur autem hic appositè de sacramentis, vt diximus, & hoc patet in diffinitione baptismi, quam probauimus suo loco,

De secundo dubio sententia Rada

Opinio Suarij.

Opinio Lugo

Opinio propria.

13 quo dictum est, quod *Baptismus est sacramentum ablutionis animæ à peccato consistens in ablutione hominis. Et* similiter & de Confirmatione; quare pari modo in hac diffinitione Eucharistiæ solum genus, quod est sacramentum in recto ponitur, species autem, & Christi corpus in obliquo, vt illam consideranti patet, quamuis vtrumque ex æquo ad eius perfectionem pertineat: si autem loquamur Methaphisicè magis spectando sacramentum hoc, qua signum, vt sunt etiam sacramenta cætera, perscrutandum est, in quo relatio illa significationis fundetur in hoc sacramento: supponendum est autem ex dicendis nonnisi in speciebus illis panis, & vini relationem significationis fundari, quapropter species videntur melius in recto significari ab eo, quam Christi corpus: ita vt prima sententia videatur verior, & Scoticæ doctrinæ accommodari magis, tum quia is *in hoc 4. d. 3. q. 1.* explicans diffinitionem baptismi ea solū ait exprimi ab illo sacramento in recto, quæ sunt relationis fundamenta, idcirco secundum duplicem sentiendi modum de baptismo, vnum quidem ponentem solam ablutionem esse fundamentum, verba vero circumstantias, alterum vero vtrumque ex æquo statuentem relationis illius sacramenti fundamentum, duplicem ponit diffinitionem; ita vt semper, quod est fundamentum relationis, inuoluatur in recto, tum etiam quia *d. 8. q. 1. litera D.* inter cæteras sacramenti huius excellentias secundam statuit causam quæ est quod sacramentum realiter continet, quod significat; certum est autem, quod solæ species significant, quare illæ solum continent; Christi autem corpus, & sanguis continetur solum, & significatur, vnde per hoc videntur in recto species solæ significari per hoc sacramentum in recto. Christi autem corpus, & sanguis in obliquo, & in hoc sensu priorem sententiam probamus.

Ex diffinitione sacramenti huius aperitur veritas.

Et ex diffinitione baptismi.

14 Nec officiunt, quæ affert Lugo *sect. 3. num. 3.* quod speciebus non possunt conuenire ea prædicata, quæ in recto tribuuntur huic sacramento, quale est adorationis latriæ prædicatum; similiter quia magis se habet ad modum subiecti corpus Christi in hoc sacramento, quam species; nam hic non subiectum, sed fundamentum relationis spectamus, vti diximus, subiectum autem, de quo loquitur Lugo, non ad relationem significandi, sed ad sustentationem specierum refertur, æquiuoco igitur laborat nominis significato hic auctor.

Satisfit Lugo.

Adde, pro alia obiectione, quod latriæ adoratio non ad sacramentum, qua sacramentum est, sed qua contentiuum Christi corporis, & sanguinis refertur, hoc autem non conuincit Christi corpus significari ab hoc sacramento in recto; nam risibilitas conuenit homini, non qua anima rationalis est, sed qua continet animam rationalem, pro vt humana nostram iuuare possunt intelligentiam exempla.

Eiusque ratio diluitur.

15 Addendum huic doctrinæ, vt monuimus, quod si vsum loquentium spectemus, videbitur magis Christi corpus, ac sanguis importari ab hoc sacramento in recto, quam species.

Additio necessaria.

Hoc sensu Patres, quorum longam confert Lugo seriem, vocant passim Eucharistiam Christi corpus, ac sanguinē, ita Ambrosius *lib. 4. de sacramentis cap. 4. post consecrationem* (loquitur de hoc sacramento) *dico tibi, quod iam est corpus Christi.* Cyrillus Ierosolymitanus *Cathechesi 4. Non sic hæc attendas velim tanquam sint nudus, & simplex panis, nudum, & simplex vinum. Corpus enim sunt, & sanguis Christi*, ita Chrisostomus *in cap. 10. primæ epistolæ ad Corinth. Quid enim* (inquit) *est panis? Corpus Christi* loquitur enim exponens illa verba Pauli *ibi de vno pane participamus.*

Probata ex Ambrosio, Cyrillo, Chrysostomo.

16 Porro sententia, quam explicuimus, constituens species inuolui in recto fundamentum habet validum in Concilio Tridentino *sess. 13. cap. 3.* quo monet hoc habere cum cæteris sacramentis sacramentum hoc commune, quod est simbolum rei sacræ, & inuisibilis gratiæ forma visibilis, at certe species solæ visibiles sunt, quare in recto illæ solum explicantur.

Probatio sententiæ propositæ.

Nec valet responsio Vasquij, & Lugo etiam Christi corpus esse sensibile, non quidem per se, sed per species, & per aliud. Hæc enim fuga est, non responsio, transiens à visibilitate ad sensibilitatem. In primis ait Concilium, Eucharistiam esse visibilem formam inuisibilis gratiæ. Ait cum Lugo Vasquez, sensibile esse Christi corpus per aliud, & per species.

Vasquij, ac Lugo oppositio.

Quid hæc ad Concilium? Certè species solas esse visibiles cæcus negaret dumtaxat, quia hæc per se visui subijciuntur quantitate, & colore, Christi autem corpus ibi nullo modo videtur, sed creditur solum.

Adde, quod tunc idem esset signifi-

cans,

cans, & significatum; quæ tamen duo à Concilio distinguuntur per opposita saltem negatiue alendo, signum esse visibile, gratiam (cuius nomine in hoc sacramento gratiam subsistentem intelligit) esse inuisibilem.

Vrgetur responsio. Demum concessa responsione adhuc vrgetur magis, species dici in recto; quia si sensibilitas est in recto inclusa in sacramentis, plane quod est sensibile per se melius inuoluitur in recto, quam quod est sensibile per aliud.

Aliud fundamentum. Fundamentum aliud pro eadem sententia educitur *ex cap hoc de consecr. d. 2.* quo species sensibiles in hoc sacramento dicuntur sacramentum tantum, corpus vero Christi sacramentum, & res.

Lugo mentis responsio. Cui si cum *Lugo* respondeas, ideo species dici sacramentum tantum; quia nullum aliud exercent munus, nisi significandi, quod est munus sacramentale, responsio auctoritatem consolidabit melius, quam destruet; nam hæc est sacramenti formalis ratio, vt sit signum, porrò hanc signi relationem in solis speciebus fundantes apposite species solas ab hoc sacramento inuolui, in recto sentimus.

Hactenus de nomine, & quantum cognatam habet cum diffinitione notitiam nomen, de diffinitione ipsa.

DE SACRAMENTI

Eucharistiæ existentia.

DISPVT. I.

AD hanc sacramenti huius existentiæ disceptationem referuntur illius institutio, à qua existentia ortum trahit, institutionis tempus, vnitas institutæ rei, & necessitas, obinde petitiones hasce singulas singulis prosequemur capitibus.

AN EVCHARISTIA SIT

sacramentum nouæ legis à Christo Domino institutum.

CAP. I.

Petitio duplex VIdetur duplici inuolutum caput propositum dubio, altero quidē, an sacramentum sit nouæ legis Eucharistia; altero autem, an fuerit à Christo Domino institutum: altera autem petitio alteram sequitur; siquidem constito Eucharistiam sacramentum esse euangelicæ legis, Concilij Tridentini anathemate docemur à Christo institutum, dum sacramenta omnia à Christo Domino institutionem habuisse decernitur.

Hæretici consentiunt. Ipsa autem petitio proposita tam est euidens, vt nec nobis cum Recentibus Hæreticis negotium facessat aliquod, consentientibus singulis Eucharistiam sacramentum esse nouæ legis à Christo institutum, quamuis sub hac ipsa veritate mille mendacia comminiscantur. *Arcontici & Messaliani dissident.* Messaliani duntaxat, & Arcontici vetustissimi heresum propugnatores, referentibus Epiphanio *heres. 40.* & Theodoreto *lib. 2. heret. fabularum* è numero sacramentorum Eucharistiam ablegarunt, ex eo quod nouæ legis sacramenta signa debent esse gratiæ collatæ illi, eo, qui sacramentum recipit, Eucharistia vero, cum adhuc consecratione peracta remaneat, nullius videtur collatæ gratiæ signum.

Cate-

Lutherus Caluinus, & Melancton concordant.

3 Cæterum Nouatores, Lutherus, & Caluinus eo dementiæ haud iuerunt, vt Eucharistiam è sacramentorum numero refellerent, Lutherus enim *lib. de captiuitate Babilonica*, qui cætera nouæ legis aspernatus est sacramenta Eucharistiam sacramentum esse fassus est. Caluinus autem *in sua institutione* duo sacramenta passus, alterum eorum eucharistiam statuit, idipsum Melancton, qui quatuor sacramenta confessus est; immò pseudoprophetes Mahometus *in suo Alcorano* Eucharistiam dicitur veneratione dignam censuisse sacramentum, licet hoc minus verum dixerim, si oculatis Bizantij testibus fidem præstamus fidelibus Italis, qui ad nos regressi, deque existimatione nostrorum sacramentorum apud Barbaros illos sciscitati, sæpius responderunt mihi, irridere illos Christianorum fidem, qua sub panis specie Deum colunt, quem deinde deuorant.

Idem de Mahometo aiunt alii, sed perperam.

4 Adde quod Ioannes Garetius *in suo libello de vera præsentia corporis Christi in sacramento altaris*, quamuis omnes etiã Ethnicos, & Hæreticos in classem confitentium veritatem huius sacramenti referat, nihil tale de Mahometo somniat. Sed quidquid sit de ijs, deque singulis à fide Catholica deuijs orthodoxa fide docemur hæc duo asserta.

Assertum primum et secundum.

Primum, Eucharistiam esse verum nouæ legis sacramentum. Alterum fuisse à Christo institutum immediate. Vtrumque statuit Florentina Synodus in Decreto Eugenij, & Tridentina tum *sess. 7 can. 1. de sacramentis in genere*, tum *sess. 13. de hoc sacramento*.

5 Effati prioris, & posterioris veritas ex Euãgelistarum contextu elucet. Matth. 26 Luc. 22. & Ioan 6. & corroboratur ex Patribus, Antiquissimo Dyonisio *lib. de Eccl. Hierarch. cap. 3. & seq* Ambrosio *lib. 5. de sacramentis*, August. *epist. 23*. Cyrillo vtroque Ierosolomit. *cathechesi 4*. & Alexand. *lib 4 in Ioan. cap. 17*.

Probatio vtriusque

6 Ratio vtriusque asserti à priori nulla, nisi diuina institutoris voluntas. Congruentia pro vtroque non leuis, pro priori quidem; quia cuicumque diffinitio conuenit, & diffinitum de eo enunciatur, at sacramenti finitio Eucharistiæ conuenit, quare & sacramentum ipsum de Eucharistia enunciatur: maiorem præstolantur logici, minor est euidens ex diffinitione ipsa sacramenti, qua dicitur *sensibile signum a Deo institutum efficaciter significans gratiam, vel effectum Dei gratuitum, ad salutem hominis viatoris*; porrò quis non videt quam bellè hæc sacramento Eucharistiæ aptetur? ipsum enim, vt diximus, est sensibile signũ, cum in recto inuoluat species vini, ac panis, super quas signi relatio fundatur, à Deo in vltima cæna institutum, sintque species illæ efficaciter significantes Christi Domini præsentialitatem realem, quæ est effectus gratuitus, immò & gratia subsistens nuncupatur ipsemet Christus Dominus in eo præsens, esseque ad salutem hominis institutum institutor ipse monstrauit aiens Ioan. 6. *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducet, non moriatur.*

Alia ratio pro 2. asserto.

7 Porrò posterioris asserti ratio ex ipso sacramento dimanat, constito namque, Eucharistiam verum esse sacramentum nouæ legis, profectò constabit immediatũ habuisse institutorem Christum Dominum, siquidem nequire ab alio, quam à Deo sacramentũ institui, *in tract. de sacramentis in genere* monstratum est, ex quo certitudinem signo nullus alius à Deo præstare potest; est autem peculiaris etiam huius sacramenti institutionis congruentia à Christo Domino; quia debuit excelsum opus ab excellentissimo institui artifice.

Occurritur Hæreticis.

8 Nec ratio pro Hæreticis quidquam habet ponderis: hucusque enim ostendimus sacramentum hoc esse signum efficax non quidem accidentalis, sed subsistentis gratiæ, seu effectus gratuiti, qualis est sacratissimi Christi corporis, & sanguinis præsentialitas: dum audis vero in hoc opere effectum Dei gratuitum esse præsentialitatem Christi corporis, & sanguinis; haud planè sentias desiderari præsentialitatem animæ, ac Deitatis Christi; hæc enim omnia etiam præsentialiter adsunt; licet non explicentur in recto à sacramento ipso sicut species, neque in obliquo ita, vt corpus, & sanguis Christi; quia anima, & diuinitas per cõcomitantiam ibi præsentialiter adsunt, vt alibi dicetur.

DE TEMPORE INSTITVtionis huius Sacramenti.



CAP. II.



Decretum Concilij Tridentini.

9 INstitutum hoc Eucharistiæ sacramentum in vltima cæna pride, quam Christus pateretur, fides docet in Concilio Tridentino *sess. 13. cap. 1. Maiores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt apertissime professi sunt hoc tam admirabile sacramentum in vltima cæna Redemptorem nostrum instituisse &c. & cap. 2.* summis verbis *ergo saluator noster discessurus de hoc mundo ad Patrem sacramentum hoc instituit &c.* quod ante docuerunt Clemens 5. in Cōcilio Viennensi *tit. de reliquijs, & vener. sanctorum* nec obscure tradiderunt Euāgelistæ Matthæus cap. 26. Marcus 14. Lucas 22. & patenter Paulus 1. Corinth. cap. 11. *Quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur*, quod deinde in missæ canone repetit Ecclesia, *qui pridie* (inquiens) *quam pateretur.*

Et Viennensis.

10 Quoniam autem in vltima cæna plura peracta sunt; fuit enim facta legalis cæna. vsualis, & hæc sacramentalis, lotio pedum, concio Christi, discessus Iudæ, dubitatio oritur, quo tempore, seu, quo ordine, hæc institutio facta fuerit, quæ res, quoniam ad interpretes potius scripturæ, quam ad scholasticos attinet, breuiter elucidabitur.

Opinio Suarij.

11 Franciscus Suarez *disp. 41. sect. 2. & sequent.* suâ eam prosequutus hunc statuit ordinem, vt primo fuerit cæna legalis, secundo lotio pedum, tertio institutio Eucharistiæ, quarto cæna communis, quinto discessio Iudæ, sexto concio Christi. Maldonatus autem *in euangel.* a cui subscribit Becanus, alijque Recentes hoc ordine rem exprimunt, vt primo fuerit cæna legalis, secundo cæna communis, tertio lotio pedum, quarto Eucharistia, quinto discessus Iudæ, sexto concio Christi.

12 Ortum autem est positionis discrimē ex Euangelico contextu, qui non eodem ordine prosequitur singula; nam Christi concionem, ac lotionem pedū Ioannes solus, cænam legalem Euangelistæ omnes, cænam eucharisticam, dempto Ioanne, alij tres, discessum Iudæ Ioannes etiam solus distinctè, cum ait, *& cum accepisset buccellam exiuit continuo.*

Occasio dubij.

13 An autem sacramentum sumpserit Iudas, haud planè constat, quamuis regulariter id Patres supponant; quod enim Petrus Cardinalis Damianus *libello gratissimo cap. 6.* putat buccellam illam à Christo Iudæ datam fuisse corpus Christi, & sacramentum hoc, dum ait *Numquid buccella illa, quam Iudæ Dominus porrexit bona non fuit? sed quod erat causa salutis, illi factum est materia condemnationis: quia instrumentum pacis non pacatus accepit*, & infra *nec ideo sacramentum esse desiit, quia execrandus accepit &c.* quod, inquam, ita sentiat Petrus Damianus, conuincitur minus habere probabilitatis ex euangelico Ioannis contextu cap. 13. quod buccella illa panis intinctus dicitur, nullus autem hucusq; putauit panē, quē in suum corpus transubstantiauit Christus, fuisse intinctum, sed fractum solum distributum fuisse.

An Iudas sacramentum sumpserit Petri Damiani opinio.

14 Ordinem etiam narrationis, & manifestationis proditoris non eodem modo explicant Euangelistæ, nam Matthæus, & Marcus id factum putant ante sacramenti institutionem, Lucas id narrat post Eucharistiam institutam, nec tamen, vt optime monet Augustinus *lib. 3. de consensu Euangelistarum cap. 1. & 2.* inuicem pugnasse credendi sunt, nam aliqui eorum aliquando præoccupando, interdum recapitulando, eadem astruunt, quæ alij; hinc Lucas etiam bis calicem commemorauit, semel quidem antequam panem daret cap. 22. num. 17 *& accepto calice gratias egit, & dixit, accipite, & diuidite inter vos*, & iterum cap. eodem num. 20. post quam panem dedit, *similiter & calicem postquam cœnauit dicens &c.* quod quidem fecit præoccupando; quod deinde ordine suo retulit, vt ibi monet Augustinus: ex hac igitur, vt dixi, varietate, non equidem in sensus veritate, sed vel per recapitulationem, vel per præoccupationem diuersitas sentiendi circa propositum dubium orta videtur.

Dissensus Euangelistarum.

Conciliatur ex D. Augustino.

15 Recapitulantes igitur & nos, hoc est, breuibus rem aperientes, quantum pro facultate sentimus, supponimus tres cænas à Christo pridie, quam pateretur, factas, legalem agni paschalis, quā explicant Euangelistæ, Matthæus cap.

26. eden-

26. edentibus illis dixit &c. & Marcus 14. *& discumbentibus eis & manducantibus*; vsualem vero Matthæus proprio cænæ nomine explicat, *cænantibus autem eis &c.* Eucharisticam autem Euangelistæ haud quaquam vocant, sed hoc illi nomen indiderunt Patres, Cryfostomus præcipuè *hom. 17. in capit. 11. in 1. epistolæ ad Corinth.* non quatenus hoc sacramentum in vsu tantum sit positum, vt perperam blaterant Nouatores; sed quia tempore cænæ, immò inter cænandum sunt à Christo institutum: vnde Matthæus loco citato *cænantibus illis accepit Iesus panem &c.* vel tamen expleta cæna vsualis: vnde Lucas loc. cit. & Paulus 1. Corinth. cap. 11. *similiter, & calicem post quam cœnauit &c.* nisi mauis auctoritatem Pauli, & Lucæ exponere de cæna legali, vel intelligere de cæna vsuali expleta à Christo, sed nondum à discipulis expleta, ex quo post id temporis buccellam à Christo intinctam datam Iudæ docuit Ioannes, qua accepta discessit Iudas, aut igitur dicendum est Iudam non sumpsisse Eucharistiam, sicuti putauit Innocentius, & Hilarius à Gabriele citati *lect. 57. in canonem*, aut si sumpsisse dicitur cum Chrisostomo hom. cit. *Neque proditor (talente) eiectur, sed cibo mensæ factus est particeps, & mysteriorum socius &c.* cum Hieronymo *super caput 14. Marci. & Iudas bibit, sed non saturatur, nec sitim extinguit &c.* apposite verba illa interpretante, *& biberunt ex eo omnes* continuatam à discipulis vsualem cænam post Eucharistiam videtur dicendum quoniam post eam intinctus panis datus est Iudæ, quo accepto discessit.

Declaratio cænæ triplicis.

Error Hæreticorum.

Opinio Innocentij, & Hilarij de Iuda an sumpserit Eucharistiam.

16 Supposito igitur Iudam Eucharistiam sumpsisse cū præfatis Patribus continuatam vsualem ab eo cænam dicimus, quia ex Augustino *tract. 62. in Ioannem* buccella illa Iudæ tradita non fuit Christi corpus, sunt autem Augustini verba. *Non autem vt putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas Christi corpus accepit, intelligendum est enim quod iam omnibus eis distribuerat Dominus sacramentum corporis, & sanguinis sui, vbi & ipse Iudas erat &c.* cui adstipulatur Magister *sent. in hac 4. d. 11.* extremis verbis.

Augustini interpretatio.

17 Nisi etiam mauis cum Gabriele *lect. 52. in canonem* asserere verba illa Lucæ, & Pauli *similiter, & calicem post quam cœnauit &c.* & illa identidem Ecclesiæ in canone. *simili modo post quā cænatum est*, intelligenda esse de cæna vtraque, scilicet, legali agni paschalis, & Eucharistia corporis sui, vt sit sensus, expleta legali cæna, sumptoque corpore sub panis specie deuentum ad consecrationem calicis, seu vini: vtcumque sentias non refert, refert autem scire vltimo loco ante Iudæ discessum, datam illi à Christo buccellam panis, quam immediatè subsecuta est eius discessio, eam Christi concio.

Gabrielis mens;

18 Hoc igitur supposito videtur dicendum, hunc seruatum ordinem in huius institutione sacramenti, vt præcesserit omnino legalis cæna, quam Pascha vocant Euangelistæ; quia in ea Paschalis agni dabatur comestio, subsecuta fuerit pedum lotio secundo loco, tertio comestio vsualis, & cæna communis, intra quam institutio sacramenti facta est, expletam deinde vsualem cænam, quā etiam sacramento instituto prosequuti sunt discipuli, secutus est Iudæ discessus, & hunc vltimo loco Christi sermo.

Ordo primus auctoris.

19 Porrò ante vsualem cænam factam fuisse pedum lotionem deducitur ex Euangelio Ioannis, qui cæna facta, intellige tu legalem, factam lotionem narrat, post quam iterum ad cænandum recubuisse ait Christū his verbis *et cum recubuisset iterum &c.* qua incæpta cæna sacramentum instituit, & proditorem significauit Ioanni super pectus eius recumbenti, circa cuius cænæ finem buccellam Iudæ tradidit, & discedente continuo Iuda sermonem aggressus est. Vel dicamus, & melius, præcessisse legalem cænam: secundo incæptam vsualem, intra quam surrexit Christus à cæna, & lauit Discipulorum pedes, deinde regressus ad cænandum instituit sacramentum sui corporis, & sanguinis, iam proditore sub ipso regressu manifestato, postmodum cæna communis expleta, & consummata fuit, dum buccella fuit Iudæ tradita; exinde discessit Iudas, sermonē habuit Christus. Et hic secundus noster dicendi modus ex Augustini doctrina manauit *tract. 55. in Ioannem* circa medium, vbi hæc habet. *Non ita debemus intelligere cænam factam, idest, consummatam, atque transactam, adhuc enim cænabatur, cum Dominus surrexit, & pedes lauit discipulis suis, nam postea recubuit, & buccellam suo traditori postea dedit, vtique cæna nondum finita &c.* Hæc ibi Augustinus, è quibus, vt vides ordinem à nobis institutum elicimus, & verba illa Ioannis ibi, *& cæna facta &c.* interpretatur Augustinus

Alius ordo & plausibilior,

idest parata, & ad conuiuantium vsum producta. Hactenus de dubitatione proposita.

Postulatio præcipua de die lunæ in quem cecidit hæc institutio.

20 Alterum maioris ponderis dubium in præsenti postulatione inuoluitur, idque est, in quem diem lunarem institutio hæc ipsa inciderit, numquid scilicet luna 13. an 14. quæ petitio affinis est illi, an facta fuerit sacramenti huius institutio in azimo pane, an in fermentato; Luna enim 13. nondum incipiebant azimi. Porrò hanc difficultatē prosequitur ex instituto Scotus *in hoc 4. d. 11. p. 2. q. 6. parag tertium dubium &c.*

Scotus hanc prosequitur

suitque de ea celebris quondam altercatio latinorum, & græcorum, his enixè contendentibus, ex quo in fermētato dumtaxat consecrandum putarunt, cecidisse sacramenti huius institutionem ante lunam 14. mensis primi Nisan, qui apud nos est *Martius*, dum nondum *Azimorum* dies illucescebat; latinis è contra statuentibus incidisse Christi necem in decimum quintum diem lunarē *Martij*, institutumque exinde sacramentum hoc luna 14.

Occasio dissidij

21 Occasio autem discrepātiæ ex quadam dispensatione orta videtur; siquidem ob Ebionitarum errorem statuentium necessum esse Christianos Iudaizare, dum azimis vtuntur, decreuit Leo Pontifex Scoto ipso referente *loco citato littera C.* confici in fermentato, quę constitutio quousque Ebionitarum viguit *Hæresis* locum habuit, hæresi autem successiuè labente rediit latina Ecclesia ad pristinum consecrandi in *Azimo* morem, adhuc Græcis in suo fermentato persistentibus.

Paschatis nominis deriuatio, ac significatiō.

22 Pertinet hæc ipsa disquisitio ad materiam consecrandi Christi corporis, hinc breuiter hoc loco transigetur adnotando, Paschatis nomē haud quaquam esse latinum, sed neque græcum, quamuis enim illud nonnulli à græca voce *paxo*, quæ passionem significat, deriuent, est tamen Hæbreum vocabulum transitum significans propriè quamuis appropriatè plura sibi pacificatur significata in scripturis. Sumitur enim interdum pro ipso Paschali agno; Vnde Lucæ 22. *venit dies Azimorum, in quo necesse erat occidi Pascha: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum &c.* quandoquepro ipsis sumitur Azimis; Hinc Ioan: 18. *vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha* plerumque sumitur pro ipsa Azimorum die; hinc Ioan. 13. *Ante diem festum Paschæ &c.* aliquando pro die præcedenti Azimorum diem sub vespera, hinc leuit. 23. *mense decimo decima quarta die ad vesperam phase Domini est*; vbi egregie notat Alexander Alensis satis differre, dum dicitur festū Paschæ, & diem Paschæ nam dies Paschæ dici poterat dies lunaris 14. festum autem Paschæ dies decimus quintus dumtaxat pariter lunaris; hisce enim diebus vtebantur Hæbrei.

Obseruatio vtilis.

23 Adnotandum insuper, præceptum latum fuisse Hæbreis exodi 12. de veneratione primi mensis Nisan; *mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni*; quia in eo Paschalis agni comestio præcipiebatur, & *Azimorum* comestio, & per septem dies fermenti ablegatio, & interdictum; tenebantur autem agnum per familias, & domos decima die sumptum seruare vsque ad diem decimum quartum, quo die ad Vesperam immolandus erat agnus; quoniam autem Hæbreorum computus diē à vespera in vesperam metiebatur iuxta illud leuitici 23. *à vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra*, inde lis, & dissidium inter latinos, & Græcos enitentibus Euthymio *in cap. 26 Matt.* Origene, & alijs intelligendam esse vesperæ nomine priorem vesperam, quæ erat finis 13. & principium 14. diei è contra latinis contendentibus vesperæ vocabulo 2. diei 14. vesperam intelligendam, quæ erat finis 14. & initium diei decimæ quintæ.

Græcorū cum Euthimio, & Origene sensus

Difficultas aucta

24 Alio etiam ex capite difficultas augetur; quia Hæbrea lectio habet *inter vesperas* quem locum nos legimus *ad vesperam*: quare inter duas vesperas immolandum agnum docti ex hæbrea lectione nescire nos videbimur, quo tempore inter duas illas vesperas agnum Christus comederit, & sacramentum instituerit.

Sebastiani Barradas interpretatio ex Iosepho Iudæo.

25 Agit hanc difficultatem Barradius *tom. 4. concord. euang lib. 1. cap. 8.* tum *lib. 2. itinerarij cap 19.* atque primam vesperam appellari eam, qua sol post meridiem ad occasum vergit vsque ad horam nonam; secundam verò incipere à solis occasu, & inter has vesperas immolari solitum agnum, asseritque pro sui dicti corroboratione auctoritatem Iosephi Iudæi *lib. 7. de bello Iudaico cap. 17.* qui refert à nona hora vsque ad vndecimam mactare, & immolare solitos hæbreos; porrò hora nona tertia est post meridiem, vndecima verò quinta pariter post meridiem; itaque per ipsum ab hora tertia post meridiem, quę mense Martio incidit in horam diei vigesimam primam circiter vsq; ad quintam

tam post meridiem, quæ ex mensura Æquinoctij verni incidit in horam diei vigesimam tertiam, mactandi agni tempus erat, quo sensu vespera posterior hora 23. terminabatur per Iosephum. Sed quis non videt tantillum contradictionis in hac ipsa Barradij doctrina? hic namque posteriorem vesperam incipere ait ab occasu solis, & in huius probationem Iosephi testimonio vtitur, qui tamen secundam vesperam collocans in quinta post meridiem, quæ est per ipsum vndecima, affirmat absque hesitatione inceptam hora diei 23. & non sub occasu solis. Sed quidquid sit de immolatione ipsa agni, quam certè siue inter vesperas diei 14. siue ad vesperam factam concedimus, certè esus illius nō inter vesperas, sed post vesperam in nocte fiebat, hinc loco exodi citato. *Edent carnes nocte illa &c.* cui mori morem gessisse quoque saluator dicendus est, dum relatore Ioanne cap. 13. nox erat. *Vespere autem facto* idest post vesperam occasus solis, *discumbebat cum discipulis.*

Barradij lapsus.

26 Quęnam hæc autem vespera fuerit nō est admodum difficile cogere Græcos reuocato in mentem Dei præcepto *loco exodi proposito* de comestione Azimorum. quam certè in decimæ quartæ diei vesperam posteriorem incidisse dilucide Moyses enarrauit aiens, *Primo mense quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azimos, vsque ad diem vigesimum primum eiusdem mensis ad vesperam;* hæc autem vespera non propriè ad eum diem 14. pertinebat, sed ad 15. quamuis vtriusque vespera dici posset, quia erat finis diei decimæ quartæ, & initium diei decimæ quintæ Hæbreo calculo diem à vespera in vesperam metiente. Incipiebant igitur *Azima* Hæbreorum sub occasu solis diei decimæ quartæ, à quo tempore per totum diem 15. vsque ad vesperam solemne festum celebrabant Exodi 12. *dies prima erit sancta, ac solemnis, &c.*

Dissidium in sensu verborum scripturæ.

27 Consentiunt hucusque Græci, atqui aiunt anticipasse Christum propter instantem passionis suæ temporis horam agni paschalis comestionem priori vespera, quæ erat initium decimæ quartæ diei, & finis decimæ tertiæ. Falsitatis tamen arguuntur ex euangelica narratione, qua ipso primo azimorum die Pascha immolasse legitur Matth. 26. *Prima die azimorum accesserunt discipuli ad Iesum, &c. & Parauerunt Pascha.* Marci 14. *die primo Azimorum, quando Pascha immolabant.* Lucæ 22. *Venit autem dies azimorum, in quo necesse erat occidi Pascha,* & singuli concorditer subdunt, *& Parauerunt Pascha*; quare non dubie ex hac narratione colligitur agni Paschalis comestionem à Christo factam prima azimorum die, quæ certè erat dies decima quarta mensis post vesperam ineunte iam decima quinta, quo tempore institutum hoc sacramentum Euangelistæ proclamant.

Græcorū asseruo anticipasse Christum comestionē agni arguitur.

28 At eo dementiæ ventum à Græcis, vt errare dixerint Lucam, Marcum, & Matthæum, & à Ioanne correptos, qui cap. 13. ante diem festum Paschę factam fuisse cœnam edisserit, & similiter cap. 18. non introijsse Iudæos Pilati Prætorium narrat, ne contaminarentur, sed vt manducarent Pascha, quo ex loco eliciunt, quod si Christus eo die occisus est, quo Iudæi comedebant Pascha, plane institutio sacramenti huius ante illum diem facta non in 14. sed in 13. lunam Martij incidit.

Græcorū [illegible] de Euangelistis.

29 Turpe tamen est mendacium mendacij arguere Euangelistas, quorum vnum si admittas in scriptura mendacium monitore Augustino vniuersa ruat scriptura necessum est. Dum igitur Ioannes ante diem festum Paschæ cœnam edisserit factam; verum vtique edisserit, nec quid contra Cæteros Euangelistas edisserit; nam is dies ante diem festum Paschæ fuit 14. lunæ, decima quinta erat festus Paschæ dies, vnde non ait Ioannes ante Paschæ diem, sed ante diem festum Paschæ, erat enim dies Paschæ decima quarta ad Vesperā, qua immolabatur agnus, at dies festus erat luna 15. Cœnauit ergo Christus ante diem festum, sed non ante diem Paschæ.

Confutatur

30 Nec enim modo Paschæ nomen sumitur cap. illo 18. sed pro azimis, à quorum comestione ne remorarentur Hæbrei Pilati prætorium ingredi noluerūt, cæterum azimorum illa comestio septem perseuerabat diebus *ex loco citato exodi.*

Rursus insultant Græci, non fuisse Christum occisum in die Paschæ festo; quia sic ipsi protestati sunt dicentes. *Non in die festo ne forte tumultus, &c.* Ieiunus tamen insultatio, nam ita vtique protestabantur Hæbrei, non quidem ob festi cultum, sed ne fieret tumultus in populo, porro tumultu cessante, & vniuerso ferè cætu in Christum personante, Iuda sine armorum strepitu prodente concilium mutauerunt, & in solemni Paschatis die cruci Christum affixerunt.

Græcorū insultatio friuola.

Aiunt

31 Aiunt, mulieres viso monumento reuersas parasse aromata, & vnguenta, sic enim ait Lucas cap. 23. *subsecutæ autem mulieres viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius, & reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta, &c.* At ista præparatio fieri nequit in festo Paschæ, quo erant opera interdicta exodi 12. *Nihil operis facietis in eis*, & loquitur de prima, & septima die azimorum, & Paschæ, & Leuit. 23. *omne opus seruile non facietis in eo*. Nec sat est dicere parata aromata die sabbathi, ad cuius cultum à Christo edoctæ non tenebantur; quia inquit Lucas, *& sabbatho quidem siluerunt secundum mandatum*. Paratæ ergo illæ fuerunt viso monumento, & non die festo, nec die sabbathi sequenti; ergo ante diem festum, ergo ante illum diem occisus est Christus, & pridie illius diei instituta Eucharistia.

Oppositio

32 Non desunt responsa apud Innocentium, & apud Gul. [illegible] lect. 35. *in canone* [illegible] probatur, quæ asserit parasse mulieres aromata nō in die festo Paschæ, quod iam transactum erat, dum reuerterentur à monumento, à quo sub vespere feriæ sextæ regressæ sunt iuxta Lucæ ibi testimonium, *& dies Parasceue erat, & sabbathum illucescebat*, idest iam incipiebat sabbathi festiuitas, quæ ab occasu solis feriæ 6. protendebatur vsque ad vesperam sabbathi; nec parauerunt in die sabbathi, quia siluerunt eo die, teste Luca, secundum mandatum, sed transacto secundo vespere sabbathi, exordium sumente prima die post sabbathum, quæ expositio satis quadrat narrationi Marci summis verbis cap. 16. *& cum transisset sabbathum Maria Magdalene, Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, &c.* nec repugnat narrationi Lucæ, qui, vti diximus, recapitulando quasi exposuit parationem aromatum nondum factam mentione sabbathi, quamuis facta fuerit post sabbathum.

Responsio.

33 Aiunt Christum cruci affixum in Parasceue Paschæ ex Ioanne cap. 19. *Erat autem Parasceue Paschæ hora quasi 6.* at Pascha incidebat in lunam 15. Parasceue igitur, quod præparationem sonat, incidit in lunam 14. in qua si cruci affixus est Christus, sequitur quod cum pridie illius diei sacramentum instituerit, facta fuerit hæc institutio luna 13.

Alia obiectio.

Respondeo, vtique Parasceue græcum nomen præparationem sonare, at id solum referri ad sabbathum, quo nec cibos colligere licebat Hebreis, qui exinde pridie illius diei præparabant obsonia, cæteraque necessaria, factumque ut diei ante sabbathum inditum sit præparationis vocabulum, cæterum Pascha azimorum, & agni licet præparationem haberet agni eiusdem, à decimo die primi mensis vsque ad 15. totum certè tempus illud, sed & pridie diei Paschatis parasceue minime vocabatur, dum ergo ait Ioannes in parasceue Paschæ cruci affixum Christum Redemptorem nostrum, Paschæ genitiuus substantiualis non est, sed adiectiuus, ac si diceret *parasceue paschale*, erat enim Parasceue incidens in dies Paschatis, quæ explicatio ad litteram quadrat intentioni Ioannis, qui *eodem cap.* sepultum ait Christum non multo tempore post mortem, nec longe à patibulo, quia erat parasceue Iudæorum, & paulo superius ait Iudæos, quia *parasceue erat, ne remanerent in cruce corpora sabbatho* (ecce quomodo parasceue ad sabbatum non ad pascha refert) rogasse Pilatum, vt fractis cruribus ad accelerandam mortem tollerentur.

Solutio.

Parasceue Paschę qualis sit.

34 Verum vrgentior ratio deduci pro Græcis posset, si probari posset Iudeos in priori vespera lunæ 14. mactasse agnū paschalem, quod quidem incidisset in posteriorem vesperam lunæ 13. id autem probari videbitur facile ex scriptura, tum quia Iudæorum festus dies à priori vespera sumens initium in posteriori terminabatur, quæ erat sequentis diei initium, quare datum de agni immolatione ad vesperam diei 14. præceptum, intelligi necessum est de priori vespera illius diei; nam posterior ad diem 15. pertinebat, tum etiam quia num. 33. habetur Hebreos de Ramesse progressos mense primo decima quinta die mensis primi, altera die Phase, idest, sequenti die, postquam immolauerunt phase, & agnū, vnde non obscure educitur, pridie diei illius immolatum agnum, hoc est, die 14. nam die 14. ad vesperam, & nocte illa iter præcedente agnum comedere, & iter aggredi non potuerunt iussi à Moyse non egredi domo vsque mane. Sed & hæc obiectio ridetur, nam in primis etsi secunda vespera ad posteriorem pertinebat diem, ad elapsum etiam referri potest, sicuti in physicis temporis instans præsens dicitur finis præteriti, & principium futuri, ita secunda vesper ad priorem vt finis, ad posteriorem attinebat diem vt principium illius. Preterea profectio ex illis de Ægypto certum est incidisse in diem 15. qui erat Phase,

Ratio pro Græcos.


Phase, textus enim id clare eloquitur, & propterea immolatum agnum sub vesperá diei præcedentis, hoc est, luna 14. quod pro nobis facit, nec refert iussos esse manere domi vsque mane, nam summo mane egressi perrexerunt; nec etiam refert, quod subditur, quod *altera die Phases* nam verba hæc nō ad egressum referuntur, sed ad castrametationem in Socoth; vnde coma interposita, verba illa ad subsequentia, non ad præcedentia referri dicenda sunt, vt patet textum prœcurrenti.

Explicatio loci propositi.

35 Hactenus igitur ex alienæ opinionis improbatione probatissima remanet latinorum opinio institutionem sacramēti huius factam die 14. ad posteriorem vesperam, quæ cum esset pariter initium futuræ diei, vniuersum nostræ redemptionis opus vnico die completum demonstrat; instituto namque sacramento egressus est Iesus in hortū, vbi captus, ductus ad Principem Sacerdotum, ad Regem, ad Præsidem, flagellatus &c. vsque ad cruci affixionem, sic vmbra veritati respondet; quia eo die immolatus est Christus verum Pascha, & agnus, quo legalis immolabatur agnus, qui licet dicatur immolari luna 14. quia tamen hoc fiebat ad vesperam, quæ erat etiam principium diei 15. euidenter conuincit eodem die 15. immolatum verum agnum in cruce.

Conclusio dictorum.

Græcorum asseclas in hac disputatione sese exhibuerunt fermè latini plerique nimirum Oleaster *in cap. 23. leuit.* Azorius *tom. 1. lib 6. cap. 33.* Petrus Lupez Antoyinus *lib. adnot. in can. missal.* usius Legionensis *lib de immolat. agni veri, & typici* ijsdem ferè fundamentis nixi; contra quos vide Suarezium, & Vasquez, Riberam *lib. 1. de templo cap. 3.* & nouissimâ Luisium Turrianum *in 3. p. 1. disp. 22. dub. 9.*



AN SACRAMENTVM HOC

potuerit ante incarnationem instítui.



CAP. III.



36 AD præteritæ difficultatis captum vnica superesse videbitur dubitatio, quo die solari institutum fuerit hoc sacramentum? dictum est enim lunares hucusque spectatos fuisse dies, immò & quo mense? Nec erit petitio incongrua; quia cum menses, ac dies apud Hæbreos lunares essent, nostris solaribus totaliter, ac plenè respondere non possunt. Habebant autem dies lunares, & menses, ijque ita nuncupabantur, siue ratione peragrationis lunæ, quia scilicet, luna suo motu vnum signorum Zodiaci decurrebat, siue ratione conspicuæ visionis, quatenus, scilicet, luna conspici potest medians inter duas cum sole coniunctiones, siue ratione coniunctionis, quatenus videlicet id tempus inuoluitur, quod inter vnam, & alteram, seu sequentem coniunctionem intercipitur, quæ & lunatio dicitur, prior mensis est viginti septem dierum cum parte fere alterius diei; secundus viginti sex circiter; Tertius viginti nouem cum aliquibus horis. An autem primo, an secundo, an tertio modo menses metirentur incertum est, licet magis consonum videatur veritati dicere menses metitos ex ratione coniunctionis.

Dies lunares Hæbræorum.

Vnde dicti, menses lunares.

37 Vtcumque dicatur hoc certum est, lunares menses nostris propemodum respondere non posse, licet ex parte respondeant. Hinc mensis Nisan regulariter respondet Martio, licet interdum in Aprilem, aliquando, sed rarò, in Maium excurrat, vt hoc anno 1639 euenit, quo resurrectionis Pascha 24. Aprilis celebratur, quoue luna Martij vsque ad primum Maij diem protenditur.

Mensis Nisan respondet Martio.

38 Ex hac igitur varia lunatione incer-

tum

tum remanet, quo mense, ac die solari instituta fuerit Eucharistia; nonnulis ad secundam Aprilis diē, alijs ad 16. id deferentibus, plerisque Martio mense, die vero vel 17. vel 25. vel 29. cum tamen res ipsa ex astronomicis propendeat tabulis, in quibus mirum est, quanta vagetur varietas; vt nullū de eo constans ferri possit iudicium, & hoc certum est, quod res est incerta, quamuis congruentiæ non deessent ad id operis facti in 25. diem Martij redigendum, ideo supersederi de ea visum fuit.

Varietas in tabulis Astronomicis.

35 Præsens itaque disceptatio possibilitatem institutionis in alio tempore postulat, nec ad alia tempora post sumptam à Christo carnem in hypostasi diuertenda erat, de quibus minoribus videtur agitari angustijs. Hæc autem ipsa petitio agitatur à Scoto *d. 10. huius 4. q. 4.* petendo, *an corpori Christi naturaliter existenti, & eidem sacramentaliter existenti insint necessario eædem partes, & passiones.* Ex cuius elucidatione, vt corollarium solutionem præsentis difficultatis inducit *littera* c. Recentiores autem cum Suarez *disputatione 48. sect. 2.* Vasquez *disput. 192. capit. 1.* Lugo *disp. 5 sect. 8.* sub hoc titulo eam eneruant: *An præsentia sacramentalis Christi pendeat à præsentia naturali.* Nos verò, qui eam ad hanc de existentia sacramenti huius disputationem reuocauimus sub alio illam titulo enodamus.

Difficultas sub alio titulo proposita à Recentibus.

36 Circa quam sensit Paludanus *in 4 d. 8. q. p. art. 3.* quem exinde enixè secutus est Caietanus *in comm. art. 2. q. 76. 3. p.* S. Thomæ nullo modo sacramētum hoc ante Incarnationem Verbi institui potuisse, quod indicasse visus est etiam S. Thomas *q. 73.* petendo tempus institutionis Eucharistiæ, dum in solutione 2. constituit non potuisse sacramentum hoc institui priusquam ipsum Christi corpus realiter existeret, cui voluntarie satis aptatur commentatio Soti *in 4. d. 8. q. 1. art. 5.* aientis loquutum S. Thomam de potentia ordinaria Dei, quasi verò institutio huius sacramenti, eiusque tempora, & circumstantia ad ordinariam Dei potestatem reuocanda sit, non autem ad absolutam.

Opinio Paludani, & Caietani.

Interpretatio Soti.

37 Inclinasse igitur in negantem partem visus est S. Thomas, quam ita Caietanus arbitratur veram, vt se in chimeris versari pudere dicat, dum Scoticam in hac re sententiam refert.

Nihilo tamen minus opposita sententia affirmans verior est, & Caietani lusus ineptus; eam propugnat ibi Scotus, sequitur Maior *q. 7.* non distat Sotus *loco cit.* sequuntur Gabriel *lect. 47. in canonem*, & Recentiores supra citati; vt Scotistarum Scoti asseclarum sensum taceam.

Opinio affirmans statuitur.

Cum Scoto Gabriele, & alijs

38 Ad huius captum obserua, differre satis loqui de naturali existentia Christi corporis, & de existentia eius modo naturali corporis, primum enim dicit esse naturale, & substantiale Christi corporis, vel saltem modum essendi substantialem, qui realiter ab ipsa Christi corporis essentia non distinguitur, sed vt modus à re; vnde esse, & existere idem ferè sonant vt patet ex methaphisicis; secundum verò dicit modum existendi, non essendi, estque planè accidens in prædicamento vbi collocatum, distulque modus existendi circumscriptiuè, alibi namque dicendum est, & hic tantum supponitur, contingere quippiam esse in loco multifariam, immensiuè, videlicet, circumscriptiuè, diffinitiuè, sacramentaliter; primo modo Deus omnem implens locum nulli addictus loco immensiuè dicitur in loco esse, secundo modo corpora loco circumscripta, vtpotè quantitate prædita in loco ponuntur; tertio quæ sunt ita hic, vt non alibi diffinitiuè, quarto quæ ex efficientia Dei modo sacramentali in loco situatur; singuli autem modi isti in loco existendi (deme primum, de quo nihil in præsentia) respectus sunt extrinsecè aduenientes posteriores obinde existentiæ rei locatæ, & existentiæ substantiali, seu naturali, & hoc maximè obseruasse oportet, ne in æquiuocam Caietani doctrinam incidamus ita de existentia modo naturali loquentis, ac de existentia ipsa secundum se naturali, seu substantiali corporis Christi. Præsupponitur igitur existentia Christi corporis in rerum natura ad petitionem, *an existentia eius modo sacramentali pendeat ab existentia modo naturali;* quia per existentiam modo naturali, non naturalem, ac substantialem Christi corporis existentiam, sed existentiam sub modo quanto, & extenso, qui dicitur modus naturalis existentiæ corporis, intelligimus.

Notabile necessarium

Quadruplex modus existendi in loco.

39 Quo supposito Asserendum primo, neutram existentiam ab altera pendere ex ipsa rei natura; ita vt intrinsecè nec existētia sacramentali modo pēdeat ab existentia modo naturali, nec è contra existentia sub modo naturali ab existentia modo sacramentali dependeat. Assertum probatur, quia in primis existentiam modo naturali ab existentia modo

Assertio 1

sacra;

ſacramentali non pendere, neque intrinſecè eſſe illi connexum experimentum docet in Chriſti corpore, quod vſque ad cœnam modo naturali extitit nondum ſacramento inſtituto, nondum obinde exiſtētia modo ſacramentali habitas vnde ſi quæ ita ſe habent ex logicis, vt ſi vnum ſine alio eſſe queat, inuicem connexa intrinſecè non ſint, plane præexiſtens Chriſti corpus modo naturali ad exiſtentiam modo ſacramentali liquido demonſtrat non pependiſſe modum exiſtendi naturali modo ab illo ſacramentali.

Probatio vlterior

40 Cæterum nec ſacramentalem à modo exiſtendi natural. pendere, probatur ab aliquibus argumento Scoti validiſsimo. Quotieſcumque aliquid indifferens eſt ad duos exiſtendi modos, ſicut poteſt eſſe ſub vno, ita & ſub alio abſque vlla alterius ad alterum connexione, ſi modi iſti ſint diſparati. At Chriſti corporis ſubſtantialis exiſtentia indifferens eſt ad modum exiſtendi naturalem, & ſacramentalem, qui ſunt modi diſparati; ergo indifferenter ita poteſt ſub vno eſſe, ac ſub alio abſque vlla alterius cum altero connexione; ita hanc partem probat Rada *controuerſ. 8. art. 2.* minus tamen rectè, vt reor, id enim aſſumit pro principio, quod eſſet probandum; nimirum non eſſe modos iſtos inuicem connexos, ſed diſparatos, quo conſtito vtique argumentatio valida eſſet ad probandum potuiſſe Chriſtum eſſe ſub vno independenter ab alio, atq; adeo ratio potius aſſertioni noſtræ ſequenti, quam propoſitæ opitulatur.

Ex doctrina Radæ.

Reiecta

Probatio Scotica

41 Probatur igitur aliter ex doctrina Scoti *loc. cit.* Quidquid ab alio pendet, intrinſecèque eſt illi connexum, vel eſt effectus eius, à quo pendet, vel intrinſecè includit id, à quo pendet, at modus exiſtendi ſacramentaliter non eſt effectus modi exiſtendi corporis naturaliter; neque intrinſecè modum illum includit; ergo nec ab eo pendet, nec eſt illi intrinſecè connexum. Maior ex ſter minis euidentiam habere videtur; nam effectus à cauſa neceſſaria pendere ratio ipſa effectorum declarat; quodcumque etiam includit aliud intrinſecè ab eo pendeat neceſſum eſt. Probo minoram, & in primis modum exiſtendi naturaliter corporis Chriſti non eſſe cauſam modi exiſtendi ſacramentaliter, is audebit negare, qui Deum cauſam huius exiſtentiæ ſacramentalis negauerit; cum igitur Deus ſolum ſit cauſa huius exiſtentiæ ſacramentalis, non eſt cur aliquam ſine fundamento cauſandi rationem inueha mus in modo eſſendi naturaliter ad modum eſſendi ſacramentaliter, eoque id magis; quod vbicatio vbicationis cauſa non eſt reſpectu eiuſdem.

Vrgetur allata probatio

42 Præterea modum exiſtentiæ naturaliter non includi intrinſecè à modo exiſtendi ſacramentaliter probatur; quia omne habens aliquid habet id, quod eſt de ratione intrinſeca eius, at de ratione intrinſeca modi exiſtendi corporis naturaliter eſt eſſe quantum, & extenſum; ergo includens modum exiſtendi naturaliter corporis neceſſariò includit eſse quantum, & extenſum, at hæc omnia falſa ſunt in modo exiſtendi ſacramentaliter, in quo Chriſti corpus nō eſt modo quantitatiuo, & extenſo, ergo falſum eſt etiam modum naturaliter corporis exiſtendi intrinſecè includi à modo exiſtendi ſacramentaliter.

Reſponſio Caietani

43 Huic rationi reſponderet quiſpiam ex Caietano *loc. cit.* negando maiorem primi argumenti vt inſufficientem; quia reſpectus ab alio pendet, quod nec eſt de illius eſsentia; pendet enim à termino, ſine quo eſſe non poteſt, nec tamen terminus eſt cauſa reſpectus, nec eſt de intrinſeca reſpectus ipſius ratione; ſimiliter ad probationem diceret ſophiſticè argui; quia mutatur res præſens in modum præſentiæ, etenim modus Chriſti naturalis eſt res præſens Eucharistiæ, ſed modus præſentiæ non eſt modus ille naturalis, ſed ſacramentalis, hinc ipſamet res præſens eſt de eſsentia rei præſentis, non de eſsentia modi præſentiæ.

Reiecta

Quid ſibi velit ſophiſtæ vocabulum à

44 Hæc pro Caietano, immo Caietanus ipſe *loc. cit.* ſed ſi ſophiſtæ vocabulum in ſuo germano, vetuſtoque ſignificato ſumpſiſset Caietanus, ageremus illi gratias, olim enim ſophiſtæ appellatio honeſtiſſima erat, iiſque propria, qui in aliqua arte excellebant, at quoniam ſophiſtæ nomen in inuidiam abijt, vt ſophiſtæ dicantur, qui ſictè ſapientiæ ſpeciē gerunt, auellendum eſt hoc eius nominis à Scoto ſignificatum Caietano ioturendum, qui fallacibus arguitiunculis quandam ſapientiæ ſpeciem oſtentauit: & primo relationem poſſe quoquo modo à fundamento, & termino oriri non negarit, cuicunque parum in philoſophia verſato notum erit hanc, ſi ſit è numero internè accedentium, quarum dumtaxat naturam agnouit Caietanus, ex extremorum, puta fundamenti, ac termini natura inſurgere, quare ſi illa virtute oritur extremorum, non eſt cur

Christi corpus, & sanguinem putans intrare ad sacramenti huius constitutionẽ, & è contra Marsilius solas species sacramentum hoc constituere sit ratus; vera tamen opinio est, conspirare vtrúque: & quidem, si de speciebus loquamur, est omnis inepta probatio, eo enim ipso, quo Eucharistia sacramentum statuitur species illas ad eius constitutionem intrare dicendum est, cum nihil aliud in eo sensibile appareat præter species, ex quo sacramenta omnia sensibilia debent esse signa.

Marsilij placitum.

Vera sententia.

11 Ne tamen putes sensibile hoc loco sumi pro materia, aut forma huius sacramenti, quæ, vt dicemus in hoc nulla est, sed sensibile intelligendo fundamentũ illud relationis signi, quod nullum aliud est in hoc sacraméto præter species visibiles panis, & vini. De Christi corpore, & sanguine fusè Recentiores Patrum testimonia congesserunt statuentia sacramentum hoc Christi corpore constitui, & sanguine, quæ apud ipsos consule. Certè congruentia ex doctrina Scoti collecta *loco citato littera A.* præstare videtur quã deinde prosequutus est Lugo *loc. citatum, 15.* desumpta ex ratione nutrimenti, quod spiritualiter nobis in hoc sacramento datur; congruum est autem dari id sub similitudine nutrimẽti corporei, quod cum præcipuè in pane, & vino statuatur, plane congruit corpus, & sanguinem dominicum, quem ipsemet Seruator appellat escam, & potum, sub panis, vinique specie nobis dari: quo supposito quis non videt tam species, quam Christi sanguinem, & corpus sacramentum constituere?

Sensibile in hoc sacramento quodnam?

Ratio Scoti.

Aies primo, non videri species constituere hoc sacramentum, tum quia hic sensibile signum non est opus, vbi nulla signata est gratia pro effectu, gratia autem accidentalis in hoc nulla veraciter signatur: tum etiam, quia sensibilia signa in sacramento id efficiunt, quod signant, hic autem species non possunt efficere Christi corpus, & sanguinem, quæ sunt signata, cum nulla virtus finita id possit.

Primum argumentum.

12 Respondeo vtramque deductionem inanem esse, primam quidem, quia et si non gratia accidentalis, saltem effectus Dei gratuitus, qui est præsentialitas Christi sub illis speciebus veraciter signatur; dictum est autem in diffinitione sacramenti generica, gratiam, vel effectum gratuitum debere per signa sensibilia sacramentorum denotari: nisi velis cum aliquibus ex Nostratibus nomine gratiæ intelligere, vel habitũ gratiæ accidentalis, vel gratiam subsistentem, hoc est, esse Christi, vt patet ex Scoti *littera D.* Alteram etiam deductionẽ reor inanem: nam eo, quo causant, modo sacramenta gratiam, dici possunt effectum causare gratuitum; non quidem phisicè, sed moraliter, quatenus scilicet, species illæ sunt dispositiones immediatæ ad esse corporis Christi ibi, non à se, sed à Deo paciscente ita, vt post consecrationem assistat speciebus illis ad hanc Christi præsentiam in eis. Vide Scoti doctrinam *littera F. in solut. 2.*

Solutio.

Aies secundo, Christi corpus generatim dici contineri in hoc sacramento; ergo dici nequit sacramentum hoc esse Christi corpus: idem argue de sanguine, quia nihil continetur in se ipso.

Alter obiect.

Occurro, argumentum ad summum conuincere sacramentum hoc non esse præcisè Christi corpus, vel sanguinem, sed non esse partem, vt ita dicam, constituentem sacramentum hoc non conuincere, nam & anima rationalis, licet alioquin paritas nulla sit, continetur in homine, vt pars in toto, nec tamen homo est sine anima ratione prædita.

Tollit

13 Quod spectat ad secundum dubium, scio aliquos Recentes cum Ioanne Rada *contr. 5. art. 1. 4. p. concl. 7.* autumare solas species ab hoc sacramento significari in recto, corpus autem Christi in obliquo solum. Scio Franciscum Suarez *disp. 47. c.* sentire, tam species, quam Christi corpus in recto ab hoc sacramẽto significari. Scio denique alios cum Lugo persuadere sibi solum Christi corpus ac sanguinem in recto, species vero in obliquo tantum importari, ita vt triplex in eo soluendo conspiret sententia, duæ oppositæ, alia media. Constituamus nos aliam mediam statuentem, neutrum dici in recto, sed in obliquo solũ, cum hac animaduersione: vel enim loquimur ex vi diffinitionis propositæ, vel ex vsu loquentium: primo modo videtur Eucharistia tam species, quam Christi corpus in obliquo inuoluere: sicut enim de alijs sacramentis, ita pariformiter, demptis ijs, in quibus hoc sacramentum præstat alijs, circa diffinitionem sentiendum est: constat autem res sacramentales quascunque diffinibiles in recto genus tantum inuoluere: reliqua vero, nisi sint differentiæ essentiales, inuoluere in obliquo: loquimur autem hic appositè de sacramentis, vt diximus, & hoc patet in diffinitione baptismi, quam probauimus suo loco,

De secundo dubio sententia Rada

Opinio Suarij.

Opinio Lugo.

Opinio propria.

quæ

quod dictum est, quod Baptismus est sacramentum ablutionis animæ à peccato consistens in ablutione hominis [illegible] similiter & de Confirmatione; quare pari modo in hac diffinitione Eucharistiæ solum genus, quod est sacramentum in recto ponitur, species autem, & Christi corpus in obliquo, vt illam consideranti patet, quamuis vtrumque ex æquo ad eius perfectionem pertineat: si autem loquamur Methaphisicè magis spectando sacramentum hoc, qua signum, vt sunt etiam sacramenta cætera, perscrutandum est, in quo relatio illa significationis fundetur in hoc sacramento: supponendum est autem ex dicendis nonnisi in speciebus illis panis, & vini relationem significationis fundari, quapropter species videntur melius in recto significari ab eo, quam Christi corpus: ita vt prima sententia videatur verior, & Scoticæ doctrinæ accommodari magis, tum quia is *in hoc 4. d. 3. q.* 1. explicans diffinitionem baptismi ea solû ait exprimi ab illo sacramento in recto, quæ sunt relationis fundamenta, idcirco secundum duplicem sentiendi modum de baptismo, vnum quidem ponentem solam ablutionem esse fundamentum, verba vero circumstantias, alterum vero vtrumque ex æquo statuentem relationis illius sacramenti fundamentum, duplicem ponit diffinitionem, ita vt semper, quod est fundamentum relationis, inuoluatur in recto, tum etiam quia *d. 8. q. 1. litera* D. inter cæteras sacramenti huius excellentias secundam statuit causam quæ est quod sacramentum realiter continet, quod significat; certum est autem, quod solæ species significant, quare illæ solum continent; Christi autem corpus, & sanguis continetur solum, & significatur, vnde per hoc videntur in recto species solæ significari per hoc sacramentum in recto. Christi autem corpus, & sanguis in obliquo, & in hoc sensu priorem sententiam probamus.

Ex diffinitione sacramenti huius aperitur veritas.

Ex diffinitione baptismi.

14 Nec officiunt, quæ affert Lugo *sect. 3. num. 3.* quod speciebus non possunt conuenire ea prædicata, quæ in recto tribuuntur huic sacramento, quale est adorationis latriæ prædicatum; similiter quia magis se habet ad modum subiecti corpus Christi in hoc sacramento, quam species; nam hic non subiectum, sed fundamentum relationis spectamus, vti diximus, subiectum autem, de quo loquitur Lugo, non ad relationem significandi, sed ad sustentationem specierum

Satisfit Lugo.

tam refertur, æquiuoco igitur laborat nominis significato hic auctor.

Adde, pro alia obiectione, quod latriæ adoratio non ad sacramentum, qua sacramentum est, sed qua contentiuum Christi corporis, & sanguinis refertur, hoc autem non conuincit Christi corpus significari ab hoc sacramento in recto; nam risibilitas conuenit homini, non qua anima rationalis est, sed qua continet animam rationalem, pro vt humana nostram iuuare possunt intelligentiam exempla.

Eiusque ratio diluitur.

15 Addendum huic doctrinæ, vt monuimus, quod si vsum loquentium spectemus, videbitur magis Christi corpus, ac sanguis importari ab hoc sacramento in recto, quam species.

Additio necessaria.

Hoc sensu Patres, quorum longam confert Lugo seriem, vocant passim Eucharistiam Christi corpus, ac sanguinē, ita *Ambrosius lib. 4. de sacramentis cap. 4. post consecrationem* (loquitur de hoc sacramento) *dico tibi, quod iam est corpus Christi.* Cyrillus Ierosolymitanus *Cathechesi 4. Non sic hæc attendas velim tanquam sint nudus, & simplex panis, nudum, & simplex vinum. Corpus enim sunt, & sanguis Christi*, ita Chrisostomus *in cap. 10. primæ epistolæ ad Corinth. Quid enim* (inquit) *est panis? Corpus Christi* loquitur enim exponens illa verba Pauli *ibi de vno pane participamus.*

Probata ex Ambrosio, Cyrillo, Chrysostomo.

16 Porro sententia, quam explicuimus, constituens species inuolui in recto fundamentum habet validum in Concilio Tridentino *sess. 13. cap. 3.* quo monet hoc habere cum cæteris sacramentis sacramentum hoc commune, quod est simbolum rei sacræ, & inuisibilis gratiæ forma visibilis, at certe species solæ visibiles sunt, quare in recto illæ solum explicantur.

Probatio sententiæ propositæ.

Nec valet responsio Vasquij, & Lugo etiam Christi corpus esse sensibile, non quidem per se, sed per species, & per aliud. Hæc enim fuga est, non responsio, transiens à visibilitate ad sensibilitatem. In primis ait Concilium, Eucharistiam esse visibilem formam inuisibilis gratiæ. Ait cum Lugo Vasquez, sensibile esse Christi corpus per aliud, & per species.

Vasquij, ac Lugo oppositio [illegible]

Quid hæc ad Concilium? Certè species solas esse visibiles cæcus negaret dumtaxat, quia hæc per se visui subijciuntur quantitate, & colore, Christi autem corpus ibi nullo modo videtur, sed creditur solum.

Adde, quod tunc idem esset significans,

cans, & significatiua; quæ tamen duo à Concilio distinguuntur per opposita saltem negatiue aiendo, signum esse visibile, gratiam (cuius nomine in hoc sacramento gratiam subsistentem intelligit) esse inuisibilem.

Vrgetur responsio. Demum concessa responsione adhuc vrgetur magis, species dici in recto; quia si sensibilitas est in recto inclusa in sacramentis, plane quod est sensibile per se melius inuoluitur in recto, quam quod est sensibile per aliud.

Fundamentum aliud pro eadem sententia educitur *ex cap. hoc de consecr. d. 2.* quo species sensibiles in hoc sacramento dicuntur sacramentum tantum, corpus vero Christi sacramentum, & res.

Lugo hæc responsio Cui si cum Lugo respondeas, ideo species dici sacramentum tantum, quia nullum aliud exercent munus, nisi significandi, quod est munus sacramentale, responsio auctoritatem consolidabit melius, quam destruet; nam hæc est sacramenti formalis ratio, vt sit signum, porrò hanc signi relationem in solis speciebus fundantes appositè species solas ab hoc sacramento inuolui, in recto sentimus.

Hactenus de nomine, & quantum cognatam habet cum diffinitione notitiam nomen, de diffinitione ipsa.

DE SACRAMENTI

Eucharistiæ existentia.

DISPVT. I.

AD hanc sacramenti huius existentiæ disceptationem referuntur illius institutio, à qua existentia ortum trahit, institutionis tempus, vnitas institutæ rei, & necessitas, obinde petitiones hasce singulas singulis prosequemur capitibus.

AN EVCHARISTIA SIT

sacramentum nouæ legis à Christo

Domino institutum.

CAP. I.

VIdetur duplici inuolutum caput propositum dubio, altero quidē, an sacramentum sit nouæ legis Eucharistia; altero autem, an fuerit à Christo Domino institutum: altera autem petitio alteram sequitur; siquidem confitito Eucharistiam sacramentum esse euangelicæ legis, Concilij Tridentini anathemate docemur à Christo institutum, dum sacramenta omnia à Christo Domino institutionem habuisse decernitur. *Petitio duplex*

Haretici consentiunt. Ipsa autem petitio proposita tam est euidens, vt nec nobis cum Recentibus Hæreticis negotium facessat aliquod, confitentibus singulis Eucharistiam sacramentum esse nouæ legis à Christo institutum, quamuis sub hac ipsa veritate mille mendacia comminiscantur. Messaliani dumtaxat, & Arcontici vetustissimi hæresum propugnatores, referentibus Epiphanio *heres. 40.* & Theodoreto *lib. 2. heret. fabularum* è numero sacramentorum Eucharistiam ablegarunt, ex eo quod nouæ legis sacramenta signa debent esse gratiæ collatæ in eo, qui sacramentum recipit, Eucharistia vero, cum adhuc consecratione peracta remaneat, nullius videtur collatæ gratiæ signum. *Arcontici & Messaliani dissident*

Cur-

Lutherus Caluinus, & Melancton concordant.

3 Cæterum Nouatores, Lutherus, & Caluinus eo dementiæ haud iuerunt, vt Eucharistiam è sacramentorum numero refellerent, Lutherus enim *lib. de captiuitate Babilonica*, qui cætera nouæ legis aspernatus est sacramenta Eucharistiam sacramentum esse fassus est. Caluinus autem *in sua institutione* duo sacramenta passus, alterum eorum eucharistiam statuit, idipsum Melancton, qui quatuor sacramenta confessus est; immò pseudoprophetes Mahometus *in suo Alcorano* Eucharistiam dicitur veneratione dignam censuisse sacramentum, licet hoc minus verum dixerim, si ocu-

Idem de Mahometo aiunt alii, sed perperam.

latis Bizantij testibus fidem præstamus fidelibus Italis, qui ad nos regressi, deque existimatione nostrorum sacramentorum apud Barbaros illos sciscitati, sæpius responderant mihi, irridere illos Christianorum fidem, qua sub panis specie Deum colunt, quem deinde deuorant.

4 Adde quod Ioannes Garetius *in suo libello de vera præsentia corporis Christi in sacramento altaris*, quamuis omnes etiã Ethnicos, & Hæreticos in classem confitentium veritatem huius sacramenti referat, nihil tale de Mahometo somniat. Sed quidquid sit de ijs, deque singulis à fide Catholica deuijs orthodoxa fide docemur hæc duo asserta.

Assertum primum, et secundum.

Primum, Eucharistiam esse verum nouæ legis sacramentum. Alterum fuisse à Christo institutum immediate. Vtrumque statuit Florentina Synodus in *Decreto Eugenij*, & Tridentina tum *sess. 7 can. 1. de sacramentis in genere*, tum *sess. 13. de hoc sacramento*.

5 Effati prioris, & posterioris veritas ex Euãgelistarum contextu elucet. *Matth. 26 Luc. 22.* & *Ioan. 6.* & corroboratur ex Patribus. Antiquissimo Dyonisio *lib. de Eccl. Hierarch. cap. 3. & seq* Ambrosio *lib. 5. de sacramentis*, August. *epist. 21.* Cyrillo vtroque Ierosolomit. *cathechesi 4.* & Alexand. *lib. 4 in Ioan. cap. 17.*

Probatio vtriusque

6 Ratio vtriusque asserti à priori nulla, nisi diuina institutoris voluntas. Congruentia pro vtroque non leuis, pro priori quidem; quia cuicumque diffinitio conuenit, & diffinitum de eo enunciatur, at sacramenti finitio Eucharistiæ conuenit, quare & sacramentum ipsum de Eucharistia enunciatur: maiorem præstolantur logici, minor est euidens ex diffinitione ipsa sacramenti, qua dicitur *sensibile signum a Deo institutum efficaciter significans gratiam, vel effectum Dei gratuitum, ad salutem hominis viatoris*; porrò quis non videt quam bellè hæc sacramento Eucharistiæ aptetur? ipsum enim, vt diximus, est sensibile signũ, cum in recto inuoluat species vini, ac panis, super quas signi relatio fundatur, à Deo in vltima cæna institutum, sintque species illæ efficaciter significantes Christi Domini præsentialitatem realem, quę est effectus gratuitus, immò & gratia subsistens nuncupatur ipsemet Christus Dominus in eo præsens, esseque ad salutem hominis institutum institutor ipse monstrauit aiens Ioan. 6. *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducet, non moriatur.*

Alia ratio pro 2. asserto.

7 Porrò posterioris asserti ratio ex ipso sacramento dimanat, constito namque, Eucharistiam verum esse sacramentum nouæ legis, profectò constabit immediatũ habuisse institutorem Christum Dominum, siquidem nequire ab alio, quam à Deo sacramentũ institui, *in tract. de sacramentis in genere* monstratum est, ex quo certitudinem signo nullus alius à Deo præstare potest; est autem peculiaris etiam huius sacramenti institutionis congruentia à Christo Domino; quia debuit excelsum opus ab excellentissimo institui artifice.

Occurritur Hæreticis.

8 Nec ratio pro Hæreticis quidquam habet ponderis: hucusque enim ostendimus sacramentum hoc esse signum efficax non quidem accidentalis, sed subsistentis gratiæ, seu effectus gratuiti, qualis est sacratissimi Christi corporis, & sanguinis præsentialitas: dum audis vero in hoc opere effectum Dei gratuitum esse præsentialitatem Christi corporis, & sanguinis; haud planè sentias desiderari præsentialitatem animæ, ac Deitatis Christi; hæc enim omnia etiam præsentialiter adsunt: licet non explicentur in recto à sacramento ipso sicut species, neque in obliquo ita, vt corpus, & sanguis Christi; quia anima, & diuinitas per concomitantiam ibi præsentialiter adsunt, vt alibi dicetur.



ad edentibus illis dixit &c. & Marcus 14. & discumbentibus eis & manducantibus. Vsualem vero Matthæus proprio cœnæ nomine explicat, cœnantibus autem eis &c. Eucharisticam autem Euangelistæ haud quaquam vocant, sed hoc illi nomen indiderunt Patres, Chrysostomus præcipue hom. 27. in cap. 11. in 1. epistola ad Corinth. non quatenus hoc sacramentum in vsu tantum sit positum, vt perperam blaterant Nouatores; sed quia tempore cœnæ, immò inter cœnandum fuit à Christo institutum vnde Matthæus loco citato cœnantibus illis accepit Iesus panem &c. vel iam expleta cœna vsualis vnde Lucas loc. cit. & Paulus 1. Corinth. cap. 11. similiter, & calicem postquam cœnauit &c. nisi mauis auctoritatem Pauli, & Lucæ exponere de cœna legali, vel intelligere de cœna vsuali expleta à Christo, sed nondum à discipulis expleta, ex quo post id temporis buccellam à Christo intinctam datam Iudæ docuit Ioannes, qua accepta discessit Iudas, aut igitur dicendum est Iudam non sumpsisse Eucharistiam, sicuti putauit Innocentius, & Hilarius à Gabriele citati lect. 57. in canonem, aut si sumpsisse dicitur cum Chrisostomo hom. cit. Neque proditor (aitote) eiectus, sed cibo sumptus factus est particeps, & mysteriorum [illegible] cum Hieronymo super caput 14. Marc. & Iudas bibit, sed non saturatur, nec sitim extinguit &c. apposite verba illa interpretante, & biberunt ex eo omnes continuatam à discipulis vsualem cœnam post Eucharistiam videtur dicendum, quoniam post eam intinctus panis datus est Iudæ, quo accepto discessit.

Declaratio cœnæ triplicis.

Error Hæreticorum.

Opinio Innocentij, & Hilarij de Iuda an sumpserit Eucharistiam.

16 Supposito igitur Iudam Eucharistiam sumpsisse cum præfatis Patribus continuatam vsualem ab eo cœnam dicimus, [illegible] Augustino tract. 62. in Ioannem buccellam illam Iudæ traditam non fuit Christi [illegible], sunt autem Augustini verba. Non autem vt putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas Christi corpus accepit; intelligendum est enim quod iam omnibus eis distribuerat Dominus sacramentum corporis, & sanguinis sui, vbi & ipse Iudas erat &c. cui adstipulatur Magister sent. in hac 4. d. 11. extremis verbis.

Augustini interpretatio.

17 Nisi etiam mauis cum Gabriele Biel lect. 52. in canonem asserere verba illa Lucæ, & Pauli similiter, & calicem postquam cœnauit &c. & illa identidem Ecclesiæ in can. mis. simili modo postquam cœnatum est, intelligenda esse de cœna

Gabrielis sententia.

vtraque, scilicet, legali agni paschalis, & Eucharistia corporis sui, vt sit sensus, expleta legali cœna, sumptoque corpore sub panis specie deuentum ad consecrationem calicis, seu vini: vtcumque sententias non refert, refert autem scire vltimo loco ante Iudæ discessum, datam illi à Christo buccellam panis, quam immediate subsecuta est eius discessio, eam Christi concio.

18 Hoc igitur supposito videtur dicendum, hunc seruatum ordinem in huius institutione sacramenti, vt præcesserit omnino legalis cœna, quam Pascha vocant Euangelistæ; quia in ea Paschalis agni dabatur comestio, subsecuta fuerit pedum lotio secundo loco, tertio comestio vsualis, & cœna communis, intra quam institutio sacramenti facta est, expletam deinde vsualem cœnam, quam etiam sacramento instituto prosequuti sunt discipuli, secutus est Iudæ discessus, & hunc vltimo loco Christi sermo.

Ordo primus auctoris.

19 Porrò ante vsualem cœnam factam fuisse pedum lotionem deducitur ex Euangelio Ioannis, qui cœna facta, intellige tu legalem, factam lotionem narrat, postquam iterum ad cœnandum recubuisse ait Christum his verbis, & cum recubuisset iterum &c. qua incœpta cœna sacramentum instituit, & proditorem significauit Ioanni super pectus eius recumbenti, circa cuius cœnæ finem buccellam Iudæ tradidit, & discedente continuo Iuda sermonem aggressus est. Vel dicamus, & melius, præcessisse legalem cœnam: secundo incœptam vsualem, intra quam surrexit Christus à cœna, & lauit Discipulorum pedes, deinde regressus ad cœnandum instituit sacramentum sui corporis, & sanguinis, iam proditore sub ipso regressu manifestato, postmodum cœna communis expleta, & consummata fuit, dum buccella fuit Iudæ tradita: exinde discessit Iudas, sermonem habuit Christus. Et hic secundus noster dicendi modus ex Augustini doctrina manauit tract. 55. in Ioannem circa medium, vbi hæc habet. Non ita debemus intelligere cœnam factam, idest, consummatam, atque transactam, adhuc enim cœnabatur, cum Dominus surrexit, & pedes lauit discipulis suis, nam postea recubuit, & buccellam suo traditori postea dedit, vtique cœna nondum finita &c. Hæc ibi Augustinus, è quibus, vt vides ordinem à nobis institutum elicimus, & verba illa Ioannis ibi, & cœna facta &c. interpretatur Augustinus

Alius ordo & plausibilior.

idest parata, & ad conuiuantium vsum producta. Hactenus de dubitatione proposita.

Postulatio præcipua de die lunari in quem cecidit hæc institutio.

20 Alterum maioris ponderis dubium in præsenti postulatione inuoluitur, idque est, in quem diem lunarem institutio hæc ipsa inciderit, numquid scilicet luna 13. an 14. quæ petitio affinis est illi, an facta fuerit sacramenti huius institutio in azimo pane, an in fermentato; Luna enim 13. nondum incipiebant azimi. Porrò hanc difficultatē prosequitur ex instituto Scotus *in hoc 4. d. 11. p. 2. q. 6. parag. tertium dubium &c.* fuitque de ea celebris quondam altercatio latinorum, & græcorum, his enixè contendentibus, ex quo in fermētato dumtaxat conficiendum putarunt, cecidisse sacramenti huius institutionem ante lunam 14. mensis primi Nisan, qui apud nos est *Martius*, dum nondum *Azimorum* dies illucescebat; latinis è contra statuentibus incidisse Christi cenam in decimum quintum diem lunarē *Martij*, institutumque exinde sacramentum hoc luna 14.

Scotus hanc prosequitur

Occasio dissidij

21 Occasio autem discrepātiæ ex quadam dispensatione orta videtur; siquidem ob Ebionitarum errorem statuentium necessum esse Christianos Iudaizare, dum azimis vtuntur, decreuit Leo Pontifex Scoto ipso referente *loco citato littera* C. confici in fermentato, quę constitutio quousque Ebionitarum viguit Hæresis locum habuit; hæresi autem successiue labente rediit latina Ecclesia ad pristinum consecrandi in *Azimo* morem, adhuc Græcis in suo fermentato persistentibus.

Paschatis nominis deriuatio, ac significatū.

22 Pertinet hæc ipsa disquisitio ad materiam consecrandi Christi corporis; hinc breuiter hoc loco transigetur adnotando, Paschatis nomē haud quaquam esse latinum, sed neque græcum, quamuis enim illud nonnulli à græca voce *pasco*, quæ passionem significat, deriuent, est tamen Hæbreum vocabulum transitum significans propriè, quamuis appropriatè plura sibi pacificatur significata in scripturis. Sumitur enim interdum pro ipso Paschali agno; Vnde *Lucæ 22. venit dies Azimorum, in quo necesse erat occidi Pascha. Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum &c.* quandoque pro ipsis sumitur Azimis; Hinc *Ioan. 18. vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*, plerumque sumitur pro ipsa Azimorum die; hinc *Ioan. 13. ante diem festum Paschæ &c.* aliquando pro die præcedenti Azimorum diem sub vespera, hinc *leuit. 23. mense decimo decima quarta die ad vesperam phase Domini est*; vbi egregie notat Alexander Alensis satis differre, dum dicitur festū Paschæ, & diem Paschæ nam dies Paschæ dici poterat dies lunaris 14. festum autem Paschæ dies decimus quintus dumtaxat pariter lunaris; hisce enim diebus vtebantur Hæbrei.

Obseruatio vtilis.

23 Adnotandum insuper, præceptum latum fuisse Hæbreis *exodi 12.* de veneratione primi mensis Nisan; *mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni*; quia in eo Paschalis agni comestio præcipiebatur, & *Azimorum* comestio, & per septem dies fermenti ablegatio, & interdictum; tenebantur autem agnum per familias, & domos decima die sumptum seruare vsque ad diem decimum quartum, quo die ad Vesperam immolandus erat agnus; quoniam autem Hæbreorum computus diē à vespera in vesperam metiebatur iuxta illud *leuitici 23. à vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra*, inde lis, & dissidium inter latinos, & Græcos contendentibus Euthymio *in cap. 26 Matt.* Origene, & alijs intelligendam esse vesperæ nomine priorem vesperam, quæ erat finis 13. & principium 14. diei è contra latinis contendentibus vespere vocabulo 2. diei 14. vesperam intelligendam, quæ erat finis 14. & initium diei decimæ quintæ.

Græcorū cum Euthimio, & Origene sensus

Difficultas aucta

24 Alio etiam ex capite difficultas augetur; quia Hæbrea lectio habet *inter vesperas* quem locum nos legimus *ad vesperam*: quare inter duas vesperas immolandum agnum docti ex hæbrea lectione nescire nos videbimur, quo tempore inter duas illas vesperas agnum Christus comederit, & sacramentum instituerit.

Sebastiani Barradae interpretatio ex Iosepho Iudæo.

25 Agit hanc difficultatem Barradius *tum tom. 4. concord. euang. lib. 1. cap. 8.* tum *lib. 2. itinerarii cap. 19.* aitque primam vesperam appellari eam, qua sol post meridiem ad occasum vergit vsque ad horam nonam; secundam verò incipere à solis occasu, & inter has vesperas immolari solitum agnum, affertque pro suo dicto corroboratione auctoritatem Iosephi Iudæi *lib. 7. de bello Iudaico cap. 19.* qui refert à nona hora vsque ad vndecimam mactare, & immolare solitos hæbreos; porrò hora nona tertia est post meridiem, vndecima verò quinta pariter post meridiem; itaque per ipsum ab hora tertia post meridiem, quæ mense Martio incidit in horam diei vigesimam primam circiter vsq; ad quintam

tam post meridiem, quæ ex mensura Æquinoctij verni incidit in horam diei vigesimam tertiam, mactandi agni tempus erat, quo sensu vespera posterior hora 23. terminabatur per Iosephum. Sed quis non videt tantillum contradictionis in hac ipsa Barradij doctrina? hic namque posteriorem vesperam incipere ait ab occasu solis, & in huius probationem Iosephi testimonio vtitur, qui tamen secundam vesperam collocans in quinta post meridiem, quæ est per ipsum vndecima, affirmat absque hæsitatione inceptam hora diei 23. & non sub occasu solis. Sed quidquid sit de immolatione ipsa agni, quam certè siue inter vesperas diei 14. siue ad vesperam factam concedimus, certè esus illius nō inter vesperas, sed post vesperam in nocte fiebat, hinc loco exodi citato. *Edent carnes nocte illa &c.* cui mori morem gessisse quoque saluator dicendus est; dum relatore Ioanne cap. 13. nox erat. *Vespere autem facto* idest post vesperam occasus solis, *discumbebat cum discipulis.*

Barradij lapsus.

26 Quænam hæc autem vespera fuerit nō est admodum difficile cogere Græcos reuocato in mentem Dei præcepto *loco exodi proposito* de comestione Azimorum, quam certè in decimæ quartæ diei vesperam posteriorem incidisse dilucide Moyses enarrauit aiens, *Primo mense quarta decima die mensis ad vesperam comedetis azimos, vsque ad diem vigesimum primum eiusdem mensis ad vesperam:* hæc autem vespera non propriè ad eum diem 14. pertinebat, sed ad 15. quamuis vtriusque vespera dici posset, quia erat finis diei decimæ quartæ, & initium diei decimæ quintæ Hebreo calculo diem à vespera in vesperam metiente. Incipiebant igitur *Azima* Hebreorum sub occasu solis diei decimæ quartæ, à quo tempore per totum diem 15. vsque ad vesperam solemne festum celebrabant Exodi 12. *dies prima erit sancta, ac solemnis, &c.*

Difficultum in sensu verborum scripturæ.

27 Consentiunt hucusque Græci, atqui aiunt anticipasse Christum propter instantem passionis suæ temporis horam agni paschalis comestionem priori vespera, quæ erat initium decimæ quartæ diei, & finis decimæ tertiæ. Falsitatis tamen arguuntur ex euangelica narratione, qua ipso primo azimorum die Pascha immolasse legitur Matth. 26. *Prima die azimorum accesserunt discipuli ad Iesum, &c. & Parauerunt Pascha.* Marci 14. *die primo Azimorum, quando Pascha immolabant.* Lucæ 22. *Venit autem dies azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha,* & vnguli concorditer subdunt, *& Parauerunt Pascha;* quare non dubie ex hac narratione colligitur agni Paschalis comestionem à Christo factam prima azimorum die, quæ certè erat dies decima quarta mensis post vesperam ineunte iam decima quinta, quo tempore institutum hoc sacramentum Euangelistæ proclamant.

Græcorū assertio anticipasse Christum comestionē agni arguitur.

28 At eo dementiæ ventum à Græcis, vt errare dixerint Lucam, Marcum, & Matthæum, & à Ioanne correptos, qui cap. 13. ante diem festum Paschæ factam fuisse cænam edisserit, & similiter cap. 18. non introijsse Iudæos Pilati Prætorium narrat, ne contaminarentur, sed vt manducarent Pascha, quo ex loco eliciunt, quod si Christus eo die occisus est, quo Iudæi comedebant Pascha, plane institutio sacramenti huius ante illum diem facta non in 14. sed in 13. lunam Martij incidit.

Græcorū d[illegible] Euangelistas.

29 Turpe tamen est mendacium mendacij arguere Euangelistas, quorum vnum si admittas in scriptura mendacium monitore Augustino vniuersa ruat scriptura necessum est. Dum igitur Ioannes ante diem festum Paschæ cænam edisserit factam, verum vtique edisserit, nec quid contra Cæteros Euangelistas edisserit, nam is dies ante diem festum Paschæ fuit 14. lunæ, decima quinta erat festus Paschæ dies, vnde non ait Ioannes ante Paschæ diem, sed ante diem festum Paschæ, erat enim dies Paschæ decima quarta ad Vesperā, qua immolabatur agnus, at dies festus erat luna 15. Cænauit ergo Christus ante diem festum, sed non ante diem Paschæ.

Confutatur

30 Nec si nihil modo Paschæ nomen sumitur cap. illo 18. sed pro azimis, à quorum comestione ne remorarentur Hebræi Pilati prætorium ingredi noluerūt, cæterum azimorum illa comestio septem perseuerabat diebus *ex loco citato exodi.*

Rursus insultant Græci, non fuisse Christum occisum in die Paschæ festo; quia sic ipsi protestati sunt dicentes *Non in die festo ne forte tumultus, &c.* Ienis tamen insultatio, nam ita vtique protestabantur Hebræi, non quidem ob festi cultum, sed ne fieret tumultus in populo, porro tumultu cessante, & vniuerso ferè cætu in Christum personante, Iuda sine armorum strepitu prodente concilium mutauerunt, & in solemni Paschatis die cruci Christum affixerunt.

Græcorū insultatio friuola.

Aiunt

31 Aiunt, mulieres viso monumento reuersas parasse aromata, & vnguenta, sic enim ait Lucas cap. 23. *subsecutæ autem mulieres viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius, & reuertentes parauerunt aromata, & unguenta, &c.* At ista præparatio fieri nequit in festo Paschæ, quo erant opera interdicta, exodi 12. *Nihil operis facietis in eis*, & loquitur de prima, & septima die azimorum, & Paschæ, & Leuit. 23. *omne opus seruile non facietis in eo*. Nec sat est dicere parata aromata die sabbathi, ad cuius cultum à Christo edoctæ non tenebantur; quia inquit Lucas, *& sabbatho quidem siluerunt secundum mandatum*. Parata ergo illa fuerunt viso monumento, & non die festo, nec die sabbathi sequenti; ergo ante diem festum, ergo ante illum diem occisus est Christus, & pridie illius diei instituta Eucharistia.

Oppositio

32 Non desunt responsa apud Innocentium, & apud Gabrielem *lect. 35 in canone* [illegible], probatur, quæ asserit parasse mulieres aromata nō in die festo Paschæ, quod iam transactum erat, dum reuerterentur à monumento, à quo sub vespere feriæ sextæ regressæ sunt iuxta Lucæ ibi testimonium, *& dies Parasceue erat, & sabbathum illucescebat*, idest iam incipiebat sabbathi festiuitas, quæ ab occasu solis feriæ 6. protendebatur vsque ad vesperam sabbathi; nec parauerunt in die sabbathi, quia siluerunt eo die, teste Luca, secundum mandatum, sed transacto secundo vespere sabbathi, exordium sumente primo die post sabbathum, quæ expositio satis quadrat narrationi Marci summis verbis cap. 16. *& cum transisset sabbathum Maria Magdalene, Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, &c.* nec repugnat narrationi Lucæ, qui, vti diximus, recapitulando quasi exposuit parationem aromatum nondum factam mentione sabbathi, quamuis facta fuerit post sabbathum.

Responsio.

33 Aiunt Christum cruci affixum in Parasceue Paschæ ex Ioanne cap. 19. *Erat autem Parasceue Paschæ hora quasi 6.* at Pascha incidebat in lunam 15. Parasceue igitur, quod præparationem sonat, incidit in lunam 14. in qua & cruci affixus est Christus, sequitur quod cum pridie illius diei sacramentum instituerit, facta fuerit hæc institutio luna 13.

Alia obiectio.

Respondeo, vtique Parasceue græcum nomen præparationem sonare, at id solum referri ad sabbathum, quo nec cibos colligere licebat Hebreis, qui exinde pridie illius diei præparabant obsonia, cæteraque necessaria, factumque vt diei ante sabbathum inditum sit præparationis vocabulum; cæterum Pascha azimorum, & agni licet præparationem haberet agni eiusdem, à decimo die primi mensis vsque ad 15. totum certe tempus illud, sed & pridie diei Paschatis parasceue minime vocabatur, dum ergo ait Ioannes in parasceue Paschæ cruci affixum Christum Redemptorem nostrum, Paschæ genitiuus substantiualis non est, sed adiectiuus, ac si diceret *parasceue paschale*; erat enim Parasceue incidens in diem Paschatis, quæ explicatio ad litteram quadrat intentioni Ioannis, qui *eodem cap.* sepultum, ait Christum non multo tempore post mortem, nec longe à patibulo, quia erat parasceue Iudæorum, & paulo superius ait Iudæos, quia *parasceue erat, ne remanerent in cruce corpora sabbatho* (ecce quomodo parasceue ad sabbathum non ad pascha refert) rogasse Pilatum, vt fractis cruribus ad accelerandam mortem tollerentur.

Solutio.

Parasceue Paschæ qualis sit.

34 Verum vrgentior ratio deduci pro Græcis posset, si probari posset Iudæos in priori vespera lunæ 14. mactasse agnū paschalem, quod quidem incidisset in posteriorem vesperam lunæ 13. id autem probari videbitur facile ex scriptura, tum quia Iudæorum festus dies à priori vespera sumens initium in posteriori terminabatur, quæ erat sequentis diei initium, quare datum de agni immolatione ad vesperam diei 14. præceptum, intelligi necessum est de priori vespera illius diei; nam posterior ad diem 15. pertinebat, tum etiam quia num. 33. habetur Hebreos de Ramese progressos mense primo decima quinta die mensis primi, altera die Phase, idest, sequenti die, postquam immolauerunt phase, & agnum, vnde non obscure educitur pridie diei illius immolatum agnum, hoc est, die 13. nam die 14. ad vesperam, & nocte illa iter præcedente agnum comedere, & iter aggredi non potuerunt iussi à Moyse non egredi domo vsque mane. Sed hæc obiectio videtur, nam in primis etsi secunda vespera ad posteriorem pertinebat diem, ad elapsum etiam referri potest, sicuti in physicis temporis instans præsens dicitur finis præteriti, & principium futuri, ita secunda vesper ad priorem vt finis, ad posteriorem attinebat diem vt principium illius. Præterea profectio illa de Ægypto certum est incidisse in diem 15. qui erat

Ratio vrgens Græcos.

Græcorum [illegible]

Phase,

Phase, textus enim id clare eloquitur, & propterea immolatum agnum sub vespera diei præcedentis, hoc est, luna 14. quod pro nobis facit, nec refert iussos esse manere domi vsque mane, nam summo mane egressi perrexerunt; nec etiam refert, quod subditur, quod *altera die Phase*; nam verba hæc nō ad egressum referuntur, sed ad castrametationem in Socoth; vnde coma interposita, verba illa ad subsequentia, non ad præcedentia referri dicenda sunt, vt patet textum præcurrenti.

Explicatio loci propositi.

35 Hactenus igitur ex alienæ opinionis improbatione probatissima remanet latinorum opinio institutionem sacramēti huius factam die 14. ad posteriorem vesperam, quæ cum esset pariter initium futuræ diei, vniuersum nostræ redemptionis opus vnico die completum demonstrat; instituto namque sacramento egressus est Iesus in hortū, vbi captus, ductus ad Principem Sacerdotum, ad Regem, ad Præsidem, flagellatus &c. vsque ad cruci affixionem, sic vmbra veritati respondet; quia eo die immolatus est Christus verum Pascha, & agnus, quo legalis immolabatur agnus, qui licet dicatur immolari luna 14. quia tamen hoc fiebat ad vesperam, quæ erat etiam principium diei 15. euidenter conuincit eodem die 15. immolatum verum agnum in cruce.

Conclusio dictorum.

Græcorum asseclas in hac disputatione sese exhibuerunt fermè latini pleriq; nimirum Oleaster *in cap. 23. leuit.* Azorius *tom. 1. lib 6. cap. 33.* Petrus Lopez Antoyanus *lib. adnot. in can. missal.* usus Legionensis *lib de immolat. agni veri, & typici* ijsdem ferè fundamentis nixi; contra quos vide Suarezium, & Vasquez, Riberam *lib. 1. de templo cap. 3.* & nouissimè Lusium Turrianum *in sel. p. 1. disp. 33. dub. 9.*



AN SACRAMENTVM HOC

potuerit ante incarnationem instititui.



CAP. III.



36 AD præteritæ difficultatis captum vnica superesse videbitur dubitatio, quo die solari institutum fuerit hoc sacramentum? dictum est enim lunares hucusque spectatos fuisse dies, immò & quo mense? Nec erit petitio incongrua; quia cum menses, ac dies apud Hæbreos lunares essent, nostris solaribus totaliter, ac plenè respondere non possunt. Habebant autem dies lunares, & menses, ijque ita nuncupabantur, siue ratione peragrationis lunæ, quia scilicet, luna suo motu vnum signorum Zodiaci decurrebat, siue ratione conspicuæ visionis, quatenus, scilicet, luna conspici potest medians inter duas cum sole coniunctiones, siue ratione coniunctionis, quatenus videlicet id tempus innotuitur, quod inter vnam, & alteram, seu sequentem coniunctionem intercipitur, quæ & lunatio dicitur, prior mensis est viginti septem dierum cum parte fere alterius diei; secundus viginti sex circiter; Tertius viginti nouem cum aliquibus horis. An autem primo, an secundo, an tertio modo menses metirentur? incertum est, licet magis consonum videatur veritati dicere menses metitos ex ratione coniunctionis.

Dies lunares Hæbræorum.

Vnde dicti menses lunares.

37 Vtcumque dicatur hoc certum est, lunares menses nostris propemodum respondere non posse, licet ex parte respondeant. Hinc mensis Nisan regulariter respondet Martio, licet interdum in Aprilem, aliquando, sed rarò, in Maium excurrat, vt hoc anno 1639 euenit, quo resurrectionis Pascha 24. Aprilis celebratur, quoue luna Martij vsque ad primum Maij diem protenditur.

Mensis Nisan respondet Martio.

38 Ex hac igitur varia lunatione incertum

tum remanet, quo mense, ac die solari instituta fuerit Eucharistia; nonnulis ad secundam Aprilis diē, alijs ad 16. id deferentibus, plerisque Martio mense, die vero vel 17. vel 25. vel 29. cum tamen res ipsa ex astronomicis propendeat tabulis, in quibus mirum est, quanta vagetur varietas; vt nullū de eo constans ferri possit iudicium, & hoc certum est, quod res est incerta, quamuis congruentiæ non deessent ad id operis facti in 25. diem Martij redigendum, id eo supersederi de ea visum fuit.

Varietas in tabulis Astronomicis.

35 Præsens itaque disceptatio possibilitatem institutionis in alio tempore postulat, nec ad alia tempora post sumptam à Christo carnem in hypostasi diuertenda erat, de quibus minoribus videtur agitari angustijs. Hæc autem ipsa petitio agitatur à Scoto *d. 10. huius 4. q. 4.* petendo, *an corpori Christi naturaliter existenti, & eidem sacramentaliter existenti insint necessario eædem partes, & positiones.* Ex cuius elucidatione, vt corollarium solutionem præsentis difficultatis inducit *littera* C. Recentiores autem cum Suarez *disputatione 48. sect. 2.* Vasquez *disput. 192, capit. 1.* Lugo *disp. 5 sect. 8.* sub hoc titulo eam enervant: *An præsentia sacramentalis Christi pendeat à præsentia naturali.* Nos verò, qui eam ad hanc de existentia sacramenti huius disputationem reuocauimus sub alio illam titulo enodamus.

Difficultas sub alio titulo proposita à Recentibus.

36 Circa quam sensit Paludanus *in 4 d. 8. q. p. art. 3.* quem exinde enixè secutus est Caietanus *in comm. art. 2. q. 76. 3. p.* S. Thomæ nullo modo sacramētum hoc ante Incarnationem Verbi institui potuisse, quod indicasse visus est etiam S. Thomas *q. 73.* petendo tempus institutionis Eucharistiæ, dum in solutione 2. constituit non potuisse sacramentum hoc institui priusquam ipsum Christi corpus realiter existeret, cui voluntarie satis aptatur commentatio Soti *in 4. d. 8. q. 1. art. 5.* aientis loquutum S. Thomam de potentia ordinaria Dei, quasi vero institutio huius sacramenti, eiusque tempora, & circumstantia ad ordinariam Dei potestatem reuocanda sit, non autem ad absolutam.

Opinio Paludani, & Caietani.

Interpretatio Soti.

37 Inclinasse igitur in negantem partem visus est S. Thomas, quam ita Caietanus arbitratur veram; vt se in chimeris versari pudere dicat, dum Scoticam in hac re sententiam refert.

Nihilo tamen minus opposita sententia affirmans verior est; & Caietani lusus ineptus; eam propugnat ibi Scotus; sequitur Maior *q. 7.* non distat Sotus *loco cit.* sequuntur Gabriel *lect. 47. in canonem,* & Recentiores supra citati; vt Scotistarum Scoti asseclarum sensum taceam.

Opinio affirmans statuitur.

Cum Scoto Gabriele, & alijs

38 Ad huius captum obserua, differre satis loqui de naturali existentia Christi corporis, & de existentia eius modo naturali corporis, primum enim dicit esse naturale, & substantiale Christi corporis, vel saltem modum essendi substantialem, qui realiter ab ipsa Christi corporis essentia non distinguitur, sed vt modus à re; vnde esse, & existere idem ferè sonant vt patet ex methaphisicis; secundum verò dicit modum existendi, non essendi, estque planè accidens in prædicamento vbi collocatum, diestulque modus existendi circumscriptiuè, alibi namque dicendum est, & hic tantum supponitur, contingere quippiam esse in loco multifariam, immensiue, videlicet, circumscriptiuè, diffinitiuè, sacramentaliter; primo modo Deus omnem implens locum nulli addictus loco immensiue dicitur in loco esse, secundo modo corpora loco circumscripta, vtpotè quantitate prædita in loco ponuntur; tertio quæ sunt ita hic, vt non alibi diffinitiuè, quarto quæ ex efficientia Dei modo sacramentali in loco situatur; singuli autem modi isti in loco existendi (deme primum, de quo nihil in præsentia) respectus sunt extrinsecè aduenientes posteriores obinde essentiæ rei locatæ, & existentiæ substantiali, seu naturali, & hoc maximè obseruasse oportet, ne in æquiuocam Caietani doctrinam incidamus ita de existentia modo naturali loquentis, ac de existentia ipsa secundum se naturali, seu substantiali corporis Christi. Præsupponitur igitur existentia Christi corporis in rerum natura ad petitionem, *an existentia eius modo sacramentali pendeat ab existentia modo naturali;* quia per existentiam modo naturali, non naturalem, ac substantialem Christi corporis existentiam, sed existentiam sub modo quanto, & extenso, qui dicitur modus naturalis existentiæ corporis, intelligimus.

Notabile necessariū

Quadruplex modus existendi in loco.

39 Quo supposito Asserendum primo, neutram existentiam ab altera pendere ex ipsa rei natura; ita vt intrinsecè nec existētia sacramentali modo pēdeat ab existentia modo naturali, nec è contra existentia sub modo naturali ab existentia modo sacramentali dependeat. Assertum probatur, quia in primis existentiam modo naturali ab existentia modo

Assertio 1

sacra;

ſacramentali non pendere, neque intrinſecè eſſe illi connexum experimentum docet in Chriſti corpore, quod vſque ad cœnam modo naturali extitit nondum ſacramento inſtituto, nondum obinde exiſtētia modo ſacramentali habitas vnde ſiquæ ita ſe habent ex logicis, vt ſi vnum ſine alio eſſe queat, inuicem connexa intrinſecè non ſint, plane præexiſtens Chriſti corpus modo naturali ad exiſtentiam modo ſacramentali liquido demonſtrat non pependiſſe modum exiſtendi naturali modo ab illo ſacramentali.

Probatio vlterior

40 Cæterum nec ſacramentalem à modo exiſtendi naturali pendere, probatur ab aliquibus argumento Scoti validiſſimo. Quotieſcumque aliquid indifferens eſt ad duos exiſtendi modos, ſicut poteſt eſſe ſub vno, ita & ſub alio abſque vlla alterius ad alterum connexione, ſi modi illi ſint diſparati. At Chriſti corporis ſubſtantialis exiſtentia indifferens eſt ad modum exiſtendi naturalem, & ſacramentalem, qui ſunt modi diſparati; ergo indifferenter ita poteſt ſub vno eſſe, ac ſub alio abſque vlla alterius cum altero connexione; ita hanc partem probat Rada *controuerſ. 8. art. 2.* minus tamen rectè, vt reor, id enim aſſumit pro principio, quod eſſet probandum; nimirum non eſſe modos iſtos inuicem connexos, ſed diſparatos, quo conſtito vtique argumentatio valida eſſet ad probandum potuiſſe Chriſtum eſſe ſub vno independenter ab alio, atq; adeo ratio potius aſſertioni noſtræ ſequenti, quam propoſitæ opitulatur.

Ex doctrina Rada.

Reiecta

41 Probatur igitur aliter ex doctrina Scoti *loc. cit.* Quidquid ab alio pendet, intrinſecèque eſt illi connexum, vel eſt effectus eius, à quo pendet, vel intrinſecè includit id, à quo pendet, at modus exiſtendi ſacramentaliter non eſt effectus modi exiſtendi corporis naturaliter; neque intrinſecè modum illum includit; ergo nec ab eo pendet, nec eſt illi intrinſecè connexum. Maior ex ter minis euidentiam habere videtur; nam effectus à cauſa neceſſaria pendere ratio ipſa effectorum declarat; quodcumque etiam includit aliud intrinſecè ab eo pendeat neceſſum eſt. Probo minorem, & in primis modum exiſtendi naturaliter corporis Chriſti non eſſe cauſam modi exiſtendi ſacramentaliter, is audebit negare, qui Deum cauſam huius exiſtentiæ ſacramentalis negauerit; cum igitur Deus ſolum ſit cauſa huius exiſtentiæ ſacramentalis, non eſt cur aliquam ſine fundamento cauſandi rationem inueha mus in modo eſſendi naturaliter ad modum eſſendi ſacramentaliter, eoque id magis; quod vbicatio vbicationis cauſa non eſt reſpectu eiuſdem.

Probatio Scotica

42 Præterea modum exiſtentiæ naturaliter non includi intrinſecè à modo exiſtendi ſacramentaliter probatur; quia omne habens aliquid habet id, quod eſt de ratione intrinſeca eius, at de ratione intrinſeca modi exiſtendi corporis naturaliter eſt eſſe quantum, & extenſum; ergo includens modum exiſtendi naturaliter corporis neceſſariò includit eſſe quantum, & extenſum, at hæc omnia falſa ſunt in modo exiſtendi ſacramentaliter, in quo Chriſti corpus nō eſt modo quantitatiuo, & extenſo, ergo falſum eſt etiam modum naturaliter corporis exiſtendi intrinſecè includi à modo exiſtendi ſacramentaliter.

Vrgetur allata probatio

43 Huic rationi responderet quiſpiam ex Caietano *loc. cit.* negando maiorem primi argumenti vt inſufficientem; quia reſpectus ab alio pendet, quod nec eſt de illius eſsentia; pendet enim à termino, ſine quo eſſe non poteſt, nec tamen terminus eſt cauſa reſpectus, nec eſt de intrinſeca reſpectus ipſius ratione; ſimiliter ad probationem diceret ſophiſticè argui; quia mutatur res præſens in modum præſentiæ, etenim modus Chriſti naturalis eſt res præſens Euchariſtiæ, ſed modus præſentiæ non eſt modus ille naturalis, ſed ſacramentalis, hinc ipſamet res præſens eſt de eſsentia rei præſentis, non de eſsentia modi præſentiæ.

Reſponſio Caietani

44 Hæc pro Caietano, immo Caietanus ipſe *loc. cit.* ſed ſi ſophiſtæ vocabulum in ſuo germano, vetuſtoque ſignificato ſumpſiſſet Caietanus, ageremus illi gratias, olim enim ſophiſtæ appellatio honeſtiſſima erat, iiſque propria, qui in aliqua arte excellebant, at quoniam ſophiſtæ nomen in inuidiam abijt, vt ſophiſtæ dicantur, qui fictè ſapientiæ ſpeciē gerunt, auellendum eſt hoc eius nominis à Scoto ſignificatum Caietano iourendum, qui fallacibus arguitiunculis quandam ſapientiæ ſpeciem oſtentauit: & primo relationem poſſe quoquo modo à fundamento, & termino oriri non negarit, cuicunque parum in philoſophia verſato notum erit hanc, ſi ſit è numero interne accedentium, quarum dumtaxat naturam agnouit Caietanus, ex extremorum, puta fundamenti, ac termini natura inſurgere, quare ſi illa virtute oritur extremorum, non eſt cur

Reiectio

Quid ſibi velit ſophiſtæ vocabulum à

extrema illius quodammodo causas esse negemus, similiter quamuis relatio ipsa abstracte ab extremis præscindat, absque tamen extremorum notitia dignosci nõ potest, in cuiusque diffinitione, seu ratione extrema, hoc est, fundamentum, ac terminus cadent saltem, vt addita, quod sane sat est ad inuehendam quodammodo inclusionem cognitionis extremorũ in cognitione, ac notitia respectus quod non euenit in proposito, nam sacramentalis præsentia Christi corporis, nec vt additum, nec formaliter in sua ratione naturalem eiusdem præsentiam quantitatiuo, scilicet, modo includit, immo vnus modus est alteri oppositus, quia naturalis est quantitatiuus, & extensus, sacramentalis è contra: similiter nec istæ præsentialitatis respectus existentiam sub modo naturali quoquomodo respicit, vt fundamentum, aut vt terminum, vt patet, quare sat est probata illa maior, & non sophisticè, sed antisophisticè, quidquid blateret Caietanus.

Logica argumentatio.

45 Rursus bellula æquiuocatione deceptus Caietanus se sophum, nos vero sophistas vocat. Est autem æquiuocatio in oppugnatione probationis maioris, dũ modũ existendi corporis Christi naturalem vocat, ipsum Christum præsentem, atque adeo idem esse tetur esse substantialiter, ac naturaliter, & esse præsens, seu existens naturali modo corporis, cum tamen tam inuicem hæc duo differant, quam distant substantia, cuius modus est existentia, & accidens, qualis est existentia naturali modo corporis: nec mirum si ex ignoratione terminorum indagatorem Scotum sophistam vocat, mirum, vtique est quommodo, vt Scotum oppugnet, suæmet sibi doctrinæ immemor sit, enim, qui libello proprio existentiam ab essentia seiungit, nunc eandem rem esse ait, non alio fundamento, vt reor, nisi quia sic illi erat opus. At lusimus satis.

Luditur Caietanus.

46 Dicimus igitur secundo, potuisse sacramentum hoc ante Incarnationem institui. Hæc assertio est quasi superioris appendix, etenim constituto vtramque Christi corporis existentiam ita se habere, vt neutra ab altera dependeat, vt potuit esse naturalis existentia ante sacramentalem, ita potuit è contra esse sacramentalis ante naturalem, atque adeo esse Christi corpus præsens sacramento, antequam esset in vtero Virginis; cognita significatione modi existendi corporis naturaliter, quam hucusque decucurrimus. Probari autem potest argumento Scoti; quod ex aliorum mente supra tetigimus.

Assertio principalis ...

Quandocumque aliquid indifferens est ad duos existendi modos disparatos, potest pro libito esse sub vno, & non sub altero, at Christi corporis existentia indifferens est ad modum existendi naturalem, & sacramentalem, qui duo modi, si minus oppositi sunt, saltem disparate se habent, ergo potest pro libito sub altero eorum esse præciso respectu ad alium. Maior dilucida est ex terminis, nam hæc est indifferentiæ ratio, vt possit vnum pacisci sibi, vel alterum pro arbitrio. Minor autem probatur, quia modos hosce disparatos esse, immo & aliqualiter contrarios superiori asserto dilucidauimus, cum alter extensionem expostulat, respuat extensionem alter, porrò Christi substantialem existentiam indifferenter se ad vtrumque habere modum liquet, alioquin sub altero esset violenter, nec posset voluntariè vnum, vel alterum sibi magis eligere.

Probatio

47 Scio Caietanum responsurum, negando Christi corpus esse indifferens ad vtrumque existendi modum, cum existentia naturalis sit Christi corpori essentialis, sacramentalis vero accidentalis; sed, vt diximus, æquiuoco laboranti Caietano, proque eodem existentiam substantialem, ac naturali modo corporis sumenti parcendum est, neque cum habentibus diuersa principia disceptandum, quamuis certè modum existendi naturaliter corporeo modo substantialem appellare sit vniuersam Philosophiæ methodum præterire, esset namque necessum prædicamentum vbi ad seriem prædicamenti substantiæ reuocare.

Responsum Caietani.

Solutio.

Hinc ruit obiectio ex Scoti fonte deprompta, quam pro Caietano afferre fecerunt; nimirum; nihil potest esse, vel incipere esse simpliciter, nisi simul incipiat esse in seipso; incipere autem esse in seipso est incipere suo modo naturali, assumptum namque falsum est, quia incipere esse in seipso est habere existentiam propriam essentialem, incipere vero esse modo naturali est incipere habere modum existendi naturalem corpori, vel alteri substantiæ, seu enti, de quo quæritur. Cæterum existentia primo modo est modus essentiæ, secundo vero modo est simpliciter accidens.

Obiectio ex Scoto diluitur.

48 Ruit etiam aliorum obiectum, quod si hoc fieri potuisset, non potuisset sacramentum hoc Christi mortem repræsentare. Ruit, inquam, nam primo non-

nondum diffinitum est, futurum fuisse tunc temporis sacramentum eo modo repræsentatiuum, sicuti post incarnationem. Secundo, esto eodem modo statuatur repræsentatiuum, sciscitor, in vltima cæna sub sui institutione repræsentauit ne hoc sacramentum Christi passionem exhibitam, an futuram? certè non exhibitam, quia nondum passus Christus cænauit, vt quid ergo si ante incarnationem fuisset institutum nequiuisset futuram Christi mortem repræsentare?

Confirmatio asserti.

49 Confirmatur assertio. Posito fundamento completo, ac termino respectum inter vtrumque poni posse Philosophi non negarent, at ante modum existendi Christi corporis naturalem potuit fundamentum præsentialitatis ad species ipsæ, vt terminus poni, quare & respectus præsentialitatis poni potuit. Maior probatione non eget, hisce enim indiget ad sui positionem relatio, præcipuè per *Aduersarium*: suadetur minor; nam species in primis ante incarnationem poni potuisse nulla ratio, nullũ incommodum vetat, aut cogit oppositum, de corpore autem Christi subsumitur probatio. Omne absolutum altero prius, & ab eo realiter distinctum potest à Deo poni in esse absque positionem illius, præcipuè si illud aliud absolutum non sit, sed respectiuum, à quo absolutum pendere non potest, at Christi corpus quid absolutum est, præsentialitas ad species relatio, alterumque ab altero seiungitur, vt accidens ab absoluto, vt prius à posteriori, nec vllo modo Christi corpus à præsentialitate dependet, vnde ergo implicantia? vnde incommodum, quo cogimur in Caietanicum dilabi sophisticandi modum?

Obiectum.

50 Objicies sequi, hypotesi concessa, aut Christum in Vtero *Matris* non incæpturum esse; quia iam habebat in sacramento, aut bis accepturum esse: quorũ vtrumque videtur inconueniens. Reflecto idem argumentũ de facto, nam præhabita incarnatione, aut in sacramento non incæpit esse Christus, quod iam per incarnationem habebat, aut bis accepit esse? *Aio* igitur ex doctrina Scoti *loco citato littera* F. *&* G. quod sicuti nunc de facto in sacramento altaris non incipit Christi corpus esse simpliciter, & absolutè, quia inceptio simpliciter requirit non solum esse simpliciter, sed etiam primi esse, nunc autem præsupponitur Christi corpus esse, sed incipit esse tali modo, hoc est sacramentaliter, ita tunc hypotesi concessa, ex quo primum esse incæpisset in sacramento, in Incarnatione incæpisset esse Christus, sed non absolutè, & simpliciter, sed secundum quid, idest tali modo, nempe corporeo quantitatiuo, & extenso, neque hæc sunt incommoda; quia vtrumque essendi, seu existendi modum accidentarium tenemur, & solum existere, quod est modus rei, substantiale diximus.

Aliud obiectum

51 Aies, sequi hypotesi concessa *Virginem* non futuram fuisse veram Christi matrem, quia generatio est adesse primũ simpliciter, & absolutè, tunc autem Christus accepisset in *Vtero* Virginis esse, sed non primum, neque eo inde absolutè, & simpliciter.

Responsio Bassolis.

Respondet Bassolus durante Eucharistia non potuisse haberi Christi corpus per generationem, hinc vt haberet Christi corpus verum esse, futurũ retur, vt prius desineret esse in sacramẽto altaris.

Reiecta.

Quam sit hæc responsio dissona à *Scoto*, vides lector; nec ratio cogit, quia etiam Dei mater vera est Virgo, Dei tamen esse externum est, satque fuit ad hoc, & vera Dei diceretur *Mater*, vt in eius Vtero Verbum inciperet habere esse humanum, ita sat esset in casu, vt Christi corpus in *Matris* utero inciperet habere esse, & existere modo naturali corporum ad cuius affirmationem clargiretur Mater materiam.

Opinio, & conclusio nes Maironi.

52 Difficultatem propositam fusè prosequitur Maironus *distin.* 10. *q.* 2. 1. *part.* & quadruplici more suo conclusione dirimit. *Prima* est, quod *si fuisset hoc sacramentum institutum ante incarnationem Christi, amplius Christus incarnari non potuisset.* Secunda quod, *nec generari.* Tertia, & quarta, quod *potuisset concipi, & nasci*, subdit in fine Potuisse in casu Virginem dici Christi matrem, quia *Mater* administrat tantum materiam, quam Virgo in casu administrasset, sed non futurum Christũ Mariæ filium, quia tota substantia sanguinis fuisset in ipsum transubstantiata, nec fuisset permanens; etenim opposito modo ab eo, quem experimur nunc, tunc facta fuissent hæc; at nunc vero nihil substantiæ panis manet in termino, ergo tunc nihil de sanguine Virginis mansisset. Sunt tamen hæc sin singula, aliqua saltẽ à Scoti doctrina dissona, dissona, inquã, Scoti doctrinæ, quæ pro certo statuit, potuisse hoc sacramentum ante Incarnationem institui, & tamen potuisse illud idem corpus formari de sanguinibus Virginis sub modo essendi na-

Cribrantur Maironi dicta.

Doctrina Scoti.

 turali

cie contineatur Christus in hoc sacramento, panis, videlicet, & vini: postulandum venit, an sint sacramenta duo, an vero sub vtraque duplici specie vnũ? Iterum, cum plures hostiæ sint simul in pixide, plures fiant consecrationes, plures sumptiones iuxta sumentium numerum, rogandum est, numquid idem in omnibus sacramentum vnum numero? Hæc omnia difficultatem habent quam maximam, idcirco distinctè, ac sedulo cribranda sunt.

Opinio statuens consecrationẽ, & sũptionem esse sacramentũ.

55 Circa primum dubium sunt, qui putent tam ipsam in esse permanenti Eucharistiam sacramentum esse, quam sũptionem, & consecrationem ex eo fundamento, quod cum sacramenta generica ratione debeant significare gratiam, quam causant, hæc melius per consecrationem, in qua vere ad sacramentorum aliorum instar materia, & forma vtitur sacerdos cum intentione, & in sumptione, qua sumens impletur gratia, quam in ipso secundum se sacramento in facto esse cõsideratur. Tribuitur hæc opinio communiter Gabrieli *in 4. d 8 q. 1. & 2. et lect. 53. in canon.* reuera tamen Gabriel non assertiue hanc sententiam tutatus est. ait enim *Non itaque asserendo sed tantum examinandum, corrigendumq; peritioribus offero &c.* cuiuscumque sit tamen impugnatur, quia ex falso progreditur fundamento statuente par de hoc, & alijs sacramentis faciendum esse iudicium, cum alia tamen omnia in fieri sita sint, hoc autem sit permanens.

Tribuitur Gabrieli, sed perperam.

Impugnatio Fabri.

56 Sciò autem Nostrates aliquos cum Fabro *disp. 28. cap. 2.* illam impugnare primo; quia consecratio licet aliquid significet, & aliquem habeat ordinem ad hoc sacramentum, non tamen eius significatio est principale significatum huius sacramenti, & sic non potest esse sacramentũ, secundo sumptio, licet sit signũ gratiæ spiritualis cibantis animum non potest esse sacramentum Eucharistiæ; quia subsequitur illud, & sacramentum Eucharistiæ perfectum esse potest sine sumptione.

Leuis;

Impugnatio tamen leuissima est, nam prima non intelligit, quæ dicit, ait enim consecrationem significare aliquid, sed eius significationem non esse principale significatum huius sacramenti. sed ecquis dixerit significationem esse significatum? certè illa relatio est, hoc vero est terminus, verba ergo Fabri inuicem pugnant.

Alia impugnatio principiũ petit.

57 Alia vero impugnatio principium petit, immò æquiuoco laborat, nam assertores opinionis propositæ haud quaquã asserunt sumptionem esse sacramentum Eucharistiæ, sed esse aliud sacramentũ à sacramento permanenti Eucharistiæ, ita namque loquitur *hic cit.* Gabriel, est igitur impugnatio inualida.

Valide autem, vt reor, impugnatur expugnato propugnaculo, quo illa sententia propugnatur, est autem illud, quod rationes, & conditiones omnes sacramenti aptantur consecrationi, & sumptioni, cuius oppositum, verum est: nam consecratio imprimis non causat gratiam, quam *Aduersarij* inferunt, etsi causat præsentialitatem corporis Christi, quæ est signatum huius sacramenti, non tamen in ordine ad nutritionem spiritualem, sed absolutè. Porrò duo sunt huius sacramenti signata, alterum proximum, quod est christi præsentialitas, alterum remotum, quod est spiritualis nutritio; consecratio autem nullo modo nutritionem respicit.

Impugnatio propria.

58 Nec sat est ad rationem sacramenti adhiberi materiam, & formam cum intentione ministri; nã & in benedictione oleorũ materia subest cũ verbis, & intentione Episcopi, nec tamen illa sacramentum est, sed sacramentale, ita in proposito materia, & forma sunt partes cõsecrationis, nec significant gratiã ex opere operato, sed nec ipsum Christi corpus, eiusque præsentialitatem, quæ est effectus gratuitus; sed potius fieri ipsius præsentialitatis; quare cum consecratio nec gratiam inhærentem, nec affectum gratuitum significet, nisi in fieri à ratione sacramentorũ ablegabitur, eoque id magis, quod sacramenta in fieri gratiam inhærentem solum, non subsistentem significant, in consecratione autem nullã gratiam ex opere operato sibi consecrans comparat, sed si dignè agat, ex merito operis operantis dumtaxat.

De vsu huius sacramenti.

59 Maior videbitur esse apparentia ratio in vsu, ac sumptione huius sacramenti; cum enim actus sumptionis spiritualem nutritionem denotet, & hæc fiat per collationem gratiæ, apparet primo mentis obtuitu in huius sacramenti applicationem, & vsum dilabi rectius sacramenti rationem: sed siquis animaduertet sacramenta omnia, quæ in esse successiuo fiunt ex Florentino Concilio expetere materiam, & formam cum intentione ministri, hisce omnibus in sacramenti huius sumptione desideratis, veram sacramenti nouæ legis in sumptione Eucharistiæ rationem desiderabit.

Sunt

quæ plures habent partes vnicum tamen totum integrantes, vt ipsum nomen sonat.

Duplex acceptio corporis.

67 Obserua rursum, corpus bifariam posse spectari; primo latè, secundo pressè: latè corpus sumitur prout inuoluit singulas corporis partes tam anima præditas, quam inanimas, & pressè sumitur prout animatas dumtaxat partes includit; priori acceptione significato corporis comprehenduntur humores, spiritus, sanguis, & cætera omnia ad complementum organici corporis attinentia: posteriori significato corpus haudquaquam inanimas corporis partes indicat, & complectitur, neque proinde significato eius intelliguntur spiritus, humores sanguis, & alia. Scio me fusè hanc corporis partitionem prosecutum *tomo de incarnatione*, idcirco ab vberiori eius explicatione supersedeo.

Sacramentum Eucharistiæ non esse vnum vnitate indiuisibilitatis.

68 Aio tamen primo, sacramentum Eucharistiæ vnum vnitate indiuisibilitatis non esse. *Hanc assertionem vrgent rationes* secundæ sententiæ, nec enim aliud probant, estque ex ipsa sacramenti huius notitia euidens, cum enim, vti dicebimus in superioribus, sacramentum hoc in recto species dicat, sintque species ipsæ specie distinctæ, ac de facto diuisibiles; quia priori tempore existit sub panis specie corpus, quam sub vini specie sanguis; hinc fit, vt indiuisibilitatem non sibi paciscens, nec vnitatem indiuisibilitatis ascire sibi vllo modo queat.

Probatur.

69 Ratio à priori est voluntas institutoris, quæ hanc non sibi complacuit vnitatem sacramento huic elargiri. Ratio congruentissima est, cur ita fecerit, quam edisserit Scotus *d. 8. q. 1. littera C*, quia sacramentum hoc institutum est ad completam animæ nutritionem, at eam nos ex corporea nutritione metimur, in hac autem certum est non esse vnitatem indiuisibilitatis; quia struitur ex cibo, & potu, quæ duo vnum constant corporeum alimentum, ad quod nec simpliciter sine cibo potus, nec simpliciter sine potu cibus est satis; ergo congruit spirituale etiam animæ alimentum indiuisibile non esse.

Alia probatio.

70 Præterea ad assertum: vnum, & plura opponuntur, at hic sunt plures significationes, plura significantia, plura significata, quare sacramentum non est vnum unitate, de qua loquimur: assumptum pro minori dilucidandum est, nam species panis, & species vini sunt fundamenta relationis signi, corpus Christi, & sanguis Christi sunt termini relationis significationis, si ergo significantia, ac significata sunt plura, planè vna, & indiuisibilis esse nequit relatio signi, & hoc sumendo corpus pressè, prout in sua ratione inanimos humores, & sanguinem non inuoluit. Verum si latè sumatur corpus.

Quomodo Eucharistia sit vnum sacramentum.

71 Aio secundo, sacramentum Eucharistiæ esse vnum; quia vnum significatum nempè Christi corpus, & licet significantes res suopte ingenio sint plures; quia tamen integrant vnum, vnitate hac integritatis sacramentum hoc dici potest vnum: hinc factum, ut Concilia Tridentinum, ac Florentinum ita de hoc sacramento loquantur, similiter, & Patres, quorum seriem contexunt Recentes, ut unum, absolutè illud fateantur: immò & ipsa Ecclesia in collectis passim sacramentum hoc in singulari exprimit, quod si interdum in plurali, id factum putat quia non est vnum vnitate indiuisibilitatis, ob quam, vt diximus, & ob hanc rationem vnum, & plura dici potest.

Aliorum probatio.

72 Hanc partem aliqui probare conantur ex numero sacramentorum nouæ legis, qui septenus est ex Concilio Florentino; porrò si Eucharistia duo sacramenta inuolueret, octo essent sacramenta Ecclesiæ. Verum argumentum hoc egregiè

Leuis.

infirmat Vasquez, nam sacramentorum numerus, & ordo non attenditur penes infimam speciem strictè, itaut tantummodo septem sint sacramentorum species alioquin ordo aut non esset sacramentum, aut esset vnum specie, quod est falsum.

Replica Lugo.

73 Nec valet replica Ioannis à Lugo dicentis non posse asseri Ecclesiam numerare solum sacramentorum genera; nam eo sensu dici posset, duo tantum esse sacramenta, alterum viuorum, alterum mortuorum, sub hoc contineri duo sacramenta, nimirum pænitentiam, ac baptismum, sub illo cætera; nec ordo (inquit *Lugo*) sunt plura sacramenta, nisi partialia, sed vnicum est sacramentum ordinis totale, & completum. Non valet (inquam) nam nec Vasquez, nec

Inanis.

nos asserimus ab Ecclesia enumerari solum sacramentorum genera; sed vel genera infima, vel species infimas vnitatem eorum metiendo: hinc ordo, seù ordinatio non dicitur vnum sacramentum in specie atoma, sed in genere vltimo, nam ordinationes illas diuersorum specie ordinum aliam unitatem habere non posse, nisi præfatam fusè explicat Scotus *in hoc 4. dist. 24. quæst. unica art. 3. littera I*,

vnde

vnde diuisio sacramenti in illa septem non est rigorosè partitio generis in species specialissimas, sed in quædam propinquius contenta sub sacramento, inter quæ ordo est vnum membrum, quod in quædam sub ipso contenta specialia partitionem patitur: eodem modo sati quis posset de hoc sacramento, vt non dicatur vnum specifice vnitate illa indiuisibilitatis, quam habet baptismus, vel confirmatio, sed unitate quadam latiori, quæ uidetur accedere ad unitatem generis proximi, cuius ratio est, quia æquè perfectum est sacramentum consecratione panis peracta, ac consecratione etiam calicis habita, alias christiani venerantes hostiam ante calicem idolatræ essent; & rursum laicus sacramentum sub vna tantum specie sumens dimidiatum sumeret sacramentum, quæ duo falsissima sunt.

Diuisio sacramenti in illa septem quantas

74 Nec eo inficias sacramenti huius unitatem maiorem esse unitate ordinis, quia hoc est unum unitate integritatis, ex quo signatum totale. quod est Christi corpus latè sumptum vnum est, quamuis si corpus strictè sumatur habeat signum proprium distinctum à signo sanguinis; unde hæc unitas integritatis non est ea, quam noster Faber loc. cit. disput. 28 cap. 1. innuit, nimirum, qualis est unitas vnius habentis plures formas phisicas subordinatas ad aliquod totũ, & perfectũ, vt est vnitas animalis, in quo sunt plures formæ partiales subordinatæ ad unum totum, non est (inquam) hæc unitas, ut unitas animalis, nam animale non est ens homogeneum, ut qualibet eius pars separata sit ipsum, sicut aqua, cuius partes segregatæ sunt pariter aqua; hoc autem sacramentum, dum duo habet signa, & signata complentia unum integrum signum, ac signatum, si segregatim spectetur adhuc totum est sacramentum, ut diximus, unde unitas hæc integritatis assimilanda est potius homogeneis, quam ethirogeneis.

Vnitas integritatis quænam ex Fabro

75 Ratio igitur ad assertum ex his elicitur ex ratione significandi, cum enim significatum huius sacramenti sit duplex quoddam proximum, quoddam remotum, proximum autem sit Christi corpus, remotum vero spiritualis nutritio, & Christi corpus latè integraliter comprehendat etiam inanimum sanguinem, aliosque humores, & rursum conuiuij integra ratio non in sola sit esca, sita, sed etiam in potu; hinc deducitur integraliter significatum sacramenti huius unum esse, partialesque illas species, alioqui inter se diuersas, vnum constare totaliter significans Christi corpus latè, & conuiuium spirituale latè; & obinde ex unica significatione unicum dici posse sacramentum.

Ratio ad assertum

76 Nec distant Thomistæ dicentes, materialiter hoc sacramentum esse plura, formaliter unum, hoc enim est, quod sentimus, est tamen impropria locutio, ut patet. Rectius locuti sunt Recentes uocantes sacramentum hoc partialiter plura, totaliter unum, nec differunt à Scoto, nisi in modo loquendi. Nec oppositum sentijt Gabriel in 4. d. 8. q. 2. concl. 3. qui mutuatis à Scoto uerbis eandem profitetur sententiam, ut uoluntarie satis Recentes aliò illum trahant.

77 Atqui ex his flocciflunt aduersarum opinionum fundamenta. Nec pro ijs confutandis aliud iaciendum est fundamentum, quod enim de uino rubro, & albo infertur, ridiculum est, sunt enim albedo, & rubor accidentia, non differentiæ, unde nequeunt ullo modo speciem constituere distinctum.

Rationes aliorum debiles

Circa posterius dubium Scotus ne uerbum quidem. Faber uno uerbo difficultatem tollit aits, ratione signati, qui est Christus in casu difficultatis unum numero esse sacramentum, quia unus numero est Christus, ratione autem specierum, quæ numero multiplicantur, sacramenta multiplicari, & esse plura. Opinio, vt sic nulli fundamento innixa nimis latè vagatur, nec sine difficultate, nam si ex multiplicitate numerica specierum multiplicatur aliquo modo sacramentum sacerdos tripartitam sumens hostiam triplex ex parte specierum sumeret sacramentum, quod nemo dixerit.

Solutio posterioris dubij ex Fabro.

Nulla

78 Scio Vasquez disp. 168. cap. 2. non vereri asserere ex multiplicitate numerica specierum multiplicari sacramenta: sed difficultatem allatam non tollit, cui additur, sequi tunc, laicum sumentem plures particulas plura suscipere sacramenta, quod inauditum est.

Responsio Vasquez refellitur.

Scio Suarezium disp. 1. sect. 4. & apertius Ioannem à Lugo disp. 2. sect. 2. ex istimare Theologicam esse sententiam vnũ in pluribus hostijs, & in pluralitate sumentium numero esse sacramentum, quia Eucharistia dicit in recto corpus Christi, quod unum numero est in singulis: sed ex falso fundamento labile irruit ædificium, Christi enim corpus dici in recto ab hoc sacramento improbatum est superius, & planè consequenter magis ad sua principia locutus est Lugo, quam Faber, quia hic species sen-

Responsio Suarezij & Lugo voluntaria

sit

ſt in recto, Lugo autem Chriſti corpus importari, ille tamen, ac iſte vnitatem ſeruare nixus eſt ſacramenti ex vnitate ſignati, cum tamen in ſententia Fabri ſolum in obliquo Chriſti corpus importetur ab hoc ſacramento.

79 Secundum ergo noſtram in ſuperioribus explicitam ſententiam, qua dictũ eſt ſpecies in recto, Chriſti autem corpus in obliquo importari, hæ mihi regulæ ſtatuendæ videntur.

Prima regula.

Prima, *non eſſe ſatis ad multiplicitatem numericam ſacramenti huius ſolam ſpecierum multiplicitatem*. Ratio eſt, quia etſi ſpecies importantur in recto, dum tamē ſimul ſunt morali modo, ſi non phiſicò vnitatem habere videntur, hinc licet tripartita ſit hoſtia in miſſæ ſacrificio, quarum vna in ſanguine, aliæ duæ ante ſanguinis ſumptionem ſumuntur, vnum tamen eſt ſacramentum, quia illæ ſpecies ſunt morali modo una hoſtia, licet phiſicè ſint plures.

Secunda regula.

80 Alia regula eſt, *non eſſe ſatis ad multiplicitatem ſacramenti huius numericam ſolam ſumentium multiplicitatem*. Ratio eſt, quia in iis regionibus, quibus ex Apoſtolica diſpenſatione aliquando calicis uſus datus eſt, licet ex eo biberent plures, non tamen plura ſub una uini ſpecie, ſed unicum inuoluebatur ſacramentum. Subdit aliam rationem Lugo deſumptam ab una, eademque hoſtia à pluribus ſumpta, dato caſu, quod reciperetur ab uno, à quo ob ſtomachi imbecillitatem redderetur, ac deinde ſumeretur ab alio. Eſt tamen argumentatio violenta, nam qui ſumptum reddit incolumem cibum, non dicitur perfectè ſumpſiſſe, hinc reddens hoſtiam non planè diceretur ſumpſiſſe; quia ſumptam reddidit, plena autem ſumptio, non phiſico, ſed morali modo, quo vtimur in præſentia, eſt cum retentione ſumpti.

Tertia regula.

81 Tertia regula eſt, *non eſſe ſatis intentionem miniſtrantis ad dandam, vel remouendam ab hoc ſacramento vnitatē*. Ratio eſt, quia intentio miniſtri, vt de ea aliquando locuti diximus, ſatis eſt ad ſacramenti huius intimitatem extrinſeca; hinc ſi quis intendat tres particulas dare tribus, alius verò vni tantum, non ob inde ſacramentum ex eorum intentionis metro vnum ſimul erit, ac plura, neque ad vnitatem rei, quæ eam ſequitur vllo pacto facit miniſtrantis intentio, quæ etiam extrinſeca eſt, à qua inceptum eſt vnitatem intrinſecè metiri.

82 Quarta regula eſt, *ad multiplicitatem numericam huius ſacramenti expeti multiplicitatem ſpecierum, multiplicitatem ſumentium, multiplicitatem ſumptionum*. Hæc patet ex decurſis; nam imprimis ſpecies importantur in recto, earum ergo multiplicitas neceſſaria eſt ad multiplicitatem ſacramenti, ſed non ſatis eſt illa; quia plures ſpecies ab vno poſſunt, eodemque ſumente ſumi, quare & ſumentis multiplicitas ad eius pluralitatem expoſcitur; ſed quia nec etiam ex decurſis eſt ſatis, additum eſt expeti etiam pluritatem ſumptionum, idque congruè, vt nedū ex recipiente ſubiecto, nedum ex fundamentis ſignificationis diuerſis, ſed ex ipſa etiam actus ſumendi multiplicitate numericam ſumeremus ſacramenti huius vnitatem, vel pluritatem. Hinc rogatus, num pluribus exiſtentibus in pixide numero hoſtiis, vnū ſit numero ſacramentum? Vnum dico, ſed non perfectè, rogatus, an plures ſpecies ab vno ſumptæ vnum ſint ſacramentum? vnum dico, ſed non plenè; rogatus, an eædem ſpecies pluribus ſumptionibus vni applicatæ vnum ſint ſacramentum? aio vnum, ſed non plenè, & integrè; integrè, & plenè vnum reor, dum eſt vna ſpecies, vnus ſumens, vna ſumptio, plenè, ac integrè plura numero fateor, ſi ſunt ſpecies numero plures, ſumentes numero plures, ſumptiones numero plures. At quid hæc de vnitate huius ſacramenti ſatis.

Quarta regula.

Dictorum collectio.

AN HOC SACRAMENTVM sit necessarium, & qua necessitate.

CAP. V.

83 Duplicem sacramentorum necessitatem dimensi, dum de ijs generatim disceptaremus, aliam præcepti, medij aliam, quid vtraque esset explicuimus, & crasso quodam Marte de singulis difficultatem attingentes, sacramentum hoc præcepti necessitate necessarium diximus, vberiorem, ac certiorem dicendi methodum ad propria redigentes. Hic ergo ad amussim, quod ibi labio tenus expressimus, explicandum est.

84 Necessitas duplex, alia medij, præcepti alia, quid vtraque sit de baptismo loquentes diximus, & de vtraque fusè loquitur Lugo *disp. 3. de hoc sacramento sect. 1.* Rursus necessitas duplex, alia simpliciter, alia ex suppositione, & sanè absoluta, & simpliciter necessitate petitio locum non habet; Deus enim, qui potestatem suam sacramento nō alligauit, absque hoc, cæterisque sacramentis salutem homini, si vult, impertiri potest; potest tamen hæc ipsa necessitas ex suppositione pariri in necessitatem simpliciter, & secundum quid, dato scilicet, decreuisse Deum sacramentū aliquod necessarium esse, postulandum remanet, an necessarium sit illud necessitate ad bene esse, an verò absolutè: & quidē sacramenta omnia necessaria esse ex suppositione diuinæ voluntatis ita decernentis Concilio Tridentino conuincimur, an autem hoc Eucharistiæ sacramentum simpliciter ex suppositione Dei ita volentis; an verò ad bene esse, & secundum quid, quatenus scilicet necessitas cum vtilitate confunditur, hoc petimus: & rursum constito esse necessarium, nec tantum vtile, an ex præcepto tantum, an simpliciter vt medium ad salutem expetatur, hoc petimus. Et demum si constiterit necessarium esse ex

Duplex necessitas alia medij, alia præcepti.

Alia simpliciter, alia ad bene esse.

Petitiones variæ.

præcepto, num ex diuino, an ex Ecclesiastico præcepto necessarium sit; hoc postulamus.

85 Vides, quot sub vnius quæsiti inuolucribus petitiones. Sed & mittimus inter propositas dubitationes dubitationē ab alijs propositam, *an Eucharistia sit medium necessarium ad augendam primam gratiam*; quoniam toties dictum est, sacramentum hoc esse sacramentum viuorum, & duo potissimum sacramenta primam parere gratiam, quæ obid mortuorum sacramenta vocantur; baptismum videlicet, & pænitentiam.

86 Et circa priorem dubitationem nullo negotio vexamur, nemo enim adhuc adeo desipuit, vt vtilitatem sacramenti huius neglexerit. Sola vrget difficultas, an sit necessaria necessitate medij an præcepti Eucharistia? & quidem *Armeni* referente Vualdense *tom. 2. de sacramentis cap. 9.* tam necessariā arbitrantur Eucharistiam vt etiam infantibus illam statim baptizatis darent. Nescio tamen, an verè ita senserint Armeni, nam Paulus Grisaldus *in decisionibus cathol. fidei verbo Eucharistia num. 9.* tribuit Armenis hæresim dicentem sacramentum hoc non prodesse quidquam. Pugnant hæc autem duo asserta, Eucharistia nihil prodest, & Eucharistia necessaria est necessitate medij.

87 Vtcumque autem sentias, tam certum est, hoc sacramentum secundum realem susceptionem non esse necessitate medij ad salutem necessarium, quam certum est, nedum paruulos, de quibus adest anathematizatio à Sac. Conc. Trid. *sess. 21. can. 4. si quis dixerit paruulis antequā ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem anathema sit &c.* quod ante decreuerat *cap. 4.* sed etiam adultos plurimos absque reali sacramenti huius susceptione decedentes, vel in itineribus, vel in bello, vel ex impotentia, vel ex ignorantia posse saluari. Postquam hæc pars facilè suaderi, si suasionem exposceret; quia hoc sacramentum nō est per se vnica causa alicuius effectus gratiæ ad salutem simpliciter necessarij, ad salutem ergo simpliciter, & absolutè necessarium non est: patet deductio; quia id est necessarium medij necessitate, quod est ex se causa gratiæ, vel primæ, vel perseuerantiæ et neutrius gratiæ causa præcisè est hoc sacramentum, vt dicebatur in antecedenti, & probatur; quia ad primam gratiam contra originale, & actuale, & simul ipsa, baptismus ad primam gratiam

Prima petitio.

Valdensis

Grisaldus

Assertio principalis.

Suadetur.

tiam

tiam post naufragium pænitentiæ solum constituitur necessarium medium; immò tantum abest, primam per hoc caussari, tanquam per præcisam causam,gratiam, vt nisi in habentibus peccata baptismus, vel pænitentia præcesserit; nouo se illud sacramentum Eucharistiæ suscipientes peccato commaculent; qua de re loquitur Concilium Tridentinum *sess. 13 cap. 5.* & Florentinum *in Decreto Eugeniano* constituens dari per hoc sacramentum augmentum gratiæ, nemo autem inscius est, non dici augeri, quod nondum est, sed quod iam ortum habuit, augetur; accretio namque natiuitatem non præcedit, sed sequitur.

Assumpti probatio de gratia perseuerantie.

88 De gratia autem perseuerante assumptum illud probatur, nam vel hoc nomine gratiam diù inhabitantem in anima intelligimus, vel illud donum, quo decedentes fideles salui fiunt, siue gratia prima interrumpatur adueniente peccato, & iterum habeatur ex pænitentia, siue ininterrupta eadem omninò permaneat vsque ad mortem, siue hæc paulo post adeptam gratiam succedat, siue post multum temporis. Quodcumque dicatur impugnatur; quia tunc omnes communicantes essent prædestinati, ij namque ex Concilio Tridentino electi sunt, qui cum dono perseuerantiæ decedunt, porrò si perseuerantia daretur Eucharistiam sumenti, tanquam præcisus sacramenti illius effectus, iam planè sumentes digne essent satis de sua salute securi, quod cum Concilio Tridentino pugnat *sess. 6. de Iust. can.* 16. Hæc igitur pars certissima est.

Auctoritates in oppositum.

89 Adsunt tamen nonnulla scripturarum testimonia, quæ videntur oppositum struere, quale est illud Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinẽ, non habebitis vitã in vobis;* nec dissimiliter loquitur *vniuerso illo capite* saluator, quod fuit in caussa, vt Patres cũ Augustino, Innocentio primo, & alijs verba illa etiã ad paruulos detorquentes necessitatem huius sacramenti etiam in paruulis agnouerint, eoque id magis, quod Christus ipsemet manducantibus hunc cibum duo promisit munera, alterum est mansio in ipsomet Christo, alterum vero est resurrectio in vltimo die, vnde ait Christus, *qui manducat meam carnem &c. in me manet, & ego in illo &c.* & rursum, *Qui manducat meam carnem &c. habet vitam æternam & ego resuscitabo eum in nouissimo die &c.*

Augustini et Innocentij glosa.

quæ promissiones, ac verba fusè ampliantur à Patribus, vt patet apud Recentes copiosam ipsorum seriem contexentes. Accedit, quod cum Eucharistia sit spiritualis cibus, ita pariter similitudine, ac paritate deducta ex cibo materiali, necessaria erit ad salutem animi, vt cibus corporeus ad salutem corporis; at hic necessarium medium est ad vitam corpoream; quare & ille spiritualis vitæ necessarium videbitur medium.

Difficultas aucta.

90 Occurre tamen, verba illa Christi à Patribus sumpta pro spirituali manducatione, non vero genericè de manducatione sacramentali. Quid sit autem hæc spiritualis ad præsens manducatio explanatur, vt is censeatur Patrum fuisse sensus, vt scilicet etiam paruulis necessaria sit participatio corporis, & sanguinis Christi, scilicet fructus corporis, & Christi sanguinis oblati; quia & ij (quidquid contra Pelagiani blaterarent, contra quos Innocentius primus citatus inuehitur) peccati originalis labe turpati sunt ante baptismum, per quem postea fructum hunc recipiunt, participatione videlicet Christi corporis, & sanguinis oblati, nam ex passione Christi efficaciam sumpsere sacramenta.

Solutio præcipua

Declaratur spiritualis mãducatio.

91 Non ignoro, alios Augustinum, & Innocentium concedere fuisse illius sententiæ. Scio autem contra, quod sic facile esset omnia soluere, nisi Patrum multiplex obstat auctoritas. Scio etiam alios Patrum dicta ad necessitatem præcepti, non medij deuoluere, sed minus, dixeris, sapienter, nam Patres citati ad paruulos necessitatem trahentes de præcepto, neutiquã potuerunt loqui; quod certè infantes nõ obstringit. Verba quidem Christi ad necessitatem præcepti deuoluunt Recentes cum Suarez, Vasquez, Valentia, & Lugo, ipsa tamen sic absolutè sumpta plus viderentur sonare necessitatis, nisi Christus tunc temporis cum adultis fuisset locutus; proinde enim dixit, *Nisi manducaueritis*, vos scilicet, qui adulti estis. Nec refert subdi deinde in tertia persona. *Qui manducat, &c.* nam & ibi relatiuè ad secundam personam sermo est: vt sit sensus. *Qui vestrum manducat &c.* qua interpretatione supposita dixeris vtique necessitatem eo loci ad necessitatem medij non extendi. Quid si dixerimus de manducatione etiam spirituali actum ibi sermonem?

Aliorum iudicium de Augustino reprobatur

Aliorum glosa vana.

Interpretatio Suarij Vasquij, Valentia, & Lugo.

93 Confirmationi in oppositum occurre, disparem in necessitate esse rationem cibi materialis, & sacramentalis; nam sine illo uita reparari non potest, animal .n. non nutritum occidat, necessum est, nec fit nutritio, nisi ex alimento, quod eg

Confirmatio infringitur.

cibo, potuque confiatur, atque spiritualis etiam vita, ad quam in baptismate renascimur, deleto peccato, & obtenta gratia, foueri aliunde potest, nempe ex operibus bonis; quæ quoquo modo etiam vitæ spiritualis cibus nuncupari possunt; quæ enim vel nondum amissa ex his fouetur gratia, vel ad deperditam recuperandam disponunt.

Conclusio ex dictis

94 Colligendum propterea ex dictis Eucharistiæ sacramentum non esse necessarium necessitate medij ad salutem, vt in re suscipiatur.

An saltem necessarium in voto? opinio Soti confutatur

Sed numquid sit necessarium saltem in voto? Affirmat Sotus d.8 art.3 aiens hanc esse Sancti Thomæ sententiam. Merito tamen alij negant, si de vero voto, seu desiderio loquamur ob doctrinam hucusque traditam, nam paruuli suapte ingenio voti compotes non sunt, saluari tamen absque Eucharistia posse non dubitamus; cæterum si huius Eucharistiæ votum sat esset in voto, vel parentum, vel Ecclesiæ, non dissimiliter satis esse quis dicere posset baptismi votum in parentibus, vel in Ecclesia, quod falsum est.

Obiectum, & solutio.

95 Si dixeris, ex hoc argui maiorem necessitatem baptismi, quam Eucharistiæ. Vtique id fateor ex mea ratione sequi, at ea mentem meam non satis hucusque aperuit: aio igitur debere votum suscipiendi sacramentum, aliquod simpliciter necessario esse in suscipiente, non in alijs, hinc sicuti baptismus in voto est satis, si non potest recipi in re, in suscipiente adulto, non est autem satis in paruulo, quia scilicet hic non est voti capax, ita Eucharistia si esset necessaria necessitate medij saltem in voto, etiam in paruulis esset necessaria; quia quod est necessitate medij necessarium, omnibus necessarium est; non est autem necessaria in paruulis in voto, quia voti compotes esse non possunt infantes; quare nullo modo necessaria censenda est necessitate medij, nec in re, neque in voto.

Instantia Becani.

96 Obijcies ex Becano cap. 14. de hoc sacramento q.7. oppositæ sententiæ propugnatore, quod sicut ad dandam, uel reparandam primam gratiam duo sunt instituta sacramenta, nimirum, baptismi, & pœnitentiæ, ita ad perseuerandum in gratia debuit institui hoc sacramentum quod ita ab ipso necessarium intelligitur, ut non neget hominem iustum per orationes, operaque meritoria posse sibi actualia impetrare auxilia, ad euitanda peccata, & ad perseuerandum certo aliquo tempore, puta uno integro mense, sed ut neget hoc eum facere posse a suscepto baptismo, usque ad mortem sine Eucharistia saltem in uoto, si diu uiuat, quia aliquando tam graues urgent tentationes, ut sine hoc remedio præcipuo superari non possint.

Additio Lugo.

Hac obiectione conuictus Lugo num. 48. ut sancti Thomæ etiam faciat satis sententiæ num. 51. dari utique concedit aliquam moralem necessitatem Eucharistiæ, unde quispiam ipsum in Becani & Soti sententiam deduxerit, immerito tamen, me iudice; nam hic auctor nomine moralis necessitatis, necessitatem medij intelligere non potuit, quæ est necessitas simpliciter, sed potius necessitatem secundum quid usurpauit, dum subdit *omittenti ex incuria, vel negligentia hunc cibum, vel eadem esse, ut Deus illi subtrahat auxilia congrua ad operandum*, timorem igitur, non securitatem subtractionis auxilij in omittente agnouit Lugo, & obinde vtilitatem, non necessitatem, & si necessitatem non simpliciter, nec obinde medij falsus est, sed secundum quid tantum.

Vindicatur Lugo

Refutatur Becanus

97 Ratio igitur Becani satis est debilis, nam est vtique ad perseuerandum hoc sacramentum quam vtile, & suo modo necessarium, at non simpliciter necessitate medij, nec in re, nec in voto, vt fuse decursum est, nec tentationum ingruens occursus eius absolutam necessitatem inuehere potest, cum possint illæ per diuina subsidia, operaque meritoria vitari, vnde ratio, vt bene ait Lugo, moralem quandam necessitatem arguit, non autem medij. Cum Becano & Soto iuit noster Rada in suo manuali absque vllo alio fundamento.

Dubium de necessitate præcepti

98 Subsequitur alia difficultas de necessitate præcepti, cum enim singula sacramenta nouæ legis ex Concilio Tridentino necessaria sint, licet non omnia necessitate modo pari, cumque præter vtilitatem aliquam etiam ascriscat sibi necessitatem verum Eucharistiæ sacramentum, petendum est, an sit saltem necessaria necessitate præcepti, & num diuini, an Ecclesiastici?

99 Et quidem extare de sumptione Eucharistiæ Ecclesiasticum præceptum patet ex c. *de pœnit. & remiss. cap. omnis utriusque sexus fidelis, &c.* latum ab Innocentio tertio in Concilio Lateranensi, quod præceptum de hac re aliàs à *Fabiano* Papa præscriptum pro tribus vicibus in anno, ad semel in anno coarctauit. De quo præcepto

cepto plura sciscitantur auctores. Primum quid Paschatis nomine intelligatur circa cuius festum sumptionem sacramenti huius necessariam statuit Innocentius ibi aiens, *Suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, &c.* Lugo in aliquibus locis ad totam Quadragesimam tempus extendi ait *disp. 16. sect. 4.* sed nisi specialis habeatur dispensatio contradicit declarationi Eugenii 4. & communi consuetudini Ecclesiæ; hinc nescio, an excusentur Conimbricenses ab inobseruantia huius præcepti communicantes quolibet Quadragesimæ die, vt refert Nauarrus *cap. 21. de quinto præcepto, num. 45.* est ergo communis Ecclesiæ vsus addita Eugenii declaratione Paschatis nomine totum quindecim dierum spatium intelligi, quod à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in albis, inclusiuè dilabitur.

Quid Paschatis nomine intelligatur.

Licentia Lugo.

An excusentur Conimbricenses citati à Nauarro.

100 Sed numquid si communicaret quis in Parasceue, vel in Sabbatho Sancto satisfaceret præcepto? Nec dubitandi ratio friuola est, quamuis enim duo illi dies intra quindecim dierum ambitum contineantur, quibus præceptum Paschalis communionis solui potest, sunt tamen dies, quibus communio inhibita est, hinc S. Congreg. Rit. *decreto suo lato sub die 19. Febr. anni 1622.* statuit seruandam esse vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem non ministrandi in Parasceue sacramentum Eucharistiæ, idipsum sentiendum de Sabbatho Sancto refert Gauantus *in comm. super Rub. Missalis parte 4. tit. 10.* quia missa illa noctis missa vocatur, in qua nefas est communionem distribuere, estque huius rei indicium, quod missa illa caret parte illa, quæ dicitur *post communio, & communio.*

An communicans feria 6. Parasceue, & Sabbatho sancto præceptum impleat.

Gauanti verba

101 Dicendum tamen præceptum Paschale impleri à communicantibus ijs diebus, quia gratiosa ampliantur, & pœnalia restringuntur, pertinet autem ad gratiarum dilationem, posse iis duobus diebus præceptum impleri, & pœnale est restringi præcepti impletionem ad 15 dies dumtaxat. Nec decretum allatum obstat, quod simpliciter ob mærorem Dominicæ Passionis in Parasceue communionem vetat, & vetatio ex vsu potius, quam ex antiquo præcepto inualuit; nam ordo Romanus cum sacramentario Gregoriano antiquitus concedebat eo die communionem Clero, & populo; quodue de Sabbatho sancto ait, getur vim non habet, cum oppositum in praxi viderim apud plerasque Ecclesias, nec idem Gauantus ait, id fieri non posse, sed non debere, qui loquendi modus congruentiam melius, quam necessitatem indicat.

Resolutio propria

Interpretatur Gauantus.

102 Aliud, quod petunt auctores de hoc præcepto, est. An id sit affixum, & coarctatum tempori illi Paschali tantũ ita vt, qui non sumit eo tempore præceptum, solutus sit eo anno ab impletione eius?

Alia petitio de præcepto.

Equidem non desunt, qui illud ita tenent arctatum tempori, vt velint non communicantes tunc temporis non teneri toto illo anno ad communicandum ex vi præcepti, ita Syluester, Medina, Ledesmus, Ioannes de la Cruz, Toletus, & alij apud Lugo *sect. 4.* & apud Dianam *resol. 4. de hoc sacramento*, qui esse hanc opinionem fatetur probabilem.

Opinio Syluestri, Medinæ, Ledesmi, Toleti, Ioannis de la Cruz.

Contra multi cum nostro Pitigiano *in 4. d. 9. q. 3.* Coninch. Suarez, Layman, & alij apud præcitatos auctores opinantur exacto paschali tempore adhuc teneri non communicatum Eucharistiam sumere, cum primum commode id fieri poterit.

Opinio Pitigiani, Coninch, Suarij Layman

Alij se intermedios statuere putantes distinctione hic incedendum, vel enim communionem pro eo tempore omittẽs confessarij consilium secutus est, fuitq; legitima præpeditus causa, vel sine causa, & sine consilio id egit, priori sensu remanere non putant amplius obligationem pro anno illo; posteriori remanere putant.

Aliorum opinio

103 Recius tamen dicendum videtur, remanere obligationem in omittente communionem tempore paschatis ad communicandum in anno illo semel, quocunque tamen mense fiat, cum non adsit præceptum specificans; porrò obligationem manere patet, nam initio fideles in singulis missis communicabant, vt patet apud Dionysium *lib. de eccles. Hierarch. cap. 3.* deinde in singulis tantum Dominicis ex *Augustino epistola ad Ianuarium 118. in ordine*, postmodum ex decreto Fabiani Papæ *epist. ad Hilarium Episcopum* ter saltem in anno, in Paschi, videlicet, Pentecoste, & Natali Domini, à quo præcepto impediti dumtaxat maioribus criminibus eximebantur. Innocentius demum tertius præceptum ad semel in anno restrinxit, & ad tempora Paschalia, ex vna autem decreti Innocentij particula liquet, tam præcipi frequentiam huius sacramenti, quam ad minus annuam, est autem particula illa, *ad minus*, qua designatur præ-

Opinio propria

Ritus primæuus ecclesiæ

Restrictus a Fabiano, & Innocentio.

præcipi frequentiam eius, & restringi ad annum, in quo saltem, seu ad minus circa pasche.

Tertia postulatio.

104 Tertiò postulant. An sciens se legitime impediendum in pascha debeat præceptum præuentione soluere, ita vt teneatur communicare ante tẽpus illud, sique non tenetur, an saltem id faciens præceptum soluat? Noster Pitigianus loc. cit. cumque eo Suarez, & Azorius, negant teneri præuenire; affirmat Vasquez, Siluius, Nugnus, Facundez, & alii apud Dianam, & Lugo, & ipse etiã Lugo ait, hanc sibi sententiam ex parte placere, quamuis re vera oppositam sequatur.

Pitigiani responsum. Oppositum sententiã alij.

Res admodum moralis est, & Summistarum propria; idcirco breuibus agitur.

Resolutio Auctoris.

105 Arbitror igitur cum prima sententia, huiusmodi conscium de impedimento futuro in paschate non teneri præuenire solutionem præcepti, quia nemo tenetur anticipare actum præceptum, nisi ex præuentione soluatur præceptum, at in casu non soluitur directè præceptum, quid enim si postea cessaret in Paschate impedimentum, nonne is teneretur cõmunicare? Scio Dianam dicturum, dato casu non teneri amplius etiam impedimento cessante hominem eum communicare in Pascha; sed laxa nimis sententia textum præcepti destruit præcipientem ad minus in Pascha communionem, quod præceptum non est idem cum præcepto de annua communione, sed duo insimul ibi præcepta inuoluuntur, alterum de annua communione, alterum de Paschali, ita tamen vt per Paschalem impleantur ambo; quia per particulam illam, *saltem*, vel *ad minus* declarauit Pontifex tunc temporis vtrũque solui, quamuis igitur quocunque anni tempore communicare possit ad soluendum annuæ communionis mandatum, non tamen in alio tempore, quam Paschatis Paschale præceptum soluit, quo tempore ex moderatione Pontificis potest tantum solui vtrunque.

Obiectum Dianæ.

Ex laxa sententia soluitur.

106 Denique, quærunt. An qui scienter communionem sumpsit in peccato mortali Ecclesiæ præcepto fecerit satis, an potius teneatur eadem anno iterum communicare? Lictum in casu Ecclesiastico præcepto satis fieri sustinent Suarez *disp. 70. sect. 2.* Sotus *de iustitia, & iure lib. 2. q. 3. art. 10.* Lugo *loc. cit.* & Diana *resol. 43.* cum alijs ab ijsdem citatis, ita vt ita communicans non teneatur amplius Eucharistiam sumere. Ratio est; quia Ecclesia nihil aliud præcipit, nisi sumptionem sacramenti huius in Paschate, verba autem obligantia tantum valent, quantum sonant, & hæc est ratio Dianæ; ratio autem Lugo est; quia præcepta non obligant ad finem, sed ad substantiam præcepti, quare licet Ecclesia in hoc præcepto intendat, quod fideles huius sacramenti fructum percipiant, id tamen, quod præcipit, est sola sacramenti susceptio.

Alia postulatio. Solutio Soti, Suarij, Lugo, & Dianæ.

Ratio Dianæ.

Ratio Lugo.

107 Vtriusque tamen fundamentum debile est, immò & falsum, nam Ecclesia non solum sacramenti huius susceptionem eo præcepto mandat, sed & modum susceptionis, nempe cum reuerentia debita; vnde Innocentij verba sunt, *suscipiens reuerenter in Pascha ad minus &c.* at qua reuerentia susciperet indignè suscipiens? non minus ergo ipsa præcepti substantia, quam modus mandato illo pontificio inuoluitur.

Displicet Auctori, & soluitur vtriusque obiectum.

108 Nec valet Lugo glosa, particulam illam *reuerenter*, vel ad externam reuerentiam, vel ad consilium pro interna reducens; *alioquin* (inquit Lugo) *non congrueret pœna coercendi ab Ecclesia transgressores, quam imponit, quomodo enim possent eam Prælati exequi contra indignè sumentes?* Non valet, inquam, quia imprimis reuerentiam ad consilium, & susceptionem ad præceptum vno, vel altero verbo intelligere, est planè innuere, æquiuocè satis locutum Pontificem, eo magis, quod nec susceptionem per verbum indicat, sed per participium, *suscipiens*, sicuti reuerentiam per aduerbium, *reuerenter*, ita ergo pariter quis intelligere posset de sumptione consilium, ac de reuerentia latum, cum verba illa nectantur simul. Deinde, ratio suadens reuerentiam ad externam dumtaxat reuocari infirma est, nam pœna illa à Prælatis infligenda coercendi transgressores, ab Ecclesia non mandatur operi ab ipsis contra indignè sumentes, sed contra non sumentes, vt in praxi experimur.

Repl. Lugo.

Non valet.

109 Tutius igitur arbitror dicendum cum Durando, Nugno, Siluio, & alijs, non solui in casu præceptum, quod, vt diximus, non magis ad sumptionem, quam ad debitam sumptionem obligat ex verbis decreti pontificis, & congruit hic dicendi modus doctrinæ Scoti *in 4. d. 9. q. vnica in sol. 1. littera D.* vbi docens nullum teneri communicare in peccato mortali subdit, quod sicut omnis tenetur semel communicare, ita tenetur laborare, vt sit extra peccatum morta-

Opinio Durandi, Nugni, & Siluij, quam sequitur auctor ex Scoto.

mortale; quare ex ipso hæc duo præcepta simul inuoluta sunt, nimirum communicatio semel in anno, & laboratio, vt sit communicans extra statum peccati; vno igitur impleto absque alio non soluitur integrè Ecclesiæ præceptum, quod vnicum est totale complectens duo. Atqui hæc de præcepto Ecclesiastico.

De præcepto diuino opinio Vasq. Suarij, Lugo.

110 Sed numquid etiam ex precepto diuino necessarium sit hoc sacramentum? Affirmant Recentes, Vasquez *disp.* 213. *cap.* 2. Suarez *disp.* 69. *sect.* 1. Ioannes à Lugo *disp* 19. *sect.* 1. Becanus *cap.* 23. *q.* 4. secuti S. Thomam 3 *p. q.* 80. *art.* 11. citantque pro ea præcitati Auctores Caietanum ibi, sed perperam; quia Caietanus in oppositam propendet magis, dum S. Thomæ rationibus facit satis: citant Gabrielem *in* 4. *d.* 9 *q.* 1. quem aiunt esse sibi ipsi contrarium *lect.* 87. *in canonem.* sed voluntariè; nam Gabriel *lect. cit. in fine* quæsitum diluit tantum secundum doctrinam *Alensis*, non propriam, vt ibi patet, & rursum *in* 4. *d.* 9. alio modo, ac vt putant, citantque Recentes necessitatem sacramenti huius ex diuino præcepto deriuat, vt infra dicetur.

Citatur falso Gabriel.

Vera sententia.

111 Est ergo opposita sententia negans vetustiorum Theologorum. Alensis, S. Bonauenturæ, & Sancti eiusdem Thomæ *in* 4. *d.* 9 *q.* 1. ipso etiam Caietano referente, quam secuti sunt Ferrariensis, Syluester, & alij, quæ & nobis probatur, qui secundum Scoti doctrinam *d.* 9 *q. cit.* præceptum Ecclesiasticum tantum de hac re agnoscimus, de qua si diuinum fuisset præstita ibi occasione, non vtique subticuisset subtilissimus Scotus.

Fundamentum eius.

112 Est autem opinionis huius fundamentum; quia vbi de præcepto non constat, non est facile imponenda obligatio; ac datum à Deo de hac sacramenti sumptione corporis Christi nullibi apparet præceptum, nulla igitur ex diuino mandato obligatio, nulla ad illius sumptionem necessitas. Maiorem profitentur Iuris periti, ac Summistæ passim ex illo alio principio toties enarrato, quod pœnæ, & odiosa non ampliantur; præcepta igitur cum videantur ad onera, & quoquomodo ad odiosa reuocari, licet ipsa saluberrima sint, saltem ex difficultate, non ampliantur, nisi specificentur. Minor probatur, quia si alicubi dixeris datum diuinum de hac sūptione præceptum, hoc maximè vel illis verbis Lucæ 22. & Pauli 1. *ad Corinth cap.* 11 *hoc facite in meam commemorationem*, vel illo Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis &c. non habebitis vitam in vobis*. Sed hæc nihil tale sonant, quare nullibi apparet huiusce rei præceptum. Maiorem subsumpti dilemmatis suademus, quia ex oppositæ sententiæ structoribus ij duo loci necessitatem ex diuino præcepto dumtaxat ex scripturis indicant. Hoc autem voluntariè ab ijs dici, quod pro minori eiusdem dilemmatis adduximus, probatur; quia verba illa Lucæ, & Pauli *locis citatis. Hoc facite &c.* non verè præceptiua sunt sumptionis, sed memoriæ passionis Christi in sumptione faciuntque sensum. *Hoc facite in meam commemorationem*. idest, hoc dum facitis mei memoriam faciatis, quo modo visa est Sancta Trid. Synodus verba illa explicuisse *sess.* 13. *cap.* 2. aiens, *in illius sumptione colere nos sui memoriam præcipit suāque annunciare mortem &c.* ecce quomodo præceptum ad memoriam in factione, non ad factionem ipsam reuocatur ijs verbis à Christo ipso etiam Concilio Tridentino interprete, quod voluntariè satis explicat Lugo *loc. cit.* aiens ex his colligi diuinum de factione præceptum, quia qui præcepit, vt fiat aliquod festum in memoriam alicuius Sancti præcipit absolutè quod fiat, non conditionate si fiat, voluntariè, inquam, quia vt verba Concilij declarant, Christus non sumptionem absolutè præcepit verbis ijs, sed cultum memoriæ suæ in sumptione: nec est paritas de præcepto festi indicti in memoriam alicuius sancti, quia festum in casu est, quod indicitur, non memoria primo, sed si præciperetur sancti alicuius memoria primo in aliqua festiuitate, si festiuitas illa non esset alias præcepta, ex vi certè memoriæ præceptæ non præciperetur festum, vt ipsa verba sonant, quibus maximè standum est in ijs, quæ obligationem redolent, ne quis ad plus teneatur, quam ex vi præcepti tenetur.

Explicita verba Lucæ & Pauli.

Ex Concilio Tridentino.

Explicatio Lugo violenta.

113 Ex his igitur Christi verbis Lucæ 22. & Pauli 1. Corinth. 11. nulla diuini præcepti de hac sumptione exhibiti necessitas, euidentia nulla. sed neque ex illo Ioan. 6. quod pluris faciunt Aduersarij; nam, præterquam quod locus ille de spirituali manducatione à Patribus intelligitur modo hoc ipsomet capite præposito, adhuc si verba illa litteraliter intelligenda essent de singulis, non minus de adultis, quam de paruulis, non magis de sumptione corporis, quam sanguinis vim facerent, cum ibi subdatur, *& biberitis eius sanguinem &c.* quod falsum est, nam paruuli non sunt hoc præcepto

Contraria rium dictorum.

ligati

ſigati etiam per Aduerſarios, nec eſſe ſumendum hoc ſacramentum à laicis ſub ſpecie etiam vini, declarant Decreta Concilij Tridentini.

Alia interpretatio ſubtilior.

114 Quid ſi quis dixerit propoſitam locutionem Ioan. 6. & cæteras conſimiles, quales ſunt. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum &c. in me manet, & ego in eo &c. ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die &c.* veras vtique eſſe, ſed non præciſe, hoc eſt non tantum, qui manducat in æternum viuet, manebit in Chriſto reſuſcitabitur in nouiſſimo die &c. Sed vtique is, qui hæc faciet digne, hæc ſortitur, quamuis etiam abſque hoc ſacramento in re ſuſcepto poſſit quis in æternum viuere, decedens vtpote in gratia, manere in Chriſto per gratiam, & reſuſcitari corporaliter ad gloriam in nouiſſimo die.

Gabrielis alia gloſa.

115 Quare allata ſcripturarum teſtimonijs haud quaquam vrgent nouum admittere diuinum præceptum de huius ſacramenti ſumptione, niſi cum Gabriele vltra etiam dicere mauis, idcirco ſi aliqua ſuppetat ratio, vel auctoritas ad inuehendam ſacramenti huius neceſſitatem ex diuino præcepto, id dici, quia diuinum eſt præceptum, quod non contemnantur ea, quæ etiam ſi ſint de conſilio, inſtituta ſunt à Deo ad ſalutem; At huius ſacramenti ſumptio ad ſalutem confert, & ad eam inſtitutum eſt ſacramentum ipſum ipſo etiam diffinitore Concilio Tridentino, ergo quamuis concedatur eſſe tantum de conſilio præceptũ Dei viget, quod nõ contemnatur, ſed nõ ſuſcipiens videtur contemnere, iuxta illud *Qui non diligit nõ diligit qui non diligit contemnit*: obuiare igitur diuino videtur præcepto ſacramentũ hoc non ſuſcipiens, non ita quidem, quaſi verò diuinum adſit de eo ſuſcipiendo mandatũ, ſed quia mandatum adeſt, ne contemnatur, & hoc ſenſu lubens, ac volens priori ſententiæ ſubſcribo, licet illa alia ſignificatione diuinum præceptum de hoc ſacramento inuehat.

Pronunciatum notabile

Solutio de perſonis, quæ obligantur.

116 Atque ex hac doctrina ſoluitur ſubſequens Recentiorum petitio, quas perſonas, & quando obliget hoc diuinum præceptum? cum enim nullum agnoſcamus tale præceptum diuinum, vt diximus, niſi quod non contemnatur, profectò ij dumtaxat obligabuntur, qui contemnere poſſe videbuntur, nec obinde amẽtes, aut paruuli, qui deſtituti rationis vſu, nec multi temnere, nec cõtemnere vere dici poſſũt & quoties cõtemnere viſi fuerint peccabunt, cõtemnere autẽ propriè dicentur, dum neceſſitas, ſeu vtilitas magna ad ſalutem, puta pro ſuperandis tentationibus, vel pro alia cauſa ſuppetet, quo caſu, cum vtilitas huius ſacramenti ſit quam maxima, non recipiens ad ſuperandos Dæmonis aſtus, ac tentationes cõtemnere profectò videbitur; hinc non ſolum in mortis articulo, vt rentur Syluester, & Armilla, nec ſolum ſemel in vita, vt ſenſerunt Ledeſma, Victoria, & Paludanus, nec ſolum tertio, vel quarto anno, vt cenſet Suarez nec ſolum quando iubet Eccleſia, cui Deus determinationem temporis remiſit, vt arbitratur Lugo ſed toties, quoties contemnere videtur viator peccat non recipiens, teneturque recipere proinde toties, quoties cenſebitur neceſſarium, vel maximè vtile, iuxta hũc dicendi modum.

Reijciuntur Syluester Armilla, Ledeſma, Victoria, Palud. Suarez. Lugo.

117 Nec officit, ſi dicas pænitentiæ ſacramentum neceſſitatem habere maiorem, quam Euchariſtiam, nec tamen eſſe id ſub præcepto, niſi ſemel in anno. Non officit, inquam, quia falſum eſt ſacramentum pænitentiæ ſolũ ſemel in anno obligare; obligat enim ſemel in anno ex præcepto *Eccleſiaſtico*; cæterum, vt egregiè monet Scotus *d. 9 huius 4.* tum *d. 17 q. 1. littera V*, præceptum de ſemel confitẽdo in anno eſt minimum, in quo debent recipere ſacramentum pænitentiæ fideles, cum in multis alijs caſibus teneantur ad pænitentiam exteriorẽ, vt ſi ægrotat grauiter, ſi exponit ſe euidenti mortis periculo, ſi debet communicare, & ſic de alijs; ita de ſumptione ſacramenti huius præceptum ſemel in anno Eccleſiaſticum eſt, inuoluens etiam mandatũ de communione circa Paſcha, verum in quibuſcunque caſibus contemnere dici poteſt fidelis, ſi non recipit peccare dicetur ob prætenſum contemptum, ſin minus ob diuinum de eius ſumptione mandatum.

Occurritur obiectio de pænitentia.

118 Et ex his præcipuè elicere poteris, in mortis articulo, quo maior ſacramenti huius viget vtilitas, vtpote cibus animæ, viaticum, Sacra dicens ad mysticum montem Dei Oreb, non recipientem voluntariè, hoc eſt, recipere uel nolentem, uel negligentem mortaliter peccare; quia tunc magis uidetur ſpernere utilitatem eius; tunc enim urgentiorem actum exercet inimicus, moleſtiarum urgent tentamenta, pluribuſque hebetante ſenſu, deſtituique animo indigemus auxilijs.

Neceſſitas in mortis articulo ſumptionis huius ſacram.

DE MATERIA SACRAMENTI EVCHARISTIÆ generice,

DISPVT. II.

NON hic loquimur de materia proxima, quæ in sacramento hoc nulla dignoscitur, cum positum in esse permanenti in suo fundamento nihil respiciat tanquam materiam, nihil tanquam formam; prout cætera sibi ascifcunt sacramenta. Porrò cum hæc duo inclusa etiam ministri intentione ad fieri sacramenti huius conspirent, non sine fundamento diximus loqui nos de materia remota, quam panem esse, ac vinum fides docet in Christi Domini institutione, vt patet ex narratione Euangelistarum, & ex diffinitionibus Conciliorum *Florentini* præcipue *in Decreto Eugenij*, & *Tridentini sess.* 23. quorum decreta non refero in re citra controuersiam, in qua ipsa gloriatur Cardinalis Bellarminus *lib.* 4. *de hoc sacramento cap.* 7. satis inter nos, & Hæreticos ipsos Nouatores constare. Sequitur autem disputatio proposita priorem exstrata quondam à nobis methodo, qua partes sacramentum interne statuentes Phisici modo instar post petitionem, an sit, discutiendas spopondimus; quamuis autem in esse huius sacramenti partes huiusmodi nullæ sint; quia tamen ad sunt in eius fieri, idcirco disputationem secundam ab ijs aggredimur.

AN SIT NECESSVM IN DVPLICI CONSECRARE MATERIA, & qua necessitate?

CAP. I.

1 NEcessum esse in duplici sacramentum hoc conficere materia diuina institutio docet, quia in vltima cœna Christus legitur panem sumpsisse, & calicem, nequit autem calicem vacuum intelligeret, subdidit institutor ipsemet Christus. *Matt.* 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis &c.* quod repetit *Marci* 14. & *Lucæ* 22. Ratio autem institutionis à priori à sola Dei voluntate petenda est.

2 Congruentiam non vnam congerunt Scholastici, cur sub duplici specie sacramentum Christus instituerit, quas consule, si lubet apud Gabrielem *lect.* 35. *in can. & lect.* 53. & 54. quia enim res admodum speculationi non vacat, strictiori quoque sermone complectitur. Placet nobis ratio Scotica *ex q.* 6. & 7. *d.* 11. *huius* 4. desumpta Sacramentum Eucharistiæ signum est spiritualis nutrimenti, quare congruè in ijs institutum est, quæ sunt corporei nutrimenti principalia signa, at præcipuum nutrimentum quoad cibum panis est, quoad potum vinum; congruit igitur in vtraque materia institutum primo hoc sacramentum, & consequenter inde consecrationem in hac ipsa duplici materia fieri.

Congruentias consecrationis sub duplici specie vide apud Gabrielem

Ratio Scoti.

3 Verum difficultas nos angit, an ita necessario connexa sit panis, ac vini materia in consecratione huius sacramenti, vt si panis consecrari attentaretur absque vino, inualida esset consecratio panis in corpus: sique rursum vinum consecraretur absque pane, irrita esset consecratio vini? & rursum si necessum est sub vtraque materia consecrare, an necessitate præcepti diuini, an vero Ecclesiastici.

Duplex difficultas.

4 De priori dubio haud dubiè senserunt aliqui, quorum sententiam refert Innocentius *lib.* 4. *de officio Missæ cap.* 23. irritã esse alteram consecrationem, sine altera, fundamento potissimum, quod

Chriſtus inſtituit, eaque pari ratione deſumpta ex ſimilitudine in ſacramento extremæ vnctionis, quod pluribus ita integratur vnctionibus pro materia, & verbis pro forma, vt niſi vnctiones, & formæ partiales expliciant, ſacramentū cenſeatur infectum; ergo idē pariter ſtatuendum in hoc ſacramento, quod in ſuo fieri plures habet materias, pluresque formas.

5 Hanc opinionem iamdudum ab omnibus reiectam reuocauit ad ſcholaſticū

Opinio P. Lugo. limen P. Ioannes à Lugo *diſp. 19. ſect. 8. num. 103.* aitque eam non eſſe abſurdā, ſed veram. Pro cuius conſtitutione multa congerit tum eo, tum *ſequenti numero*; ſumma eſt, hoc ſacramentum eſſe ſimul ſacramentum, & ſacrificium, nec alterum ab alterius ratione poſſe diſgregari, hinc conſequens eſt, quod ſi quis vellet conſecrare hoſtiam, & non offerre ſacrificium nihil faceret; quia ſacrificij ratio plena ſita eſt etiam in oblatione, & conſecratione vini, in fine autem dicta colligens ait, ſaltem debere Sacerdotem velle inchoare ſacrificium per illam conſecrationem primam; qua ſi excludat intentionem etiam offerendi partialiter, & inchoandi ſacrificium, nihil faceret.

6 *Rejicitur primo.* Hæc tamen ſententia meritò ab omnibus reiicitur tam ſecundum ſe, quam ex explicatione Lugo. Primo quia ad ſubſtantiam ſacramenti ſat ſunt materia, forma, & intentio miniſtri, hiſce igitur non deſideratis in vna conſecratione præſcindendo ab alia, ſacramenti ratio minime deſiderabitur.

Reiecta ſecundo. Secundo, quia verba vtriuſque conſecrationis non habent neceſſariam ex interna rei quidditate colligantiam, ſunt enim in vtraque ſigna varia ſui ſignati, panis nimirum corporis, vinum ſanguinis, & corpus, & ſanguis ſumendo corpus preſſe, vt ſupra dicebamus, differunt ſatis ad inuicem.

Rejecta tertio. Tertio, quia ſi habitudo intercederet neceſſaria inter utramque formam, ſequeretur conſecrato pane idolatras eſſe fideles uenerantes corpus ante conſecrationem ſanguinis, quod quam falſum ſit, nemo non videt, & hæc eſt ratio Scoti *in hoc 4 d. 8 q. 2. littera A*, cum igitur una forma ſit ſine alia efficax, nullamque habitudinem inuicem neceſſariam habeant ambæ, non eſt quo fundamento oppoſita ſententia fulciatur; nam quod ait Lugo, ſacramentum hoc eſſe ſimul ſacrificium, non negamus, at eam hoc etiā voluntarie deducitur, ſacramentum non poſſe fieri ſine completo ſacrificio, licet e contra uerum ſit ſacrificium non poſſe compleri ſine ſacramento ſub vtraque ſpecie; quia ad integritatem ſacrificij incruenti, quale eſt ſacrificium altaris repræſentātis ſacrificium cruentum in Cruce, debent corpus & ſanguis ſeorſim cōſecrari, ut in ſacrificio cruento ſegregatus fuit ſanguis à corpore: at in ſacramento cum ſint ſatis uerba pro forma, res pro materia, & intentio miniſtri, ſi ſacerdos conſecrans corpus intendat facere, quod facit Eccleſia, quamuis vel nihil cogitet de conſecratione ſanguinis, vel etiam nolit, non dicetur irritum facere ſacramentum, quia in corpore etiā late ſumpto intelligitur ſanguis, licet maximum patraret ſacrilegium, vt patet *de conſecrat. d. 2. c. comperimus*, quo loco ſtatuitur diuiſionem huius ſacramenti ſine grandi ſacrilegio non poſſe prouenire: ſupponitur igitur poſſe fieri diuiſionem, licet hoc non ſine grandi ſacrilegio faciat ſacerdos: [illegible] ibi verba hæc fusè explicantem.

7 Statuendum igitur, quod cum vtraque forma ſignificatiua ſit, & [illegible] ſine altera, non [illegible] in conſecratione ſub vna ſpecie, [illegible] ritatur ſanguis, licet [illegible] imperfecta; quia ſanguis debet ſeorſim à corpore conſecrari, ſicuti in Cruce effuſus eſt à corpore: & fundamentum oppoſitæ ſententiæ [illegible] perfici extremam vnctionem [illegible] niſi omnibus expletis [illegible] reciperent illud; quia [illegible] lumbis. *Poſitio vera.*

8 De poſteriori dubio, quod plane ſequitur ex priori, nam cum ſit neceſſum ſub vtraque ſpecie conſecrare, aliqua vtique neceſſitate neceſſum erit, at non ex interna vtriuſque conſecrationis habitudine, vt probatum eſt ſupra; ergo ex ordinatione præceptiua extrinſeca, vel ergo à Deo, vel ab Eccleſia: & quidem non defuerant, qui dicerent ſolo Eccleſiaſtico præcepto conſecrandum ſub ſpecie vtraque, non vero diuino. Ita Adrianus *q. 6. de Eucbariſtia*, Ioannes Maior *in 4 d. 9. q. 3.* Nauarrus, & alij Summiſtæ. *De alio dubio ſenſus Adriani, Maioris, et Nauarri.*

Ratio potiſſima eſt, quia Eccleſia in hoc diſpenſare poteſt, non poteſt autem diſpenſare in præcepto diuino; quare nullo diuino præcepto conſecratio facienda eſt neceſſario in duplici ſpecie. Porrò poſſe in hoc diſpenſare Eccleſiam tā apud ipſos eſt euidens, vt aſſerant quandoque factum, vt Eccleſia diſpenſaret; nam Raphael Volaterranus *lib. 8. Geographia* *Raphael Volaterranus.*

graphia cap. 4. dispensatum refert ab Innocentio 8. cum Noruegijs, vt in solo pane consecrarent ob vini defectum, & impotentiã translationis vini ob magnũ maris Baltici spatium, quod nec etiam tam facile transfretari potest, vt sciunt Historici, fiebat enim vt prius uinum acesceret, quam ad frigidissimas illas ueheretur regiones. Qui casus etiam possibilis est apud Indos, & Insulas noui Orbis, quo non ita facile, nec breui temporis spatio deferri aliunde uinum potest. Id ipsum refert Onuphrius Panuinus in *Cron. anni 1493* & Claudius Sainces *repet. in Eucharistiam cap. 3* hoc ex Volaterrano refert dispensatum ab Innocentio quarto, quamuis differant, aliquibus narrantibus hanc dispensationem factam cum Saxonibus, aliquibus cum Noruegijs.

Dispensationes de consecratione sub vna specie.

Ex Panuino, & Claudio, & Volaterrano.

9 *Hæ* tamen narrationes fabulæ mihi melius uidentur, quam historiæ, è quarum inconstantia dicti pariter falsitas elucet magis, Saxones enim à Noruegijs multum distant, Saxones in continenti Germaniæ siti sunt, Noruegij in Insulis adiacentibus, & Sueciæ affines, etsi igitur aliqua apparentiæ similitudo in narratione de Noruegijs locum haberet, certè de Saxonibus nulla, sicut nulla est credibilitatis ratio deficere uinum apud eos, quibus maximè vinum placet: rursum hic Innocentius, qui fuit apud Volaterranum octauus, apud Claudium Saintes, qui ex Volaterrano scribit, factus est quartus.

Ridentur ab auctore.

Dum ergo in ipsa nominum, & locorum narratione dissident, quanta ijs adhibenda fides [illegible], apud me planè nulla, apud [illegible] hoc certum est, [illegible] concessionis nullus aliqua adhuc superesse uestigia, cum Innocentius octauus paulo superiori elapso seculo fuerit.

10 Nec sat est dicere, sin minus concessum, permissum saltem ab illo Pontifice hoc fuisse, nam præterquam quod ratio nostra redit, deberent namque permissionis huius aliqua ad hæc tempora fluxisse uestigia, adhuc urgetur; quia si hoc permisisset Pontifex concedere non potens, certè ad perseuerantiam communionis permisisset, ne populi *Missæ* sacrificio, & communione priuarentur, atqui non sunt permittenda mala, vt succedant bona, sed nec vt euitentur alia mala, nisi illa priora sint; quia tunc *cap. duo mala* minus eligi potest; quæ omnia vana sunt in præsentia, est enim maius malum sacrificium dimidiare, quam non sacrificare; potest enim sacrificium differri sine peccato; dimidiatio sine sacrilegio non potest; quia de sacrificando est affirmans præceptum non obligans ad semper; sed de non dimidiando negatiuum est obligãs ad semper.

Obiectum tollitur.

11 Arbitror igitur contrà, datum à Deo de consecratione sub vtraque specie præceptum. Hoc assertum statuit Scotus *d. 8. q. 3 littera F*, vbi petens, an hoc sacramentum possit sumi à non ieiunis, posito casu, quo quis ex inaduertentia solam in calice aquam fuderit, quam deinde agnoscat simplicem esse aquam, non vinum consecratum in sumptione, & decisio debere eum iterum consecrationem calicis aggredi, nec obstare si sumat non ieiunus; quia præceptum superioris est minus præcepto inferioris subdit. *Immo ipsa diuisio prohibetur à Christo ex prima institutione sacramenti &c.* & post pauca, *ergo ex vna parte habet (sic) præceptum Christi ad sic consecrandum &c.* Scotum secuti sunt Gabriel *lect. 10 in Canonem Missæ*, Soto inclinat *d. 9. art. 1.* sequitur Caietanus *3. p. q. 80. art. 7.* Suarez *disp. 43.* Lugo *disp. c. sect. 8.* & Recentes passim cum Fabro *disp. 46 cap. 1* & patet ex ipsa institutione Christi, quæ sub duplici specie fuit, subq; duplici specie faciendam demonstrant Christi verba *Hoc facite in meam commemorationem*. Quæ etsi non primo præceptum ad factionem ipsam, sed ad memoriam Christi in factione referantur; tamen quia memoria Christi passionis distincta est in perfecto, & cõpleto sacrificio, quod situm est in duplicis materiæ oblatione, & consecratione, non obscurè intentionem Christi de hac re demonstrant, implicitè saltem, sin minus explicitè, vt in [illegible] visum est Concilium Tridentinum *sess. 22 cap. 1.* vbi dicit Christum obtulisse *Deo Patri* corpus, & sanguinem suum, & vt sacrificij illius cruenti repræsentatiuum aliquod sacrificium incruentum relinqueret, *Apostolis* mandasse, vt offerrent ijs verbis præcipiendo, *hoc facite in meam commemorationem*, & clare satis post nec Concilium docet Christum ita offerendum esse sacrificium decreuisse.

Opinio, & assertio propria.

Scoti Gabrielis Caietani Lugo, & Fabri.

Probatur.

12 Quod si asseras, vt que in ratione sacrificij hoc verum esse, at non sub ratione sacramenti. Contra. Ratio sacramenti, & sacrificij in confectione huius sacramenti, licet non sit eadem, non tamen ad inuicem vllo modo segregantur; immo vna, eademque actione conficitur sacramentum, & fit sacrificij oblatio, sin

Instantia reijcitur.

vnde diuiſio ſacramenti in illa ſeptem non eſt rigoroſè partitio generis in ſpecies ſpecialiſſimas, ſed in quædam propinquius contenta ſub ſacramento, inter quæ ordo eſt vnum membrum, quod in quædam ſub ipſo contenta ſpecialia partitionem patitur eodem modo fari quis poſſet de hoc ſacramento, vt non dicatur vnum ſpecifice vnitate illa indiuiſibilitatis, quam habet baptiſmus, vel confirmatio, ſed unitate quadam latiori, quæ uidetur accedere ad unitatem generis proximi, cuius ratio eſt, quia æquè perfectum eſt ſacramentum conſecratione panis peracta, ac conſecratione etiam calicis habita, alias chriſtiani venerantes hoſtiam ante calicem idolatræ eſſent, & rurſum laicus ſacramentum ſub vna tantum ſpecie ſumens dimidiatum ſumeret ſacramentum, quæ duo falſiſſima ſunt.

Diuiſio ſacramenti in illa ſeptem quanta?

74 Nec eo inficias ſacramenti huius unitatem maiorem eſſe unitate ordinis, quia hoc eſt unum unitate integritatis, ex quo ſignatum totale. quod eſt Chriſti corpus latè ſumptum vnum eſt, quamuis ſi corpus ſtrictè ſumatur habeat ſignum proprium diſtinctum à ſigno ſanguinis; unde hæc unitas integritatis non eſt ea, quam noſter Faber *loc. cit. diſput.* 28 *cap.* 1. inquit, nimirum, qualis eſt unitas vnius habentis plures formas phiſicas ſubordinatas ad aliquod totũ, & perfectũ, vt eſt vnitas animalis, in quo ſunt plures formæ partiales ſubordinatæ ad unum totum, non eſt (inquam) hæc unitas, ut unitas animalis, nam animale non eſt ens homogeneum, ut quælibet eius pars ſeparata ſit ipſum, ſicut aqua, cuius partes ſegregatæ ſunt pariter aqua; hoc autem ſacramentum, dum duo habet ſigna, & ſignata complentia unum integrum ſignum, ac ſignatum, ſi ſegregatim ſpectetur adhuc totum eſt ſacramentum, ut diximus, unde unitas hæc integritatis aſſimilanda eſt potius homogeneis, quam ethirogeneis.

Vnitas integritatis quænam ex Fabro

75 Ratio igitur ad aſſertum ex his elicitur ex ratione ſignificandi, cum enim ſignificatum huius ſacramenti ſit duplex quoddam proximum, quoddam remotum, proximum autem ſit Chriſti corpus, remotum vero ſpiritualis nutritio, & Chriſti corpus latè integraliter comprehendat etiam inabimum ſanguinem, alioſque humores, & rurſum conuiuij integra ratio non in ſola ſit eſca, ſita, ſed etiam in potu; hinc deducitur integraliter ſignificatum ſacramenti huius unum eſſe, partialeſque illas ſpecies, alioqui inter ſe diuerſas, vnum conſtare totaliter ſignificans Chriſti corpus latè, & conuiuium ſpirituale latè, & ob inde ex unica ſignificatione unicum dici poſſe ſacramentum.

Ratio ad aſſertum

76 Nec diſtant Thomiſtæ dicentes, materialiter hoc ſacramentum eſſe plura, formaliter unum, hoc enim eſt, quod ſentimus, eſt tamen impropria locutio, ut patet. Rectius locuti ſunt Recentes uocantes ſacramentum hoc partialiter plura, totaliter unum, nec differunt à Scoto, niſi in modo loquendi. Nec oppoſitum ſenſit Gabriel *in* 4. *d.* 8. *q.* 2. *concl.* 3. qui mutuatis à Scoto uerbis eandem profitetur ſententiam, ut uoluntariè ſatis Recentes aliò illum trahant.

77 Atqui ex his flocciſiunt aduerſarum opinionum fundamenta. Nec pro iis confutandis aliud faciendum eſt fundamentum, quod enim de uno rubro, & albo infertur, ridiculum eſt, ſunt enim albedo, & rubor accidentia, non differentiæ, unde nequeunt ullo modo ſpeciem conſtituere diſtinctum.

Rationes aliorum debiles

Circa poſterius dubium Scotus ne uerbum quidem. Faber uno uerbo difficultatem tollit aiens, ratione ſignati, qui eſt Chriſtus in caſu difficultatis unum numero eſſe ſacramentum, quia unus numero eſt Chriſtus, ratione autem ſpecierum, quæ numero multiplicantur, ſacramenta multiplicari, & eſſe plura. Opinio, vt ſic nulli fundamento innixa nimis latè vagatur, nec ſine difficultate, nam ſi ex multiplicitate numerica ſpecierum multiplicatur aliquo modo ſacramentum ſacerdos tripartitam ſumens hoſtiam triplex ex parte ſpecierum ſumeret ſacramentum, quod nemo dixerit.

Solutio poſterioris dubij ex Fabro.

Nulla

78 Scio Vaſquez *diſp.* 168. *cap.* 2. non vereri aſſerere ex multiplicitate numerica ſpecierum multiplicari ſacramenta; ſed difficultatem allatam non tollit, cui additur, ſequi tunc, laicum ſumentem plures particulas plura ſuſcipere ſacramenta, quod inauditum eſt.

Reſponſio Vaſquez refellitur.

Scio Suarezium *diſp.* 1. *ſect.* 4 & apertius Ioannem à Lugo *diſp.* 2. *ſect.* 2. exiſtimare Theologicam eſſe ſententiam vnum in pluribus hoſtiis, & in pluralitate ſumentium numero eſſe ſacramentum, quia Euchariſtia dicit in recto corpus Chriſti, quod vnum numero eſt in ſingulis: ſed ex falſo fundamento labiſcit ruit ædificium, Chriſti enim corpus dici in recto ab hoc ſacramento improbatum eſt ſuperius, & planè conſequenter magis ad ſua principia locutus eſt Lugo, quam Faber, quia hic ſpecies ſen-

Reſponſio Suarezij, & Lugo voluntaria

ſit

ſt in recto, Lugo autem Chriſti corpus importari, ille tamen, ac ſe vnitatem ſeruare nixus eſt ſacramenti ex vnitate ſignati, cum tamen in ſententia Fabri ſolum in obliquo Chriſti corpus importetur ab hoc ſacramento.

79 Secundum ergo noſtram in ſuperioribus explicitam ſententiam, qua dictu eſt ſpecies in recto, Chriſti autem corpus in obliquo importari, hæ mihi regulæ ſtatuendæ videntur.

Prima regula. Prima, *non eſſe ſatis ad multiplicitatem numericam ſacramenti huius ſolam ſpecierum multiplicitatem*. Ratio eſt, quia etſi ſpecies importantur in recto, dum tamẽ ſimul ſunt morali modo, ſi non phiſico vnitatem habere videntur, hinc licet tripartita ſit hoſtia in ſanctæ ſacrificio, quarum vna in ſanguine, aliæ duæ ante ſanguinis ſumptionem ſumuntur, vnum tamen eſt ſacramentum, quia illæ ſpecies ſunt morali modo una hoſtia, licet phiſicè ſint plures.

80 *Secunda regula.* Alia regula eſt, *non eſſe ſatis ad multiplicitatem ſacramenti huius numericam ſolam ſumentium multiplicitatem*. Ratio eſt, quia in iis regionibus, quibus ex Apoſtolica diſpenſatione aliquando calicis uſus datus eſt, licet ex eo biberent plures, non tamen plura ſub una uini ſpecie, ſed unicum inuoluebatur ſacramentum. Subdit aliam rationem Lugo deſumptam ab una, eademque hoſtia à pluribus ſumpta, dato caſu, quod reciperetur ab uno, à quo ob ſtomachi imbecillitatem redderetur, ac deinde ſumeretur ab alio. Eſt tamen argumentatio uiolenta, nam qui ſumptum reddit incolumem cibum, non dicitur perfectè ſumpſiſſe, hinc reddens hoſtiam non planè diceretur ſumpſiſſe; quia ſumptam reddidit, plena autem ſumptio, non phiſico, ſed morali modo, quo vtimur in præſentia, eſt cum retentione ſumpti.

81 *Tertia regula.* Tertia regula eſt, *non eſſe ſatis intentionem miniſtrantis ad dandam, vel remouendam ab hoc ſacramento vnitatẽ*. Ratio eſt, quia intentio miniſtri, vt de ea aliquando locuti diximus, ſatis eſt ad ſacramenti huius intimitatem extrinſecam; hinc ſi quis intendat tres particulas dare tribus, alius verò vni tantum, non ob inde ſacramentum ex eorum intentionis metro vnum ſimul erit, ac plura; neque ad vnitatem rei, quæ eam ſequitur vllo pacto facit miniſtrantis intentio, quæ etiam extrinſeca eſt, à qua inceptum eſt vnitatem intrinſecè metiri.

82 Quarta regula eſt, *ad multiplicitatem numericam huius ſacramenti expeti multiplicitatem ſpecierum, multiplicitatem ſumentium, multiplicitatem ſumptionum*. *Quarta regula.* Hæc patet ex decurſis; nam imprimis ſpecies importantur in recto, earum ergo multiplicitas neceſſaria eſt ad multiplicitatem ſacramenti, ſed non ſatis eſt illa; quia plures ſpecies ab vno poſſunt, eodemque ſumente ſumi, quare & ſumentis multiplicitas ad eius pluralitatem expoſcitur; ſed quia nec etiam ex decurſis eſt ſatis, additum eſt expeti etiam pluritatem ſumptionum, idque congruè, vt nedũ ex recipiente ſubiecto, nedum ex fundamentis ſignificationis diuerſis, ſed ex ipſa etiam actus ſumendi multiplicitate numericam ſumeremus ſacramenti huius vnitatem, vel pluritatem. Hinc rogatus, num pluribus exiſtentibus in pixide numero hoſtijs, vnũ ſit numero ſacramentum? Vnum dico, ſed non perfectè. *Dictorum collectio.* Rogatus, an plures ſpecies ab vno ſumptæ vnum ſint ſacramentum? vnum dico, ſed non plenè. Rogatus, an eædem ſpecies pluribus ſumptionibus vni applicatæ vnum ſint ſacramentum? aio vnum, ſed non plenè, & integrè; integrè, & plenè vnum reor, dum eſt vna ſpecies, vnus ſumens, vna ſumptio, plenè, ac integrè plura numero fateor, ſi ſunt ſpecies numero plures, ſumentes numero plures, ſumptiones numero plures. At quid hæc de vnitate huius ſacramenti ſatis.

AN HOC SACRAMENTVM *sit necessarium, & qua necessitate.*

CAP. V.

83 DVplicem sacramentorum necessitatem dimensi, dum de ijs generatim disceptaremus, aliam præcepti, medij aliam, quid vtraque esset explicuimus, & crasso quodam Marte de singulis difficultatem attingentes, sacramentum hoc præcepti necessitate necessarium diximus, vberiorem, ac certiorem dicendi methodum ad propria redigentes. Hic ergo ad amussim, quod ibi labio tenus expressimus, explicandum est.

Duplex necessitas alia medij, alia præcepti.

84 Necessitas duplex, alia medij, præcepti alia, quid vtraque sit de baptismo loquentes diximus, & de vtraque fusè loquitur Lugo *disp.* 1. *de hoc sacramento sect.* 1. Rursus necessitas duplex, alia simpliciter, alia ex suppositione, & sanè absoluta, & simpliciter necessitate petitio locum non habet; Deus enim, qui potestatem suam sacramento nō alligauit, absque hoc, cæterisque sacramentis salutem homini, si vult, impertiri poteit; potest tamen hæc ipsa necessitas ex suppositione partiri in necessitatem simpliciter, & secundum quid, dato scilicet, decreuisse Deum sacramentū aliquod necessarium esse, postulandum remanet, an necessarium sit illud necessitate ad bene esse, an vero absolutè: & quidē sacramenta omnia necessaria esse ex suppositione diuinæ voluntatis ita decernentis Concilio Tridentino conuincimur, an autem hoc *Eucharistiæ* sacramentum simpliciter ex suppositione Dei ita volentis; an verò ad bene esse, & secundum quid, quatenus scilicet necessitas eum vtilitate confunditur; hoc petimus: & rursum constito esse necessarium, nec tantum vtile, an ex præcepto tantum, an simpliciter vt medium ad salutem expetatur, hoc petimus. & demum si constiterit necessarium esse ex

Alia simpliciter, alia ad bene esse.

Petitiones variæ.

præcepto, num ex diuino, an ex Ecclesiastico præcepto necessarium sit; hoc postulamus.

85 Vides, quot sub vnius quæsiti inuolucribus petitiones. Sed & mittimus inter propositas dubitationes dubitationē ab alijs propositam, *an Eucharistia sit medium necessarium ad augendam primam gratiam*, quoniam toties dictum est, sacramentum hoc esse sacramentum viuorum, & duo potissimum sacramenta primam parere gratiam, quæ obid mortuorum sacramenta vocantur, baptismum videlicet, & pænitentiam.

86 Et circa priorem dubitationem nullo negotio vexamur, nemo enim adhuc adeo desipuit, vt vtilitatem sacramenti huius neglexerit. Sola vrget difficultas, an sit necessaria necessitate medij an præcepti Eucharistia? & quidem Armeni referente Vualdense *tom* 2. *de sacramentis cap* 9. tam necessariā arbitrantur Eucharistiam vt etiam infantibus illam statim baptizatis darent. Nescio tamen, an verè ita senserint Armeni, quia Paulus Grisaldus *in decisionibus cathol. fidei verbo Eucharistia num* 9. tribuit Armenis hæresim dicentem sacramentum hoc non prodesse quidquam. Pugnant hæc autem duo asserta; Eucharistia nihil prodest, & Eucharistia necessaria est necessitate medij.

Prima positio.

Valdensis

Grisaldus

87 Vtcumque autem sentias, tam certum est, hoc sacramentum secundum realem susceptionem non esse necessitate medij ad salutem necessarium, quam certum est, nedum paruulos, de quibus adest anathematizatio à Sac. Conc. Trid. *sess.* 21. *can* 4. *si quis dixerit paruulis, antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem: anathema sit &c.* quod ante decreuerat *cap.* 4. sed etiam adultos plurimos absque reali sacramenti huius susceptione decedentes, vel in itineribus, vel in bello, vel ex impotentia, vel ex ignorantia posse saluari. Possetque hæc pars facile suaderi, si suasionem exposceret; quia hoc sacramentum nō est per se vnica causa alicuius effectus gratiæ ad salutem simpliciter necessarij, ad salutem ergo simpliciter, & absolutè necessarium non est: patet deductio; quia id est necessarium medij necessitate, quod est ex se causa gratiæ, vel primæ, vel perseuerantiæ: at neutrius gratiæ causa præcisè est hoc sacramentum, vt dicebitur in antecedenti, & probatur, quia ad primam gratiam contra originale, & actuale, simul inest, baptismus, ad primam gratiam

Assertio principalis.

Suadetur.

tiam post naufragium pænitentia solum constituitur necessarium medium; immò tantum abest, primam per hoc causari, tanquam per præcisam causam, gratiam, vt nisi in habentibus peccata baptismus, vel pænitentia præcesserit; nouo se illud sacramentum Eucharistiæ suscipientes peccato commaculent; qua de re loquitur Concilium Tridentinum *sess. 13 cap. 5.* & Florentinum *in Decreto Eugeniano* constituens dari per hoc sacramentum augmentum gratiæ, nemo autem inscius est, non dici augeri, quod nondum est, sed quod iam ortum habuit, augetur; accretio namque natiuitatem non præcedit, sed sequitur.

Assumpti probatio de gratia perseuerantia.

88 De gratia autem perseuerantiæ assumptum illud probatur, nam vel hoc nomine gratiam diù inhabitantem in anima intelligimus, vel illud donum, quo decedentes fideles salui fiunt, siue gratia prima interrumpatur adueniente peccato, & iterum habeatur ex pænitentia, siue ininterrupta eadem omninò permaneat vsque ad mortem, siue hæc paulo post adeptam gratiam succedat, siue post multum temporis. Quodcumque dicatur impugnatur; quia tunc omnes communicantes essent prædestinati, ij namque ex Concilio Tridentino electi sunt, qui cum dono perseuerantiæ decedunt, porrò si perseuerantia daretur Eucharistiam sumenti, tanquam præcisus sacramenti illius effectus, iam planè sumentes dignè essent satis de sua salute securi, quod cum Concilio Tridentino pugnat *sess. 6. de Iust. can. 16.* Hæc igitur pars certissima est.

Auctoritates in oppositum.

89 Adsunt tamen nonnulla scripturarum testimonia, quæ videntur oppositum struere, quale est illud Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinē, non habebitis vitā in vobis;* nec dissimiliter loquitur *vniuerso illo capite* saluator, quod fuit in causa, vt Patres cū Augustino, Innocentio primo, & alijs verba illa etiā ad paruulos detorquentes necessitatem huius sacramenti etiam in paruulis agnouerint, eoque id magis, quod Christus ipsemet manducantibus hunc cibum duo promisit munera, alterum est mansio in ipsomet Christo, alterum vero est resurrectio in vltimo die, vnde ait Christus, *qui manducat meam carnem &c. in me manet, & ego in illo &c.* & rursum, *Qui manducat meam carnem &c. habet vitam æternam & ego resuscitabo eum in nouissimo die &c.* quæ promissiones, ac verba fusè ampliantur à Patribus, vt patet apud Recentes copiosam ipsorum seriem contexentes. Accedit, quod cum Eucharistia sit spiritualis cibus, ita pariter similitudine, ac paritate deducta ex cibo materiali, necessaria erit ad salutem animi, vt cibus corporeus ad salutem corporis; at hic necessarium medium est ad vitam corpoream; quare & ille spiritualis vitæ necessarium videbitur medium.

Augustini et Innocentij glosa.

Difficultas aucta.

Solutio præcipua

90 Occurre tamen, verba illa Christi à Patribus sumpta pro spirituali manducatione, non vero genericè de manducatione sacramentali. Quid sit autem hæc spiritualis ad præsens manducatio explanatur, vt is censeatur Patrum fuisse sensus, vt scilicet etiam paruulis necessaria sit participatio corporis, & sanguinis Christi, scilicet fructus corporis, & Christi sanguinis oblatiquia & ij (quidquid contra Pelagiani blaterarent, contra quos Innocentius primus citatus inuehitur) peccati originalis labe turpati sunt ante baptismum, per quem postea fructum hunc recipiunt, participatione videlicet Christi corporis, & sanguinis oblati, nam ex passione Christi efficaciam sumpsere sacramenta.

Declaratur spiritualis mãducatio.

Aliorum iudicium de Augustino reprobatur

91 Non ignoro, alios Augustinum, & Innocentium concedere fuisse illius sententiæ. Scio autem contra, quod sic facile esset omnia soluere, nisi Patrum multi fiat auctoritas. Scio etiam alios Patrum dicta ad necessitatem præcepti, non medij deuoluere, sed minus, dixeris, sapienter; nam Patres citati ad paruulos necessitatem trahentes de præcepto, neutiquā potuerunt loqui; quod certè infantes nō obstringit. Verba quidem Christi ad necessitatem præcepti deuoluunt Recentes cum Suarez, Vasquez, Valentia, & Lugo, ipsa tamen sic absolutè sumpta plus viderentur sonare necessitatis, nisi Christus tunc temporis cum adultis fuisset locutus; proinde enim dixit, *Nisi manducaueritis,* vos scilicet, qui adulti estis. Nec refert subdi deinde in tertia persona. *Qui manducat, &c.* nam & ibi relatiuè ad secundam personam sermo est: vt sit sensus. *Qui vestrum manducat &c.* qua interpretatione supposita dixeris vtique necessitatem eo loci ad necessitatem medij non extendi. Quid si dixerimus de manducatione etiam spirituali actum ibi sermonem?

Aliorum glosa vana.

Interpretatio Suarij Vasquij, Valentia, & Lugo.

93 Confirmationi in oppositum occurre, disparem in necessitate esse rationem cibi materialis, & sacramentalis; nam sine illo uita reparari non potest, animal .n. non nutritum occidat, necessum est, nec fit nutritio, nisi ex alimento, quod ex

Confirmatio infirmatur.

Quid Paschatis nomine intelligatur.

Licentia Lugo.

An excusentur Conimbricenses citati à Nauarro.

cepto plura sciscitantur auctores. Primum quid Paschatis nomine intelligatur circa cuius festum sumptionem sacramenti huius necessariam statuit Innocentius ibi aiens, *Suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, &c.* Lugo in aliquibus locis ad totam Quadragesimam tempus extendi ait *disp. 16. sect. 4.* sed nisi specialis habeatur dispensatio contradicit declarationi Eugenii 4. & communi consuetudini Ecclesiæ: hinc nescio, an excusentur Conimbricenses ab inobseruantia huius præcepti communicantes quolibet Quadragesimæ die, vt refert Nauarrus *cap. 21. de quinto præcepto, num. 45.* est ergo communis Ecclesiæ vsus addita Eugenii declaratione Paschatis nomine totū quindecim dierum spatium intelligi, quod à Dominica Palmarum vsque ad Dominicam in albis, inclusiuè dilabitur.

An communicans feria 6. Parasceue, & Sabbatho sancto præceptum impleat.

Gauanti verba

100 Sed numquid si communicaret quis in Parasceue, vel in Sabbatho Sancto satisfaceret præcepto? Nec dubitandi ratio friuola est, quamuis enim duo illi dies intra quindecim dierum ambitum contineantur, quibus præceptum Paschalis communionis solui potest, sunt tamen dies, quibus communio inhibita est, hinc S. Congreg. Rit. *decreto suo lato sub die 19. Febr. anni 1622.* statuit seruandam esse vniuersalis Ecclesiæ consuetudinem non ministrandi in Parasceue sacramentum Eucharistiæ: idipsum sentiendum de Sabbatho Sancto refert Gauantus *in comm. super Rub. Missalis parte 4. tit. 10.* quia missa illa noctis missa vocatur, in qua nefas est communionem distribuere, estque huius rei indicium, quod missa illa caret parte illa, quæ dicitur *post communio, & communio.*

Resolutio propria

101 Dicendum tamen præceptum Paschale impleri à communicantibus iis diebus, quia gratiosa ampliantur, & pœnalia restringuntur: pertinet autem ad gratiarum dilationem, posse iis duobus diebus præceptum impleri, & pœnale est restringi præcepti impletionem ad 13 dies dumtaxat. Nec decretum allatum obstat, quod simpliciter ob mærorem Dominicæ Passionis in Parasceue communionem vetat, & vetatio ex vsu potius, quam ex antiquo præcepto inualuit; nam ordo Romanus cum sacramentario Gregoriano antiquitus concedebat eo die communionem Clero, & populo; quodue de Sabbatho sancto urgetur vim non habet, cum oppositum in praxi viderim apud plerasque Ecclesias; nec idem Gauantus ait, id fieri non posse, sed non debere, qui loquendi modus congruentiam melius, quam necessitatem indicat.

Interpretatur Gauantus.

Alia petitio de præcepto.

102 Aliud, quod petunt auctores de hoc præcepto, est. An id sit affixum, & coarctatum tempori illi Paschali tantū, ita vt, qui non soluit eo tempore præceptum, solutus sit eo anno ab impletione eius?

Opinio Syluestri, Medinæ, Ledesmi, Toleti, Ioannis de la Cruz.

Equidem non desunt, qui illud ita. rentur arctatum tempori, vt velint non communicantes tunc temporis non teneri toto illo anno ad communicandum ex vi præcepti, ita Syluester, *Medina*, Ledesmus, *Ioannes de la Cruz*, Toletus, & alii apud *Lugo sect. 4.* & apud *Dianam resol. 4. de hoc sacramento*, qui esse hanc opinionem retur probabilem.

Opinio Pitigiani, Coninch, Suarii Layman

Contra multi cum nostro Pitigiano *in 4. d. 9. q. 3.* Coninch, Suarez, Layman, & alii apud prædictos auctores opinantur exacto paschali tempore adhuc teneri non communicatum Eucharistiam sumere, cum primum commode id fieri poterit.

Aliorum opinio

Alii se intermedios statuere putantes distinctione hac in re vtendum, vel enim communionem pro eo tempore omittēs confessarii consilium secutus est fuitq; legitima præpeditus causa, vel sine causa, & sine consilio id egit, priori sensu remanere non putant amplius obligationem pro anno illo; posteriori remanere putant.

Opinio propria

103 Rectius tamen dicendum videtur, remanere obligationem in omittente communionem tempore paschatis ad communicandum in anno illo semel, quocunque tamen mense fiat, cum non adsit præceptum specificans; porrò obligationem manere patet, nam initio fideles in singulis missis communicabant, vt patet apud Dionysium *lib. de eccles. Hierarch. cap. 3.* deinde in singulis tantum Dominicis ex *Augustino epistola ad Ianuarium 118. in ordine,* postmodum ex decreto Fabiani Papæ *epist. ad Hilarium Episcopum* ter saltem in anno, in Pascha, videlicet, Pentecoste, & Natali Domini, à quo præcepto impediti dumtaxat maioribus criminibus eximebantur. Innocentius demum tertius præceptum ad semel in anno restrinxit, & ad tempora Paschalia, ex vna autem decreti Innocentii particula liquet, tam præcipi frequentiam huius sacramenti, quam ad minus annuam, est autem particula illa, *ad minus*, qua designatur

Ritus primeuæ ecclesiæ

Restrictus a Fabiano, & Innocentio.

præ-

præcipi frequentiam eius, & restringi ad annum, in quo saltem, seu ad minus circa pasche.

Tertia postulatio.

104 Tertiò postulant. An sciens se legitime impediendum in pascha debeat præceptum præuentione soluere, ita vt teneatur communicare ante tẽpus. Illud, sique non tenetur, an saltem id faciens, præceptum soluat? Noster Pitigianus *loc. cit.* cumque eo Suarez, & Azorius, negant teneri præuenire: affirmat Vasquez, Siluius, Nugnus, Facundez, & alii apud Dianam, & Lugo, & ipse etiã Lugo ait, hanc sibi sententiam ex parte placere, quamuis re vera oppositam sequatur.

Pitigiani responsum. Oppositum sentiunt alij.

Res admodum moralis est, & Summistarum propria; idcirco breuibus agitur.

Resolutio Auctoris.

105 Arbitror igitur cum prima sententia huiusmodi conscium de impedimento futuro in paschate non teneri præuenire solutionem præcepti, quia nemo tenetur anticipare actum præceptum, nisi ex præuentione soluatur præceptum, at in casu non soluitur directè præceptum, quid enim si postea cessaret in Paschate impedimentum, nonne is teneretur cõmunicare? Sciò Dianam dicturum, dato casu non teneri amplius etiam impedimento cessante hominem cum communicare in Pascha; sed laxa nimis sententia textum præcepti destruit præcipientem ad minus in Pascha communionem, quod præceptum non est idem cum præcepto de annua communione, sed duo insimul ibi præcepta inuoluuntur, alterum de annua communione, alterum de Paschali, ita tamen vt per Paschalem impleantur ambo; quia per particulam illam, *saltem*, vel *ad minus* declarauit Pontifex tunc temporis vtrũque solui, quamuis igitur quocunque anni tempore communicare possit ad soluendum annuæ communionis mandatum, non tamen in alio tempore, quam Paschatis Paschale præceptum soluit, quo tempore ex moderatione Pontificis potest tantum solui vtrunque.

Obiectum Dianæ.

Ex laxa sententia soluitur.

106 Deniq; quærunt. An qui scienter cõmunionem sumpsit in peccato mortali Ecclesiæ præcepto fecerit satis, an postea teneatur eadem anno iterum communicare? factum in casu Ecclesiastico præcepto satis fustinent Suarez *disp.* 70. *sect.* 2. Sotus *de iustitia, & iure lib.* 2. *q.* 3. *art.* 10. Lugo *loc. cit.* & Diana *resol.* 43. cum alijs ab ijsdem citatis, ita vt ita communicans non teneatur amplius Eucharistiam sumere, Ratio est; quia Ecclesia nihil aliud præcipit, nisi sumptionem sacramenti huius in Paschate, verba autem obligantia tantum valent, quantum sonant, & hæc est ratio Dianæ; ratio autem Lugò est; quia præcepta non obligant ad finem, sed ad substantiam præcepti, quare licet Ecclesia in hoc præcepto intendat, quod fideles huius sacramenti fructum percipiant, id tamen, quod præcipit, est sola sacramenti susceptio.

Alia postulatio. Solutio Sotti, Suarij, Lugo, & Dianæ.

Ratio Dianæ.

Ratio Lugo.

107 Vtriusque tamen fundamentum debile est, immò & falsum, nam Ecclesia non solum sacramenti huius susceptionem eo præcepto mandat, sed & modum susceptionis, nempe cum reuerentia debita; vnde Innocentij verba sunt, *suscipiens reuerenter in Pascha ad minus &c.* at qua reuerentia susciperet indignè suscipiens? non minus ergo ipsa præcepti substantia, quam modus mandato illo pontificio inuoluitur.

Displicet Auctori, & soluitur vtriusque obiectum.

108 Nec valet Lugo glosa, particulam illam *reuerenter*, vel ad externam reuerentiam, vel ad consilium pro interna reducens; *alioquin* (inquit Lugo) *non congrueret pœna coercendi ab Ecclesia transgressores, quam imponit, quomodo enim possent eam Prælati exequi contra indignè sumentes?* Non valet, inquam, quia imprimis reuerentiam ad consilium, susceptionem ad præceptum vno, vel altero verbo intelligere, est planè innuere, æquiuocè satis locutum Pontificem, eo magis, quod nec susceptionem per verbum indicat, sed per participium, *suscipiens*, sicuti reuerentiam per aduerbium, *reuerenter*, ita ergo pariter quis intelligere posset de sumptione consilium, ac de reuerentia latum, cum verba illa pectantur simul. Deinde, ratio suadens reuerentiam ad externam dumtaxat reuocari infirma est, nam pœna illa à Prælatis infligenda coercendi transgressores, ab Ecclesia non mandatur operi ab ipsis contra indignè sumentes, sed contra non sumentes, vt in praxi experimur.

Repl. Lugo.

Non valet.

109 Tutius igitur arbitror dicendum cum Durando, Nugno, Siluio, & alijs, non solui in casu præceptum, quod, vt diximus, non magis ad sumptionem quam ad debitam sumptionem obligat ex verbis decreti pontificis, & congruit hic dicendi modus doctrinæ Scoti *in* 4. *d.* 9. *q. vnica in sol.* 1. *littera D.* vbi docens nullum teneri communicare in peccato mortali subdit, quod sicut omnis tenetur semel communicare, ita tenetur laborare, vt sit extra peccatum morta-

Opinio Durandi, Nugni, & Siluij, quam sequitur Auctor ex Scoto.

mortale; quare ex ipso hæc duo præcepta simul inuoluta sunt, nimirum communicatio semel in anno, & laboratio, vt sit communicans extra statum peccati; vno igitur impleto absque alio non soluitur integrè Ecclesiæ præceptum, quod vnicum est totale complectens duo. Atqui hæc de præcepto Ecclesiastico.

De præcepto diuino opinio Vasquez, Suarij, Lugo.

110 Sed numquid etiam ex præcepto diuino necessarium sit hoc sacramentum? Affirmant Recentes, Vasquez *disp.* 213. *cap.* 2. Suarez *disp.* 69. *sect.* 1. Ioannes à Lugo *disp* 19. *sect.* 1. Becanus *cap.* 23. *q.* 4. secuti S. Thomam 3 *p. q.* 80. *art.* 11. citantque pro ea præcitati *Auctores* Caietanum ibi, sed perperam; quia Caietanus in oppositam propendet magis, dum S. Thomæ rationibus facit satis: citant Gabrielem *in* 4. *d.* 9 *q.* 1. quem aiunt esse sibi ipsi contrarium *lect.* 87. *in canonem.* sed

Citatur falso Gabriel.

voluntariè; nam Gabriel *lect. cit. in fine* quæsitum diluit tantum secundum doctrinam *Alensis*, non propriam, vt *ibi* patet, & rursum *in* 4 *d.* 9. alio modo, ac vt putant, citantque Recentes necessitatem sacramenti huius ex diuino præcepto deriuat, vt infra dicetur.

Vera sententia.

111 Est ergo opposita sententia negans vetustiorum Theologorum, Alensis S. Bonauenturæ, & Sancti eiusdem Thomæ *in* 4. *d.* 9 *q.* 1. ipso etiam Caietano referente, quam secuti sunt Ferrariensis, Syluester, & alij, quæ & nobis probatur, quia secundum Scoti doctrinam *d.* 9 *q. cit.* præceptum Ecclesiasticum tantum de hac re agnoscimus, de qua si diuinum fuisset præstita ibi occasione, non vtique subticuisset subtilissimus Scotus.

Fundamentum eius.

112 Est autem opinionis huius fundamentum; quia vbi de præcepto non constat, non est facile imponenda obligatio; ac datum à Deo de hac sacramenti sumptione corporis Christi nullibi apparet præceptum, nulla igitur ex diuino mandato obligatio, nulla ad illius sumptionem necessitas. Maiorem profitentur Iuris periti, ac Summistæ passim ex illo alio principio toties enarrato, quod pœnæ, & odiosa non ampliantur; præcepta igitur cum videantur ad onera, & quoquomodo ad odiosa reuocari, licet ipsa saluberrima sint, saltem ex difficultate, non ampliantur, nisi specificentur. Minor probatur, quia si alicubi dixeris datum diuinum de hac sūptione præceptum, hoc maxime vel illis verbis Lucæ 22. & Pauli 1. *ad Corinth cap.* 11 *hoc facite in meam commemorationem*, vel illo Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filii hominis &c. non habebitis vitam in vobis.* Sed hæc nihil tale sonant, quare nullibi apparet huiusce rei præceptum. *Maiorem* subsumpti dilemmatis suademus, quia ex oppositæ sententiæ structoribus ij duo loci necessitatem ex diuino præcepto dumtaxat ex scripturis indicant. Hoc

Explicita verba Lucæ & Pauli.

autem voluntarie ab ijs dici, quod pro minori eiusdem dilemmatis adduximus, probatur; quia verba illa Lucæ, & Pauli *locis citatis. Hoc facite &c.* non verè præceptiua sunt sumptionis, sed memoriæ passionis Christi in sumptione, faciuntque sensum. *Hoc facite in meam commemorationem*, idest, hoc dum facitis mei memoriam faciatis, quo modo visa est

Ex Concilio Tridentino.

Sancta Trid. Synodus verba illa explicuisse *sess.* 13 *cap.* 2. aiens, *in illius sumptione colere nos sui memoriam præcipit suamque annunciare mortem &c.* ecce quomodo præceptum ad memoriam in factione, non ad factionem ipsam reuocatur ijs verbis à Christo ipso etiam Concilio Tridentino interprete, quod voluntarie satis explicat Lugo *loc. cit.* aiens ex his colligi diuinum de factione præceptum, quia qui præcepit, vt fiat aliquod festum in memoriam alicuius Sancti præcipit absolutè quod fiat, non conditionate si fiat, voluntariè, inquam, quia vt

Explicatio Lugo violenta.

verba Concilij declarant, Christus non sumptionem absolutè præcepit verbis ijs, sed cultum memoriæ suæ in sumptione: nec est paritas de præcepto festi indicti in memoriam alicuius sancti, quia festum in casu est, quod indicitur, non memoria primo, sed si præciperetur sancti alicuius memoria primo in aliqua festiuitate, si festiuitas illa non esset alias præcepta, ex vi certè memoriæ præceptæ non præciperetur festum, vt ipsa verba sonant, quibus maxime standum est in ijs, quæ obligationem redolent, ne quis ad plus teneatur, quam ex vi præcepti tenetur.

113 Ex his igitur Christi verbis Lucæ 22. & Pauli 1. Corinth. 11. nulla diuini præcepti de hac sumptione exhibiti necessitas, euidentia nulla, sed neque ex illo

Confirmatio dictorum.

Ioan. 6. quod pluris faciunt Aduersarij, nam, præterquam quod locus ille de spirituali manducatione à Patribus intelligitur modo hoc ipsomet capite præposito, adhuc si verba illa litteraliter intelligenda essent de singulis, non minus de adultis quam de paruulis, non magis de sumptione corporis, quam sanguinis vim facerent, cum ibi subdatur, *& biberitis eius sanguinem &c.* quod falsum est, nam paruuli non sunt hoc præcepto

ligati

ligati etiam per Aduersarios, nec esse sumendum hoc sacramentum à laicis sub specie etiam vini, declarant Decreta Concilij Tridentini.

Alia interpretatio subtilior.

114 Quid si quis dixerit propositam locutionem Ioan. 6. & cæteras consimiles, quales sunt. *Qui manducat hunc panem viuet in æternum &c. in me manet, & ego in eo &c, ego resuscitabo eum in nouissimo die &c.* veras vtique esse, sed non præcise, hoc est non tantum, qui manducat in æternum viuet, manebit in Christo resuscitabitur in nouissimo die &c. Sed vtique is, qui hæc faciet digne, hæc sortitur, quamuis etiam absque hoc sacramento in re suscepto possit quis in æternum viuere, decedens vtpote in gratia, manere in Christo per gratiam, & resuscitari corporaliter ad gloriam in nouissimo die.

Gabrielis alia glosa.

115 Quare allata scripturarum testimonis haud quaquam vrgent nouum admittere diuinum præceptum de huius sacramenti sumptione, nisi cum Gabriele vltra etiam dicere mauis, idcirco si aliqua suppetat ratio, vel auctoritas ad inuehendam sacramenti huius necessitatem ex diuino præcepto, id dici, quia diuinum est præceptum, quod non contemnantur ea, quæ etiam si sint de consilio, instituta sunt a Deo ad salutem; At huius sacramenti sumptio ad salutem confert, & ad eam institutum est sacramentum ipsum ipso etiam diffinitore Concilio Tridentino, ergo quamuis concedatur esse tantum de consilio præceptũ Dei viget, quod nõ contemnatur, sed nõ suscipiens videtur contemnere, iuxta illud *Qui non eligit nõ diligit qui non diligit contemnit* obligare igitur diuino videtur præcepto sacramentũ hoc non suscipiens, non ita quidem, quasi verò diuinum adsit de eo suscipiendo mandatũ, sed quia mandatum adest, ne contemnatur, & hoc sensu lubens, ac volens priori sententiæ subscribo, licet illa alia significatione diuinum præceptum de hoc sacramento inuehat.

Pronunciatum notabile

Solutio de personis, quæ obligantur.

116 Atque ex hac doctrina soluitur subsequens Recentiorum petitio, quas personas, & quando obliget hoc diuinum præceptum? cum enim nulli in agnoscamus tale præceptum diuinum, vt diximus, nisi quod non contemnatur, profectò ij dumtaxat obligabuntur, qui contemnere posse videbuntur, nec obinde amentes, aut paruuli, qui destituti rationis vsu, nec multi temnere, nec cõtemnere vere dici possõt & quoties cõtemnere visi fuerint peccabunt, cõtemnere autẽ propriè dicentur, dum necessitas, seu vtilitas magna ad salutem, puta pro superandis tentationibus, vel pro alia causa suppetet, quo casu, cum vtilitas huius sacramenti sit quam maxima, non recipiens ad superandos Dæmonis astus, ac tentationes cõtemnere profectò videbitur; hinc non solum in mortis articulo, vt tenentur Syluester, & Armilla nec solum semel in vita, vt senserunt Ledesma, Victoria, & Paludanus, nec solum tertio, vel quarto anno, vt censet Suarez nec solum quando iubet Ecclesia, cui Deus determinationem temporis remisit, vt arbitratur Lugo sed toties, quoties contemnere videtur viator peccat non recipiens, teneturque recipere proinde toties, quoties censebitur necessarium, vel maximè vtile, iuxta hũc dicendi modum.

Reijciuntur Syluester Armilla, Ledesma, Victoria, Palud. Suarez. Lugo.

Occurritur obiectio de pænitentia.

117 Nec officit, si dicas pænitentiæ sacramentum necessitatem habere maiorem, quam Eucharistiam, nec tamen esse id sub præcepto, nisi semel in anno. Non officit, inquam, quia falsum est sacramentum pænitentiæ solũ semel in anno obligare; obligat enim semel in anno ex præcepto Ecclesiastico; cæterum, vt egregiè monet Scotus *d. 9 dubius 4. tum d. 17 q. 1. littera V*, præceptum de semel confitendo in anno est minimum, in quo debent recipere sacramentum pænitentiæ fideles, cum in multis alijs casibus teneantur ad pænitentiam exercendam, vt si ægrotat grauiter, si exponit se euidenti mortis periculo; si debet communicare, & sic de alijs; ita de sumptione sacramenti huius præceptum semel in anno Ecclesiasticum est, inuoluens etiam mandatũ de communione circa Pascha, verum in quibuscunque casibus contemnere dici potest fidelis, si non recipit peccare dicetur ob prætensum contemptum, sin minus ob diuinum de eius sumptione mandatum.

Necessarius in mortis articulo sumptionis huius sacram.

118 Et ex his præcipue elicere poteris, in mortis articulo, quo maior sacramenti huius viget vtilitas, vtpote cibus animæ, uiaticum, scilicet ducens id mysticum montem Dei Oreb non recipientem uoluntariè, hoc est, recipere uel nolentem, uel negligentem mortaliter peccare; quia tunc magis uidetur spernere utilitatem eius, tunc enim urgentiorem actum exercet inimicus, molestiarum urgent tentamenta, pluribusque hebetante sensu, declinique animo indigemus auxilijs.

DE MATERIA SACRAMENTI EVCHARISTIÆ generice

DISPVT. II.

NON hic loquimur de materia proxima, quæ in sacramento hoc nulla dignoscitur, cum positum in esse permanenti in suo fundamento nihil respiciat tanquam materiam, nihil tanquam formam, prout cætera sibi asciscunt sacramenta. Porrò cum hæc duo inclusa etiam ministri intentione ad fieri sacramenti huius conspirent, non sine fundamento diximus loqui nos de materia remota, quam panem esse, ac vinum fides docet in Christi Domini institutione, vt patet ex narratione Euangelistarum, & ex diffinitionibus Conciliorum Florentini præcipue in Decreto Eugenij, & Tridentini sess. 23. quorum decreta non refero in re citra controuersiam, in qua ipse gloriatur Cardinalis Bellarminus lib. 4. de hoc sacramento cap. 7. satis inter nos, & Hæreticos ipsos Noubreros constare. Sequitur autem disputatio proposita priorem exarata quondam à nobis methodo, qua partes sacramentum interne statuentes Phisici modo instar post petitionem, an sit, discutiendas spopondimus, quamuis autem in esse huius sacramenti partes huiusmodi nullæ sint; quia tamen ad sunt in eius fieri, idcirco disputationem secundam ab ijs aggredimur.

AN SIT NECESSVM IN DVPLICI CONSECRARE MATERIA, & qua necessitate?

CAP. I.

1 NEcessum esse in duplici sacramentum hoc conficere materia diuina institutio docet, quia in vltima cœna Christus legitur panem sumpsisse, & calicem, nequis autem calicem vacuum intelligeret, subdidit institutor ipsemet Christus. Matt. 26. Non bibam amodo de hoc genimine vitis &c. quod repetit Marci 14. & Lucæ 22. Ratio autem institutionis à priori à sola Dei voluntate petenda est.

2 Congruentiam non vnam congerunt Scholastici, cur sub duplici specie sacramentum Christus instituerit, quas consule, si lubet apud Gabrielem lect. 35. in can. & lect. 53. & 54. quia enim res admodum speculationi non vacat, strictiori quoque sermone complectitur. Placet nobis ratio Scotica ex q. 6. & 7. d. 11. huius 4. desumpta. Sacramentum Eucharistiæ signum est spiritualis nutrimenti; quare congruè in ijs institutum est, quæ sunt corporei nutrimenti principalia signa, at præcipuum nutrimentum quoad cibum panis est, quoad potum vinum; congruit igitur in vtraque materia institutum primo hoc sacramentum, & inde consecrationem in hac ipsa duplici materia fieri. *Congruentias consecrationis sub duplici specie vide apud Gabrielem* *Ratio Scoti.*

3 Verum difficultas nos angit, an ita necessario connexa sit panis, ac vini materia in consecratione huius sacramenti, vt si panis consecrari attentaretur absq; vino, inualida esset consecratio panis in corpus: sique rursum vinum consecraretur absque pane, irrita esset consecratio vini? & rursum si necessum est sub vtraque materia consecrare, an necessitate præcepti diuini, an vero Ecclesiastici? *Duplex difficultas*

4 De priori dubio haud dubiè senserunt aliqui, quorum sententiam refert Innocentius lib. 4. de officio Missæ cap. 23. irritam esse alteram consecrationem, sine altera eo fundamento potissimum, quod sic

Christus instituit; ergo pari ratione desumpta ex similitudine in sacramento extremæ vnctionis, quod pluribus ita integratur vnctionibus pro materia, & verbis pro forma, vt nisi vnctiones, & formæ partiales expliciant, sacramentū censeatur infectum, ergo idē pariter statuendum in hoc sacramento, quod in suo fieri plures habet materias, pluresque formas.

Opinio P. Lugo.

5 Hanc opinionem iamdudum ab omnibus reiectam reuocauit ad scholasticū limen P. Ioannes à Lugo *disp. 19. sect. 8. num. 103.* aitque eam non esse absurdā, sed veram. Pro cuius constitutione multa congerit tum eo, tum *sequenti numero*; summa est, hoc sacramentum esse simul sacramentum, & sacrificium, nec alterum ab alterius ratione posse disgregari, hinc consequens est, quod si quis vellet consecrare hostiam, & non offerre sacrificium nihil faceret; quia sacrificij ratio plena sita est etiam in oblatione, & consecratione vini, in fine autem dicta colligens ait, saltem debere Sacerdotem velle inchoare sacrificium per illam consecrationem primam, qua si excludat intentionem etiam offerendi partialiter, & inchoandi sacrificium, nihil faceret.

Reijcitur primo.

6 Hæc tamen sententia meritò ab omnibus reijcitur tam secundum se, quam ex explicatione Lugo. Primo quia ad substantiam sacramenti sat sunt materia, forma, & intentio ministri, hisce igitur non desideratis in vna consecratione præscindendo ab alia, sacramenti ratio minime desiderabitur.

Reiecta secundo.

Secundo, quia verba vtriusque consecrationis non habent necessariam ex interna rei quidditate colligantiam, sunt enim in vtraque signa varia sui signati, panis nimirum corporis, vinum sanguinis, & corpus, & sanguis sumendo corpus presse, vt supra dicebamus, differunt satis ad inuicem.

Reiecta tertio.

Tertio, quia si habitudo intercederet necessaria inter utramque formam, sequeretur consecrato pane idolatras esse fideles uenerantes corpus ante consecrationem sanguinis, quod quam falsum sit, nemo non videt, & hæc est ratio Scoti *in hoc 4. d. 8. q. 2. littera A*, cum igitur una forma sit sine alia efficax, nullamque habitudinem inuicem necessariam habeant ambæ, non est quo fundamento opposita sententia fulciatur; nam quod ait Lugo, sacramentum hoc esse simul sacrificium, non negamus, at cum hoc etiā voluntatē deducitur, sacramentum non posse fieri sine completo sacrificio, licet è contra uerum sit sacrificium non posse compleri sine sacramento sub vtraque specie, quia ad integritatem sacrificij incruenti, quale est sacrificium altaris repræsentātis sacrificium cruentum in Cruce, debent corpus, & sanguis seorsim cōsecrari, ut in sacrificio cruento segregatus fuit sanguis à corpore: at in sacramento cum sint satis uerba pro forma, res pro materia, & intentio ministri, si sacerdos consecrans corpus intendat facere, quod facit Ecclesia, quamuis vel nihil cogitet de consecratione sanguinis, vel etiam nolit, non dicetur irritum facere sacramentum, quia in corpore etiā late sumpto intelligitur sanguis, licet maximum patraret sacrilegium, vt patet *de consecrat. d. 2. c. comperimus*, quo loco statuitur diuisionem eiusdem sacramenti sine grandi sacrilegio non posse prouenire: supponitur igitur posse fieri diuisionem, licet hoc non nisi cum grandi sacrilegio faciat sacerdos; uide glossam ibi verba hæc fusè explicantem.

7 Statuendum igitur, quod cum vtraque forma significatiua sit, & efficax vna sine altera, non irritatur sacramentum in consecratione sub vna specie, nec irritatur sanguis, licet irritetur in ratione imperfecta, quia sanguis debet seorsim à corpore consecrari, sicuti in Cruce effusus est à corpore: & fundamentum oppositæ sententiæ nullum, nam falsum est non perfici extremam vnctionis sacramentum, nisi omnibus expletis, alias feminæ non reciperent illud, quia non vnguntur in lumbis. *Positio vera.*

8 De posteriori dubio, quod planè sequitur ex priori, nam cum sit necessum sub vtraque specie consecrare, aliqua vtique necessitate necessum erit, at non ex interna vtriusque consecrationis habitudine, vt probatum est supra, ergo ex ordinatione præceptiua externa, vel ergo à Deo, vel ab Ecclesia; & quidem non defuerant, qui dicerent solo Ecclesiastico præcepto consecrandum sub specie vtraque, non vero diuino. Ita Adrianus *q. 6. de Eucharistia*, Ioannes *Maior in 4 d. 9. q. 3.* Nauarrus, & alij Summistæ. *De alio dubio sensus Adriani, Maioris, et Nauarri.*

Ratio potissima est, quia Ecclesia in hoc dispensare potest, non potest autem dispensare in præcepto diuino; quare nullo diuino præcepto consecratio facienda est necessario in duplici specie. Porrò posse in hoc dispensare Ecclesiam tā apud ipsos est euidens, vt asserant quandoque factum, vt Ecclesia dispensaret; nam Raphael Volaterranus *lib. 8. Geographiæ* *Raphael Volaterranus.*

Dispensationes de consecratione sub vna specie.

graphia cap. 4. dispensatum refert ab Innocentio 8. cum Noruegijs, vt in solo pane consecrarent ob vini defectum, & impotentiã translationis vini ob magnũ maris Baltici spatium, quod nec etiam tam facile transfretari potest, vt sciunt Historici, fiebat enim vt prius uinum acesceret, quam ad frigidissimas illas ueheretur regiones. Qui casus etiam possibilis est apud Indos, & Insulas noui Orbis, quo non ita facile, nec breui temporis spatio deferri aliunde uinum potest. Id ipsum refert Onuphrius Panuinus in *Cron. anni* 1493 & Claudius Saintes *repet. in Eucharistiam cap.* 3 hoc ex Volaterrano refert dispensatum ab Innocentio quarto, quamuis differant, aliquibus narrantibus hanc dispensationem factam cum Saxonibus, aliquibus cum Noruegijs.

Ex Panuino, & Claudio, & Volaterrano.

9 *Hæ* tamen narrationes fabulæ mihi melius uidentur, quam historiæ, è quarum inconstantia dicti pariter falsitas elucet magis, Saxones enim à Noruegijs multum distant. Saxones in continenti Germaniæ siti sunt, Noruegij in Insulis adiacentibus, & Sueciæ affines, etsi igitur aliqua apparentiæ similitudo in narratione de Noruergijs locum haberet, certè de Saxonibus nulla, sicut nulla est credibilitatis ratio deficere uinum apud eos, quibus maximè vinum placet: rursum hic Innocentius, qui fuit apud Volaterranum octauus, apud Claudium Saintes, qui ex Volaterrano scribit, factus est quartus.

Ridentur ab auctore.

Dum ergo in ipsa nominum, & locorum narratione dissident, quanta ijs adhiberi fides debeat, lector iudicet: nunus, apud me planè nulla, apud quem hoc certum est, d[illegible] huius concessionis nullus aliqua adhuc superesse uestigia, cum Innocentius octauus paulo superiori elapso sæculo fuerit.

10 Nec sat est dicere, fin minus concessum, permissum saltem ab illo Pontifice hoc fuisse, nam præterquam quod ratio nostra redit, deberent namque permissionis huius aliqua ad hæc tempora fluxisse uestigia, adhuc urgetur; quia si hoc permisisset Pontifex concedere non potens, certè ad perseuerantiam communionis permisisset, ne populi *Missæ* sacrificio, & communione priuarentur, atqui non sunt permittenda mala, vt succedant bona, sed nec vt euitentur alia mala, nisi illa peiora sint; quia tunc *ex duo mala* minus eligi potest; quæ omnia vana sunt in præsentia, est enim maius malum sacrificium

Obiectum tollitur.

dimidiare, quàm non sacrificare; potest enim sacrificium differri sine peccato; dimidiatio sine sacrilegio non potest; quia de sacrificando est affirmans præceptum non obligans ad semper; sed de non dimidiando negatiuum est obligãs ad semper.

11 *A*rbitror igitur contra, datum à Deo de consecratione sub vtraque specie præceptum. Hoc assertum statuit Scotus *d. 8. q. 3. littera F*, vbi petens, an hoc sacramentum possit sumi à non ieiunis, posito casu, quo quis ex inaduertentia solam in calice aquam fuderit, quam deinde agnoscat simplicem esse aquam, non vinum consecratum in sumptione, & decisio debere eum iterum consecrationem calicis aggredi, nec obstare si sumat non ieiunus; quia præceptum superioris est maius præcepto inferioris subdit. *Immo ipsa diuisio prohibetur à Christo ex prima institutione sacramenti &c.* & post pauca, *ergo ex vna parte habet sic præceptum Christi ad sic consecrandum &c.* Scotum secuti sunt Gabriel *lect.* 10 *in Canonem Missæ*, Soto inclinat *d. 9. art. 1.* sequitur Caietanus 3. *p. q. 80. art. 7.* Suarez *disp. 43.* Lugo *disp. c. sect. 8.* & Recentes passim cum Fabro *disp. 46 cap. 1.* & patet ex ipsa institutione Christi, quæ sub duplici specie fuit, subq; duplici specie faciendam demonstrant Christi verba *Hoc facite in meam commemorationem*. Quæ etsi non primo præceptum ad factionem ipsam, sed ad memoriam Christi in factione referantur; tamen quia memoria Christi passionis distincta est in perfecto, & cõpleto sacrificio, quod situm est in duplicis materiæ oblatione, & consecratione, non obscurè intentionem Christi de hac re demonstrant, implicitè saltem, sin minus explicitè, vt indicare visum est Concilium Tridentinum *sess.* 22 *cap.* 1. vbi dicit Christum obtulisse Deo Patri corpus, & sanguinem suum, & vt sacrificij illius cruenti repræsentatiuum aliquod sacrificium incruentum relinqueret, Apostolis mandasse, vt offerrent ijs verbis præcipiendo, *hoc facite in meam commemorationem*, & clare satis post hæc Concilium docet Christum ita offerendum esse sacrificium decreuisse.

Opinio & assertio propria.

Scoti Gabrielis Caietani Lugo, & Fabri.

Probatur

12 Quod si afferas, vtique in ratione sacrificij hoc verum esse, at non sub ratione sacramenti. Contra. Ratio sacramenti, & sacrificij in confectione huius sacramenti, licet non sit eadem, non tamen ad inuicem vllo modo segregantur; immo vna, eademque actione conficitur sacramentum, & fit sacrificij oblatio, sin

Instantia reycitur.

minus igitur ea auctoritate conuincitur expreſſe extare præceptum de conſecratione ſub vtraque ſpecie in ratione ſacramenti, ſaltem implicitè; quatenus vna eſt, eademque actio, qua fit vtrumque.

13 Cæterum ex hoc ipſo aſſerto ſequitur Eccleſiam nec vnquam diſpenſaſſe, nec diſpenſare poſſe, vt in vna conſecretur ſpecie. Et hæc appendix euidens eſt; quia in iis, quæ ſunt diuini iuris diſpenſare nequit Eccleſia, eſt autem diuini iuris conſecrationem vtriuſque ſpeciei eſſe neceſſariam ad rationem perfectam ſacrificii, ſin minus ſacramenti, nequit igitur diſpenſare Eccleſia. Maior patet, quia inferior ſuperioris legem diſpenſare non poteſt; immo Doctore Scoto *loco cit.* ſi quid inferior contra ſuperioris legem iubeat, vel inhibeat, non inferioris, ſed ſuperioris legi parendum eſt. Minor de ratione ſacrificii etiam patet, quia ſic Deus inſtituit, eſſetque planè contra diuinam inſtitutionem ſecus agere, immo & contra perfectam ſignificationem ſacrificii cruenti, quod factum fuit profuſione ſanguinis è corpore effuſi, ac ſegregati, vnde conſequenter ſacrificium incruentum illius ſignificatiuum oblationé diſtinctam ſub diuerſis ſpeciebus neceſſario expoſcit.

Appendix

Eius probatio

14 Aies Chriſtum etiam ſub vna ſpecie conſecraſſe poſt reſurrectionem, dum ad Caſtellum Emaus digredientibus Lucæ, & Cleophæ ſub panis ſpecie ſolum ſacramentum diſtribuit, quo tempore patrum aliqui cum Auguſtino *lib. 3. de conſen. euang.* & Theophilacto *in Lucam cap. 24.* probabiliter æſtimant ſacramentum hoc inſtitutum.

Factum Chriſti cũ duobus diſcipulis

15 Reſpondeo, figmentum eſſe purum, quod tunc temporis facta fuerit ſacramenti huius inſtitutio, quod nec per ſomnium ex Auguſtino deducitur, qui tantum ſenſiſſe viſus eſt, tunc verè Chriſtum conſecraſſe, & conſecratione remouiſſe impedimentum in oculis diſcipulorum, cuius etiam ſententiæ Theophilactus fuit; quibus ſi velis ſubſcribere ſentiens ſub vna tantum ſpecie Chriſtum conſecraſſe, dicendum eſt ab vſum fuiſſe Chriſtum poteſtate ſua excellentiæ, vel etiam conſecraſſe calicem, vt moris eſt, quamuis nulla ibi de hoc mentio, quod tamen non refert, quia nec omnia à Chriſto geſta narrata fuiſſe concludit Ioannes *in calce ſui euangelij*.

Quomodo intelligatur ab Auguſtino, & Theophilacto

16 Ego tamen verius putarim, Chriſtum tunc in diuerſorio non verè conſecraſſe, ſed ſimpliciter panem benedixiſſe, nec obuium eſt commentum benedictionem à conſecratione diſtingui; quoniam in vltima cæna, quando Chriſtus Dominus ſacramentum hoc ipſum inſtituit, tres illas actiones, nimirum benedictionis, gratiarum actionis, & conſecrationis memorant, vt inuicem diſtinctas Euangeliſtæ, immo quod ſpectat ad gratiarum actionem, hoc fuit in more Chriſti, vt ante miraculi alicuius patrationem gratias ageret Patri, vt patet in ſuſcitatione Lazari à mortuis; hæc igitur ſatis videtur fuiſſe diſtincta à conſecratione, de qua etiam non eſt laborandum in præſentia, dum ea in facto, de quo petimus, & in benedictione illa panis propè Emauntem non interceſſit, memorata ibi benedictione ſolum, ſed hanc quoque in inſtitutione ſacramenti huius fuiſſe à conſecratione diſtinctam diſertè docet Concilium Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 1.* per hæc verba. *ita enim maiores noſtri apertiſſimè profeſſi ſunt hoc tam admirabile ſacramentum in vltima cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe poſt panis, viniqué benedictionem ſe ſuum ipſius corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem diſertis verbis teſtatus eſt, &c.* quibus apertè ſupponit Concilium poſt benedictionem illam fuiſſe hoc ſacramentum inſtitutum; non fuit igitur tunc conſecratus panis cum benedictus, nam inſtitutio, & conſecratio inſimul ſunt, conſecratio ſubſequuta eſt benedictioné, ſicuti ſubſequuta eſt inſtitutio, ergo benedictio, & conſecratio non eſt eadem actio, cum igitur ſolius benedictionis meminerit Lucas in facto duorum diſcipulorum non abre ducor aſſerere non fuiſſe tunc verè ſacramentum Euchariſtiæ diſtributum Lucæ, & Cleophæ, ſed panem ſolummodò benedictum, in cuius fractione cognitus eſt Redemptor.

Expenſum ob auctore

Probatum ex concilio

17 Nec abre id ſentiet, qui perpenderit dedecere ſatis ſacramento refici corporis Chriſti diſcipulos à fide deuios, ab aliorum contortio profugos, quos non Angelorum viſio relata, nec mulieres à monumento regreſſæ, nec Apoſtoli reſurrectionis nuncij ab infidelitate deducere potuerunt, in qua adhuc morari dũ hæc fierent proteſtati ſunt dicentes, *Nos quidem ſperabamus, &c.* immo nec fortè ſacramenti huius conſcios, cuius inſtitutioni non interfuerunt, niſi duodecim.

18 Aies iterum, de facto Eccleſiam diſpenſare, vt ſub vna ſpecie ſacrificium ipſum offeratur, quia in Paraſceue ſub ſpecie panis tantum ſacrificium Deo offertur abſque calicis conſecratione. Itidemque vrgeri poſſet de Eccleſiæ Græcæ Patribus, qui per totum Quadrag

Obiectio non leuis de Paraſceue.

ſimæ

fimæ tempus ex præconsecratis panis ſpeciebus ſolum ſacrificare conſueuerunt; miſſa vini conſecratione. Nec valet reſponſum Didaci Nugni concedentis factum, ſed addentis hoc ex peculiari diſpenſatione Dei factum, quia hæc diſpenſatio tunc inuenta eſt, cum Nugno fuit opus, quippequam nec Latina eam Eccleſia pro feria illa ſexta Paraſceue, nec Patres Græci pro Quadrageſima memorant vllo pacto, memorare tamen debuiſſent in re tanti ponderis, qualis eſt contra legitimum, & communem ritum ſacrificatio.

Nugni reſponſum exile

19 Sed reſpondeo, feria illa ſexta non proprie fieri ſacrificium, quod implicat eſſe ſine conſecratione ſub vtraque ſpecie, eo autem die nulla fit conſecratio, ſed ſola ſũptio ſacramenti ſub ſpecie panis conſecrati pridie illius diei, hinc Miſſa illo die non dicitur, quidquid dicat *Amalarius* Fortunatus *lib 4 cap* 20. exiſtimans miſſã illam eſſe de more Apoſtolorum, quaſi verò in Miſſis ſuis non ſacrificauerint Apoſtoli, ſed dicitur officium potius, quam ſacrificium. Quod ſi ſacrificii nomen adhus adhibeatur in illo officio ad *Orate fratres*, egregiè docet Suarez *diſp.* 75. *ſect.* 4. nomen ibi *ſacrificij* latè ſumptũ, quod ante prædixerat Durandus *lib.* 4. *cap* 49.

Reſponſio propria

20 Nec refert, quod ſeipſum communicet Sacerdos, quia in alijs etiam caſibus, nedum ob reuerentiam illius diei poſſe ſeipſum ſacerdotem, etſi non celebrantem, nec ſacrificium offerentem communicare ſumendo Euchariſtiam ex Pixide docent Recentiores paſſim cum Suarezio Laymann, Coninchio, & alijs apud Dianam *reſol.* 47. quos ipſe ſequitur.

Obiectum eiuſque ſolutio.

21 Ioannes a Lugo cenſet ſacrificiũ illius feriæ ſextæ eſſe cõplemẽtũ ſacrificij præcedentis diei, illamque ſumptionem pertinere ad ſacrificium illud præcedens; loquitur tamen gratis, & ſine fundamento, quia ſacrificium diei præteriti conſumatum, perfectumque fuit, neque hoſtia reſeruata fuit pars hoſtiæ præcedentis diei, ſed altera ad ſumptionem feria ſexta, non ad ſacrificium reſeruata, & nouũ eſt dictum ſacrificium compleri per duplicem, ſeu binam ſumptionem hoſtiæ, eſt ergo illa de ſumptio ſacramenti, non ſacrificium, quod à conſecratione ſub vtraque ſpecie nuſquam ex diuino ita ſtatuente præcepto diuelli poteſt.

Lugo refellitur

AN MATERIA CONSECRABILIS DEBEAT ESSE PRÆSENS, & QUANTA PRÆSENTIA.



CAPVT II.



22 EXpeti rei conſecrabilis præſentiam indubitatum eſt, ita ipſis à Deo conſecrationis inſtitutæ indicantibus verbis. *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, *&c* quibus pronomina, *hic*, & *hoc* ſatis indicant neceſſitatem præſentiæ rei conſecrabilis; immo ita ipſo Chriſto declarante in inſtitutione, ſecundum quã iuxta Euangeliſtarum enarrationem nouimus Chriſtum panem in manibus, ſimiliter, & calicem ſumpſiſſe, ſumi autem, ac manibus contrectari non poteſt, quod abſens eſt.

Præſentia neceſſaria eſt.

Sola difficultas vrget de quantitate huius præſentiæ, quanta nimirum requiratur rei conſecrabilis præſentia? quoniam autem res admodum moralis eſt, haud nimio labore elucidabitur.

Dubium eſt de quãtitate præſentia

23 Sunt qui ſentiant debere materiam ita eſſe præſentem, vt vel contrectetur, vel contrectari manibus poſſit, ita Petrus à Palude innixus fundamento diuinæ inſtitutionis, in qua Chriſtus proprijs manibus panem ſumpſit, & calcem.

Opinio Paludani

Sunt contra qui putent nullam tantam expeti præſentiam; quia ſacerdos tam bene hoſtiam præſentem ante oculos, quam poſt terga ſua, immo & poſt parietem conſecrare poteſt ita Ioannes Maior *d.* 11. *q.* 2. *art.* 2. eo fundamento nixus; quia ſicuti ſacerdos conſecrare potens aceruum hoſtiarum ita conſecrat, quas ob oculos videt, ac eas, quæ ſub alijs hoſtiis in fundo latentes non videntur, ita hoſtiam conſecrare poſſe dicendus eſt tam ob oculos, quam ob terga collocatam.

Opinio Maioris

24 Hac in re incertitudo ſolum eſt certa apud omnes, mihi vero hæc ſunt certa. Primum, materiam debere eſſe præſentem. Hoc iam ex Dei inſtitutione ſuppono. Secundum præſentiam hanc in

Auctoris mens

tigore

rigore sumendam; quia ita particulæ illæ demonstratiuæ innuunt, hinc si quis vellet, cooperto calice consecrare vinum, vel in capsula hostiam, incerta est consecratio contra Ioannem Lugo, quia particulæ illæ demonstrantes non indicant in rigore, quod nulli sensui obiectum est, quale est vinum in calice cooperto, hostia in capsula, debet enim verborum significatio sensu afficere audientes, nullus autem ex his verbis perciperet consecrationem veram, dū nulla sensui opponitur materia, vino, ac pane occluso.

Contra Lugo.

25 Tertium, nullam firmam de hoc statui regulam posse, in qua morali potius, quam phisico modo incedendum. Est autem certissima regula, opinioni semper probabiliori, & minus laxe inhærendum; qui sit autem probabilior opinandi modus ex ipsa vocum significatione petendum.

Tertium certum.

Hoc igitur vt pateat, obserua pronomen *hoc*, licet suopte ingenio adiectiuū sit, ex rigore loquendi tamen interdum adiectiuè, quandoque quasi substantiuè, seu substantiualiter sumi posse; adiectiuè sumitur, dum suo copulatur substantiuo, vt dicendo, *hoc argentum est egregij ponderis*, *hæc ciuitas nobilissima est*; substantiualiter sumitur, dum in subiecto nulli copulatur substantiuo, sed solitariè ponitur, vt dicendo *hoc est aurum hoc est argentum*. Hac distinctione supposita dicimus quod si pronomina adducta adiectiuè sumantur nō tantā requirunt propinquitatem, quantam expetunt si substantiuè sumantur. Dictum patet ex vsu loquendi, secundum quem, dum aio, *Hæc ciuitas pulchra est*, non tanta præsentialitate indigeo, sicut si dixero *hoc est aurum hoc est argentum*. Ratio est, quia pronomen adiectiuè sūptum ex suo substantiuo diffinitur, & circumscribitur ad rem indicandam, qualem igitur substantiuum, cui inhæret, præsentiam habet, eandem patitur adiectiuum illi copulatum; hinc si ex Polesij monte Ciuitatem inspiciens Asculanam dixero, *Hæc Ciuitas est Asculum mea Patria*, pronomen illud, *hæc* non maiorem exhibebit præsentialitatē ab ea ter mille passuum, quam ipsamet à monte Ciuitas exhibet: si autem substantiuè sumatur pronomen, hoc est, nulli substantiuo copulatum, suspensam nimis, ac indifferentem significationem exhibens maiorem expetit præsentiam, ne veritate nudetur oratio.

Pronomina dupliciter sumi possunt.

Auctor Polesij Patriæ exemplo vtitur.

26 Est autem mox insuper obseruandū cum Recentibus hoc loco, quod si quandoque fiat, vt pronomina illa demonstratiua res admodum distantes significent, hoc non tam ex ipsa verborum significatione euenit, quam ex accidentium discursu, & ex decursis antea verbis, vt sit potius mentalis aliquando, quam sensibilis significatio: exempli studio, si de vrbe disserens, à qua per quingenta milliaria absum, dixero, *Hæc Ciuitas est mundi totius Princeps*, verum dixero, attamen pronomen, *hæc*, ad significandum Vrbem assumptum potius ex ratione præcedentis sermonis, quam ex ipsa pronominis natura vrbem tam longè distantem significabit, secundum quā suapte natura falsa esset locutio, esset enim dicendum potius, quod *illa Vrbs*, quam, quod *hæc Vrbs*. Ratio sumitur ex significato *pronominis*, quod non est aliud, nisi pro alio nomen, *& demostratiui*, quod rem indicat ostendibilem, patefactibilem, demonstrabilem suopte ingenio, scilicet, sensibus obuiam, licet ex defectu subiecti demonstratione vti volentis interdum accidat rem demonstrabilem non demonstrari, vt speculum præsens cæcutienti.

Obseruatio necessaria.

27 Non potest autem hac de re certa regula statui, nisi quod vera sit enunciatio pronominis demonstratiui independenter à præterito colloquio, nutibus, circumstantijs, substantiuo, cui copuletur.

Ex hoc aio, non expeti præsentiā tantam, vt manibus contrectetur materia, quod patet ex ipso pronomine, quod non tam de eo, quod manibus tangitur, quam de eo, quod proxime ante nostrū fertur obtuitum, verificatur.

Assertum præcipuū.

28 Scio aliquos non spernendæ auctoritatis viros doctos niti hanc partem probare ex institutione Christi, qui nec manibus gessit materiam, quam consecrauit, sed factum manibus panem posuisse in mensa, & consecrasse legitur dicēdo *Accipite, & comedite hoc est corpus meum &c.* Pace tamen eorum dixerim; non subscribo; nam Euangelistæ singuli sacramenti huius institutionem memorant, aiunt Christum sumpsisse in manibus, ac dedisse Apostolis dicentem ea verba; verbum autem *dare* circumscriptum ibi ex præterita manus sumptionis circumstantia non tam bene aptatur concessioni panis consecrati in mensa locati, quam adhuc in manibus detenti, vt patet ex rigore vocis.

Aliorum probatio.

Refellitur.

29 Sentio igitur, manibus habentem Christum materiam consecrasse, obinde necessum esse consecrabilem semper materiam

terjam à Sacerdote manibus contrectari, nam singulæ circumstantiæ, quæ in institutione Eucharistiæ adhibitæ sunt, adhibendæ non sunt in confectione huius sacramenti, vt liquet ex ijs, quæ in eo facto acciderunt neutiquam apud nos necessarijs.

30 Aio insuper, præsentiam hanc non esse adeo ampliandam, vt consecrari dicendum sit quodcumque etiam distans, quod oculis cerni potest, vel quod secundum partem cernitur tantum, vel quod opaco corpore interiecto videri nequit. Probo singula. *Assertum aliud.*

Primum, quod scilicet non quodcunque oculorum aspectui obiectum consecrari queat, probatur; quia id non indicant pronomina illa *hoc*, & *hic*, quæ non adiectiuè sed absque adiectiuo modo quasi substantiuo sumpta tantam ad significati veritatem distantiam non patiuntur præcisa consideratione præteriti colloquij, aliarumque circumstantiarum, dum experimentum ipsum absque alia probatione demonstrat rem huiuscemodi speculatiuo potius, quam practico modo esse præsentem. *Probatio.*

31 Secundum, quod nec id, quod secundum partem tantû videtur absens consecrabile sit, ostendo, quia id in rigore minime præsens dicitur; ego enim aquâ in littore maris aspiciens non totam, sed secundum superficiem, & partem tantum non dicor præsentem habere vniuersam maris aquam, similiter philosophare de vino, si de eo fieret lacus, aut stagnum, cum igitur tam vinum, quam aqua corpora sint homogenea, ignota parte consecrata in hac perplexitate nihil diceretur consecratum, quidquid dicat Vasquez d. 117. num. 21. *Alia suasio.*

32 Tertiû denique nimirum, quod materia opaco corpore interiecto videri nô potés, consecrari non potest; suadeo, prænotando interpositionem hanc non debere intelligi per eandem materiam; nam certum est consecrari hostias plures in corporali sitas tam quæ in superiori parte sitæ videri possunt, quam quæ sub alijs hostijs positæ videri non possunt, sed intelligi de corpore opaco consecrationis incapace: hinc vinum cooperto calice, & hostiam capsula inclusam minimè consecrari sentio; quod probatur; quia id non sonat pronomina illa *hic*, & *hoc*, quæ videntur ferri super materiam proximè visibilem, non verò copertâ, nec est maior ratio de hostia in capsula, quàm post parietem; Rigor siquidem significati pronominum illorum ita suadet, & in rebus dubijs tutiori parti adhærendum: hinc Ecclesia tutiorem adhibens partem iubet hostiam manibus sumi, similiter & calicem ablata palla, ac omnino apertum, ne quid supersit ad valorem consecrationis scrupuli. *Tertia corroboratio.*

Atque ex his oppositarum opinionum fundamenta ruunt, nec citeriori indigent oppugnatione.

33 Aies, apud logicos nedum demonstratio ad sensum locum habet, sed demonstratio ad intellectum multo magis, ita pariter demonstratiua pronomina illa iacerunt intellectui, ac imaginationi materiam consecrabilem præsentem demonstrare. Respondeo non esse hoc loco logico more speculandum, dum de sacramentis loquimur, quæ cum sensibilia signa sint materiam habere debent non intellectui, sed sensui obiectam. *Oppositio, & reiectio*

34 Instabis rursum. Accidere potest, vt materia nec visibilis, nec palpabilis cõsecretur, nulla ergo tam coarctata necessaria est præsentia: pateque assumptum nedum de Sacerdote cæco, qualem refert Sotus in Tridentino Concilio ex dispensatione Apostolica consueuisse Tridenti celebrare, sed de Sacerdote non tangente, siue quia non vult, siue quia debilitatus manu non potest materiam attingere. *Alia instantia.*

Respondeo, imprimis fieri transitum à materia visibili, ac tangibili ad ministrum non videntem nec tangentem, qui lapsus est, nos enim hucusque præstitimus ex parte materiæ debere eam esse præsentem, ita vt vel tactui, vel visui obiectum esse queat ea distantia, ac præsentia, quam hucusque tetigimus, instantia autem diuertit ad ministri defectus, de quibus nihil in præsentia; quid mihi enim si minister sit cæcus, vel mancus, dummodo sit materia præsens? instantia ad summum probat ministrum vel non posse simpliciter, vel non posse valide, & licite sacrum facere, qui de re loco suo, certum est in præsentia effingi non posse ministrum sensu tactus carentem, alioquin nec homo esset, nec animal, quod est tale per tactum ex Aristotele 2. de anima. *Eluditur.*

35 Certum est etiam, materiam consecrandam debere ex ministri intentione esse certam, ac diffinitam, alias consecratio nulla: hinc si quis in aceruo hostiarum intenderet consecrare octo tantùm non designando quas consecrare vellet, non consecraret, etiam si intenderet consecrare illas octo, quas Deus vellet; quia ignota Dei diffinitione, & voluntate cir-

cà quas

ea quas deberet consecratio ferri, conse cratio incerta remanens nulla censeretur secus si quis volens consecrare hostiam putans se vnam in manu habere, licet habeat duas; quia censeretur is velle consecrare, quod manu gerit, proinde que consecraret vtramque, sed si praci se vellet vnam tantum consecrare, neu tram consecraret. Vide Recentiores Summistas.

Solutio al terius du bij.

VTRVM MATERIÆ CONsecrabilis quantitas determinata requiratur.

CAPVT III.

36 PEndet hæc dubitatio ex præcedenti; qua cognito debere materiam esse præsentem, ostendum restat, an intra latitudinem aspectus quantacumque materia consecrabilis sit? & quia quantitatis extrema sunt *maximum*, & *minimum*, circa vtrumque potissimè versatur; supponit autem controuersia illius physicæ cognitionem, ac dissolutionem, *an detur maximum, & minimum in entibus naturalibus, & præcipue in homogeneis, & in quantis continuis*, quæ decernere videri potest Scotus *in 2. sent. d. 2. q. 9.* quo loco Scotistæ omnes, & in Physicis Tataretus *lib. 1. cap. 1. q. vnica per totam*, Faber *theor. 35.* Sgemma *dig. 3. q. 5.* Mastrius, & Bellutus *disp. 9. q. 3. art. 1. & dif. 10.* egregie Scoti doctrinam elucidantes, & contra Thomistarum impugnationem vindicantes.

Physica postulatio de maximo, & minimo.

37 Interim pro terminorum notitia supponendum, *maximum*, & *minimum* sicut & cætera superlatiua posse dupliciter exponi, vno modo affirmatiuè, alio modo negatiuè, affirmatiuè *maximum* id dicimus, quod est ita magnum, vt sit quouis alio magno maius, & per oppositum affirmatiuè *minimum* dicimus id, quod est paruum, & quouis alio paruo minus: negatiuè autem *maximum* dicimus, quod est ita magnum, vt nullum sit illo maius, vt ex opposito negatiuè *minimum* id sit, quod paruum ita est, vt non sit eo aliud minus, & hæc distinctio maximi affinis est distinctioni nominis *summi*, quod exposuimus, dum de habituali Christi gratia disceptaremus *tomo nostro de Incarnatione*: & quidẽ in præsentia non vrget difficultas de quantitate circa maximum materiæ consecrabilis; nam, etsi plerique auctores nolint determinatam, ac certam esse rei consecrabilis materiam, non tamen ad maximum, & ad infinitum saltem syncathegorematicè deuentum est, quod dari in magnitudine plerique etiam Nostrates concesserunt.

Maximum & minimũ bifariam sumitur

Quid sit vtrumque

Auctor tomo de Incarnatione

38 Difficultas maior est de minimo; estque res dubia in hostia, seu pane, qui corpus est homogeneum, & vino, quod est pariter homogeneum quantum, hoc est, habet partes eiusdem rationis cum toto, nam sic frustum panis, & vini guttula vinum, ac panis nuncupatur, vt ipse integer panis, ipsum vinum calicem implens, immo dolium.

Difficultas de minimo

39 In hisce autem homogeneis supponimus secundo, non esse dabilem minimam magnitudinem; quia quantacũque data dabilis est minor, quod egregie Nostrates probant; quia vel illa magnitudo, quam minimam statuis, diuisibilis est, vel indiuisibilis, si diuisibilem dicas, iam non minimam dixisti, quia partes, in quas illa secaretur, minores essent ipsa quantitate tota, si indiuisibilem sentias, iam quantitatis rationem destrues, quæ est, vt quantum secari queat: neque forte Nominales in hac parte dissiderent dissidentes tantum, vt patet apud Alexandrum Achillinum *lib. 3. de elementis dub. 1.* Iacobum Zabarellam *lib. de mist. cap. 9.* & alios; quia putant esse deueniendum ad aliquam particulam, quæ vlterius quidem partibilis est, vt quanta, sed non vt res naturalis; quia si diuidatur non potest in ea amplius forma seruari, euntque ad hanc sententiam vi-cti Aristotelico effato *1. phisic.* differente contra Anaxagoram, & statuente dari minimam carnem: decepti sunt tamẽ egregiè, vt Scoti rationes vrgent *in 2. sent. loco citato* præcipuè, quia sicut est essentiale quanto posse diuidi in partes, ita essentiale est, vt singulæ partes, in quas

Minima magnitudo non datur

Achilli-nus, & Zabarella

diui

diuiditur, possint esse hoc aliquid, quia implicat esse partes diuisas quantas, & non sub forma essentiali earum naturaliter, alias naturale accidens quantitatis esse posset sine subiecto: nec Aristotelem perceperunt Nominales, qui argumentatiuè, non assertiuè, disputando, non asserendo contra Anaxagoram ex principijs ab illo cōcessis ad hominē effatus est, vt patet intuenti contextum. Sed hæc missa physicis faciemus eatenus huc lata, vt nominū nō ignorarētur significata.

Supponendum tertio

40 Interim tertio, supponimus paucitatem materiæ, de quo esse dubium poterit dupliciter spectari posse, vno modo vt toti quantitati materiæ coniunctam, cæterisq; eiusdem quantitatis partibus; alio modo, vt seiunctam, & in vtroque significato locum habere quæsitum, an scilicet pars minima consecrari possit seiuncta, an coniuncta saltem; nec est distinctio inepta; quia non pauci rentur in toto non dari minimum, quo non sit alio minus; extra totum vero dari minimum, quo non est aliud minus.

Supponendum 4.

41 Quarto demum loco, supponimus hic non esse sermonem de licentia, vel congruitate, de qua dubitare nefas, cum sit certum neque maximam, neque minimam quantitatem vini, vel panis esse consecrandam, ex quo propter nimium in vtroque extremo excessum paruitatis videlicet, ac magnitudinis idoneitas tolleretur vsus ex parte materiæ, vnde egregiè docet Scotus *Laudabilem esse latinæ Ecclesiæ consuetudinem, qua dispensatur in ea quantitate Eucharistia non tanta, vt recipiatur ad crapulam nec tam modica, vt non sufficiat ad sacramenti eiusdem cultum ac reuerentiam*, vide *dist.* 8. *q.* 3. *sub verbis extremis*, sed sermonem esse de efficacia, & valore.

Opinio prima.

42 Hisce suppositis, fuerunt, qui putarint circa terminum magnitudinis sacerdotem non consecrare materiam tam vini, quam panis, nisi in ea quantitate, qua vtitur Ecclesia, rati sunt enim Sacerdotem teneri in consecratione ritum, ac modum seruare Ecclesiæ, citra quem nulla fit consecratio.

Opinio secunda.

43 Contra alij, nullo termino magnitudinis arctatā consecrandi materiam senserunt, sed dūmodo adsit ministri intentio, & forma, quocūq; magnitudinis termino illa claudatur materies, ratū, ac validum erit sacramentū, vide Ledesmū *q.* 11. *art.* 2. & inter Sūmistas Syluestrū *verbo Euchar.*

Tertia opinio.

44 Medians quodam modo sententiam prosecuti sunt Alensis *q.* 34. *memb.* 1. Sanctus Bonauentura *d.* 10. *art.* 2. *q.* 4. & 10. omnes Maior *d.* 11. *q.* 1. rati certum dari terminum in quātitate consecrabili circa maximum, vltra quem consecratio nulla est; tum quia verba formæ entia finita sunt, & proinde eorum actiuitatis sphæra nequit ad infinitum penè protendi; protenderetur tamen sin minus certus consecrabilis materiæ terminus daretur; tum etiam, quia sacramentum hoc ad fidelium vsum institutum est, ex quo non obscurè educi videtur esse dumtaxat potestatem datam ad consecrandam materiam fidelium vsui solum accommodatam, ex quo eliciunt Sacerdotem consecrare attentantem vniuersum vinum cellæ vinariæ, vel panem clibani forensis, nihil omnino conficere.

Circa terminū paruitatis opinio Maioris.

45 Circa terminum verò quantitatis aliū extremum paruitatis, videlicet, æstimauit Ioannes Maior paulò ante citatus inter minimas quantitatis particulas illas esse dumtaxat consecrabiles, quæ visibiles sunt, vt per ipsum quantitas minima inuisibilis non sit consecrabilis, si verò considerentur partes minimæ vt in toto, cum toto ipso consecrabiles sunt, à quo si accidat segregari minimam partem, licet in ea seruetur panis substantia, si tamen visibilis non sit, desineret esse consecrata, & desineret in ea esse corpus Christi, in qua si deinde reuniretur toti, absque noua consecratione inciperet esse corpus Christi.

Primum pronunciatum pro nostra opinione.

46 Verior, vt nobis videtur opinio hisce pronunciatis aperitur. Primum est minimam materiam, aut maximam consecrabilem non dari ex parte rei ipsamet consecrabilis, cum enim ad perfecti sacramenti rationem materia, forma, & ministri intentio cōueniant, cæteris ex hypotesi conuenientibus maximum, aut minimum ex parte materiæ conuenire nō potest. Hoc effatū elucidandum est alibi; pendet enim ex probatione illius opinionis, quam sequimur, nimirum non dari minimum, aut maximum in homogeneis, neque in continua quantitate, quantam autem esse hostiam, & quantum vinum nemo inficiaretur; sed & nemo negaret tam vinum, quam panem, corpora esse homogenea, & speciem homogeneitatis referre species transubstantiato pane in corpus, & vino in sanguinem, nisi solus Ioannes à Lugo, qui *disp.* 4. *sect.* 6. *num.* 96. inter etherogenea etiam numerat panem; tum quia dantur partes farinæ mixtę cum aliquibus partis aquæ; tum etiam, quia dantur partes furfuris mixtæ cum parte farinæ purioris.

47 Est tamen imaginatio, vt noua ita vo-

luntaria, cum plus expetat ad homogeneitatem, quam ipsa expetat homogeneitas est enim homogeneum, vt diximus, *quod habet partes eiusdem rationis cũ toto*, ita vt singulæ partes nomenclaturam totius patiantur, & rationem, quãuis ad inuicem crassiores interdum sint, aut leuiores, hinc ignis spissior est in continuitate ligni, quam in aere elatus, aqua crassior est alicubi, alicubi leuior, nec obinde ratione homogeneitatis exuunt aqua, & ignis, similiter etherogeneum est, *quod habet partes diuersæ rationis à toto*, & in pane, si ad sint ex hypotesi aliquæ partes farinæ cum aqua non bene actuatæ ab igne, non obinde partes illæ sunt diuersæ rationis à toto pane; quia ex aqua, & farina non bene exhalata humore aqueo commixto cum partibus farinæ remanet pasta, pasta autem à pane specie non differens in modica quantitate iuncta pani non diceretur pars diuersa ratione à toto; quamuis pasta simpliciter, vt dicetur, aliunde habeat, vt non sit materia consecrabilis: & quod de furfure ait, mage voluntarium est, ex farina enim tritici purgata secundum communem purgationem, eo scilicet modo, quo pistores eam purgare solent, vt bene obseruauit Scotus *d. 1 1. q. 6. littera A*, fit panis, neque amplius farina, aut furfur remanet, ita, vt homogeneitatem à pane triticeo secundum etiam aliqualem partem auferat, cum non sit pars notabilis, nec propriam patiens rationem in pane.

Homogeneum quid sit?

Quid etherogeneum.

48 Colligamus igitur, quod, cũ non detur maximum, aut minimum ex parte materiæ, petitio nec ad minimam eius partem, nec ad maximam coartari, aut dilatari respectiue potest proinde ruit postulatio, an dimidia pars minimi posset consecrari, quam prosequuntur Suarez *disp 43. sect. 7.* Lugo, & alij quia si non datur minimum, nec pars dimidia dabitur minimi, immo ex hypotesi pars illa dimidia minimi esset minimum, & non minimum illud esset minimum, cui assignatur pars dimidia, ne idem dicatur minimum, & non minimum, sed hæc viderint ipsi, qui minimum ponunt.

Consectaria dictorum.

49 Secundum effatum est. In magnitudine terminum sumendum non à maximo, sed à præsentia, ita ut tantam possit consecrare sacerdos materiam, quantam habet præsentem modo superiori capite exposito. Huius ratio est, quia potestatis huius consecrandi coartatio non aliunde, quam ab intentione, uel à materia, uel à forma haberi potest, hæc enim tria consecrationem faciunt, sicuti alia sacramenta in vsu posita integrant, at ex materia nulla ratio coarctandi, dũmodo sit panis triticeus, & vinum uitis, nec enim aliud ex parte materiæ memorant Concilia, Florentinum præcipuè; frustra igitur, & ex cerebro materiam hinc coarctationem, uel latitudinem prætolari dixerimus, si dixerimus, ex intentione igitur metienda est mensura, & ex forma, quare posita intentione uolentis consecrare quantamcunque materiam, ex parte intentionis nisi formæ ueritas obsit, consecratio ualida erit, sed certè forma obstabit, ne pro libito Sacerdos consecrare queat materiam quantamlibet, nisi præsentem, non enim uera essent demonstratiua illa pronomina, *Hoc est corpus meum*, si absens esset materia panis, & *Hic est calix sanguinis mei*, si abesset uinum, soli igitur absentia materiæ, quæ falsificat formam, irritat sacramentum, nec obinde mensura rei consecrabilis aliunde, quam à præsentia modo prædeclarato petenda est.

Terminus magnitudinis sumendus a præsentia.

Probatio.

50 Quod enim aiebat Maior, petendum hoc à finitione formæ, debile est, non enim propria agunt uirtute uerba, nec ipsa sacramentorum sensibilia signa, sed ex uirtute, seu pacto assistente Dei secundum quod dispositiones sunt proximæ ad gratiam, seu ad effectum gratuitum, uide Scotum *d. 8. q. 1. in solutione principium.*

Occurritur Maiori.

51 Quod etiam aiebat S. Bonauentura & Alensis, exili fundamento nixum erat, usus enim ad sacramenti integritatem in hoc, quod non est situ in fieri, non facit, alias, ut docet S. Thomas *q. 74* quem Recentiores imitantur, non posset quis ad ueneficia, uel incantationes consecrare, quod utinam non fieret à peruersæ malitiæ Sacerdotibus, nec plures Sacerdos posset consecrare particulas, quam populo distribui sufficientes, quæ falsa sunt: unde colligendum Alensis, ac S. Bonauenturæ fundamentum ruere. Atqui hæc de maximo, nunc superest difficultas de minimo.

Satisfit Alensi, & S. Bonauenturæ

52 Tertium ergo effatum sit, quamlibet minutissimam particulam, dummodo sensibilis sit, posse esse materiam consecrationis in corpus Christi, similiter & quamlibet sensibilem uini guttulam, loquimur autem separatè, idest, de particula separata à tota hostia. Hoc patet ex ipsa ueritate formæ, dummodo enim demonstratiua pronomina ueritatem retineant, ex parte formæ defectus nullus, sed & nullus ex parte intentionis, quia

Quælibet minuta particula sensibilis potest esse materia.

suppo-

suppono Sacerdotem velle consecrare. Solus defectus supponi posset ex parte materiæ; at hæc, vt diximus, non aliud expetit, nisi sensibilitatem, ac præsentiã, præsentiam quidem ad verificandam formam, sensibilitatem ad veritatem materiæ, quæ debet esse panis, ac vinum, quæ sunt res sensibiles, nec sub insensibilitate eorum forma remanet, destructa igitur panis substantia ante consecrationem ob insensibilitatem, similiter & vini, materia consecrabilis destruitur.

53 Hoc tamen adnotarim sensibilitatem hanc non debere esse tantam, vt sit materia sensibilis necessaria ipsi Sacerdoti consecranti, vt sibi persuadet Vasquez; sat enim est esse sensibilem ex se, & alijs, quibus acutior est sensus: vnde colligendum quamlibet particulam sat esse nedum ad retinere Christi corpus, si iam in toto fuerat consecrata, & postmodum à toto seiuncta docente Concilio Tridentino *sess. 13. can. 3.* sub qualibet parte cuiusuis speciei manere Christum totum, sed ad materiam consecrationis, dummodo suopte ingenio sit sensibilis, quamuis interdum ob aliarum conditionum defectum non bene sentiatur; aliud enim est, vt bene notauit Lugo, aliquod obiectum non esse sensibile defectu sensibilitatis, aliud non esse sensibile defectu alicuius conditionis; nam & color visibilis est, nec tamẽ videtur in tenebris: sat est igitur posse immutari sensum, seu esse sensibilem; licet aliquando, hic, & nunc non sentiatur. Atqui hactenus de re mixta ex phisica, & morali, siquidem oppositarum sententiarum falsitas ex dictis apparet.

Adnotatio vtilis



QVÆ SIT SACRAMENTI *Eucharistiæ materia.*



CAP. IV.



54 ORdine præpostero, sed necessario qualitatem, & quantitatem consecrandæ materiæ dimensi ad eius quidditatem descendimus, ad quam nimirum magnam conferunt ipso Philosophorum oraculo cognoscendam partem accidentia: est ergo in hac re certum ex diuina institutione panem, ac vinum materiam esse vtriusque consecrationis, corporis, videlicet, & sanguinis, sic enim Christus Dominus sacramentum instituit primo, vt supra ostendimus, idque fides statuit in Florentino Concilio *in Decreto Eugeniano*, in Tridentino *sess. 13. cap. 1. & can. 1. & seq.* vt alia quam plurima missa faciamus Concilia, quæ refert Suarez *disp. 45. sect. 5.* & tangit Ioannes Lugo *disp. 4. sect. 1.* Mittimus etiam Artotiritarum vsum offerendi panem, & caseum in hoc sacramento, vt responderet oblatio nostra oblationi primorum hominum, quæ fuit de fructibus terræ, & ouium, quasi vero imitari deberemus etiã Cainum frugum oblatorem: similiter & Cataphrigarum, & Pepuzianorum morem miscendi farinam cum infantis sanguine, vt panem aptum ad consecrandum conficerent, quorum errores refert S. Thomas *q. 74. art. 1.* vetularum melius fabulas, quam asserta, sat igitur fide constitutum est, panem, ac vinum materiam esse sacramenti huius. at qui panis, quod, vel quale vinum? Dubitationes effluunt plures, quas iuxta duplicem materiæ partitionem bino prosequeremur articulo, & pro facultate breuiter, dum res admodum moralis est.

Errores varij, eorumque reiectio.



DE PANE, MATERIA *consecrationis Corporis.*



ARTICVLVS I.



Panis nomen vnde deriuatur?

55 Panis vocabulum vel à pascendo, vt putat Nonius deductum, vel à græco nomine *Pan*, quod omne, vel vniuersum significat, apertissimam esse consecrationis materiam inde patet, quod hoc sacramentum verè animum pascens gratia, & omnem habere saporem, & omne delectamentum suauitatis concinit Ecclesia. At quoniam panis appellatione ipsa nō tam frumentaceus, ac triticeus, quam ex cæteris frugum granis compactus panis vocatur, frugum ipsarum seriem, è quibus confici potest panis, apponamus, necessum est.

Fruges, & frumenta differunt.

56 Fruges igitur, & frumenta sunt quasi genera ad species, ex quibus componitur panis, quamuis autem tam fruges, quam frumenta *a frumendo*, hoc est, à vescendo dicantur, est enim frumen summa pars gulæ interior, cuius ope cibi mandi possunt, nos latini fauces appellamus, siue *a fruendo* siue *a ferendo*, dicantur, differunt tamen, quia *fruges* latius patent, quam *frumenta* quippe quæ de omni eo dicantur, quod ex terræ fructibus in alimoniam conuertitur. *frumenta*, autem dicuntur quæcunque aristas emittunt.

Species frumenti variæ.

57 Frumenti autem plures numerantur species, quas Italico etiam sermone exponere non abre erit, multum enim latina appellatio distat ab vsu: sunt verò potiores *auena*, quo etiam nomine appellatur Italice: *far*, seu *adoreum*, Italice, *farro*: *triticum*, Italice, *fromento*, vel *grano*: *lolium*, ita etiam Italice: *milium indicum*, seu *panicum exoticum*, vulgo *grano d'india*, apud alios *melga*: *millium*, ita etiam Italice: *panicum*, ita etiam vulgò: *hordeum*, ita quoque apud Italos: *zea*, vulgò *spelta*: *secale*, Italice *segala*, ò *fecina*: *siligo*, quam Plinius vocat tritici delicias, italice dixerim *grano bianco*, ò *gentilet blatta*, denominatione sumpta à vermiculis rubri coloris, è quibus conficitur purpura, quam Græci *thyphum*, Hispani *Centenum*, aiunt referente Soto *d. 9. art. 3.* eo quod centena in singula grana multiplicentur, Italicè crediderim, *Rossa*, licet Lugo putet *Centenum*, ac *secale*, idem esse. Adsunt alij *Palmulam*, *scandillam*, seu *scandulam*, & alia id genus, quæ vt monet Isidorus *lib. 17. ethimol. cap. 3.* denominationem à re sumunt.

Deriuatio specierū supradictarum.

58 *Auena*, quasi sine vena, quia est solo calamo, ac filijs tritico similis, in reliquo equorum, vel aliorum animantium similium pabulo nata nihil roboris habet: *far*, à ferendo; quia primo latum à terra, vel vt Varroni placet, à frangendo, eo quod initio in pila frangeretur, dictum est autem à vetustis *adoreum* seu *ador*, corrupta voce ab *edor*, ab edendo; quia eo vsu sunt primo homines in sacrificando. *Triticum* à tritura, qua secernitur à paleis, & mola purgatum à furfure reconditur. *Lolium*, gallicè *yurra* ab inebriando. *Millium*, seu nostras, seu Indicum à multitudine granorum; *Panicum* quasi panis vitium, quo plerumque loco panis vesci consueuerunt. *Hordeum*, vel quia ordinatā habet grana in spicis, vel quia ante alia fit aridum. *Zea*, græcum nomen, latinè semen. *Secale* a secando, quod citò crescens, citò secatur. De siligine lis est apud scriptores. S. Thomas *3 p. q. 74. art. 3.* uocat granum, seu frugem natam ex tritico in malis terris seminato; Lugo siliginem uocat frumentum candidum. Isidorus siliginem à selecto deriuat, quod species eius in pane præcipua est. Sotus silog nem etiam sumit pro farinæ flore deceptus similitudine uocis siliginis, & similaginis, utique enim simila, seu similago florem farinæ sonat, siligo non ita. *Blatta* à græco verbo *blapto*, quod sonat *noceo*, quo nomine appellatus est vermis libros rodens; deinde pro purpura; quia Indicum conchylium blatta dictum est. *Palmula* à formæ palmæ. *Scandula* à diuisione, dum enim scanditur, diuiditur. Addunt alij *Alicam* ab alendo.

Siligo. & similago differunt.

59 Hæ sunt frumenti species potiores, an vero intermediæ, an autem vltimæ? dissident scriptores, nec refert in præsentia

id

id scire, nisi de tritico, quod non putarim esse speciem infimam, cum siligo sit tritici species, similiter, & blatta; far quoque speciem tritici reatur Paludanus, & Dominicus Sotus *art. illo 3.* nec non & Lugo, qui far, & Siliginem pro eodem sumpsit, idipsum Suarez sensit. *Aduersantur* tamen Plinio *lib. 18. cap. 8.* vulgatissima faciens frumenti genera, *Zeam, far*, & *triticum* immo Diuo Hieronymo *in expositione cap. 4. Ezechielis Prophetæ* nomine *viciæ*, quæ tanquam distincta species cum frumento hordeo, faba, & lente miscenda erat, far intelligente, vel spelram, vt putet omnino speltam, & far esse frumenti species à tritico distinctas, quo etiam sensu siliginem pro spelta vsurpauit Plinius *loc. cit.* dum illam à tritico fert specie distinctam.

Error Soti, & Lugo.

62 Quoniam vero triticum præ cæteris vsuale magis est, consueuit interdum nomine sui generis appellari. nedum italicè, ita enim Insubres triticum vulgò *fromento* appellant, sed etiam apud scripturas, hinc Deutronomij 8. dicitur. *Dominus Deus introducet te in terram frumenti, hordei, & vinearum &c.* quo loco frumenti voce vniuersum genus appellari non potuit, cum deinde de hordeo, quod est vna species frumenti genericè sumpti fiat mentio. Idipsum clarius Ioann. 12. habet, quo loco seipsum vocat Christus frumenti granum. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c* quod de tritici grano interpretantur Patres. Hoc etiam sensu Cartaginense Concilium tertium altaris panem iubet esse frumentaceum, hoc est ex frumento, frumenti nimirum genus pro specie eius præstantissima, qualis est triticum per anthonomasiam accipiendo.

Triticum nomine sui generis appellatum.

61 Hisce propositis ad nominum captum aio, Panem ex frugibus compactum, quales sunt castaneæ, nuces, ficus, radices, aliaque idgenus ineptam esse materiam ad consecrandum, tum quia nec panis ex his confectus verè vsualis est panis, nec ita instituisse Christum fides docet in Concilio Florentino restringente panis nomen ad triticum tantum, eademque ratione, nec panem ex leguminibus materiam aptam esse dicendum, quia sicut farinæ ex quibus ij panes conflantur, non simpliciter farinæ dicuntur, sed restrictè fabarum, lentium, vel cicerum farinæ, ita nec panes, nisi cum addito fibarum, cicerum: nec ita Christus instituit, sed absolutè cum panis, panis absolutè vt sic appellatione panes veri ex tritico dumtaxat intelligũtur, eademq; ratione nec panis hordeaceus materia apta est, quia est panis solum cum addito, nempe hordeaceus, vt patet apud scripturas, & ipsum vere de panibus ex millio, panico, indico millio, & aliis, qui non simpliciter panes vocantur.

Panis ex frugibus inepta materia.

62 Est autem generalis regula de sacramentorum materia nomen accipiendum in significato germano, & absolutè: hinc dum aquam aio baptismi materiam, naturalem, non artificialem intelligo, quia sola naturalis aqua est aqua sine addito. Artificiales vero aquæ non aquæ absolutè, sed aquæ cum addito, nimirũ rosicæ, florum, &c. & similiter, dum oleum materiam vnctionis extremæ statuo, non oleum amigdalorum, vel nucum, sed oleum naturale oliuarum intelligo, hæ enim sunt vsuales significationes, & sine addito, tam olei, quam aquæ. Idipsum puta de pane, cuius nomen sine addito panibus confectis ex leguminibus, frugibus, millio, faba, panico indico, millio, hordeo non aptatur.

Regula generalis obseruanda.

63 Aio insuper (& hoc asserto articulus elucidatur uniuersus) solum panem triticeum esse idoneam sacramenti huius materiam. Tradidit hoc Eugenius *in Concilio Florentino* bis semel quidem in diffinitionibus fidei paulo post inchoatum Concilium & iterum in decreto pro uniendis *Armenis*, vt non sit multum ad eius elucidationem laborandũ. Probatur ex dictis, tum quia sic Christus instituit, qui panem sumpsisse legitur, panis autem sine addito nomen ad triticeum tantum deriuatur, nec uerisimile est in solemni *Azimorum* die usos fuisse Hæbreos alio pane, quam tritriceo, quo certè consecrauit Christus, cum non fiat de alio, quam de usuali pane mentio in ultima cœna. sique ita Christus instituit, planè necessitas consecrandi in triticeo pane non ex præcepto Ecclesiastico dumtaxat, ut perperam rati sunt aliqui, sed ex diuino dependet. Adsunt ad hanc ueritatem confirmandã mille canonum, ac Patrum testimonia, quæ apud Recentes legenda mitto.

Solum panem triticeum materiam aptam esse statuitur, & probatur.

64 Exque dictis statui regula potest, in quibus frumenti speciebus valida sit consecratio; quia certè nõ nisi in tritico, blatta, & siligine, quia secundum expositionem superiorem primum est triticum vsuale, blatta triticum etiam, sed coloris tendentis ad conchilium, seu purpuram, quod rosiam diximus, siligodi-

Blatta, siligo, & triticum panem aptum sirunt.

go dicit selectum triticum sacramentũ nullum, similiter in spelta, in secale, & alijs, quæ tritici vicium ex columella *lib.2.de re rustica*, quid autem sint Alica, Palmula, Scandula, nomina mihi ignota locum non præbent dijudicandi. Hoc sat est solum, nisi illæ sint veræ species tritici materiam non constituere idoneam consecrationi panis.

65 Adnotasse tamen oportet, & neque triticum commodare materiam hanc idoneam, nisi panis ex eo confectus factus sit ex farina triticea aqua elementari coagulata, seu compacta; quia sic supponitur, panem illum fuisse formatum, quo vsus est Christus, & monet Scotus *d.11.q.6. sub initio*. Hinc cauendus est Caietanus, & plerique alij cum illo arbitrantes etiam ex aqua artificiali, vel lacte conflatum triticeum panem esse idoneam materiam, cauendus est, inquã, quia huiusmodi panis minimè vsualis censetur, & multo minus si saccaro conditus sit, vel alia adhibeat mixta, quorũ mixtionem tam in hac materia horremus, vt nec fermentum in eius institutione patiantur Scholastici, dum in Azimo consecrant; quia in Azimis consecrauit Christus.

Aqua debet esse elementaris.

Contra Caietanum

66 Sed quid, si quis hostiam consecraret admixto cinabrio rubeam, qua nos ad literas obsignandas vtimur? equidem inualidam consecrationem retur Lugo; quia is panis non est vsualis; fortasse tamen color ille ad valorem non officit; quia remanet ipsa panis substantia ante consecrationem, neque videtur color deducere panem ab vsu; quia hic non sumimus vsualem panem pro eo, quo vtimur ad vescendum semper, alioquin fermentatum consecrare deberemus; quia fermentatus est in vsu, sed vsualem dicimus, qui fit ex consueta tritici farina cum aqua naturali, cui admixtum parum coloris nec aquam, nec farinam videtur ab vsuali abducere. Res tamẽ valde dubia est, & tutiori parti studendũ.

Dubium de hostia rubea

67 Dices pro Caietano. Panis ex farina triticea, & aqua artificiali coactus idem specie est cum pane facto ex farina triticea, & aqua naturali, sola enim aquæ diuersitas non mutat panis speciem, tum quia aqua illa ignis calore consumitur; tum etiam quia siqua pars remanet illa minima est, manet enim potissima pars illius mixti, quæ est farina triticea, quæ in suam materiam humorem illum artificialem trahere dicetur.

Oppositio pro Caietano

68 Occurro, quidquid sit de distinctione specifica, vel identitate panis coagmentati ex aqua naturali, vel artificiali, & farina tritici, quæ pertinet ad phisicos, in via Scoti identitatem materiæ specificã nõ esse satis ad idoneitatẽ materiæ consecrationis corporis semper; quia pasta, & panis haud quaquam specie diuersa sunt, cum per coctionem pastæ in furno, vbi fit panis, nihil aliud agat ignis, nisi exhalationem humoris aquei commixti cum ipsis farinæ partibus, quare cum illa mixtio farinæ, & aquæ, quæ fit solum per iuxta positionem, non mutet speciem, nec ipsa exhalatio, vel separatio speciem mutabit, non sunt ergo specie diuersa panis, & pasta, nec tamen pasta est materia idonea ad consecrandum; tum quia noluit Christus institutor in pane, & non in pasta coarctare materiam ad has phisicas disputationes, alioquin esset satis incerta; tum etiã quia pasta vsualis panis non est, & ex hoc habes, quod si panis recens coctus per compressionem digitorum reducatur in pastam, si recedit manifestè à ratione panis vsualis, recedit pariter à ratione materiæ consecrabilis, sin autem à panis vsualis ratione manifestè recedit, nec à ratione materiæ consecrabilis.

Solutio

Ratio varia.

69 Audies hic coniuratas Thomistarum acies contra Scotum declamantes, quod pasta à pane differat specie, ita Caietanus *q 74.art.3.* Sotus *d.9.q.1.art.3.* Suarez *disp.44 sect 2.* & alij, & quidem Caietanus *loc cit.* & non *q. 75. art. 6.* quem ait expunctum Faber *disp.36 cap.1.* perperam tamen; quia nec articulus ille expunctus est, sed redactus ad tertium, nec de hac re ibi Caietanus agere tenebatur fusè, de qua fusè loco à nobis citato loquitur; Caietanus, inquam, panem differre à pasta probat; quia decoctio applicando actiua passiuis speciem facit panis, sicut maturatio vuæ facit de agresta vinum, sola igitur caloris differentia ex parte actiui facit specificum progressum à parte materiæ.

Thomistarum exclamatio

Opinio Caietani, & eius ratio

70 Sotus vero arguit. Etsi non semper actione naturæ mutetur species, attamen quia actiones agentium sunt tantum secundum dispositionem passi, cum massa sit facilis transmutationis, facile per ignem in aliam transit speciem. Quod si dicas (inquit Sotus) pro Scoto, quod mica panis recentis digitorum actione compressa facile redit in pastam; ergo non differunt specie. Consequens falsum est; nam & gelu in aquam diffluit, cum tamen specie differant, falsumque est antecedens, quia numquam mica panis fit pasta.

Ratio Soti

Suarez

Suarij fundamenta.

71 Suarez partim Soti ratione vtitur, partim ex cerebro arguit; quia accidentia, & operationes diuersæ, licet non sit vnũ, vel alterum satis, diuersitatem arguunt essentialem; porro plura esse diuersa accidentia, & operationes in pane, quam in pasta, & è contra, experimentum docet, quo proinde conuincimur diuersitatem eorum specificam inuehere.

72 Si concederemus hæc omnia Aduersarijs, facilior esset instituti nostri probatio, quod scilicet non sit pasta materia idonea ad consecrandum; quia si de quo magis videtur inesse, & non inest, multo inest minus, si minus inesse videtur: at magis videtur dicendum pastam esse idoneam materiam in sententia statuentium pastam à pane non differre, nec tamen est apta; ergo multo minus apta materia est si ponatur specie distincta à pane triticeo.

Solutio rationis Caietani.

73 Soluamus tamen aduersariorum obiecta, quæ Scoti doctrinam elisaciunt: & Caietani quidem discursus voluntarius est assumpta propositione loco maioris falsa, quoniam sicut mixtio hæc farinæ, & aquæ cum sit mixtio per iuxta positionem etiam ex ipso Caietano *art. 7. illius quæstionis* aiente, aquam non esse partem essentialem panis, sed materiam transeuntem, ita & segregatio, vt arguebamus: & falsitas illius propositionis patet ex ipso etiam, qui *articulo 6.* ait pirum crudum à piro cocto non differre, coctio igitur etiam per ipsum non variat speciem. Sed ait Caietanus specificum illum progressum fieri non semper. Vtique (dixero) fiet igitur, quando Caietanus indiget hoc asserere, quod qua libertate fertur, pari reijcitur. At subdit Caiet. *art. 5. q. 7.* (ad quem doctrinã sequentis articuli redigit) forma panis substantia est ante consecrationem, esset autem accidens si non differret à pasta.

Consequens voluntarium est, quia eadem est forma substantialis pastæ, & panis, licet per accidentia solum diuersa: & cum addit maturationem de agresta faciendo vuam facere de agresta vinum. Hoc etiam minus verè dicitur, quia facit maturatio de agresta vuã, sed non facit de agresta vinum, quod fit ex vua, non ex agresta: cæterum quæ sit inter hæc differentia, forte dicemus, dũ de calicis materia loquendum est.

Ratio Soti imbecilla.

74 Soti etiam ratio imbecilla satis est, quoniam hæc transmutabilitas pastæ in panem essentialis non est, sed accidentaria, quia per ignem segregatur solum humor aqueus, qui dum miscebatur, non faciebat essentialem mixtionem, & negatio antecedentis rationis pro Scoto experientiam negat, consequentis vero negatio philosophiæ opponitur gelatam aquam à naturali non distinguenti, vt nos nonnihil, dum de materia baptismi loqueremur, edisseruimus.

Occurritur Suario.

75 Ad Suarez autem dicendum accidentia plura communia, nisi aliunde habeatur specifica rei diuersitatis cognitio, diuersitatem accidentariam dumtaxat ostendere; nam panis recens, albus, calidus non differt à pane non recente, subnigro, frigido essentialiter, si autem alia habet Suarez accidentia magis diuersitatem specificam patefacientia, afferat, & occurremus.

Instantia eius, & solu.

76 Sed (ait) panis virtute caloris vertitur in chilum, en substantialis mutatio caloris virtute; sed numquid calor natiuus ad digestionem conferendus cum calore ignis ad coquendam pastam? Eximat chilum Suarez ab animali, & videat an sit reducibilis in panem, sicut reducitur panis in pastam: en ergo quanta disparitas. Sat igitur ostensum est panem debere esse triticeum, vt sit apta materia, vnde condonandum est Gabrieli Beli *Lect. 35. in canonem* statuenti non esse tutum, ac securum quemcumque scholasticum Doctorem etiam profundæ scientiæ, & acerrimi ingenij determinare, quod panis de spelta aptus nõ sit, quodue necessario expetatur triticeus condonandum est, inquam, quod Florentinũ Concilium non viderit, licet videre potuerit, cum fuerit Concilio posterior, forte autem non vidit, quia adhuc Basiliensi Concilio, ad cuius dissolutionem coactum est Ferrariense, quod postmodum Florentiæ expletum *Florentinum* dictum est, adhæsit.

Corrigitur Gabriel.

Alia petitio.

77 Sed quid si triticus panis aliorum frumentorum grana admixta habeat? Vide Rubricas Missalis statuentes, quod si grana alterius generis admixta in tanta sint quantitate, vt verè panis triticeus non sit, materiam statuunt ineptam.

Postulatio de amido opinio Paludani, & Soti.

78 De hoc ipso pane tritico superest dubium, an eius sit species amidum, sitque ob inde amidum ipsum apta ad consecrandum materia? Quã in re Paludanus *d. 11. q. 1.* affirmat, Sotus verò licet hæsitanter ait, quod licet sub forma amidi non sit amidum apta materies, si tamen illud coagulatum posset in farinam commoli, & commacinari, fierique ex eo panis, forte aptum esset ad consecrandum, tum quia sic videretur esse vsualis panis, tum etiam quia depuratio-

nes,

nes, & præparationes, quæ fiunt circa amidum faciendum ex granis tritici non videntur alterare speciem tritici.

79 Oppositum nihilominus verum est, & traditur à Scoto *loco citato littera A*, Ratio potissima est diuina voluntas, quæ solũ in triticeo pane vsuali consecrandũ iubet, amidum vero non est triticum, sed ex tritico corrupto fit amidum, vt experimento videmus; panis autem corruptus, & triticum corruptum materiam præbere nequit aptam. Cæterum triticum esse corruptum, seu corrumpi, dum fit amidum præter experimentum ratio docet; quia etsi, vt arguebamus contra Suarez diuersitas communium accidentium non arguat diuersitatem essentialem; certè diuersitas proprietatum, & operationum diuersitatem arguit substantiarum, quia operatio sequitur formam, & passiones sequuntur subiecta; cum ergo aliæ sint proprietates, aliæque operationes amidi ab operationibus, & proprietatibus triticei panis, substantialiter differre panem triticeum ab amido conuincitur: hinc labitur Sotus, quia etsi commessari posset amidũ aliquo modo, non tamen ex eo fieret panis triticeus, tritico iamdudum corrupto ob tot aquarum madefactiones, coagulationes, & purgationes, & solis actionem, ac decoctionem; est ergo falsum esse eandem rem amidum, & triticum, cum sit solum triticum corruptũ; porrò triticum corruptum non est triticum, sicut homo mortuus non est homo, sed homo mortuus; ita triticum corruptum, ex quo fit amidum, non est triticum absolutè, sed triticum corruptũ; immò nec verè triticum corruptum potest dici amidum, sed potius ex tritico corrupto. Est etiam falsum purgationes illas non mutare speciem; nam illæ sunt veræ transmutationes; contunditur enim amidum alio modo, quam triticum, marcescit, colatur, & sole calente siccatur; quæ omnia in multiplici transmutatione posita speciem variant, vt patet.

Opposita sententia probatur.

80 Celeberrima de hoc eodem pane triticeo difficultas cribranda remanet. An scilicet de necessitata sacramenti debeat hic panis esse fermentatus, an azimus, de qua diu concertatum fuit inter Græcos, & Latinos, contendentibus ijs necessarium esse in fermentato consecrare, quia sacramentum hoc ante diem azimorum fuit institutum, quod etiam ita fieri congruit, ne dicatur Christus voluisse nos iudaizare in azimis; è contra Latinis conuincentibus in azimo consecrandũ; quia sic Christus instituit, qui prima azimorum die sacramentum hoc struxit.

Difficultas de pane fermentato, & azimo.

81 Hanc tandem controuersiam resecauit Concilium *Florentinum* diffiniens ipsis etiam adstantibus Græcorum Imperatore, ac Patriarchis tam in azimo, quam in fermentato triticeo pane Christi corpus veraciter confici, & præcipiens Sacerdotes in altero ipsum Christi corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ, siue occidentalis, siue orientalis consuetudinẽ; est igitur citra controuersiam omnino hac tempestate vter panis sit de necessitate sacramenti, cum neuter, sitque satis in altero, vel altero conficere.

Diffinitio Concilij Florentini.

82 Concertatum est inter Scholasticos, an saltem alter panis, vel alter sit de necessitate præcepti, Paludanus *loc. cit.* sensit latinis necessarium esse azimum ex præcepto, Græcis liberum hoc, vel illo vti. Gabriel *lect. 43. in canonem* vtrisque tam Græcis scilicet, quam latinis consecrare in azimo necessarium esse ex Ecclesiæ præcepto, aiti suisseque in consimilem sententiam Scotum nostrum *d. 12* dilucidè censet Suarez *disp. 44.* nec forsan immeritoiquia Scotus ibi, postquam auctoritate Anselmi *littera* C, probauit nec azimum, nec fermentatum esse de necessitate sacramenti; quia Græci verè conficiunt in fermentato, sicuti nos latini azimo, Leonisque Pontificis statutum retulit decernentis etiam pro certo tempore, donec Æbionitarum hæresis collaberetur constituens necessum esse Christianis Iudaizare, & Pascha suum in azimo conficere, in fermentato etiam apud latinos conficiendum, qua hæresi collapsa, Latina Ecclesia ad azimos regressa est, docet *de necessitate ministri ad minus in Latina Ecclesia esse hodie conficere in azimo, & forte grauiter peccare Græcos, qui non se conformant Ecclesiæ Petri*. Suarezio antiquior Sotus ne quid non censura cribratum in Scoto relinqueret, idipsum refert, vt ansam arripiat notam aliquam Scoticæ opinioni inurrendi, vt patebit ex dicendis.

Vter panis an vterque sit de præcepto?

Scotus perperam citatus a Suarezio, & Soto.

83 Dicendum igitur de necessitate præcepti Latinæ Ecclesiæ esse conficere in azimo, & de necessitate præcepti orientalis Ecclesiæ esse conficere in fermentato, itaut nec illi, nec isti cõformantes se mori Ecclesiæ propriæ peccent; peccent vero si vel Græcus in azimo, vel latinus in fermentato conficere intendat, quamuis vterque conficiat. Est decretum Concilij

Assertio principalis.

aiij Florentini; quod probationem non exigit, cum præcipue res vrgeat ad historiam, & ad fidei decreta, quæ non est opus probare, neque diutius laborandum in re non ad modum subtilitatem sapiente.

84 Quid ergo pro Scoto nostro dicendum, qui grauiter errare Græcos non se conformantes latinæ Ecclesiæ ait? Faber Scotum excusat, quod centum circiter annis fuerit Concilio Florentino maior, quo tempore res dubia erat. At contra hanc responsionem insurgunt Recentes; quia sin minus Scotus Concilium Florentinum vidit, vidisse debuit Leonis Epistolam ad Michaelem Patriarchã Constantinopolitanum concedentẽ græcis vsum fermentati. Sed quis nam fuerit iste Leo, nec ipsi Recentes indicant, quamuis enim communiter dicatur Leo nonus, hanc tamen Epistolam in actis Põtificis huius non legi.

Scoti apud Recentes censura lu ditur.

85 Vtcumque tamen sit, certum est etiã post Leonem nonum male audiuisse græcos propter vsum fermenti apud latinos, nam Innocentius tertius, qui centum septuaginta annis plus minus minor Leone fuit; hic enim Pontificatum rexit anno 1049 Innocentius tertius regebat anno 1215. circiter; hic autem Innocentius, inquam, morem Græcorum in fermentato conficientium reprehendit, eorum Constantinopolitanam Ecclesiam multarum hæresum subiectum vocans; forte igitur is Leo non sub præcepto græcis vsum illum fermenti permisit; sub qua permissione poterant grauiter peccare, vt Marginistæ Scoti notant, arrogantia circa propriam opinionem persusi.

Post Leonẽ nonum male audiuerunt Græci.

86 Quid, quod nunc etiam grauiter peccare dicuntur, quamuis præceptum habeant de conficiendo in fermentato? quia non vt seruent præceptum Florentini Concilij, sed vt de propria opinione blandiantur, fermentato vtuntur, idque esse verum constat, quia non multis post Concilium illud annis Marco illo Ephesino Duce, qui Concilio præsens obstinatus discessit, Concilio ipsi renunciantes Græci reuersi sunt ad ingenium, & adhuc sub scismate morantur, peccant igitur in fermentato conficientes; non quia fermentatus panis non sit idonea materia, nec quia non sit ab Ecclesia Romana præceptus illius vsus, apud Græcos, sed quia non morem Ecclesiæ latinæ gerentes, sed ob natiuam arrogantiam id faciunt existimantes nos nihil agere in azimo. Atque ita Scoti sensus habendus est; quia græci semper iniurij latinis fuerunt, quod innuit Scotus per illa verba *non conformantes se Ecclesiæ latinæ &c.* plura de hac dubitatione vide apud Recentes, quæ nos, ne rem actam agamus, consultò mittimus.

Quomodo nunc peccent Græci

DE VINO MATERIA CALICIS.



ARTICVLVS II.



87 ET hic articulus non vna dubitatione implicitus est, nos tamen omnia, cum ad mores attineant, vno, vt aiunt, vel altero prosequemur verbo.

Certum est autem primo vinum vitis debere esse materiam sanguinis, hoc statuente Concilio Florentino *locis supra citatis*; immo ipsa Christi institutione, sub qua Apostolos alloquens, *non bibam*, inquit, *amodo de hoc genimine vitis &c.* quibus verbis facile excluditur ab idoneitate materiæ huius vinum pomorum, malorum punicorum, & consimilia vina arte facta, quæ æquiuoca solum appellatione vina appellantur, satque est illa particula, *vitis*, in Christi verbis ad ostendendam in vero vino institutionem factam.

Vinum uitis necessarium ad materiam

88 Rationem congruitatis institutionis habes apud Scotum *d. 11. q. 6* quia sacramentum hoc signum est spiritualis nutritionis, quam ex corporali nutritione metientes videmus principalia nutritionis corporeæ signa esse panem, ac vinum.

Certum est secundo, nihil obstare, si vinum album fuerit, vel rubens, album enim, & rubrum accidentarié solum differunt, licet expressior sanguinis significatio

Album et rubrum uinum sat est

catio in rubro vino sit posita, vsus tamẽ frequentior est albi, vt pararim, nedum ob maiorem copiam, sed ob maiorem mapparum munditiem.

89 Certum est tertio secludi ab idoneitate huius materiæ loram, vulgo *acquato*; ratio est, quia lora vinum non est, sed aqua racemis expressis infusa, trahens solum aliqualem vini colorem, vel saporem; cæterum cum potissima pars aqua sit, materia esse non potest.

Lora reijcitur.

Certum est quarto acetum, & agrestum (aio agrestum, quod est ille liquor è racemis immaturis expressus, nõ agrestum, quæ est vua immatura) non posse idoneam esse materiam. Hoc patet quia vtrũq; specie distinguitur à vino, quod planè nos ex ipsis proprietatibus, ac affectionibus metimur, quæ sunt indices, immò indiuiduæ comites substantiarum, constat autem acetum, & agrestum esse à tota specie frigida, vinũ autem à tota specie calidum, diximus notanter à tota specie, quia non accidentarium calorem, aut frigus, sed caliditatem internam, ac frigiditatem natalem attendimus, quæ sunt affectiones, non accidentia.

Acetum, & Agrestum non sunt materia.

90 Certum est quinto mustum posse subire idoneitatem materiæ huius quamuis Recentes aliqui dubitent. Ratio est, quia mustum vinum est, & cum vini appellatione confunditur, vnde in Actibus Apostolorum cap. 2. discipuli musto pleni dicti sunt, hoc est, vino, quod etiam facit Ecclesia in hymno Pentecostes *Musto madere deputant*, & e contra Hieremiæ cap. 48. mustum nomine vini exprimitur, dum dicitur, *Vinum de torcularibus sustuli*, & Prouerb. 7. *Vino torcularia tua redundabunt &c.* certum est autem mustum afferri, & redundare in torcularibus, non vinum in rigore. Habetur etiam textus *in cap. cum te &c. de consecr. d. 2.* permittens in casu necessitatis mustum pro vino, permitti autem nõ possét, nisi posset esse materia idonea.

Mustum est aptum.

91 Certum est denique vuam quantumuis maturam materiam idoneam esse nõ posse. Conueniunt omnes, sed in ratione differunt. Sotus inter alia veretur concedere mustum expressum ab vuis differre specie à musto in ipsis maturis vuis concepto, & obinde mustum posse esse materiam, vuam minimè. Sed est ratio leuis, quia ad educendum mustum à racemis sola compressio intercedit, ob quam vua diuisa effluit liquor ad instar sanguinis, qui est idem in venis, ac secta venis; non ergo est species distincta formaliter in musto impresso in vuis, & expresso ex vuis. Lugo ait id non posse fieri, quia mustum in vuis non potest sufficienter explicari per pronomen *hic*, quia ibi non apparent accidentia musti, sed vuæ. Sed est sibi ipsi contrarius hic auctor, qui *sect. 7. eiusdem disp. 4. num.* 123. pro certo supponit, uinum in calice cooperto, & hostias in capsula inclusas, ex eo, quod sufficienter demonstratur contentum per proximum continens, consecrari posse, constat autem uuã proximè continere mustum.

Vua ad consecrandum inepta.

Ratio Scoti debilis.

Ratio Lugo reuerberatur.

92 Ratio Scoti plausibilis est Suario, & Vasquio; quam etiam S. Thomas innuexit, non posse, scilicet, consecrari uuas; quia uua habet magis rationem comestibilis, quam potabilis.

Ratio Scoti vera.

Sed occurrit Lugo, rationem hanc esse inefficacem, quia si speciebus uini cõsecrati madefiat placenta panis, vel offa, tunc procul dubio species illæ uini inclusæ subeunt potius rationem cibi, quã potus, remanente tamen consecratione in illis speciebus.

Oppositio Lugo.

93 Oppositio tamen leuis, cum sit alia ratio de speciebus consecratis, & consecrandis, nam plures uiri docti in materia imperceptibili remanere putãt Christi corpus; quod tamen uerentur concedere fieri in quauis minutissima particula.

Leuis.

Præterea, nec concederetur species illas in casu subire rationem cibi absolutè, quia non esset uera mixtio, in qua necessum est corrumpi miscibilia, & fieri tertium mixtum, sed esset mixtio per iuxta positionem, in qua partes miscibiles suum esse retinent, & quamuis in casu non uerè biberetur uinum, esset suopte ingenio potabile, & non sub ratione cibi, sed cum cibo de facto traijceretur in stomacum, essetque diuersitas in simili, quia uua est continens mustum, non ut mixtum mixtum, sed species uini dicerentur impropriè contineri ab offa, cum dicendæ essent potius mixtæ mixtione imperfecta cum pane.

94 Sed & ipse Lugo in hoc est sibi ipsi contrarius, quia *num.* 12. sustinet uinum imbibitum in offa panis non posse consecrari, quamuis antea consecratum si imbibatur ab offa retineat consecrationem, estque diuersitatis ratio; quia ad consecrandum expetitur ueritas significati pronominis *hic*, uel *hoc*, consecratione autem peracta significatio illa per pronomina non est vlterius necessaria; est ergo ratio Scoti valida, & gratis oppugnata.

Lugo sibi contradicit.

97 Remanet dubitatio de gelu, seu vino gelu contracto, de quo iuxta prætactam doctrinam videtur mihi satis dubium conflari materiam, nec loquor de vino sub initio gelationis, dum scilicet incipit, vt Scoticis vtar verbis *dist. 3. q. 3. litera* F, inspissari; quia in hoc consecrare nil prohibet; sed neque loquor de ea glacie, quæ duxit vinum extra spheram; quia in hac consecrationē nullam etiam patet; quia iam vinum extra uini spheram intelligitur deductum; sed loquor de uino toto in glaciem contracto, quod per calorem externum dissolui potest, atque in eo dubiam esse materiam quā uis Recentiores cum *Lugo* non uereātur idoneitatem in illo agnoscere.

Dubium de gelu resoluitur incipiter.

98 Ducor ad id ex ratione *Scoti*; quia glaciatum uinum non est proxime potabile; non significaret igitur spiritualem potum sub illa glacie, illoque gelu; nec refert quod si congelatur species post consecrationem remaneat in eis Christi sanguis ex *Rubricis Missalis* obinde statuentis adhibenda lintea calida, uel etiā aquam calidam extra calicem ad dissoluendum gelu à speciebus, adhoc ut sumantur; quia, ut diximus, ad consecrandum plus exigitur, quam ad remanendam consecratam speciem, quare cum pronomina illa non uideantur rectè demonstrare gelato uino, nec uidetur uinum gelatum certa materia, quo post consecrationem gelu obducto nihil prohibet, ut dixi consecrationem manere.

Ratio dicti

99 Nec audiendus est Diana *tract. 6 misc. resol* 100. post Filliuccium Laiman, Coninch, & alios constituens vinum per congelationem non corrumpi substantialiter, quia, quidquid sit de hoc, idoneitas etiam speciei non facit idoneitatem materiæ, si sola species spectetur, nam ex nostra sententia panis, & pasta non differunt specie, nihilotamen minus pasta nequit esse materia corporis, quia nec sic Christus instituit, nec est pasta vsualis panis; ita philosophare de vino gelu contracto, quia nec sic instituit Christus, nec usualis est potus gelu; unde quidquid ille dicat, potabilitas remota non sufficit. Porrò nobiscum sunt Alanus *lib. 1. de Eucharistia cap.* 11. Nugnus *3. p. tom. 1 q. 74. art. 5.* & plerique alij. Estque in hac re generalis regula in hisce moralibus non esse nimium disceptationi uacandum, ne rem certam, ad incertam trahamus.

Reijcitur Diana.

110 Altercatio grandior circa hunc calicis materiam uerti potest de aqua quę apponitur uino in oblatione, quam apponendam esse contra Nouatores Hæreticos ex antiqua totius Ecclesiæ consuetudine pluribus probant Recentes cum Suario, & Vasquio, illo quidem *disp. 45 sect. 2.* hoc autem *disp. 176. cap. 1.* qui & mixtionis huius rationes afferunt uarias, Scotus autem noster congruentiam sumit *ex cap. omne de cons. d. 2.* ut scilicet significetur populus Christo uniri, est, inquam, grandis altercatio de hac aquæ mixtione, num scilicet sit de necessitate sacramenti, an uero de necessitate præcepti, & si de necessitate præcepti, num quid Ecclesiastici, an diuini? & quidem esse mixtionem hanc de necessitate sacramenti uidebitur cuipiam, quia sic Christus instituit, vt non merum, sed lymphatum vinum consecrauerit, vt docet Damascenus *lib. 4. cap. 5. calicem* (inquiens) *Christus tradidit ex vino & aqua discipulis suis.* sic etiam plerique Patres fatentur; quia alias significatio ipsa tolli videtur, quo argumento vsus est Cyprianus *epist. 63. ad Cecilium*, vbi postquam docuit vinum solum offerri non posse, subdit: *Nam si vinum solum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine Christo, hoc est, sine Christiano populo*, vt interpretatur Pamelius.

Altercatio alia.

De aqua miscenda vino.

Num de necessitate sacramenti, an præcepti.

101 Nihilo tamen minus opposita sententia constituens aquam non esse de sacramenti huius integritate argumento sunt Græci ipsimet, quos conficere nemo negant, ij tamen aquam in mysterio non adhibent; quod etsi quidam ludentes ob id bibulos vocent cum Mairono *d. 13. q. 3.* non tamen ausi sunt inficiari, quod conficiant.

Opinio verior.

102 Scotus alio ex capite id probat; quia aqua illa, quæ miscetur non transit in sanguinem sed in vinum, quod solum in sanguinem transumstantiatur; hinc monet modicum aquæ apponendum, & tam tempestiuè, vt statim conuertatur in vinum; immò *Maironus* Scoti assecla *loc. cit.* tutius arbitratur apponere vinū, & aquam in principio missæ, vt illa conuersio aquæ in vinum securius fiat, & Sotus *d. 9. q. 1. art. 6. concl. 7.* plurimum ordini suo blanditur, secundum cuius constitutionem ante introitum missæ celebrantes vinum apponūt, & aquam in calice, vt maius suppetat temporis aquæ transeundi in vinum.

Ratio Scoti.

Ratio Maironi.

103 Hæc tamen ratio dubium aliud petit de conuersione aquæ in vinum, de quo seiunctim agendum infra, & hanc tantam cautelam Concilium Florentinū non indicat, dum ait, ante consecrationē aquam modicissimam esse adhibendam;

nec ipsa latina Ecclesia Missali Romano utens prius aquam uino admiscet, quam oblata hostia, & oblatura calicem; cur autem secus agant ex dispensatione Apostolica Fratres Prædicatores, Carmelitæ, & alij non est præsentis instituti disquirere, cum priuilegia à uoluntate largientis metienda sint.

Aquæ mixtio non est de necessitate sacramenti

104 Asseret igitur, aquæ mixtionem non esse de necessitate sacramenti, quia Græci non adhibentes aquam uerè conficiunt, nec officit institutio Christi, quam etiam indicat Concilium Florentinum aiens, *quoniam testimonia Patrum indicāt Christum ipsum credi instituisse hoc sacramentum in vino, & aqua*; non obest, inquam; nam singulæ circumstantiæ à Christo in sacramenti huius institutione adhibitæ adhiberi non debent, sed sat est materiam adhibere, formam, & intentionem habere conficiendi; materia autem calicis exponitur uinum ab Euangelistis dicentibus *Non bibam amodo de hoc genimine vitis &c.* siue ergo merū sit, siue parūper lymphatū, dūmodo sit uinum uitis, materia apta censebitur.

Cyprianus in oppositū citatus.

105 Nec Cyprianus oppositum sensit, qui eo loquendi genere indicauit, solum tolli significationem unionis populi cum Christo, nisi misceatur aqua; immò consecrationem ualere indicauit apertè dicens, *quod sanguis Christi incipit esse, &c.* Si ergo incipit esse, iam consecratio lata est super idoneam materiam, sed si sine aqua, incipit esse sanguis sine populi Christiani unione ad Christum, quod in casu concedendum esset, sed hæc significatio per uini, & aquæ mixtionem non spectat ad sacramenti huius integritatem, cuius significatio est Christi sanguinis, & corporis præsentialitas, & effectus gratiæ.

Quid re uera Cyprianus sentiat

106 Et quidem procurrenda sunt oculatim Sanctorum Patrum testimonia, nec standum aliorum testimonio, interdum enim mutilata ferūtur. Vidi in fonte epistolam Cypriani, quæ est 2. libri 3. in ordine, nec uerba illa allata superius ex Recentiorum testimonio sincerè feruntur, ait enim Cyprianus postquā fusè contra Aquarios, hoc est, oblatores tantum aquæ in sacrificio missæ sese inuexit, & oblationis uini necessitatem ex scripturis, figuris, & diuina institutione probauit, miscendam esse utique aquam iuxta illud Prouerb. 9 *bibite vinum, quod miscui vobis &c.* non enim mixtum diceretur uinum, si esset merum, & ex inde habet hæc post multa, *Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest, nam si vinum tantum quis offerat sanguis Christi incipit esse sine nobis* (non sine Christo, ut ferebatur, in quo propterea petenda erat glosa Pamelij) *si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.* Hæc ille, quibus non necessitatem sacramenti, aut integritatem, sed ueritatem significationis unitionis Christi cum Ecclesia, uel Ecclesiæ cum Christo ex uino sine aqua, & ex aqua sine uino oblata deficere notat.

Verba Cypriani expensa.

Aliud eiusdem testimonium

107 Maius habent difficultatis sequentia Cypriani verba hæc, *sic vero calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum nisi utrumq; sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola nisi utrumq; adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum*, sed & hîc loquutum Cyprianum non de integritate sacramenti, sed de veritate signi vnionis Christi cum Ecclesia, declarant verba, quæ subsequuntur. *Quo & ipso sacramento populus noster ostenditur adunatus, vt quemadmodum grana multa in vnum collecta, & commolita & commixta vnum panem faciunt, sic in Christo, qui est panis, vnum sciemus esse corpus, cui coniunctus sit noster numerus, &c.* Non ergo plus probant Cypriani verba, quàm quod tulimus, vnde nec ijs conuincimur asserere aquam esse de integritate sacramenti, licet sit ad veritatem significationis adducta, & ad repræsentationem sanguinis, & aquæ, quæ ex Christi latere fluxerunt, vt Alexander Papa censuit, & Florentina Synodus tradidit in decreto Eugeniano § *tertium*, &c. quarum significationum neutra est de essentia sacramenti, vt diximus; sat est igitur dicere mixtionem aquæ esse de præcepto. Sed numquid Ecclesiastico, an diuino? Scotus noster *d. 11. q 6. in solut. 2. quæst.* ait, mixtionem hāc esse necessariam saltē de necessitate ministri propter præceptum Ecclesiæ, quibus haud dubiè ecclesiastico præcepto necessitatem huius mixtionis innuexit, verum subsequentibus verbis, quæ sunt, *& etiam Christus vinum, cum quo fuit aqua mixta, consecrauit iuxta illud Damasceni, &c.* diuinum videtur ad hanc mixtionem præceptum agnoscere.

Exponitur

Scoti auctoritas in oppositum

108 Hisce tamen verbis, vt vides, non præceptum à Christo, sed Christi factū explicat Scotus; Porrò non omnia à Christo gesta in huius institutione sacramenti esse de diuino præcepto alibi diximus; sic igitur Christus sacramentum istud instituit, vt vinum aqua permix,

Declarat.

cum

tum consecrauerit, siue aquam commiscuerit paulo antequam consecrationem faceret, siue vsuale vinum consecrauerit, quod ante limphatū fuisse piè creditur propter eximiam Christi sobrietatem, hoc parum refert, planè scire refert, sic faciendum esse, vt ait Alexand. Papa 1. *epist. 1. ad vniuersos orthodoxos*, quæ habetur *primo tomo Conciliorum* his verbis, *non debet, vt à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua solum offerri*.

Alexandri Papæ verba explicita.

109 Hæc ille, quibus duo inculcat, alterum ita esse agendum, alterum ita se à Patribus accepisse; constat autem nullū Patrum præcessisse Alexandrum primū, vnum excipe Dionysium, qui suppar Apostolorum fuit, vixisse enim Alexander dicitur sub Traiano principe centesimo circiter à Christi nece anno; Patrum igitur nomine Apostolos non solum Dionysium intellexit, dum non à Patre aliquo, sed à Patribus id accepisse profitetur.

Tempus Pontificat. Alexandri.

110 Porrò Alexandrum vixisse sub Traiano patet ex lib. pont. Damasi Papæ ex Eusebio *lib. 4. Ecclesi. hyst. cap. 4.* Mariano Scoto, & alijs, qui Alexandri Pontificatum, & martyrium sub Traiano constituunt Adriani prædecessore; patet etiam ex 1. *tomo Conciliorum pag. mihi* 70. & apud Carranzam in *summa conciliorum pag.* 14. Ecclesia tamen in vita huius pontificis, vt patet ex 9. lect. festi inuentionis Crucis 3. Maij sequitur Baronium, qui in annalibus ad annum Christi 121. secundo Adriani anno Pontificatum Alexandri auspicatur, quem etiam imitatur Tursellinus *in epitome lib. 4.* & ante hos statuerat Sotus *d. 9. q. 1. art. 6.* qui etiam ex Armacano *lib. 9. cap. 9.* statuit hunc ritum miscendi aquam cum vino accepisse Alexandrum à Ioanne Euangelista, quem Patrum nomine designauit Alexander, qui trigesimo quarto anno post Ioannis Euangelistæ obitum Pontificatum gessit.

Error Soti

111 Quidquid autem de cæteris sit, in hoc labitur Sotus, qui 13. annos Ioannis ademit vitæ, si enim vt patet apud Baronium *loco cit.* & colligitur ex Diuo Hieronymo *lib. de scripti. ecclesiasticis* sub initio principatus Traiani decessit 20. circiter ante Alexādri pontificatum anno. Porrò ex allata Alexandri epistola liquet morem miscendi aquam vino in hoc sacramento non ex diuina, sed ex Patrum doctrina manasse, patetque dilucide magis ex Concilio Tridentino *sess. 22. de sacrificio missæ cap. 7* per hæc verba *monet deinde Sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miscerent, &c* cuius etiam præcepti rationes reddit.

112 Nec plane diuinum huiusmodi præceptum si afforet subticuisset Eugenius in Concilio Florentino instruendo Armenos, qua etiam institutione causas mixtionis aquæ cum vino memorat; dumque mixtionem aquæ faciendam docet, vtitur verbo *debet*, quod obligationem præcepti quidem insinuat, sed non strictam obligationem respicientē diuina mandata. Solum obsistere possent Iulij primi Pont. auctoritas relata *in cap. cum omne de consecr. d. 2.* & Cypriani martyris, nec non & Iustini placitum, huius quidem *Apol. 2.* illius vero *epist. supra citata*; qui non obscurè indicant diuinam esse traditionem mixtionem hanc aquæ, & vini; sed interpretationem patiuntur æquam dicendo vsurpasse traditionem pro exemplo, quia sic Christus egisse creditur; ideo ansam arripuit Ecclesia mixtionem præcipiendi. Nec valet replica Lugo *disp. 4. sect. 2. num. 33.* quod Christus etiam consecrauit in azimo, cui se conformat Ecclesia latina; nec tamen consecratio in azimo appellatur traditio Christi. Non valet (inquam) tum quia nihil prohibet appellari etiam hanc consuetudinem latinæ Ecclesiæ Christi traditionē .i. ad exemplum Christi, cui propterea de præcepto est, vt se latini conformēt, licet non sit de præcepto Græcis; tum etiam, quia conformitatis ad Christi exemplum in hac mixtione præceptum datum rationes habet congruitatis plures, quas Eugenius etiam enumerat decreto suo.

Iulij Pap. auctoritas Cypriani & Iustini.

Interpretatur.

Replica Lugo

Nulla

113 *Miscuit ergo Christus* vino consecrando aquam, sed miscendam non præcepit; præcepit autem Ecclesia ab Apostolis edocta de congruentiis mixtionis huiusce, & pro tanto Dominicum mandatum dici potest hæc mixtio, quatenus etiam Ecclesia per Alexandrum primū præcepit edocta ita egisse Christum, atque ita congruè agendum; præcepto igitur ecclesiastico in Apostolica monitione, & rationibus fundato aliquando dici potest mixtio ex diuino præcepto latè scilicet manasse,

Confectarium

114 Sed quænam aqua adhibenda est? Sanctus Thomas non referre ait, an aqua naturalis admisceatur, an artefacta florum, rosarum, ac similium. Hoc autem

Petitio de qualitate aquæ

tem

tem intelligē verum esse de integritate sacramenti ad aquam vtique qualis ad hibeatur aqua non refert, quia scilicet, nulla aqua ad eius integritatem spectat, cæterum cum aquæ mixtio ad necessitatem præcepti deuoluta sit, ad eandem deuoluenda est naturalis aquæ necessitas, itaut mortaliter peccent admiscētes vino artefactas aquas.

Placitum Lugo & Suarez.

115 Hanc partem Suarez, & Lugo probatam supponunt *ex lib. decretalium cap. 8. de celebrat. missarum*, cui titulus est, *In Quadam*, &c. gratis tamen, me arbitrio, quia non hoc præstat caput illud, quo solum probatur ab Innocentio è Christi latere non flegma, vt opinabantur aliqui, sed aquam fluxisse ad indicandam sacramenti baptismatis materiam, cæterum, etsi aliqua fiat huius sacramenti mentio, ne uerbum certé aliquod de aqua naturali uino miscenda. Est ergo potissima ratio, præter diuinam institutionem, secundum quam incredibile est Christum uinum alia aqua à naturali mixtum consecrasse, quia aliæ aquæ aquæ simpliciter non sunt, sed cum addito solum, scilicet, rosacea, florum, & similes, vt supra de materia panis dicebamus; non sunt igitur aptæ aliæ aquæ ad mixtionem cū vino; quia non simpliciter aquæ.

Ratio potior.

Dubium de aquæ quantitate

116 Sed & alia superest dubitatio de quantitate aquæ miscendæ. Enim vero canon. 19. Concilij Triburiensis ita loquitur. *Non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum; quia vtrumque ex latere eius profluxit, sed sic, vt duæ partes sint vini, tertia vero aquæ: quia maior est maiestas sanguinis Domini, quam fragilitas populi, qui per aquam designatur &c.* Hæc ibi, cui obstat Decretum, seu doctrina Concilij Florentini in Decreto Eugenij decernentis modicissimā aquā esse permiscendam, nota nomen superlatiuum *modicissimam*, quo non solum tertia pars, sed quinta, & sexta, quæ arridet Lugo, profligatur; tertia igitur aquæ pars omnino est inepta, quinta, & sexta non admodum secura, Suarez, & Vasquez, vt suam exonerent conscientiam, Sacerdotis arbitrium onerant: non est tamen simplicis Sacerdotis arbitrio standum in re tam graui, sed statuendum tam modicam adhibēdam in mixtione aquam præceptore Scoto *loco citato*, quæ modico temporis interuallo, quod fluit ab oblatione vsque ad consecrationem in vinū conuerti queat. Et vinum quoad fieri potest validius adhibendum, vt citior in illud fiat aquæ conuersio, neque de Concilio Triburiense curandum, quod generale non fuit.

Placita varia Recentium.

Dubitatio celebris de conuersione aquæ in vinum

117 Sed hic graue ingruit dubium, an aqua vino mixta conuertatur in vinum, an vero in Christi sanguinem immediatē? Hæc petitio ante hoc sæculum difficultate vacabat, hoc sæculo controuersiam habet per grandem; edidit enim Paulus Aresius Dortonensis Episcopus ex Clericis Regularibus assumptus inter primos peculiare de hac re opus, quo nouæ sententiæ propugnator effectus astruit aquam non conuerti, nec conuerti posse in vinum, sed immediatè in Christi sanguinem, & *lib. 1. de generat. cap. 10. q. 82. sect. 2.* nunquam aquam naturaliter in vini substantiam conuerti posse latissimè probat. Eum secuti sunt postea Laiman, Coninch, Scortia, Propositus Lugo, & alij apud eundem *disp. 4. sect. 4.* & apud Dianam *tract. 4 de sacramentis resol. 49.* Contra vero Recentiores alij exclamant non esse ab Antiquorum Theologorum placito recedendū constituente aquam debere prius conuerti in vinum, ita enim senserunt præcipuè Scholasticorum capita Scotus *d. 11. q. 6 ad 2. quæst. littera B* S. Thomas *3. p. q. 74. art. 4.* Alensis *4 p. q. 32. num. 4. art. 2. & 7.* S. Bonauentura *d. 11. 2 part. dist. art. 1. q. 3.* Paludanus, Durandus, Gabriel, & Antiquiores omnes, quos egregiè præpugnant Recentiores, noster Pitigianus *in 4. d. 11. q. 7. dub. 5.* & Suarez, Vasquez, Nugnus Fernandez, & alij apud Dianā *loc. cit.* & omnium fusius Hyacinthus Petronius Episcopus Melphitensis *opusculo peculiari de præconuersionis aquæ in vinum necessitate cap. 12.* Ego hac in re non arbitror recedendum à recepta per tot sæcula vetustiorum Theologorum sententia, à qua de propria nimium sibi blandientes mentis acie iniuria deuiant Recentes nulli valido fundamento innixi.

Aresij opinio.

Laiman, Coninch, Scortia, Præpositus, Lugo, Diana.

Opinio Scoti, S. Thomæ, Alensis S. Bonauenturæ, & aliorum.

118 Ratio autem non discedendi à communiori sententia præstat; quia mixtio aquæ cum vino ad Ecclesiæ præceptū attinet, non ad diuinum quidquid sit an Christus verè merum, an lymphatum consecrauerit vinum, sed si aqua immediatè transiret in sanguinem apta vtique esset cōsecrationis materia; quod enim ineptum est ad materiam transire non potest, ipsaque proinde Ecclesia materiam sacramenti huius statuere potuisset: quod quam falsum sit, patet facile ex ea disputatione potissimum, qua probauimus non esse in Ecclesiæ potestate

Ratio pro ea.

state

state positam variationem, aut structionem materiæ, & formæ sacramentorum.

Alia ratio

119 Adde materiam, partemque materiæ sacramenti cuiusuis à diuino manasse præcepto; Deus enim sacramentorũ structor partes sacramenti cuiusque statuendo præscripsit, & præscribendo mandauit; aquam autem vino miscendam nec ipsi Aduersantes arbitrantur præceptum esse diuinum.

Alia rursum.

Adde, quod si aqua nondum in vinũ conuersa secundum suam formam transire posset in sanguinem, etiam sine vini adiunctione transire posset, quod falsissimum esse docuerit Cyprianus *epistola toties citata*. & sequela patet; quia vini comitatus, seu coniunctio quid amplius aquæ confert, vt transeat in sanguinẽ, quam à vino segregatio? certè, vel aqua consecrabilis est immediatè in sanguinẽ, vel non est consecrabilis, si primum vini sociatio nihil vltra faciet, nisi quod sit conuertibilis; si secundum, non ergo etiamsi vino iungatur non mixta conuertibilis erit, ratio autem conuertibilitatis huiusce non ex societate, sed ex Deo statuente materiam dimanat, diuina autem institutio nusquam aquæ materiam struxit, sed vini, iuxta illud toties citatum. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*; proinde Concilium Florentinum docuit materiam sacramenti huius esse panem triticeum, & vinum de vite, nusquam vero dixit aquam esse materiam, sed misceri debere modicissimam aquã vino ob triplicem illam rationem, quam prosequitur; vnde arguere licet, quod non est de necessitate sacramenti, non est materia sacramenti, aqua non est de necessitate sacramenti etiam ex Concilio, ergo nec est materia eius sacramenti. Minorem nec ipsi negant Aduersarij.

120 Maior autem negari non potest, cum ab ipsis etiam materia constituatur pars interne struens sacramentum per idemque Concilium statutum est confici sacramentum ex materia, forma, & intentione, quæ omnia tam necessaria sunt, vt vno deficiente, deficiat sacramentum necesse sit, si ergo aqua de sacramenti huius necessitate non est, planè materia non est.

Confirmatio ex cathechismo.

Quid, quod Cathechismus ad Parochos Pij V. iussu editus *Catholicorum sententiam ait, aquam ante consecrationem conuerti in vinum?* At respondet Lugo, auctores illius Cathechismi fuisse illius sententiæ, vel conuersionem latè sumpsisse pro denominatione vini prædominantis in illo composito.

Lugo responsio reiecta.

121 Libertatem responsionis euello, primo, quia etsi Cathechismus, eiusque doctrina opinionem de fide non sanciat, certè opinionis securitatem sancit, & an magis tutum sit cum Cathechismo, quam cum Lugo sentire, arbitrum nolo Lugo vt sibi nimium blandientem; Certe non eo inficias opinionem nostram non esse de fide, vt optime notant Conimbricenses *lib. 1. de generat. cap. 10 q. 1. art. 2.* quos non video qua conscientia, ac fide Lugo in suam velit properdere sententiam: aio tamen tutiori fundamento innixam, nimirum Conciliorum Florentini, & Tridentini doctrinæ Cathechismi, & placiti vetustiorum Theologorum, & rationis adductæ.

Adhuc vrgetur Lugo.

122 Quod vero præcitati Doctores conuersionem pro prædominatione vini accipiant, edoceri à Lugo vellem, vnde hanc conuersionis significationem hauserit ipsi soli cognitam, & nomini conuersionis repugnantem? quænam enim pars prędominij alicuius cũ cõuersione? prædominatur vtiq; frigiditas humiditati aquæ, sed numquid exinde conuersa dic: poterit humiditas in frigiditatem? sed hæc missa faciamus, vt leuia satis, ac voluntaria. Egit hanc disceptationem Innocentius *lib. 3. decreti titulo 41. de celebratione missarum cap 6.* & relatis opinionibus quæ sua tempestate de ea floruerunt, hanc vocat probabiliorem, quæ afferit aquam cum vino in sanguinem transmutari, cuius verba ne putes pro opposita sententia adduci, ac opitulari, vt sibi credit Lugo, aduertit glosa, quod nomine aquæ cum vino intelligitur vinũ aquaticum, non enim transeunt duo in sanguinem, sed vinum solum, quod aqua sibi incorporauit, & optima est expositio textui quadrans; quia è tribus opinionibus, quæ Innocentio relatore de hac re vigebant, secunda approbatur ab Innocentio, quæ, vt ibi patet, aquam statuebat in vinum verti, vinumque ita compactum transire in sanguinem. Nec refert, quod non iterum inculcet in approbatione illius sententiæ Innocentius hanc versionem, quia eam memorauerat in relatione prima eiusdem opinionis.

Innocentius opinionum relator cui adhæserit?

Lugo glosa reijcitur.

123 Sed (ait Lugo) eam uidetur reprobare Innocentius dicens, quod Phisici communiter negant aquam posse in vinum verti; quia aquam per artificium posse à vino segregari censent. Assumptum Lugo reijcitur, quia particula illa

com-

communiter non ex Innocentij, sed Lugo calamo excidit, non est enim communis opinio phisicorum non posse aquam in uinum uerti, ut infra dicetur; sed quorundam sententia fuit, non omnium, sed illorum tantum, qui segregationem illam aquæ à vino possibilem arbitrantur, ij autem fuerunt: Cato *de re rustica cap.* 151. primum, mox Plinius *lib.* 16. *hist. naturalium cap.* 35. quos secutus est D. Nemesius *in lib. de natura hominis*, alijque perplures.

Catonis, Plinij, & Nemesij experientia

124 Cato siquidem docet ad dignoscendum, an merum sit uinum, an lymphatũ, faciendum esse uas ederaceum, inque illud ponendum esse uinũ, quod si fuerit mixtum aqua, aqua remanente uinum effluet. Plinius uerò ait hoc idẽ, quia uasa ederacea uinum non continent. D. autẽ Nemesius ait, spongiam oleo imbutam, si immittatur in uasculum uino lymphato plenum, aquam trahere remanente uino. Quæ experimenta uera ne sint, an falsa, experimentatoris iudicium esto, sat nobis in præsentia dicere, id accidere posse in uino imbecillo, quod aquam in se conuertere nequit, uel quia nimia aqua mixtum est, uel quia nondum per tempus licuit, uel quia ut egregiè notãt ex S. Thoma Conimbricenses *loco cit.* id, quod ex uino eximitur, non est uera aqua, sed quidam uini humor aqueus non dum perfectè decoctus.

D. Nemesius, quid ferat.

Experientiæ allatæ explicãtur.

125 Porrò vinum generosum præcipuè, ac validum conuertere in sui materiam aquam, quæ ei admiscetur, non dubiè docuit Aristoteles 1. *de ortu, & interitu cont.* 88. licet è contra loquatur de vino absorto ab aqua. Cæterum maior apparet veritas in oppositum de aqua à vino absorta, cum vinum maioris sit actiuitatis, possitque proinde validius in suum contrarium agere, & assimilando sibi illud in sui materiam conuertere, destructa uidelicet illius forma; proptèrea dum dicimus modicam aquam misceri uino, & vinum in sui naturam conuertere aquam; imaginandum non est esse in casu mixtionem ueram; quæ per Aristotelem *ibi est mixtorum alteratorum*, idest corruptorum unio, nullum enim tertium corruptis extremis insurgit in proposito, sed uinum uirtute caloris sui agens in aquam, quæ frigida est, corrumpit aquæ formam, & inducta in materiam illam forma propria uini desinit ibi esse aqua, & obinde non multum aquæ miscendum est, ut citior sit transmutatio. Sunt autem Aristotelis uerba *loco citato ideo gutta vini decem millibus congijs aquæ non miscetur, soluitur enim forma, & mutatur in uniuersam aquam.* Vide ibi interpretes cum S. Thoma, Alexandro *lib. de mixtione*, Ricchardo *in* 4. *d.* 11. *q.* 2. Ioanne Maiore *q. pariter* 2. Ægidio *quol.* 2. *q.* 16. Rabbano *lib. de corpore Domini cap.* 4. Conimbricensibus *loco citato*, Ruuio *q.* 6. *num.* 66. *super cap.* 10. *de ortu*, & alijs.

Quid sit mixtio ex Aristotele

126 Quomodo autem hoc fiat, res est planè philosophica. Maironus quidem *d.* 11. *q.* 4. arbitratur id euenire ingrediente corpore subtiliori in poros crassioris corporis, cum ergo uinum sit aqua subtilius intrare dicetur in poros aquæ, eamque disperdere.

Maironi speculatio

Sed hæc imaginatio repugnat communi positioni dicenti, uinum conuertere in se aquam, data autem opinione Maironi non conuerteret in se, sed aquam disperderet: supponendum igitur ex phisicis ex contrarietate qualitatum dari elementi unius in alterum actionem, similiter & liquorum, uinum ergo licet elementum non sit, cum sit tamen liquor, qualitatem habens aquæ contrariam agere dicetur in eam, cuius forma corrupta ex actione contrarij non est difficile intellectu conuerti in uinum aquam superinducendo uidelicet in aquæ materiã uini formam, & qualitates, & ex hoc habes debere in magno excessu vinum superare aquam, alioquin mixtio potius esset, quam aquæ in vinum transitio, est autem qualitas vini aquæ contraria calor, siue ille sit temperaturæ tantum, siue sit calor animalis, quamquam enim vinum inanimum est, posse tamen calorem ferre ab anima sibi insitum plerique philosophi docent, sicut etiam plantarum, & olerum semina ex *Aristotele* 2. *de ortu animalium prope initium* actu quidem anima carent, uim tamen generatiuam habent ab anima ipsis insitam, huius igitur virtute caloris in aquam, quæ frigida est agens aquæ formam corrumpere potest, eaque corrupta materiam aquæ vini ipsius forma induere, ac proinde in se aquam conuertere. De hisce vini caloribus vide Recentes præcipuè Zabarellam *lib.* 1. *de mixti gen. & int. cap.* 8. tamen ad Scoti aures consequenter, ne eius doctrina fusus Auerroizes melius, quam Scotizes, nos vero hęc loco hoc mittimus, vt phisica penitus, hinc ad rem regressi opinionem nostram suprapositam ex diruta aliorum opinione consolidamus.

Quomodo fiat hæc conuersio.

Duplex calor vini.

127 Sunt hæc autem potiora Lugo argumenta. Primum, totum illud poculum

in ca-

in calice contentum adoratur, & colitur, at quandoque fieri potest, vt nondum sit aqua in uinum conuersa, cum populus poculum illud adorat; ergo uel aqua immediatè in sanguinem transire debuit, uel adorans populus Idolū veneratur aquā, non sacramentum.

Primi argumenti solutio.

Quanti hoc argumentum ualeat, uide Petronium *loco citato* immo & ipsum Lugo, unde soluitur aiendo, adorationem fieri immediatè ad sanguinem, non ad accidentaliter calici adiuncta, nec enim adoraretur musca si forte fortuna in calicem dilaberetur.

Secundum.

Secundum argumentum est: quia sacerdos sumens sanguinem adhuc dicitur ieiunus, at in casu, quod nondum aqua uersa esset in vinum nisi posset immediatè uerti in sanguinem ieiunus non esset sacerdos.

Exile.

Hoc argumento nihil probatur, quia totum conceditur, nimirum non manere in casu sacerdotem ieiunum; proinde, si accideret necessitas iterum celebrādi, deberet abstinere omnino.

Tertium.

Tertium argumentum ex modo loquendi Sanctorum Patrum sumitur, qui eodem modo de consecratione aquæ, ac de vini consecratione loquuntur, & obinde utrumque supponere uidentur transire immediatè in Christi sanguinem, & Patrum dicta fusè colligit *Lugo*, quæ huc referrem, si meo etiam esset in more positum auctoritatibus implere folia, sat dicere Patrū

Diluitur.

intellectum esse aquam adhiberi ad consecrandum non ut materiam, nec ut commateriam, sed ut præceptum, & hanc verti in sanguinem non quidem immediatè, sed medio vino, in quod ipsa præconuertitur.

Quartum.

128 Quartum argumentum ex facto Christi, qui, vt patet ex liturgijs Iacobi Apostoli, & Basilij Magni calicem permixtum ex vino, & aqua sumpsit, ac benedixit, non potuit autem tam modico tempore uinum in se conuertisse aquam, neque id intendit Christus, nam si intendit, cur discipulos non docuit? cur tempore Triburiensis Concilij tertia pars aquæ apponebatur? Respōdeo nec

Leue.

ex Liturgijs his patere tantam vino à Christo aquam permixtam, quæ nequiret conuerti in vinum; nec quantum intercesserit tēporis, sed ecquis scit, quod non docuerit hanc rem Apostolos? certè mixtio aquę tempore Alexandri primi, qui temporibus Apostolorum vixit, haberi cæpit in præcepto, forte etiam & quantitas, & intentio conuersionis in vinum à Christo deriuans tradi potuit ab Apostolis *Alexandro*, auctoritas enim negans nihil probat. De Concilio Triburiensi non curandum, cum illud fuerit Prouinciale; vel forte tunc vina validiora erant, quæ etiam tertiam aquæ partem in se vertere poterant. Mirum est, quomodo Concilio illo vtatur Lugo, cuius auctoritatem neglexerat *disp. illa eadem sect. 2. circa finem.*

129 Quintum argumentum est, quia materia Eucharistiæ est vinum; omne ergo id, quod vinum appellatur, & pro vino potatur, materia est: at non minus est vinum merum, quam lymphatum; ergo non merum tantum, sed & lymphatum est materia. Hoc argumentum nihil probat, nisi quod benè potest apta esse materia huius sacramenti vinum lymphatum hoc est, cum aqua, quod gratis concedimus; non ita tamen debet esse lymphatum uinum, vt aqua non sit in illud conuersa, neque hoc argumentum cogit: vnde distinguendum est, lymphatum dicitur bifariam uel presse, uel latè; latè, quod habet aquam admixtam quantacumque illa sit etiam in minima quantitate, pressè, quod habet æquam cum vino aquæ partem; hoc secundo modo ineptum est, primo modo aptum, ut scilicet tale dici possit uinum guttis aquæ admixtum. *Quintum* *Nil probat.*

130 Sextum argumentum est. Materia consecrationis calicis ex Concilio Florentino est vinum de vite, sed aqua illa etiam in uinum conuersa non est uinum de uite, sed uinum alio modo productum, uel ergo illa pars non est materia, uel non est stricto modo accipiendū uinum, ut excludat aquam. Responsio negat latè uinum illud non esse de uite, sed esse alio modo productum, quia uinum ipsum primum de uite est, & modicam illam aquam in se uertens facit uinum eiusdem rationis; quod si sit strictè alio modo auctum, ad rem non facit, nam & diuersitas ortus non facit diuersitatem naturæ, & uinum de uite dicitur à Concilio materia ad distinctionē uinorum alterius succi artefactorum nempe malorum cidoniorum, cerasarum, & similium, non uero ad distinctionem sui ipsius aucti per transmutationem modicæ aquæ in se ipsum. *Sextum.* *Solutio.*

131 Septimum argumentum est Phylosophicum. Incredibile est posse uinum in se aquam uertere, etenim uinum, licet non sit substantia uiuens, est tamen succus substantiæ uiuentis elaboratus intra uuam, sicut sanguis elaboratur in *Septimum argumentum.*

iecore animalis, quare sicut sanguis non habet uirtutem ad trasmutandum in se aquam si sit à corpore separatus, nec ui- num separatum ad vta. Argumentum est à simili aptum dumtaxat in elaboratione vtriusque liquoris sanguinis, scilicet, & vini, in cæteris ineptum, vt di-

Ineptum. scurrenti patet,& in casu præcipue,quia sanguis è corpore excisus gelat, non ita vinum,vinum retinet vnum,vel alterum calorem, vel vtrumque, non ita sanguis,si hic ergo destituitur facultate conuertendi in se aquam,cur debet destitui vinum?

13 Demum. Aqua potest à vino artificialiter separari; quod si dixeris non

Vltima ratio. esse tunc aquam,sed humorem aqueum, vrgetur,quia is humor vinum non est, & tamen consecratur cum vino, cur ergo non itidem aqua? Responsio habetur ex dictis, vel aquam à vino extrahi in

Eiusque diluuio. casibus allatis modici, scilicet,interualli, vel imbecillitatis vini, vel extractum non esse aquam, sed humorem, qui nisi dicatur pars vini, dicendus est etiam non consecrari sicuti non consecrari dicitur aqua nondum in vinum conuersa: vide nouissime Bartholomæum Gauantum *in Thesauro sacrorum Rituum p. 2. tit. 4.* quod antea etiam docuerat *p. 2. tit.* 7. Atqui hic sit celeberrimæ huius disceptationis finis, quo etiam vniuersam de materia sacramenti huius vtraque tractationem sigillamus propitio Deo.

DE FORMA SACRAMENTI EVCHARISTIÆ.

DISPVT. III.

ET hæc disputatio mille dubitationũ inuolucris circumfusa est; & doleamus ex aucto codice non posse fusius prosequi singula, ne tamẽ singula relinquamus, hæc examinabimus.

AN SACRAMENTI HVIVS sit aliqua forma?

CAPVT I.

1 Coti sententia est *d. 8. q. 1. huius 4. littera G, in solutione 3.* hoc sacramentum non habere aliqua verba pro forma; quam doctrinam fusius prosequitur *q. 2. art. 1.* nec multa indiget probatione supposita materiæ,& formæ ad constitutionem sacramenti con- Scoti mens spirantis notitia, quam toties in hoc volumine præstitimus,vt eam rapetere tædiosum melius sit, quam necessarium; supposito igitur physicè loquendo materiã, & formam in hac re methaphoricè potius, quam presso phylosophico rigore sumptam designare partes illas sacramenta constituentes, quarum vna determinabilis est, & actuabilis, altera deter-

determinans, & actuans: & hanc appellari formam, illam autem materiam, & materiam dici rem sensibilem, quam alio nomine Augustinus elementum vocauit, quippequæ actuatur, ac determinatur à verbis, verbaque proinde, vtpote actuantia, ac determinantia materiam sensibilem formæ rationem subire, hoc (inquam) supposito clare deducitur, ac probatur sacramenti Eucharistiæ proprie nullam esse formam internam vtpote eius partem; quia alias sacramentum esset hoc, & sine, partibus internis, & propterea esset, & non esset; constat siquidem internas rei partes ita rem ipsā struere, vt res ipsa sine illis esse nequeat; alioquin essent partes internæ, & non essent internæ quæ implicant. Atquis non videt sacramentum hoc esse, nec tamen vllam in eo permanere materiam, vllam formam? forma igitur (vt ad eam hoc loco spectat oratio) in hoc sacramēto nulla. Quid, quod verba sita sunt in successione, sacramentum hoc autem permanens est? nunquid uero ad integritatem rei permanentis successiuum aliquid inesse potest?

Fusè aperitur

2 Contra hanc Scoti sententiam proclamant Thomistæ *tum d* 11. cum Soto, *tum* 3. *p. q* 78. *art.* 1. cum cæteris statuentibus non desiderari in hoc sacramento, quod suppetit in alijs, ita præcipuè stamente Concilio Florentino *in instructione Armenorum* singula sacramenta nouæ legis perfici materia, & forma, & intentione ministri, vnde si quid horum ab hoc sacramento euellas, euelles sacramenti rationem necessariū est, iuxta illud vulgatissimum, ac decantatissimum Augustini pronunciatum *Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum.* Est tamen tota lis de nomine, nam neque Scotus vnquam somniauit ad perficiendum hoc sacramentum desiderari materiam, & formam, & intentionem immō loc. cit *littera G,* ait *tamen ipsa consecratio consistit in fieri, & ideo requirit aliquam formam verborum. sed illa non est forma sacramenti. sed consecrationis sacramenti, &c.* quod repetit d. eadem q. 2. *littera A, sub initio.*

In oppositum sunt Thomistæ

3 Hæc est igitur Scoti sententia verba illa. *Hoc est corpus meum: Hic est calix &c.* esse quidem formam necessariam, non tamen sacramenti iam permanentis in esse; sed ipsius sacramenti in fieri; idest consecrationis vtriusque materiæ, & pro tanto dici formam sacramenti, quatenus necessariò ad eius confectionem conspirant, estque paritas, ac disparitas de hoc sacramento, & alijs, paritas quidē, quoniam tam in factione huius, quam cæterorum materia, & forma expetuntur, disparitas verò quia hoc sacramentum iam factum sine forma, & materia remanet, alia verò, quæ in situ dumtaxat sunt posita, tunc sunt, dum fiunt, non habent enim factum esse distinctū à fieri, huius autem fieri distinctum est à facto esse, propterea nō remanent forma, & materies in eo, nec dicuntur eius facti esse partes materia, & forma, cum illa in eius fieri dumtaxat adhibeantur. Vnde Scotus negans in hoc sacramento materiam, & formam appositè ait *q.* 1. *littera H, quod non est hic aliud tanquam materia, & aliud tanquam forma sicut in alijs &c.* obserua particulam illam, *sicut in alijs,* qua doceris non negari materiā, & formam ad fieri huius sacramenti; sed negari materiam, & formam comparatiue ad alia sacramenta, quæ perficiuntur materia, & forma, & illa applicata, hac vero expleta amplius non sunt; hoc autem perficitur quidem materia, & forma dum fit consecratio, quæ est inceptio sacramentalis, sed cum materia transubstantiata, formaque expleta remaneat sacramentum, amplius in eo materia, & forma nulla secundum appellationem physicam.

Explicita Scoti sententia

Paritas, ac disparitas huius, & cæterorum sacramentorum

4 Si verò metaphysicè loquamur, secundum quam appellationem formalitas dicitur relatio signi, & materialitas fundamentum proximū relationis; hæc certè non desideratur in Eucharistia, in qua species sensibiles dicuntur proximum fundamentum relationis significationis, & ipsa significationis relatio appellari potest formale.

Metaphisicè, quæ materia, quæ forma?

5 Nec quid dissonum ab hac sententia docuit S. Thomas *l. c.* 3. *p.* vt uidere est *in corpore quæsiti.* Hinc dum audis, aut legis tum in Concilijs, tum in Rubricis Missalis sacramenti huius dari formam, intellige in eius fieri, & formam verè esse consecrationis, non autem sacramenti iam facti, & permanentis: ita loquuntur etiam Gabriel *in* 4. *d.* 8 *q.* 3 & *lect.* 38. *in can.* Maironus *art* 4. Victoria, Ledesmus, Catherinus, & alij apud Suarez, immò & Vasquez *disp.* 167. *cap.* 3. Verum ab hac communi sententia singulariter deuiat Ioannes à Lugo *disp.* 1. *sect.* 4. qui ne singularis uideatur, in suam etiam sententiam uocat omnes antiquos Theologos, Richardum, *Alexandrum,* Ioannem Maiorem, & ex Recentibus Suarezium, & Valentiam; statuitque hic Auctor uerba consecrationis intrinsecè pertinere

Solus Lugo deuiās à communi sententia solum esse se non patitur.

tinere ad sacramentum Eucharistiæ, probatque primo ex Decreto Eugenij statuente omnia sacramenta perfici materia, & forma, & postea apposite loquendo de hoc sacramento, decernente formam Eucharistiæ esse uerba consecrationis.

Ratiocinatio Lugo.

6 Nec ualet (inquit Lugo,) quod communiter asserunt Aduersarij, uerba consecrationis esse formam huius sacramenti in fieri, non uero in facto esse, quia uel esse formam sacramenti in fieri est esse formam, qua constituatur ipsum fieri sacramenti, & hoc est falsum; quia verba non sunt forma productionis Eucharistiæ, sed potius principium efficiens productionis, respectu cuius verba sunt potius principium externum, quam internum, quale est forma; vel per esse formam sacramenti in fieri intelligitur esse formam illius in primo instanti, non verò pro tempore sequenti, & hoc etiam falsum est; quia si pro primo instanti cõponitur ex forma, ut resultet compositum, ergo & pro tempore sequenti, alioquin non habebit denominationem eandem sacramenti.

Retunditur

7 Vniuersa hæc Lugo probatio ex inani fundamento labitur, putat enim materiam, & formam in sacramentis esse partes interne cõstituentes sacramentum tamquam physicum compositum ex partibus, quod falsum esse *in disp. de quidditate sacramentorum physica*, decursum est *tract. de sacr. in gener.* dicũtur enim forma, & materia methaphoricè partes sacramenti, quatenus ex parte fundamenti relationis signi duo coeunt, quorum unum potentiale, ac determinabile magis materia, alterum actuale, ac determinatiuum forma nuncupatur; dum ergo quærit Lugo, an sit forma constituens ipsum sacramentum in fieri, uel in primo instanti tantum. Respondeo nec in primo instanti, nec unquam, nam forma non constituit sacramentum intrinsecè, ut ipse putat, sed perficit, ut docet Concilium Florentinum, perficit, inquam, dum ex parte fundamenti relationis signi contrahit rem, quæ & materia dicitur, forma igitur consecrationis consecrationem ipsam perficit, quæ dicitur sacramenti huius inceptio, & pro tanto sacramentum hoc perficere dicitur, quatenus inceptionem eius perficit.

Arguit Lugo à priori

8 Sed rursum arguit Lugo, & vt ipse retur à priori. Forma, vt forma non potest habere alium modum concurrendi, nisi intrinsecè componendo, nec potest habere alium effectum nisi compositum ex eo resultans, ergo cum verba consecrationis sint uere forma Eucharistiæ, vt diffinit Eugenius, necessum est, vt illam intrinsece componant, alioquin non erũt eius forma. Optaret Lugo, vt reor, argumentum hoc esse probabile, & sat illi esse tactum, dum sibi blanditur id esse à priori, cuius imbecillitatem quis non videt, dum supponit formam hic, & materiã in toto rigore physico spectari, sed redarguamus Lugo ex philosophiæ principijs, quæ ipse sumit. Forma, vt forma nedum compositum struit, sed in composito manet ipsomet Aristotele præceptore *in 1 & 2. naturalium*; at verba non manent in Eucharistia, ergo, licet per ipsum struerent, non sunt forma.

Sed nec est ratio probabilis.

At patendum est illi, qui ex prauo principio doctrinam colligere potuit cõsequenter, ac dicendum argumento sequelam falsam esse falso supposito, nimirum verba in sacramentis esse verè, ac in toto physico rigore formam, neque vnquam Eugenius aduerbium illud *verè* vsurpauit, nisi ex libertate Lugo.

Aliud eiusdem argumentũ.

9 Rursum arguit. Species vt condistinctæ à verbis non possunt habere integrã rationem sacramenti, prout sic enim nõ habent integram significationem sensibilem gratiæ nutrimentalis, qualis requiritur ad sacramentum Eucharistiæ; ergo in ratione sacramenti reduplicant uerba consecrationis: probat antecedens, quia species panis nec præsentiam Christi significant, nec gratiam, neque ad hoc institutæ sunt, neque mentem excitant uidentis, nisi sciamus esse consecratas, seu prolata esse uerba super illas, ergo species non constituunt sacramentum, nisi prout cum uerbis.

Defectibile ostenditur.

10 Totum argumentum defectibile est, nã inprimis antecedens asumit falsum, quasi uerò possint non distingui species à uerbis, dicendum erat ei species non supponentes uerba consecrationis non habere integrã rationem significationis. Deinde dũ de significatione loquitur, adducit in antecedẽti significationẽ gratiæ nutrimentalis; cũ tamen hæc sit significatum dumtaxat remotum istius sacramẽti, proximũ enim est præsentialitas Christi corporis.

Consequens etiam non deducitur in terminis ab antecedente, quid enim ad rẽ reduplicatio uerborum, cum significatione proximi, uel remoti signati? deducendum erat ei in forma sic ex illo antecedenti; ergo ut sint sacramentum illæ species, debent includere uerba, quomodo si

ndo si esset structum dilemma, neganda esset illi deductio; quia ad significandū, seu adhuc ut species illi sint proximum fundamentum relationis signi sat est esse consecratas, seu in constitutione earū pro fundamento fuisse uerba adhibita, quod ultrò concedimus, hoc autem sensu nihil ultra cogit argumentum, nisi praerequiri ad consecrationem, in qua species constituuntur fundamentum relationis pro forma, quod hucusque concessimus.

12 Et hac de disputatione penitus uocali, quae si ultrà uocum diuersitatem cum Lugo trahatur, nullum habet robur; cū certum sit uerba, quae dum proferuntur, tunc sunt dumtaxat, non manere actu in hoc sacramento facto, sed adhiberi tantùm, dùm fit.

AN CHRISTVS CONSECRAuerit statuta illa forma. Hoc est corpus meum, Hic est calix, &c.



CAPVT. II.



11 Pertinet petitio ad moralem potius, quam Scholasticum Doctorem, ne quid tamen intactum relinquatur, apposita apposite, sed breuiter enucleabitur. Sunt, qui putent non consecrasse Christum, sed alia omnino forma vsum in consecratione vtriusque materiae, licet quibus nam illa integraretur verbis non exprimant, citantur pro hac opinione à Marginalis Scoti *quol. 1. q. finali* Ochamus, & Gotfredus Pictauiensis *4.p.summa*, immeritò tamen citatur Ocham, qui nihil tale ibi ponit, cuiuscunque tamen sit opinio niti ei fundamento posset, quia dum Christus ijs vsus est verbis. *Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei, &c.* quae regulariter sumuntur forma vtriusque

Prima sententia.

Ocham falsò citatus.

consecrationis, iam panem in corpus, & vinum transubstantiauerat in sanguinem per illam scilicet praecedentem benedictionem, quam ipsi etiam memorant Euangelistae, verba ergo illa non adhibuit Christus ad consecrandum, antecedens videtur ex mente Ambrosij deductum *lib. de ijs, qui initiantur cap. 9.* dicentis. *Hoc est panis, quem benedictio consecrauit, &c.* Huic sententiae visus est fauere Innocentius *q. 3. de off. missae cap. 6.*

& 14. Sunt etiam, qui velint Christum nulla forma vsum, sed ex potestate suae excellentiae absque omni forma consecrasse; Caeterum illam pro alijs ad consecrandum praescripsisse formam, citatur pro hac Durandus à Fabro *disp. 31. cap. vnico*, sed voluntariè, vt videre est apud ipsum Durandum *d. 8. q. 4. a. 1.* cuius placitum infrà referemus.

Pro secunda sententia falsò Durandus.

13 Sunt tertio, qui velint Christum eandem, qua nos vtimur, forma vsum in consecratione, sed & isti opinionem suam partiti sunt, quibusdam autumantibus verba illa consecrationis. *Hoc est corpus meum, &c. Hic est calix sanguinis mei, &c* bis à Christo prolata semel quidem secretò, & clam, dum conficeret, quam actionem, vtpotè clam factam Euangelistae non referunt, iterum autē publicè dum traderet corpus suum discipulis, & eos formam consecrationis doceret.

Tertia sententia.

14 Has opiniones ipsemet Innocentius refert *loco citato*, & Alexander Alensis *4. p. q. 13. membr. 2.* & Gabriel *lect. 36. in can.* alij vero semel tantum verba voluit à Christo prolata, ijsque eisdem consecrasse.

Pro opinione asserente Christum, vel non consecrasse ijs verbis, sicut & nos, vel iteratis verbis illis consecrasse citatur Maironus, à Gabriele, at Maironus, vt videre est *d. 8. q. vnica art. 5.* nedum nobiscum sentit statuendo Christum ijs verbis confecisse, vt nos agimus, sed hoc idem auctoritate probat Eusebij, Hieronymi, & Cypriani.

15 Statuendum igitur in re morali breuiter Christum Dominum vsum quidem forma ad consecrandum, sed non alia, ab ea, qua nos ex eius institutione vtimur.

Assertum soluens quaestionem

Assertionem hanc reputant Recentes aliqui sin minus de fide, saltem fidei decreto proximam, eo quod Florentina Synodus in decreto Eugenij habeat haec uerba. *Forma huius sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc confecit sacramentum, &c.* est autem censura violenta satis, cum non sinceré Concilij, seu potius Euge-

Eugenij, uerba ferantur, qui non utitur uerbo illo *confecit*, sed *conficit*; alterum porrò distat ab altero; nam primum designat ita Christum confecisse in eius institutione, ut *Aduersarij* pro se ferunt: secundum uero denotat Saluatorem nunc ijs uerbis conficere, quod esse de mente Eugenij patet ex sequentibus uerbis, quibus ut ostendat Christum iam ijs verbis conficere, subdit, *sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum*.

Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius Bellarmin. Scotus, & eius ratio

16 Est autem assertio satis ex se certa, pro qua citantur Antiquissimus Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem*, Cyprianus *serm. de cœna Domini* Ambrosius *lib. 4. de sacramentis*, & alij; qua de re consulendi sunt post Bellarminum Recentes. Scotus noster certè *d. 7. q. 1. art. 3. littera F.* congrua id ratione confirmat, quia probabile minime est alia forma vti actore, & ministrum, cui forma committitur, certum est autem hanc nunc esse formam consecrationis ex Concilio Florentino, eaque vti ministros, hoc est, sacerdotes *Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei, &c.* non est ergo probabile alia forma vsum Christum Dominum sacramenti huius institutorem. Quod autem ea non semel, ac iterum, sed semel tantum vsus fuerit Christus, inde liquet maxime, quod repetitio hæc satis fuisset inutilis, & voluntariè multiplicata, nulla suppetente, aut Euangeliorum, aut scripturarum, ac Patrum auctoritate, nulla ratione ad eius multiplicitatem inuehendam, qua gitur libertate multiplicitas hæc repetitionis verborũ à Christo factæ inuehitur, pari libertate retunditur.

Aliorum sententiæ subcribo

17 Simili etiam libertate refellitur assertum ponens Christum nullis verbis vsum, dum nulla ratione fulcitur; immò oppositum liquet ex Patribus citatis, Ambrosio præsertim statuente sacerdotem vti in consecratione sermonibus Christi, inclinatque Florentinum Concilium citatum.

Ratio in oppositum inualida.

Nec ratio in oppositum probat, quia, quod per benedictionẽ cõsecrarit liberè dicitur, nec Ambrosius aliud intendit, nisi vel terminos consecrationis, & benedictionis confundendo, vel excessiuè loquendo benedictionis etiam vsum in Christi institutione exprimere, alias esset sibi ipsi contrarius. Nec dedecet verba illa *consecrationis*, & *benedictionis* confudisse; quia cum non constet ex Euangelistis, an illæ tres actiones, benedictio, consecratio, & gratiarum actio, quæ in institutione huius sacramenti intercesserunt, fuerint distinctæ, licuit planè alteram pro altera vsurpare.

18 Equidem dè distinctione illarum actionum *supra* meminimus constituentes differre ad inuicem; quod etsi noster Faber *disp. 31.* dicat non esse dè mente Scoti; ego certè apud Scotum nihil assertο huic contrarium legi.

Faber voluntariè Scotum citat.

Si dicat non esse dè mente Patrum; præterquamquod responsum hucusque cõmodauimus; adhuc Responderi posset, actiones sacramentales à circumstantijs, vel ex partibus accipere nomen, hinc baptismus vocatur interdum aqua; confirmatio dicitur manus impositio, cum tamen aqua in eo sacramento sit tantum remota materia, & impositio manus hac tempestate sit potius circumstantia, quã pars sacramenti confirmationis. Si dicas, opponi eo textum Marci 14. qui de consecratione calicis effatus; dilucidè satis consecratum illum indicat ante illa verba. *Hic est calix, &c.* ait enim Marcus. *Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes: & ait illis. Hic est sanguis meus noui testamenti, &c.* quibus apertè demonstrat verba, quæ nũc sunt consecrationis forma subsecuta fuisse bibitionem discipulorum. Alias respondi, Euangelistas interdum recapitulando gesta narrasse, non spectato facti ordine, vt egisse dicendus est Marcus *ibi*.

Obiecti solutio.

19 Aies, quo ergo ordine facta fuerunt tria illa opera, benedictionis, consecrationis, & gratiarum actionis, &c. Insuper & fractionis, & distributionis Apostolis? Mitto aliorum sensum in re morali, & censeo, prout ex Euangelica serie comperere possum, id ita euenisse, vt primo Christus panem sumpserit; deinde benedixerit consueta quadam benedictione, non quidem consecratoria, sicuti etiam se gessit in benedictione panis in monte, dum quinque virorum millia saturaturus apponi panes iussit, tertio fregerit, quarto dederit discipulis verba consecrationis proferendo. Hanc.n. ordinem statuit Matth. 26. *Cenantibus* (inquit) *eis accepit Iesus panem* (en prima actio) *& benedixit* (en secunda) *& fregit* (en fractio tertium opus) *deditq; discipulis, & ait Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, &c.* en traditio cum consecratione, ne autem putares traditionem præcessisse consecrationem ex illis verbis *dedit, & ait, &c.* en Lucas simultatem vtriusque actionis exprimit cap. 22. *& accepto pane*, en sumptio; *gratias*

Ordo illarum trium actionum fuit explicatur.

gratias egit, en alia actio, quam subticuit Matthæus, *& fregit*, en fractio *& dedit eis dicens*, en simultas traditionis, & consecrationis, quam benè explicat participium *dicens*. Cæterum in re ad scripturæ interpretem spectante dictis, in quibus, sicut in cæteris voluminis huius partibus, si inscitè, mihi; si quid scitè, scientiarum omnium largitori benedictio, laus, & gratiarum actio,

Amen.

OMNIA SVBIICIO PEDIBVS S. R. ECCLESIÆ.

FINIS



INDEX RERVM MEMORABILIVM

QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.



A

Abluo. Ablutio.

ABluo, lino, & lauo non sunt idem cum baptizo *disp. 4. de bapt. cap. 2. num. 33. & 34.*

Ablutio quid sit *disp 3. de bapt. cap. 2 numero 31.*

Ablutio non est satis in qualibet parte corporis, ad baptismi validitatem *ibidem num. 71.*

Ablutio quanta esse debeat *ibid. nu 66. & 69.*

Ablutio qualis *ibid. nu. 48.*

Ablutio, seu baptizatio passiua est proxima materia sacramenti baptismatis *ibidem numero 43.*

Ablutio dicit contactum per aquam *ibidem num. 32.*

Ablutio actio quando pro materiali sumatur *ibid nu. 42.*

Ablutio in fluxu, & in esse quieto *disp. 3. cap. 2 nu. 24.*

Ablutio in aqua est proxima sacramenti baptismatis materia *ibid. nu. 26.*

Ablutionis varia acceptio ex Scoto *ibidem num. 24.*

Acetum.

Acetum, & agrestum non possunt esse materia consecrationis sanguinis, cum vtrumque specie distinguatur à vino *disp. 2. de Euchar. art. 2. num. 89.*

Actio Actus.

Actio quid sit *disp. 3. de bapt. cap 2. nu. 33.*

Actio in quo genere sita sit *disp. 3. de bapt. cap. 2. nu. 37.*

Actionis, & passionis subiecta quæ *ibidem nu. 41.*

Actionis vocabulum quid *ibid num. 36.*

Actus baptizandi est necessario exprimendus in forma baptismi *disp. 4. de bapt. cap. 2 num. 7.*

Actus huiusmodi quomodo exprimi debeat *ibid. num. 9.*

Adultus.

Adulti infideles, qui aliquando fuere fideles cogendi sunt ad fidem *disp. 6 de bapt. art. 2. nu. 82. & 83.*

Adultorum distinctio *disp. 6. de bapt. art. 3. num. 108.*

Agens.

Agentis naturalis, & supernaturalis distinctio *disp. 5 de sacr. in gen. art. 5. nu. 109.*

Alica.

Alica frumenti species vnde dicatur *disp. 2. de euch. art. 1. nu. 58.*

Amens.

Amentes, & dormientes baptizari non possunt, nisi ante somnum, & amentiam intentionem habuerint suscipiendi baptismum *disp. 6. de bap ar. 3 num. 155.*

Amens vnde dicatur *ibid num. 109.*

Amentes perpetuo, ac furiosi confirmari possunt si à natiuitate in amentiam inciderint *disp. 3. de conf cap. 2. nu. 23.*

Amidum.

Amidum non est apta materia Euchar. cum verè non sit triticum, sed ex tritico corrupto fiat *disp. 2. de euch. art. 2. nu. 79.*

Analogum.

Analogia vniuocationis, vel equiuocationis socia *disp. 2. de sac. in gener. cap. 3. nu. 36.*

Analogum quid sit *ibid.*

Apostoli.

Apostoli baptizati fuerunt ante vltimam cœnam, quia tunc facti sunt Sacerdotes *disp. 6. de bap. cap. 2. nu. 61. ac 68. & disp. 1. cap. 3. num. 135.*

Apostoli non Ioannis sed Christi bapt. baptizabant *disp. 1. de bapt. cap. 1. nu. 15.*

Apostoli in primitiua Ecclesia per solum manuum impositionem sacramenti confirmationis effectum dabant *disp. 2. de conf. cap. 2. nu. 31.*

Apostoli in confirmatione chrismate vsi sunt *ibi num. 28.*

Aqua.

Aquæ impuritas duplex *disp. 3. de bapt. cap. 1. num. 3.*

Aquæ naturalis, & artificialis discrimen *disp. 3. de bap cap. 1. nu. 2.*

Aquæ mistio in consecratione sanguinis non est de necessitate sacramenti, sed præcepti, *disp 2. de euch. art. 2. n. 114.*

Aquæ naturalis non artificialis debet esse

mixtio *ibid.nu.* 114. & 115.

Aqua tam modica adhibenda in mixtione, quæ modico temporis interuallo ab oblatione vsque ad consecrationem in vinum conuerti queat *ibid.nu.* 116.

Aqua vino mixta non conuertitur in sanguinem, sed in vinum, *ibid.* 117. & 118.

Aquæ in vinum conuersio quomodo fiat *ibid.nu.* 126.

Aqua secundum aliquos potest à vino artificialiter separari *ibid. num.* 132.

Attributum.

Attributorum sola expressio in forma baptismi inualidat sacramentum *disp.* 4. *de bap.cap.*4 *nu.*81.

Attritio.

Attritionis descriptio *disp.* 6. *de baptismo art.* 3.*nu* 177.

Attero quid significet *ibidem*.

Attritionis nominis significatum *ibid.n.*178.

Attritio duplex, altera, quam putatam contritionem vocant, altera, quam notam, seu cognitam *ibid.nu.*179.

Attritio satis est in adulto pro dispositione ad baptismum *ibid.nu* 194.

B

Baptismus.

Baptismus diffiniri potest *disp* 1. *de bap. cap.*1.*nu.*8.

Baptismus Ioannis nulla lege communi præceptus à Deo videtur *disp.* 1. *de bap. Ioannis cap.*1.*nu.* 3.

Baptismus Ioannis non fuit verè sacramentũ *disp* 1. *de bap.Ioan.cap.*2.*num.*13.

Baptismus Ioannis quoquomodo, & saltem impropriè sacramentum dici poterat *ibid. nu.* 15.

Baptismus Ioannis nulla certa forma conferebatur *ibid.nu.* 17 & 19.

Baptismus Ioannis quo tempore cessauerit *disp.* 1. *de bap Ioan.cap.*3. *nu.*43.

Baptismus Christi in quo dissidebat ab illo Ioannis *ibid nu.* 50.

Baptismus Ioannis non fuit solum de consilio, sed de præcepto *disp.* 1. *de bap. Ioan. cap* 1.*nu.* 8.

Baptismus à quocumque homine datus est validus *disp.*5.*de bap.cap* 1.*nu.*15.

Baptismus Christi quando à Christo institutus, ac proinde esse inceperit *disp.* 1. *de bap.cap.*1. *nu.* 1.

Baptismus institutus non fuit post Christi Resurrectionem *ibid nu.* 12.

Baptismus Ioannis ex sua vi non fuit ad salutem necessarius *disp.*1 *de bap.Io.cap.*1.*n.*11.

Baptismus Christi ab ipsa suæ institutionis hora statim cæpit vel cõsilio, vel præcepto esse subiectus *disp.*1. *de bap. cap.*2.*nu* 43.

Baptismus Christi statim, ac institutus non fuit sub præcepto *ibid. nu.*52.

Baptismus Christi non statim in Christi morte sub præcepto cecidit *ibid.nu.* 53.

Baptismus quousque differri possit *disp.*1.*de bap. cap.*3. *nu* 98.

Baptismus actiue nunquam explicite sub præcepto datus *ibid.nu.*139.

Baptismus omnem cum culpa remittit pœnam, absque pœnitentia *disp.*3. *de confirm. cap.*1.*nu.*6.

Baptismus per immersionem fieri nequit, nulla subsequente emersione, & cum periculo vitæ baptizati *disp.* 3. *de bap.cap.*2.*nu.* 59.

Baptismus licite ab alio, quam ab homine ministrari potest scilicet ab Angelo *disp.* 5.*de bap.cap.*1.*nu.*1.& 2.

Baptismus à duobus collatus, altero formã, altero materiam ministrante est inualidus *disp* 5 *de bap art.*2.*nu.*67.70.&75.

Baptismus datus in nomine Genitoris Geniti, ac spirati siue procedentis ab vtroque nullius est valoris *disp.*4.*de bap.cap.*4.*nu* 75.

Baptismus collatus in nomine Trinitatis est nullus, *disp* 4 *de bap.cap.*4. *num.* 80.

Baptismus datus in solo Christi nomine nullius fuit valoris & an vnquam fuit in Christi nomine datus *disp.* 4.*de bap.cap.*2.*nu.*49. & *cap* 3.*num* 41.

Baptismus paruulis infidelium inuitis parentibus datus validus est, *dis.*6.*de bap.ar.*2.*n.*30

Baptismus in eodem subiecto iterari non potest, *dis.*5.*de bap.cap.*3.*append.num.*119.

Baptismus tollit omnem culpam dummodo nullum adsit ex parte suscipientis impedimentum, *disp.*7.*de bap cap.*1.*num.*7.

Baptismus non tollit pœnas ciuilis fori, *ibid. num.*16.

Baptismus tollit omnem pœnam impositam temporalem, & æternam, *ibid.num.*11.

Baptismus non tollit omnes pœnas canonicas *ibid.num.*32.

Baptismus cur tollit irregularitates ortas ex homicidio, non autem ex Bigamia *ib n.*33.

Baptismus non tollit omnes irregularitates, *ibid.num* 34.

Baptismus non tollit pœnas ortas ex non criminibus, *ibid.num.*36.

Baptismi Ioannis finis quatruplex, *disp.* 1. *de bap.Io art.*3.*num.*49.

Baptismi institutio ex sententia auctoris *disp.* 1. *de bap cap.*1.*num.*26.

Baptismi flaminis, & martyrij disparitas, *dis.* 1 *de bap.cap* 3.*num.*154.

Baptismi ministrandi, ac suscipiendi tempus *ibidem num.*141.

Baptismi votum duplex, & quid vtrumque sit *ibid.num.*124.

Baptismi votum quibus necessarium ad suscipiendum baptismum *ibid. num.*126.

Baptismi necessitas ratione præcepti, *ibidem num.*

mixtio

INDEX

num.130.

Baptismi ministri non sunt soli homines, sed & Angeli baptizare possunt, *disp.5.de bap. cap.1.num.26.*

Baptismi nominis significatum *disp.2. de bap. cap.1.num.2.*

Baptismi diffinitio ex Scoti sententia, *disp. 2. de bapt.cap.2.num.15.*

Baptismi diffinitio ex sententia auctoris *ibid. num.22.*

Baptismi forma, quæ *disp.4.cap.1.n.4.de bap.*

Baptismi materia, quæ *disp.3.de bap.cap.1.n.7.*

Baptismum suscipiens proprio nomine declaratus non irritat sacramentum *disp. 4. de bapt.cap.1.num.16.*

Baptizandi modus per aspersionem alius est ab eo, qui fit per infusionem *disput. 3. de bap.cap.2.num.50.*

Baptizandi ritus per mersionem scilicet infusionem, & aspersionem idoneus *ibid.n.51.*

Baptizandi ius proprium est Episcoporum, & presbiterorum ex vi suæ ordinationis, *disp 5.de bap.cap 1.num 6.*

Baptizare Spiritu sancto, & baptizare in Spiritusancto baptizare igne, & in igne quomodo differant *disp.3, de bap.cap.1.nu.15.& 16.*

Baptizatio passiua est materia proxima sacramenti huius *disp.3 de bap.cap.2.num.43.*

Baptizo verbum quomodo accipiatur *disp. 5 de bap.art.2.num 72.*

Baptizo verbum est de essentia *disp.4. de bap. cap.2.num.36.*

Blatta

Blatta, siligo, & triticum panem aptum ad consecrandum struunt *disp. 2. de Eucharis. ar.1.num 64.*

Blatta vnde dicta, *ibid.num.58.*

C

Cæremonia.

CÆremonia vnde dicta *disp.1.de bap. ca. num.49.*

Causa

Causa secunda minus dependet à superiori, quam instrumentum *disp.5. de Sacr.in gen.art.2.num.46.*

Causa phisica, & moralis quænam sit *ibidem num.47.*

Causa sine qua non duplex *ibid.num 55.*

Causalitas causæ sine qua non quomodo à sacramentis reijcitur *ibid. art.4.num.69.*

Causæ institutæ circumcisionis *disp.6. de sac. in gen.cap.1.num.67.*

Character.

Character non est ordinis trascendentalis, sed collocatur in genere *disp 6.de sacr.in gen.cap.2.num 52.*

Character quomodo sit indelebilis *disp. 6. de sac.in gen.cap 5.num.66.*

Character datur per aliqua sacramenta *dis.6. de sac.in gen.cap.1,num,12.*

Character est relatio realis extrinsecus adhæniens *disp.6.de sac.in gen.cap.2.nu.58.& 44.*

Character est ens relatiuum, non absolutum *ibid.num.43.*

Character quibus rationibus ponatur *ibidem*

Characteris ratio est diuersa à virtutibus, cum per virtutes nemo in Ecclesiæ gradu constituatur sicuti per characterem, *disp. 6. de sac.in gen.cap.3.num.69.*

Characteris nominis varietas, & significata *dis.6.de sac in gen.tract de nom.char.n.2.& 3*

Charitas

Charitas infunditur per baptismum *disp. 7. de bapt.cap.1.num.19.*

Christus.

Christus cur se circumcidi passus sit *disp. 1. de bap. cap 2.num.50.*

Christus Dominus nullo charactere obsignatus fuit *disp.6.de sac.in gen.cap.3.num.67.*

Christus ea forma in consecratione vsus est, qua nos vtimur *disp.3.de euchar.cap.2.n.15.*

Circumcisio.

Circumcisionis institutio *disp.1. de sac,in gen. art.1.num 68.*

Circumcisio cur in ea parte data fuerit *ibid. num 68.& 72.*

Circumcisionis finis, quis *ibid.num.72.*

Circumcisionis præceptum bis datum semel Abrahamo, eiusque familiæ, iterum vero Hebræis omnibus *ibid nu.118*

Circumcisio verum sacramentum fuit ad originale peccatum delendum *ibid.num.89.*

Circumcisio quando præcepta *ibid num.98.*

Circumcisionis octauus dies necessitate impellente præponi, & postponi poterat *ibid. num. 108.*

Circumcisio ex suo ui peccati tollebat, & gratiā conferebat *disp.1.de sac.in gen.art 2 n.116.*

Circumcisio in lege scripta cooferebat gratiā ex opere operato *ibid num,120.*

Circumcisio in antiqua lege erat ianua salutis, sicuti & baptismus in noua lege *disp.6 de sac in gen cap 3.num.72.*

Circumcisio imprimebat characterem, sicuti & baptismus *ibid.*

Circumcisio ab instituto baptismate vsque ad Christi mortem necessaria non fuit *disp.3. de bap.cap.2.num 51.*

Circumcisus baptizari debuerat *disp.6.de sac. in gen.cap.3.num 72.*

Cœna.

Cœna triplex, legalis, vsualis, & sacramentalis *tract de nom.euchar.num.2.*

Communio, communicans.

Communicans feria 6. Parasceue, & Sabbato sancto præceptum paschale implet *disp. 1 de euchar.cap.5.num 100.& 101.*

Communicans scienter in peccato mortali in Paschate non soluit præceptum *ibid.n.107.*

Communionem omittens tempore Paschatis

remanet adhuc obligatus ad communicandum semel in anno illo *ibid.num.* 103.
Communionem præueniens scienter an pręcepto satisfaciat *ibid.num.104.& 105.*

Conditio.

Conditiones ad valide ministrandum baptisma *disp.5.de bap.cap.2.num.2.*
Conditiones diffinibilis ex Aristotele *disp.2. de sac.in gen.cap.1.num.8.*
Conditiones singulæ rei diffinibilis quomodo sacramento aptantur *ibid.num.16.*
Conditiones in ministro sacramentorum expetitæ *disp.4.de sac.in gen.cap.3.num.48.*

Confirmatio.

Confirmationis diffinitio *disp.2.de conf.cap.1 num.18.*
Cõfirmationis materia *ibid.cap.2.n.22.& 24.*
Confirmationis sacramentũ Christus immediate instituit *ibid.num.51.*
Confirmationis forma variari potest, dummodo essentialia non varientur, *disp.2.de conf.cap.4.num.71.*
Confirmationis sacramentum gratiam confert, & qualem, *disp.3.de conf.cap.1.num.3.*
Confirmationem suscipiens, quam dispositionem habere debet, *ibid.num.4.*
Confirmationis effectus non idem est cum effectu sacramenti baptismatis *ibid.nu.6.*
Confirmationis iteratio in eodem subiecto, nullã inducit pænã irregularitatis *ib.n.14.*
Confirmari in qua quis ætate possit *disp.3.de conf.cap.2.num.19.*
Confirmari possunt perpetuo amentes, ac furiosi, *ibid.num.23.*
Confirmationis sacramentum non est simpliciter necessarium necessitate medij, sed necessitate præcepti *ibid.cap.3.nu.28.& 29.*
Confirmationis minister ordinarius ex diuina institutione est solus Episcopus *ib.n.38.*

Consecratio

Consecrationis congruentia sub duplici specie *disp.2.de euch.cap.1.num.2.*
Consecratio sub vna specie non irritat sacramentum *ibid.num.7.*
Consecratio sub vtraque specie diuino præcepto necessaria est *ibid.num.12.*
Consecrationem sub vna specie Ecclesia non dispensauit *ibid.num.13.*
Consecrari non potest quodcunque etiam distans *ibid.num.30.*

Contritio.

Conteri quid significet *disp.6.de bap.art.3. num.177.*
Contritio quomodo describatur *ibid.*

Contractus.

Contractus vnde dicatur *disp.3.cap.1.nu.73. de sacr.in gen.*
Contractus potest esse sine sacramento in matrimonio *ibid.num.24.*

D

Diaconus.

Diaconus, & Subd. ministrantès in mortali haud lethaliter peccant, nisi sint publici peccatores, & scandalum populo inferant *disp.4.de sac.in gen.art.1.nu.92.*
Diac. ex vi suæ ordinis nullum ius ad baptizandum habet extra necessitatem *disp.5. de bap.cap.1.nu.25.*

Dies.

Dies lunares Hæbreorum qui dicantur *disp.5.de euchar.cap.3.nu.16.*
Dies octauus Circumcisionis necessitate impellente præueniri, & postponi potuisset *disp.1.de sacr.in gen.art.1.nu.108.*

Diffinitio.

Diffinitio rei duplex propria, & impropria *disp.2.de sac.in gen.cap.1.nu.7.*
Diffinitio, alia phisico, alia methaphisico modo *disp.3.de bap.nu.1.*
Diffinitio sacramenti ex Scoto *disp.2. de sacr. in gen.cap.1.nu.2.*
Diffinitio signi ex Augustino *disp.2.de sac. in gen.cap.1.nu.2.*
Dispositio requisita in adultis ad recipiendum baptismum *disp.6.de bap.art.3.nu.110*
Dissentire bifariam accidit *disp.6.de bap.art. 3.nu.130.*
Dissentire simpliciter, & secundum quid quomodo differat *ibid.3.nu.131.*
Dissentiens contrariè, & negatiuè quinam ex Scoto *ibid.nu.130.*

Duo.

Duo non possunt baptizare vnum, altero formam, altero vero materiam ministrante *dis.5.de bap.cap.2.nu.42.*
Duo si æquali tempore perficientes cum materiæ appositione formam eundem baptizarent, nullum conficerent sacramentum *disp.5.de bap.art.1.num.49.*

E

Ecclesia.

Ecclesia interdum illegitimat personas *disp.3.de sac.in gen.cap.3.nu.60.*

Episcopus.

Episcopus sacramentalia benedicens, aliaq. gerens ordinis Episcopalis in peccato mortali nullo modo peccabit, nisi publicè sit peccator, qui scandalum populo inferat *disp.4.de sac.in gen.art.1.nu.92.*
Episcopus dispensare potest super irregularitate occultè contracta à rebaptizato *disp.5.de bap.cap.3.nu.141.*
Episcopi vbicunque morantur exercere possunt quæ pontificalia non sunt, quæque iurisditionem Ecclesiæ illius non apprahendunt *disp.5.de bap.cap.1.nu.13.*
Episcopi extra suas Diœceses priuatè baptizare licitè queunt *ibidem.*

Eibe-

Etherogeneum.

Etherogeneum quid sit *disp. 2 de euchar. cap. 3. nu. 47.*
Et quomodo differat ab homogeneo *ibid.*

Eucharistia.

Eucharistia sacramentum sacramentorum appellatur *tract. de nom. euchar. nu. 1.*
Eucharistia quomodo differat ab alijs sacramentis *disp. 3. de sac. in gen. cap. 2. nu. 42.*
Eucharistia quomodo sit vnum sacramentum *disp. 1. de euchar. cap. 4. nu. 71.*
Eucharistia non est necessaria necessitate medij nec in re, nec in voto *ibid. nu. 95.*
Eucharistiam renuens, vel negligens in articulo mortis constitutus mortaliter peccat *disp. 1. de euch. cap. 5. nu. 118.*
Eucharistiæ nomen, vt est sacramentum, & vt sacrificium multiplex *ibid.*
Eucharistiæ duplex deriuatio *ibid. num. 2.*
Euhcaristiæ descriptio ex Scoto *ibid. num. 4.*
Eucharistiæ diffinitionis causæ quatuor *ibid. num. 5.*
Eucharistiæ sacramenti vnitas quanta *ibidem num. 7.*
Eucharistiæ signum sensibile sunt species visibiles panis, & vini *ibid. nu. 11.*
Eucharistiæ sacramentum quando institutũ *disp. 1. de euchar. cap. 2. nu. 9.*
Eucharistiæ institutio in quem diem lunarẽ cecidit *ibid. nu. 20. & 35.*
Eucharistiæ sacramentum institui potuisset priusquam ipsum Christi corpus realiter existeret *disp. 1. de euchar. cap. 2. nu. 37. & 46.*
Eucharistiæ sacramenti signata duo, alterum proximum, alterum remotum *disp. 1. de euchar. cap. 4. num. 57.*
Eucharistiæ sumptio, & consecratio non sacramentum, sed sacramentales sunt actus *ibid. nu. 60.*
Eucharistiæ vsus non est sacramentum, sed applicatio ipsius *disp. 3. de euc. cap. 2. nu. 42.*
Eucharistiæ sacramentum non est vnum vnitate indiuisibilitatis *disp. 1. de euchar. cap. 4. num. 68.*
Eucharistiæ sacramentum non est necessarium necessitate medij ad salutem *disp. 1. de euchar. cap. 5. nu. 87. & 94.*
Eucharistiæ sacramentum à Deo institutum *ibid. nu. 115. & disp. 1. cap. 1. nu. 2.*
Eucharistiæ materia quanta præsentia debeat esse præsens certa regula dari non potest *ibid. nu. 25. & 27.*
Eucharistiæ materia ex ministri intentione debet esse certa, ac definita, alias conseruatio nulla *ibid. nu. 35.*
Eucharistiæ materia qualibet minuta particula sensibilis esse non potest, & qua sensibilitate *ibid. nu. 52. & 53.*
Eucharistiæ materia est panis, & vinum *disp. 2. de euchar. cap. 1. num. 54.*
Eucharistiæ materia corporis scilicet, panis triticeus solum *disp. 2. de euchar. art. 1. n. 63.*
Eucharistiæ sacramentum nullam propriã formam internam habet *disp. 3. de euchar. cap. 1. nu. 1.*
Eucharistiæ forma in fieri, idest consecrationis sunt illa verba. Hoc est corpus meum &c. Hic est calix &c. *ibid. nu. 3.*
Eucharistiæ sacramentum quas personas, & quando obliget *disp. 1. de euchar. c. 5. n. 116.*

Existentia.

Existendi in loco modus quadruplex *disp. 1. de euchar. cap. 1. nu. 38.*
Existentia naturalis Christi corporis, & existentia eius modo naturali corporis satis differunt *ibid.*

F

Fatuus.

Fatuus vnde dicatur *disp. 6. de bap. art. 5. num. 109.*

Fictus

Fictiones describuntur, non diffiniuntur *disp. 2. de sac. in gen. cap. 2. nu. 7.*
Fictus qui dicatur *disp. 7. de bap. cap. 3. nu. 55.*

Fides.

Fides in ministris sacramentorum non est semper necessaria *disp. 4. de sac. in gen. art. 1. num. 61.*
Fides in adulto necessario præ requiritur in bap. susceptione, & quæ fides *disp. 6. de bap. art. 3. nu. 168. & 169.*
Fides, & spes in sac. bap. infunduntur cum gratia tam adultis, quam paruulis *disp. 7. de bap. cap. 1. num. 20.*
Fides, & consensus non requiritur in paruulo ad recipiendum bap. *disp. 6. de bap. art. 2. num. 45.*

Forma.

Forma sacramentorum quæ sit *disp. 2. de sac. in gen. cap. 1. nu. 5.*
Forma, & materia bifariam spectari potest *disp. 3. sac. in gen. cap. 1. nu. 60.*
Forma latinorum, ac Græcorum in ordine diuersa *disp. 3. de sac. in gen. cap. 3. nu. 70.*
Formæ determinatio triplex *ibid.*
Formalitas, & materialitas sacramentorum quæ sit *disp. 2. de sac. in gen. cap. 1. nu. 5.*

Fruges, & Frumenta.

Fruges, & frumenta vnde dicantur, & quomodo differant *disp. 2. de euchar. art. 1. n. 56.*
Frumenti species variæ, & vnde deriuentur *ibid. nu. 57. & 58.*

Furiosus

Furiosus vnde dictus *disp. 6. de bap. ar. 3. n. 10.*

G

Gentilis.

Gentilis præter intentionem se circumcidens, si postea hæbreus fieri voluisset, quid? *disp. 1. de sac. in gen. art. 1. nu. 110.*

Gratia.

Gratia ex Dei institutione datur per sacra-

ſecore animalis, quare ſicut ſanguis non habet uirtutem ad traſmutandum in ſe aquam ſi ſit à corpore ſeparatus, nec uinum ſeparatum ad vua. Argumentum eſt à ſimili aptum dumtaxat in elaboratione vtriuſque liquoris ſanguinis, ſcilicet, & vini, in cæteris ineptum, vt diſcurrenti patet,& in caſu præcipue,quia ſanguis è corpore excisus gelat, non ità vinum; vinum retinet vnum,vel alterum calorem, vel vtrumque, non ita ſanguis,ſi hic ergo deſtituitur facultate conuertendi in ſe aquam,cur debet deſtitui vinum? *Ineptum.*

13 Demum. Aqua poteſt à vino artificialiter ſeparari; quod ſi dixeris non eſſe tunc aquam,ſed humorem aqueum, vrgetur;quia is humor vinum non eſt, & tamen conſecratur cum vino, cur ergo non itidem aqua? Reſponſio habetur ex dictis, vel aquam à vino extrahi in caſibus allatis modici, ſcilicet,interualli, vel imbecillitatis vini, vel extractum non eſſe aquam, ſed humorem, qui niſi dicatur pars vini, dicendus eſt etiam non conſecrari ſicuti non conſecrari dicitur aqua nondum in vinum conuerſa: vide nouiſſime Bartholomæum Gauantum *in Theſauro ſacrorum Rituum p. 3. tit. 4.* quod antea etiam docuerat *p. 2. tit.* 7. Atqui hic ſit celeberrimæ huius diſceptationis finis, quo etiam vniuerſam de materia ſacramenti huius vtraque tractationem ſigillamus propitio Deo. *Vltima ratio.* *Eiuſque diluuio.*



DE FORMA SACRAMENTI EVCHARISTIÆ.



DISPVT. III.



Et hæc diſputatio mille dubitationū inuolucris circumfuſa eſt & dolemus ex aucto codice non poſſe fuſius proſequi ſingula, ne tamē ſingula reijciamus, hæc examinabimus.

AN SACRAMENTI HVIVS ſit aliqua forma?



CAPVT I.



1 
Scoti ſententia eſt *d. 8. q. 1. huius 4. littera G, in ſolutione 3.* hoc ſacramentum non habere aliqua verba pro forma; quam doctrinam fuſius proſequitur *q. 2. art. 1.* nec multa indiget probatione ſuppoſita materiæ,& formæ ad conſtitutionem ſacramenti conſpirantis notitia, quam toties in hoc volumine præſtitimus,vt eam repetere tædioſum melius ſit, quam neceſſarium; ſuppoſito igitur phyſicè loquendo materiā, & formam in hac re methaphoricè potius, quam preſſo phyloſophico rigore ſumptam deſignare partes illas ſacramenta conſtituentes, quarum vna determinabilis eſt, & actuabilis, altera deter- *Scoti mens*

determinans, & actuans: & hanc appellari formam, illam autem materiam, & materiam dici rem sensibilem, quam alio nomine Augustinus elementum vocauit, quippe quæ actuatur, ac determinatur à verbis, verbaque proinde, vtpote actuantia, ac determinantia materiam sensibilem formæ rationem subire, hoc (inquam) supposito clare deducitur, ac probatur sacramenti Eucharistiæ propriè nullam esse formam internam vtpote eius partem, quia alias sacramentum esset hoc, & sine partibus internis, & propterea esset, & non esset; constat siquidem internas rei partes ita rem ipsā struere, vt res ipsa sine illis esse nequeat; alioquin essent partes internæ, & non essent internæ quæ implicant. Atquis non videt sacramentum hoc esse, nec tamen vllam in eo permanere materiam, vllam formam? forma igitur (vt ad eam hoc loco spectat oratio) in hoc sacramēto nulla. Quid, quod verba sita sunt in successione, sacramentum hoc autem permanens est? nunquid uero ad integritatem rei permanentis successiuum aliquid inesse potest?

Fusè aperitur

2 Contra hanc Scoti sententiam proclamant Thomistæ *tum d* 11. cum Soto, *tum* 3. *p. q.* 78. *art.* 1. cum cæteris statuentibus non desiderari in hoc sacramento, quod suppetit in alijs, ita præcipuè stamente Concilio Florentino *in instructione Armenorum* singula sacramenta nouæ legis perfici materia, & forma, & intentione ministri, vnde si quid horum ab hoc sacramento euellas, euelles sacramenti rationem necessariū est, iuxta illud vulgatissimum, ac decantatissimum Augustini pronunciatum *Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum*. Est tamen tota lis de nomine, nam neque Scotus vnquam somniauit ad perficiendum hoc sacramentum desiderari materiam, & formam, & intentionem immò loc. cit. *littera G*, ait *tamen ipsa consecratio consistit in fieri, & ideo requirit aliquam formam verborum, sed illa non est forma sacramenti, sed consecrationis sacramenti, &c.* quod repetit *d. eadem q.* 2. *littera A, sub initio.*

In oppositum sunt Thomistæ

3 Hæc est igitur Scoti sententia verba illa. *Hoc est corpus meum: Hic est calix &c.* esse quidem formam necessariam, non tamen sacramenti iam permanentis in esse; sed ipsius sacramenti in fieri; idest consecrationis vtriusque materiæ, & pro tanto dici formam sacramenti, quatenus necessariò ad eius confectionem conspirant, estque paritas, ac disparitas de hoc sacramento, & alijs, paritas quidē, quoniam tam in factione huius, quam cæterorum materia, & forma expetuntur, disparitas verò quia hoc sacramentum iam factum sine forma, & materia remanet, alia verò, quæ in situ dumtaxat sunt posita, tunc sunt, dum fiunt, non habent enim factum esse distinctū à fieri, huius autem fieri distinctum est à facto esse, propterea nō remanent forma, & materies in eo, nec dicuntur eius facti esse partes materia, & forma, cum illa in eius fieri dumtaxat adhibeantur. Vndè Scotus negans in hoc sacramento materiam, & formam appositè ait *q.* 1. *littera H, quod non est hic aliud tanquam materia, & aliud tanquam forma sicut in alijs &c.* obserua particulam illam, *sicut in alijs*, qua doceris non negari materiā, & formam ad fieri huius sacramenti; sed negari materiam, & formam comparatiue ad alia sacramenta, quæ perficiuntur materia, & forma, & illa applicata, hac vero expleta amplius non sunt; hoc autem perficitur quidem materia, & forma dum fit consecratio, quæ est incæptio sacramentalis, sed cum materia transubstantiata, formaque expleta remaneat sacramentum, amplius in eo materia, & forma nulla secundum appellationem physicam.

Explicita Scoti sententia

Paritas, ac disparitas huius, & cæterorum sacramentorum

4 Si verò metaphysicè loquamur, secundum quam appellationem formalitas dicitur relatio signi, & materialitas fundamentum proximū relationis; hæc certè non desideratur in Eucharistia, in qua species sensibiles dicuntur proximum fundamentum relationis significationis, & ipsa significationis relatio appellari potest formale.

Methaphisicè, qua materia, qua forma

5 Nec quid dissonum ab hac sententia docuit S. Thomas *l. c.* 3. *p.* vt uidere est *in corpore quæsiti*. Hinc dum audis, aut legis tum in Concilijs, tum in Rubricis Missalis sacramenti huius dari formam, intellige in eius fieri, & formam verè esse consecrationis, non autem sacramenti iam facti, & permanentis: ita loquuntur etiam Gabriel *in* 4. *d.* 8 *q.* 3 & *lect.* 38. *in can.* Maironus *art* 4. Victoria, Ledesmus, Catherinus, & alij apud Suarez, immò & Vasquez *disp.* 167. *cap.* 3. Verum ab hac communi sententia singulariter deuiat Ioannes à Lugo *disp.* 1. *sect.* 4. qui ne singularis uideatur, in suam etiam sententiam uocat omnes antiquos Theologos, Richardum, Alexandrum, Ioannem Maiorem, & ex Recentibus Suarezium, & Valentiam, statuitque hic Auctor uerba consecrationis intrinsecè pertinere

Solus Lugo deuiās à communi sententia solum esse se non patitur.

 tinere

tinere ad sacramentum Eucharistiæ, probatque primo ex Decreto Eugenij statuente omnia sacramenta perfici materia, & forma, & postea apposite loquendo de hoc sacramento, decernente formam Eucharistiæ esse uerba consecrationis.

Ratiocinatio Lugo.

6 Nec ualet (inquit Lugo,) quod communiter asserunt Aduersarij uerba consecrationis esse formam huius sacramenti in fieri, non uero in facto esse, quia uel esse formam sacramenti in fieri est esse formam, qua constituatur ipsum fieri sacramenti, & hoc est falsum; quia verba non sunt forma productionis Eucharistiæ, sed potius principium efficiens productionis, respectu cuius verba sunt potius principium externum, quam internum, quale est forma: vel per esse formam sacramenti in fieri intelligitur esse formam illius in primo instanti, non verò pro tempore sequenti; & hoc etiam falsum est; quia si pro primo instanti cõponitur ex forma, ut resultet compositum, ergo & pro tempore sequenti, alioquin non habebit denominationem eandem sacramenti.

Retunditur

7 Vniuersa hæc Lugo probatio ex inani fundamento labitur, putat enim materiam, & formam in sacramentis esse partes interne cõstituentes sacramentum tamquam physicum compositum ex partibus, quod falsum esse *in disp. de quidditate sacramentorum physica*, decursum est *tract. de sacr. in gener.* dicitur enim forma, & materia methaphoricè partes sacramenti, quatenus ex parte fundamenti relationis signi duo coeant, quorum unum potentiale, ac determinabile magis materia, alterum actuale, ac determinatiuum forma nuncupatur: dum ergo quærit Lugo, an sit forma constituens ipsum sacramentum in fieri, uel in primo instanti tantum. Respondeo nec in primo instanti, nec unquam, nam forma non constituit sacramentum intrinsecè, ut ipse putat, sed perficit, ut docet Concilium Florentinum, perficit, inquam, dum ex parte fundamenti relationis signi contrahit rem, quæ & materia dicitur, forma igitur consecrationis consecrationem ipsam perficit, quæ dicitur sacramenti huius inceptio, & pro tanto sacramentum hoc perficere dicitur, quatenus inceptionem eius perficit.

Arguit Lugo à priori

8 Sed rursum arguit Lugo, & vt ipse retur à priori. Forma, vt forma non potest habere alium modum concurrendi, nisi intrinsecè componendo, nec potest habere alium effectum nisi compositum ex eo resultans, ergo cum verba consecrationis sint uere forma Eucharistiæ, vt diffinit Eugenius, necessum est, vt illam intrinsece componant, alioquin non erũt eius forma. Optaret Lugo, vt reor, argumentum hoc esse probabile, & sat illi esse tactum, dum sibi blanditur id esse à priori, cuius imbecillitatem quis non videt, dum supponit formam hic, & materiã in toto rigore physico spectari: sed redarguamus Lugo ex philosophiæ principijs, quæ ipse sumit. Forma, vt forma nedum compositum struit, sed in composito manet ipsomet Aristotele præceptore *in 1 & 2. naturalium*; at verba non manent in Eucharistia, ergo, licet per ipsum struerent, non sunt forma.

Sed nec est ratio probabilis.

At patcendum est illi, qui ex prauo principio doctrinam colligere potuit cõsequenter, ac dicendum argumento sequelam falsam esse falso supposito, nimirum verba in sacramentis esse verè, ac in toto physico rigore formam, neque vnquam Eugenius aduerbium illud *verè* vsurpauit, nisi ex libertate Lugo.

Aliud eiusdem argumentũ.

9 Rursum arguit. Species vt condistinctæ à verbis non possunt habere integrã rationem sacramenti, prout sic enim nõ habent integram significationem sensibilem gratiæ nutrimentalis, qualis requiritur ad sacramentum Eucharistiæ; ergo in ratione sacramenti reduplicant uerba consecrationis: probat antecedens, quia species panis nec præsentiam Christi significant, nec gratiam, neque ad hoc institutæ sunt, neque mentem excitant uidentis, nisi sciamus esse consecratas, seu prolata esse uerba super illas, ergo species non constituunt sacramentum, nisi prout cum uerbis.

Defectibile ostenditur.

10 Totum argumentum defectibile est, nã inprimis antecedens asumit falsum, quasi uerò possint non distingui species à uerbis, dicendum erat ei species non supponentes uerba consecrationis non habere integrã rationem significationis. Deinde dũ de significatione loquitur, adducit in antecedẽti significationẽ gratiæ nutrimentalis; cũ tamen hæc sit significatum dumtaxat remotum istius sacramẽti, proximũ enim est præsentialitas Christi corporis.

Consequens etiam non deducitur in terminis ab antecedente, quid enim ad rẽ reduplicatio uerborum, cum significatione proximi, uel remoti signati? deducendum erat ei in forma sic ex illo antecedenti; ergo ut sint sacramentum illæ species, debent includere uerba, quomodo si

sio si esset structum dilemma, neganda esset illi deductio; quia ad significandū; seu adhoc ut species illi sint proximum fundamentum relationis signi sat est esse consecratas, seu in constitutione earū pro fundamento fuisse uerba adhibita, quod ultrò concedimus, hoc autem sensu nihil ultra cogit argumentum, nisi prærequiri ad consecrationem, in qua species constituuntur fundamentum relationis pro forma, quod hucusque concessimus.

Et hæc de disputatione penitus vocali, quæ si ultrà uocum diuersitatem cum Lugo trahatur, nullum habet robur; cū certum sit uerba, quæ dum proferuntur, tunc sunt dumtaxat, non manere actu in hoc sacramento facto, sed adhiberi tantùm, dùm fit.

AN CHRISTVS CONSECRAuerit statuta illa forma. Hoc est corpus meum, Hic est calix, &c.



CAPVT. II.



11 Pertinet petitio ad moralem potius, quam Scholasticum Doctorem, ne quid tamen intactum relinquatur, appositâ appositè, sed breuiter enucleabitur. Sunt, qui putent non consecrasse Christum, sed alia omnino forma vsum in consecratione vtriusque materiæ, licet quibus nam illa integrarentur verbis non exprimant, citantur pro hac opinione à Marginalis Scoti *quol. 2 q. finali* Ochamus, & Gotfredus Pictauiensis *4. p. summæ*, immeritò tamen citatur Ocham, qui nihil tale ibi ponit, cuiuscunque tamen sit opinio niti ei fundamento posset, quia dum Christus ijs vsus est verbis. *Hoc est corpus meum*. *Hic est calix sanguinis mei, &c.* quæ regulariter sumuntur forma vtriusque consecrationis, iam panem in corpus, & vinum transubstantiauerat in sanguinem per illam scilicet præcedentem benedictionem, quam ipsi etiam memorant Euangelistæ, verba ergo illa non adhibuit Christus ad consecrandum, antecedens videtur ex mente Ambrosij deductum *lib. de ijs, qui initiantur cap. 9.* dicentis. *Hic est panis, quem benedicit consecrauit, &c.* Huic sententiæ visus est fauere Innocentius *q. 3. de off missæ cap. 6.* & 14. Sunt etiam, qui velint Christum nulla forma vsum, sed ex potestate suæ excellentiæ absque omni forma consecrasse; Cæterum illam pro alijs ad consecrandum præscripsisse formam, citatur pro hac Durandus à Fabro *disp. 31. cap. vnico*, sed voluntariè, vt videre est apud ipsum Durandum *d. 8. q. 2.* cuius placitum infrà referemus.

Prima sententia.

Ocham falsò citatus.

Pro secunda sententia citatur falsò Durandus.

13 Sunt tertio, qui velint Christum eandem, qua nos vtimur, forma vsum in consecratione, sed & isti opinionem suam partiti sunt, quibusdam autumantibus verba illa consecrationis. *Hoc est corpus meum, &c. Hic est calix sanguinis mei, &c* bis à Christo prolata semel quidem secretò, & clam, dum conficeret, quam actionem, vtpotè clam factam Euangelistæ non referunt, iterum autē publicè dum traderet corpus suum discipulis, & eos formam consecrationis doceret.

Tertia sententia.

14 Has opiniones ipsemet Innocentius refert *loco citato*, & Alexander Alensis *4. p. q. 13. membr. 2.* & Gabriel *lect. 36. in can.* alij vero semel tantum verba voluit à Christo prolata, ijsque eisdem consecrasse.

Pro opinione asserente Christum, vel non consecrasse ijs verbis, sicut & nos, vel iteratis verbis illis consecrasse citatur Maironus, à Gabriele, at Maironus, vt videre est *d. 8. q. vnica art. 5.* nedum nobiscum sentit statuendo Christum ijs verbis confecisse, vt nos agimus, sed hoc idem auctoritate probat Eusebij, Hieronymi, & Cypriani.

15 Statuendum igitur in re morali breuiter Christum Dominum usum quidem forma ad consecrandum, sed non alia, ab ea, qua nos ex eius institutione vtimur.

Assertiam soluens quæsitum

Assertionem hanc reputant Recentes aliqui sin minus de fide, saltem fidei decreto proximam, eo quod Florentina Synodus in decreto Eugenij habeat hæc uerba. *Forma huius sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficit sacramentum, &c.* est autem censura uiolenta fatis, cum non sincerè Concilij, seu potius Euge-

Eugenij, uerba ferantur, qui non utitur uerbo illo *confecit*, sed *conficit*; alterum porrò distat ab altero; nam primum designat ita Christum confecisse in eius institutione, ut *Aduersarii* pro se ferunt: secundum uero denotat Saluatorem nunc ijs uerbis conficere, quod esse de mente Eugenij patet ex sequentibus uerbis, quibus ut ostendat Christum iam ijs verbis conficere, subdit, *sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum.*

Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius Bellarmin. Scotus, & eius ratio

16 Est autem assertio satis ex se certa, pro qua citantur Antiquissimus Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem*, Cyprianus *serm. de Cœna Domini* Ambrosius *lib. 4. de sacramentis*, & alij; qua de re consulendi sunt post Bellarminum Recentes. Scotus noster certè *d. 7. q. 2. art. 3. littera F.* congruâ id ratione confirmat, quia probabile minimè est alia forma vti actorē, & ministrum, cui forma committitur, certum est autem hanc nunc esse formam consecrationis ex Concilio Florentino, eaque vti ministros, hoc est, sacerdotes *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei, &c.* non est ergo probabile alia forma vsum Christum Dominum sacramenti huius institutorem. Quod autem ea non semel, ac iterum, sed semel tantum vsus fuerit Christus, inde liquet maximè, quod repetitio hæc satis fuisset inutilis, & voluntariè multiplicata, nulla suppetente, aut Euangeliorum, aut scripturarum, ac Patrum auctoritate, nulla ratione ad eius multiplicitatem inuehendam, qua igitur libertate multiplicitas hæc repetitionis verborū à Christo factæ inuehitur, pari libertate retunditur.

Aliorum sententiæ subcribo

17 Simili etiam libertate refellitur assertum ponens Christum nullis verbis vsum, dum nulla ratione fulcitur; immò oppositum liquet ex Patribus citatis, Ambrosio potissimum statuente sacerdotem vti in consecratione sermonibus Christi, inclinatque Florentinum Concilium citatum.

Ratio in oppositum inualida.

Nec ratio in oppositum probat, quia, quod per benedictionē cōsecrarit liberè dicitur, nec Ambrosius aliud intendit, nisi vel terminos consecrationis, & benedictionis confundendo, vel excessiuè loquendo benedictionis etiam vsum in Christi institutione exprimere, alias esset sibi ipsi contrarius. Nec dedecet verba illa *consecrationis*, & *benedictionis* confudisse; quia cum non constet ex Euangelistis, an illæ tres actiones, benedictio, consecratio, & gratiarum actio, quæ in institutione huius sacramenti intercesserunt, fuerint distinctæ, licuit planè alteram pro altera vsurpare.

18 Equidem dè distinctione illarum actionum *supra* meminimus constituentes differre ad inuicem; quod etsi noster Faber *disp. 31.* dicat non esse dè mente Scoti; ego certè apud Scotum nihil assertо huic contrarium legi.

Faber voluntariè Scotum citat.

Si dicat non esse dè mente Patrum, præterquamquod responsum hucusque cōmodauimus; adhuc Responderi posset, actiones sacramentales à circumstantijs, vel ex partibus accipere nomen, hinc baptismus vocatur interdum aqua; confirmatio dicitur manus impositio, cum tamen aqua in eo sacramento sit tantum remota materia, & impositio manus hac tempestate sit potius circumstantia, quā pars sacramenti confirmationis. Si dicat, opponi eo textum Marci 14. qui de consecratione calicis effatur; dilucidè satis consecratum illum indicat ante illa verba. *Hic est calix, &c.* ait enim Marcus. *Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes; & ait illis. Hic est sanguis meus noui testamenti, &c.* quibus apertè demonstrat verba, quæ nūc sunt consecrationis forma subsecuta fuisse bibitionem discipulorum. Alias respondi, Euangelistas interdum recapitulando gesta narrasse, non spectato facti ordine, vt egisse dicendus est Marcus ibi.

Obiecti solutio.

19 Aies, quo ergo ordine facta fuerunt tria illa opera, benedictionis, consecrationis, & gratiarum actionis, &c. Insuper & fractionis, & distributionis Apostolis? Mitto aliorum sensum in re morali, & censeo, prout ex Euangelica serie comperere possum, id ita euenisse, vt primo Christus panem sumpserit; deinde benedixerit consueta quadam benedictione, non quidem consecratoria, sicuti etiam se gessit in benedictione panis in monte, dum quinque virorum millia saturaturus apponi panes iussit, tertio fregerit, quarto dederit discipulis verba consecrationis proferendo. Hanc, n. ordinem statuit Matth. 26. *Cœnantibus* (inquit) *eis accepit Iesus panem* (en prima actio) *& benedixit* (en secunda) *& fregit* (en fractio tertium opus) *deditq; discipulis, & ait Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, &c.* en traditio cum consecratione, ne autem putares traditionem præcessisse consecrationem ex illis verbis *dedit, & ait, &c.* en Lucas simultatem vtriusque actionis exprimit cap. 22. *& accepto pane,* en sumptio,

Ordo illarum trium actionum sic explicatur.

Gratias.

gratias egit, en alia actio, quam subticuit Matthæus, *& fregit*, en fractio *& dedit eis dicens*, en simultas traditionis, & consecrationis, quam benè explicat participium *dicens*. Cæterum in re ad scripturæ interpretem spectante dicta satis, in quibus, sicut in cæteris voluminis huius partibus, si inscitè, mihi; siquid scitè, scientiarum omnium largitori benedictio, laus, & gratiarum actio, Amen.

OMNIA SVBIICIO PEDIBVS S. R. ECCLESIÆ.

FINIS



INDEX RERVM MEMORABILIVM

QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.



A

Abluo. Ablutio.

ABluo, linio, & lauo non sunt idem cum baptizo *disp.4.de bapt.cap.2.num. 33. & 34.*

Ablutio quid sit *disp 3.de bapt.cap.2 numero 31.*

Ablutio non est satis in qualibet parte corporis, ad baptismi validitatem *ibidem num. 71.*

Ablutio quanta esse debeat *ibid.nu 66. & 69.*

Ablutio qualis *ibid. nu. 48.*

Ablutio, seu baptizatio passiua est proxima materia sacramenti baptismatis *ibidem numero 43.*

Ablutio dicit contactum per aquam *ibidem num. 32.*

Ablutio actio quando pro materiali sumatur *ibid nu.42.*

Ablutio in fluxu, & in esse quieto *disp. 3. cap.2 nu. 24.*

Ablutio in aqua est proxima sacramenti baptismatis materia *ibid. nu.26.*

Ablutionis varia acceptio ex Scoto *ibidem num.24.*

Acetum.

Acetum, & agrestum non possunt esse materia consecrationis sanguinis, cum vtrumque specie distinguatur à vino *disp.2. de Euchar.art,2.num.89.*

Actio Actus.

Actio quid sit *disp.3.de bapt.cap 2.nu.33.*

Actio in quo genere sita sit *disp. 3. de bapt. cap.2.nu.37.*

Actionis, & passionis subiecta quæ *ibidem nu. 41.*

Actionis vocabulum quid *ibid num.36.*

Actus baptizandi est necessario exprimendus in forma baptismi *disp.4.de bapt.cap.1 nu. 2.*

Actus huiusmodi quomodo exprimi debeat *ibid. num.9.*

Adultus.

Adulti infideles, qui aliquando fuere fideles cogendi sunt ad fidem *disp.6 de bap 1. art. 1.nu.82. & 83.*

Adultorum distinctio *disp. 6. de bapt. art .3. num.108.*

Agens.

Agentis naturalis, & supernaturalis distinctio *disp.5 de sacr.in gen.art.5. nu.109.*

Alica.

Alica frumenti species vnde dicatur *disp. 2. de euchar art.1.nu. 58.*

Amens.

Amentes, & dormientes baptizari non possunt, nisi ante somnum, & amentiam intentionem habuerint suscipiendi baptismum *disp. 6. de bap ar.3 num.155.*

Amens vnde dicatur *ibid num. 109.*

Amentes perpetuo, ac furiosi confirmari possunt si à natiuitate in amentiam inciderint *disp.3.de conf cap.2 nu.23.*

Amidum.

Amidum non est apta materia Euchar. cum verè non sit triticum, sed ex tritico corrupto fiat *disp.2.de euch. art.2.nu.79.*

Analogum.

Analogia vniuocationis, vel equiuocationis socia *disp.2.de sac .in gener.cap.3.nu. 36.*

Analogum quid sit *ibid.*

Apostoli.

Apostoli baptizati fuerunt ante vltimam cænam, quia tunc facti sunt Sacerdotes *disp. 6.de bap.cap 2.nu.61.ac 68.& disp. 1 cap.3. num.135.*

Apostoli non Ioannis sed Christi bapt. baptizabant *disp 1 de bapt.cap.1.nu.15.*

Apostoli in primitiua Ecclesia per solum manum impositionem sacramenti confirmationis effectum dabant *disp.2. de conf. cap. 2.nu.31.*

Apostoli in confirmatione chrismate vsi sunt *ibi num. 28.*

Aqua.

Aquæ impuritas duplex *disp. 3.de bapt.cap 1.num. 3.*

Aquæ naturalis, & artificialis discrimen *disp.3.de bap cap.1.nu.2.*

Aquæ mistio in consecratione sanguinis non est de necessitate sacramenti, sed præcepti, *disp 2.de euch.art.2.n.114.*

Aquæ naturalis non artificialis debet esse

a mixtio

mixtio *ibid.nu.* 114. & 115.
Aqua tam modica adhibenda in mixtione, quæ modico temporis interuallo ab oblatione vsque ad consecrationem in vinum conuerti queat *ibid.nu.* 116.
Aqua vino mixta non conuertitur in sanguinem, sed in vinum, *ibid.* 117. & 118.
Aquæ in vinum conuersio quomodo fiat *ibid.nu.* 126.
Aqua secundum aliquos potest à vino artificialiter separari *ibid. num.* 132.

Attributum.

Attributorum sola expressio in forma baptismi inualidat sacramentum *disp.* 4. *de bap.cap.*4 *nu.*81.

Attritio.

Attritionis descriptio *disp.* 6. *de baptismo art.* 3.*nu* 177.
Attero quid significet *ibidem*.
Attritionis nominis significatum *ibid.n.*178.
Attritio duplex, altera, quam putatam contritionem vocant, altera, quam notam, seu cognitam *ibid.nu.*119.
Attritio satis est in adulto pro dispositione ad baptismum *ibid.nu* 194.

B

Baptismus.

Baptismus diffiniri potest *disp.* 1. *de bap. cap.*1.*nu.*8.
Baptismus Ioannis nulla lege communi præceptus à Deo videtur *disp.* 1. *de bap. Ioannis cap.*1.*nu.* 3.
Baptismus Ioannis non fuit verè sacramentũ *disp* 1.*de bap.Ioan.cap.*2.*num.*13.
Baptismus Ioannis quoquomodo, & saltem impropriè sacramentum dici poterat *ibid. nu.* 15.
Baptismus Ioannis nulla certa forma conferebatur *ibid.nu.* 17. & 19.
Baptismus Ioannis quo tempore cessauerit *disp.* 1. *de bap Ioan.cap.*3. *nu.*43.
Baptismus Christi in quo dissidebat ab illo Ioannis *ibid nu.* 50.
Baptismus Ioannis non fuit solum de consilio, sed de præcepto *disp.* 1. *de bap. Ioan. cap* 1.*nu* 8.
Baptismus à quocumque homine datus est validus *disp.*5.*de bap.cap.*1.*nu.*15.
Baptismus Christi quando à Christo institutus, ac proinde esse inceperit *disp.* 1. *de bap.cap.*1. *nu.* 1.
Baptismus institutus non fuit post Christi Resurrectionem *ibid nu.* 12.
Baptismus Ioannis ex sua vi non fuit ad salutem necessarius *disp.*1.*de bap.Io.cap.*1.*n.*11.
Baptismus Christi ab ipsa suæ institutionis hora statim cæpit vel cõsilio, vel præcepto esse subiectus *disp.*1.*de bap.cap.*2.*nu.*43.
Baptismus Christi statim, ac institutus non fuit sub præcepto *ibid. nu.*52.
Baptismus Christi non statim in Christi morte sub præcepto cecidit *ibid.nu.* 53.
Baptismus quousque differri possit *disp.*1.*de bap. cap.*3.*nu* 98.
Baptismus actiue nunquam explicite sub præcepto datus *ibid.nu.*139.
Baptismus omnem cum culpa remittit pœnam, absque pœnitentia *disp.*3. *de confirm. cap.*1.*nu.*6.
Baptismus per immersionem fieri nequit, nulla subsequente emersione, & cum periculo vitæ baptizati *disp.* 3. *de bap.cap.*2.*nu.* 59.
Baptismus licitè ab alio, quam ab homine ministrari potest scilicet ab Angelo *disp.* 5.*de bap.cap.*1.*nu.*1.& 2.
Baptismus à duobus collatus, altero formã, altero materiam ministrante est inualidus *disp* 5 *de bap.art.*2.*nu.*67.70.&75.
Baptismus datus in nomine Genitoris Geniti, ac spirati siue procedentis ab vtroque nullius est valoris *disp.*4.*de bap. cap.*4.*nu* 75.
Baptismus collatus in nomine Trinitatis est nullus, *disp* 4 *de bap.cap.*4. *num.* 80.
Baptismus datus in solo Christi nomine nullius fuit valoris & an vnquam fuit in Christi nomine datus *disp.* 4.*de bap.cap.*2.*nu.*49. & *cap* 3.*num* 41.
Baptismus paruulis infidelium inuitis parentibus datus validus est, *dis.*6.*de bap.ar.*2.*n.*30.
Baptismus in eodem subiecto iterari non potest, *dis.*5.*de bap.cap.*3.*append.num.*119.
Baptismus tollit omnem culpam dummodo nullum adsit ex parte suscipientis impedimentum, *disp.*7.*de bap.cap.*1.*num.*7.
Baptismus non tollit pœnas ciuilis fori, *ibid. num.* 16.
Baptismus tollit omnem pœnam impositam temporalem, & æternam, *ibid.num.*11.
Baptismus non tollit omnes pœnas canonicas *ibid.num.*32.
Baptismus cur tollit irregularitates ortas ex homicidio, non autem ex Bigamia *ib.n.*33.
Baptismus non tollit omnes irregularitates, *ibid.num* 34.
Baptismus non tollit pœnas ortas ex non criminibus, *ibid.num.*36.
Baptismi Ioannis finis quatruplex, *disp.* 1. *de bap.Io.art.*3.*num.*49.
Baptismi institutio ex sententia auctoris *disp.* 1. *de bap cap.*1.*num.*26.
Baptismi flaminis, & martyrij disparitas, *dis.* 1 *de bap.cap.* 3.*num.*154.
Baptismi ministrandi, ac suscipiendi tempus *ibidem num.*141.
Baptismi votum duplex, & quid vtrumque sit *ibid.num.*124.
Baptismi votum quibus necessarium ad suscipiendum baptismum *ibid. num.*126.
Baptismi necessitas ratione præcepti, *ibidem num.*

INDEX

num. 130.

Baptismi ministri non sunt soli homines, sed & Angeli baptizare possunt, *disp. 5. de bap. cap. 1. num. 26.*

Baptismi nominis significatum *disp. 2. de bap. cap. 1. num. 2.*

Baptismi diffinitio ex Scoti sententia, *disp. 2. de bapt. cap. 2. num. 15.*

Baptismi diffinitio ex sententia auctoris *ibid. num. 22.*

Baptismi forma, quæ *disp. 4. cap. 1. n. 4. de bap.*

Baptismi materia, quæ *disp. 3. de bap. cap. 1. n. 7.*

Baptismum suscipiens proprio nomine declaratus non irritat sacramentum *disp. 4. de bapt. cap. 1. num. 16.*

Baptizandi modus per aspersionem alius est ab eo, qui fit per infusionem *disp. 3. de bap. cap. 2. num. 50.*

Baptizandi ritus per mersionem scilicet infusionem & aspersionem idoneus *ibid. n. 51.*

Baptizandi ius proprium est Episcoporum, & presbiterorum ex vi suæ ordinationis; *disp. 5. de bap. cap. 1. num. 6.*

Baptizare Spiritu sancto, & baptizare in Spiritu sancto baptizare igne, & in igne quomodo differant *disp. 3. de bap. cap. 1. nu. 15. & 16.*

Baptizatio passiua est materia proxima sacramenti huius *disp. 3 de bap. cap. 2. num. 43.*

Baptizo verbum quomodo accipiatur *disp. 5 de bap. art. 2. num. 72.*

Baptizo verbum est de essentia *disp. 4. de bap. cap. 2. num. 36.*

Blatta

Blatta, siligo, & triticum, panem aptum ad consecrandum struunt *disp. 2. de Eucharis. ar. 1. num 64.*

Blatta vnde dicta, *ibid. num. 58.*

C

Cæremonia.

CÆremonia vnde dicta *disp. 1. de bap. ca. num. 49.*

Causa

Causa secunda minus dependet à superiori, quam instrumentum *disp. 5. de Sacr. in gen. art. 2. num. 46.*

Causa phisica, & moralis quænam sit *ibidem num. 47.*

Causa sine qua non duplex *ibid. num. 55.*

Causalitas causæ sine qua non quomodo à sacramentis reijcitur *ibid. art. 4. num. 69.*

Causæ institutæ circumcisionis *disp. 6. de sac. in gen. cap. 1. num. 67.*

Character.

Character non est ordinis trascendentalis, sed collocatur in genere *disp. 6. de sacr. in gen. cap. 2. num. 52.*

Character quomodo sit indelebilis *disp. 6. de sac. in gen. cap. 3. num. 66.*

Character datur per aliqua sacramenta *dis. 6. de sac. in gen. cap. 1. num. 12.*

Character est relatio realis extrinsecus adheniens *disp. 6. de sac in gen. cap. 2. nu. 38. & 44.*

Character est ens relatiuum, non absolutum *ibid. num. 43.*

Character quibus rationibus ponatur *ibidem*

Characteris ratio est diuersa à virtutibus, cum per virtutes nemo in Ecclesiæ gradu constituatur sicuti per characterem, *disp. 6. de sac. in gen. cap. 3. num. 69.*

Characteris nominis varietas, & significata *dis. 6. de sac in gen. tract de nom. char. n. 2. & 3*

Charitas

Charitas infunditur per baptismum *disp. 7. de bapt. cap. 1. num. 19.*

Christus.

Christus cur se circumcidi passus sit *disp. 1. de bap. cap. 2. num. 50.*

Christus Dominus nullo charactere obsignatus fuit *disp. 6. de sac. in gen. cap. 3. num. 67.*

Christus ea forma in consecratione vsus est, qua nos vtimur *disp. 3. de euchar. cap. 2. n. 15.*

Circumcisio.

Circumcisionis institutio *disp. 1. de sac. in gen. art. 1. num. 68.*

Circumcisio cur in ea parte data fuerit *ibid. num. 68. & 72.*

Circumcisionis finis, quis *ibid. num. 72.*

Circumcisionis præceptum bis datum semel Abrahamo, eiusque familiæ, iterum vero Hebræis omnibus *ibid nu. 118*

Circumcisio verum sacramentum fuit ad originale peccatum delendum *ibid. num. 89.*

Circumcisio quando præcepta *ibid num. 98.*

Circumcisionis octauus dies necessitate impellente præponi, & postponi poterat *ibid. num. 108.*

Circumcisio ex suo ui peccatū tollebat, & gratiā conferebat *disp. 1. de sac. in gen. art 2. n. 116.*

Circumcisio in lege scripta cooferebat gratiā ex opere operato *ibid num, 120.*

Circumcisio in antiqua lege erat ianua salutis, sicuti & baptismus in noua lege *disp. 6. de sac in gen cap. 3. num. 72.*

Circumcisio imprimebat characterem, sicut & baptismus *ibid.*

Circumcisio ab instituto baptismate vsque ad Christi mortem necessaria non fuit *disp. 1. de bap. cap. 2. num 61.*

Circumcisus baptizari debuerat *disp. 6. de sac. in gen. cap. 3. num 72.*

Cœna.

Cœna triplex, legalis, visualis, & sacramentalis *tract. de nom. euchar. num. 2.*

Communio, communicans.

Communicans feria 6. Parasceue, & Sabbato sancto preceptum paschale implet *disp. 1. de euchar. cap. 5. num 100. & 101.*

Communicans scienter in peccato mortali in Paschate non soluit præceptum *ibid. n. 107.*

Communionem omittens tempore Paschatis

I N D E X

remanet adhuc obligatus ad communicandum semel in anno illo *ibid.num.* 103.
Communionem præueniens scienter an præcepto satisfaciat *ibid.num.*104.& 105.

Conditio.

Conditiones ad valide ministrandum baptisma *disp.5.de bap.cap.2.num.2.*
Conditiones diffinibilis ex *Aristotele disp.2. de sac.in gen.cap.1.num.8.*
Conditiones singulæ rei diffinibilis quomodo sacramento aptantur *ibid.num.16.*
Conditiones in ministro sacramentorum expetitæ *disp.4.de sac.in gen.cap.3.num.48.*

Confirmatio.

Confirmationis diffinitio *disp.2.de conf.cap.1 num.18.*
Cōfirmationis materia *ibid.cap.2.n.22.&* 24.
Confirmationis sacramentū Christus immediate instituit *ibid.num.51.*
Confirmationis forma variari potest, dummodo essentialia non varientur, *disp.2.de conf.cap.4.num.71.*
Confirmationis sacramentum gratiam confert, & qualem, *disp.3.de conf.cap.1.num.3.*
Confirmationem suscipiens, quam dispositionem habere debet. *ibid.num.4.*
Confirmationis effectus non idem est cum effectu sacramenti baptismatis *ibid.nu.* 6.
Confirmationis iteratio in eodem subiecto, nullā inducit pœnā irregularitatis *ib.n.*14.
Confirmari in qua quis ætate possit *disp.* 3. *de conf.cap.2.num.19.*
Confirmari possunt perpetuo amentes, ac furiosi, *ibid.num.*23.
Confirmationis sacramentum non est simpliciter necessarium necessitate medij, sed necessitate præcepti *ibid.cap.3.nu.*28 & 29.
Confirmationis minister ordinarius ex diuina institutione est solus Episcopus *ib.n.*38.

Consecratio

Consecrationis congruentia sub duplici specie *disp.2 de euch.cap.1 num.2.*
Consecratio sub vna specie non irritat sacramentum *ibid.num* 7.
Consecratio sub vtraque specie diuino præcepto necessaria est *ibid num.*11.
Consecrationem sub vna specie Ecclesia non dispensauit *ibid num.*13.
Consecrari non potest quodcunque etiam distans *ibid.num.*30.

Contritio.

Conteri quid significet *disp.6. de bap. art.* 3. *num.*177.
Contritio quomodo describatur *ibid.*

Contractus.

Contractus vnde dicatur *disp.2.cap.1.nu.*73. *de sacr.in gen.*
Contractus potest esse sine sacramento in matrimonio *ibid.num.*24.

D

Diaconus.

Diaconus,& Subd.ministrantes in mortali haud lethaliter peccant,nisi sint publici peccatores,& scandalum populo inferant *disp.4.de sac.in gen.art.1.nu.*92.
Diac.ex vi suæ ordinis nullum ius ad baptizandum habet extra necessitatem *disp.* 5. *de bap.cap.1.nu* 25.

Dies.

Dies lunares Hæbreorum qui dicantur *disp.5.de euchar.cap.3.nu.*16.
Dies octauus Circumcisionis necessitate impellente præueniri, & postponi potuisset *disp.1.de sacr.in gen.art.1.nu.*108.

Diffinitio.

Diffinitio rei duplex propria, & impropria *disp.2.de sac.in gen.cap.1.nu.7.*
Diffinitio, alia phisico, alia methaphisico modo *disp.3.de bap.nu.1.*
Diffinitio sacramenti ex Scoto *disp.2. de sacr. in gen.cap.1.nu* 2.
Diffinitio signi ex *Augustino disp.* 2. *de sac. in gen.cap.1.nu.2.*
Dispositio requisita in adultis ad recipiendum baptismum *disp 6.de bap.art.3.nu.*110
Dissentire bifariam accidit *disp.6.de bap.art.3.nu.*130.
Dissentire simpliciter, & secundum quid quomodo differat *ibid.3.nu.*131.
Dissentiens contrariè,& negatiuè quinam ex Scoto *ibid.nu.*130.

Duo.

Duo non possunt baptizare vnum,altero formam, altero vero materiam ministrante *dis.5. de bap. cap. 2. nu.* 42.
Duo si æquali tempore perficientes cum materiæ appositione formam eundem baptizarent, nullum conficerent sacramentum *disp.5. de bap. art. 1. num.* 49.

E

Ecclesia.

Ecclesia interdum illegitimat personas *disp.3.de sac.in gen cap.3.nu.60.*

Episcopus.

Episcopus sacramentalia benedicens, aliaq; gerens ordinis Episcopalis in peccato mortali nullo modo peccabit, nisi publicè sit peccator, qui scandalum populo inferat *disp.4.de sac.in gen.art.1.nu.92.*
Episcopus dispensare potest super irregularitate occultè contractā à rebaptizato *disp 5.de bap.cap.3.nu.*141.
Episcopi vbicunque morantur exercere possunt quæ pontificalia non sunt, quæque iurisditionem Ecclesiæ illius non apprehendunt *disp.5.de bap.cap.3.nu.*13.
Episcopi extra suas Diœceses priuatè baptizare licitè queunt *ibidem.*

Esse

Etherogeneum.
Etherogeneum quid sit disp. 2. de euchar. cap. 3. nu. 47.
Et quomodo differat ab homogeneo ibid.
Eucharistia.
Eucharistia sacramentum sacramentorum appellatur tract. de nom euchar. nu. 1.
Eucharistia quomodo differat ab alijs sacramentis disp. 3. de sac. in gen cap. 2. nu. 41.
Eucharistia quomodo sit vnum sacramentum disp. 1. de euchar. cap. 4. nu. 71.
Eucharistia non est necessaria necessitate medij nec in re, nec in voto ibid. nu. 95.
Eucharistiam renuens, vel negligens in articulo mortis constitutus mortaliter peccat disp. 1. de euch cap. 5. nu. 118.
Eucharistiæ nomen, vt est sacramentum, & vt sacrificium multiplex ibid.
Eucharistiæ duplex deriuatio ibid num. 2.
Eucharistiæ descriptio ex Scoto ibid num. 4.
Eucharistiæ diffinitionis causæ quatuor ibid. num 5.
Eucharistiæ sacramenti vnitas quanta ibidem num. 7.
Eucharistiæ signum sensibile sunt species visibiles panis, & vini ibid. nu. 11.
Eucharistiæ sacramentum quando institutū disp. 1. de euchar cap. 2. nu. 9.
Eucharistiæ institutio in quem diem lunarē cecidit ibid. nu 10. & 35.
Eucharistiæ sacramentum institui potuisset priusquam ipsum Christi corpus realiter existeret disp. 1. de euchar. cap. 3. nu. 37. & 46
Eucharistiæ sacramenti signata duo, alterum proximum, alterum remotum disp. 1. de euchar cap. 4. num 17.
Eucharistiæ sumptio, & consecratio non sacramentum, sed sacramentales sunt actus ibid. nu 60.
Eucharistiæ vsus non est sacramentum, sed applicatio ipsius disp. 3. de euc. cap. 2. nu. 42.
Eucharistiæ sacramentum non est vnum vnitate indiuisibilitatis disp. 1 de euchar. cap. 4. num 68.
Eucharistiæ sacramentum non est necessarium necessitate medij ad salutem disp. 1. de euchar cap. 5. nu. 89. & 94.
Eucharistiæ sacramentum à Deo institutum ibid nu 115. & disp 1. cap. 1. nu. 2.
Eucharistiæ materia quanta præsentia debeat esse præsens certa regula dari non potest ibid nu. 25. & 27.
Eucharistiæ materia ex ministri intentione debet esse certa, ac definita, alias conseruatio nulla ibid. nu. 35.
Eucharistiæ materia quælibet minuta particula sensibilis esse non potest, & qua sensibilitate ibid. nu. 51. & 53.
Eucharistiæ materia est panis, & vinum disp. 2. de euchar. cap. 1. num. 54.
Eucharistiæ materia corporis scilicet, panis triticeus solum disp. 2. de euchar. art. 1. n. 63.
Eucharistiæ sacramentum nullam propriè formam internam habet disp. 3. de euchar. cap. 1. nu 1.
Eucharistiæ forma in fieri, idest consecrationis sunt illa verba. Hoc est corpus meum &c. Hic est calix &c. ibid. nu. 3.
Eucharistiæ sacramentum quas personas, & quando obliget disp. 1. de euchar. c. 5. n. 116.
Existentia.
Existendi in loco modus quadruplex disp. 1. de euchar. cap. 1. nu 38.
Existentia naturalis Christi corporis, & existentia eius modo naturali corporis satis differunt ibid.
F
Fatuus.
Fatuus vnde dicatur disp. 6. de bap. art. 5. num. 109. *Fictus*
Fictiones describuntur, non diffiniuntur disp. 2. de sac. in gen cap. 2. nu. 7.
Fictus qui dicatur disp. 7. de bap. cap. 3. nu. 55.
Fides.
Fides in ministris sacramentorum non est semper necessaria disp 4. de sac. in gen. art 1. num. 61.
Fides in adulto necessario prærequiritur in baptismi susceptione, & quæ fides disp. 6. de bap. 1. art. 3. nu. 168. & 169.
Fides, & ipsa in sac. bap. infallibiliter eam gratiam adultis, quam paruulis disp. 7. de bap. cap 1. num. 10.
Fides, & consensus non requiritur in paruulo ad recipiendum bap. disp. 6. de bap. art. 2. num. 45.
Forma.
Forma sacramentorum quæ sit disp. 2. de sac. in gen. cap. 1. nu. 5.
Forma, & materia bifariam spectari potest disp. 3. sac. in gen. cap. 1. nu. 60.
Forma latinorum, ac Græcorum in ordine diuersa disp. 3. de sac. in gen. cap. 2. nu. 70.
Formæ determinatio triplex ibid.
Formalitas, & materialitas sacramentorum quæ sit disp. 2. de sac. in gen. cap. 1. nu. 5.
Fruges, & Frumenta.
Fruges, & frumenta vnde dicantur, & quomodo differant disp. 2. de euchar. art. 1. n. 56.
Frumenti species variæ, & vnde deriuentur ibid. nu 57. & 58. *Furiosus*
Furiosus vnde dictus disp. 6. de bap. ar. 3. n. 10.
G
Gentilis.
Gentilis præter intentionem se circumcidens, si postea hæbreus fieri voluisset, quid? disp. 1. de sac. in gen. ar. 1. nu. 110.
Gratia.
Gratia ex Dei institutione datur per sacramen-

menta, & quomodo disp. 5. de sac. in gen. cap. 1. nu. 3. & 3.
Gratia paruulorum augetur merito precantium disp. 5. de sac. in gen. cap. 2. nu. 27.
Gratia prima non ab omnibus confertur sacramentis ibid. nu. 28.
Gratia baptismalis omnibus præstantior ibid. num. 29.
Gratia gratum faciens infunditur omnibus debitè accedentibus ad baptismum, si prius non infuit, qua si præfuit augetur disp. 7. de bap. cap. 1. nu. 18.
Gratia gratum faciens dupliciter sumitur disp. 2. de conf. cap. 1. nu. 3.

Græci.

Græci indicatiuum modum neglexerunt in forma baptismi disp. 4. de bap. cap. 1 nu. 11.
Græci an peccent in fermentato conficientes disp. 2. de euchar. art. 1. nu. 86.

H

Hebræi.

Hæbrei non circumcidentes filios in deserto læthaliter peccauerunt disp. 1. sac in gen. art 1. num. 104.
Hæbrei si citra intentionem circumcidissent filios paritformiter essent, ac illi qui in lege nostra præter intentionem baptizarent ibid. nu. 119.

Heretici.

Hereticorum partitio disp. 7. de bapt. cap. 1 num. 4.

Holocaustum.

Holocaustum quid sit disp. 1. de sac. in gen. cap. 2. n. 21.

Hordeum.

Hordeum frumenti species vnde dictum disp. 2. de euchar. art. 1 num. 58.

Hostia.

Hostia pro peccato ad expiationem fuit instituta disp. 1. de sac. in gen. cap. 1. num. 21.
Hostiæ ab immolatione differentia ibid.

Humanitas.

Humanitas Christi efficienter nec instituit, nec instituere potuisset sacramenta disp. 4. de sac. in gen. cap. 1. nu. 23.

I.

Ignorantia.

Ignorantia duplex, alia facti, alia iuris disp. 5. de bapt. cap. 3. num. 132.
Ignorantia vtraque quomodo pœnam excuset ibi.

Impositio.

Impositio manuum multiplex disp. 3. de conf. cap. 1. nu. 11.

Incrementum.

Incrementum interpositionis verborum in forma bap. quando sacramenta irritet disp 3. de sac. in gen. cap. 3. num. 83.

Infideles.

Infideles adultos, qui sunt Principibus Christianis subiecti licet ad fidem, cogere disp 6. de bap. art. 2. nu 85.
Infidelium discrimen disp. 6. de bap art. 3. num 29.
Infidelium duplex conditio, vel hæreticorum, & schismaticorum, vel paganorum ibid. num. 18.

Influentia

Influentia communis quid sit disp. 6. de bap. art. 3. nu. 224.

Infanus.

Infanus, & insipiens vnde dicti disp 6. de bap art. 3. nu. 109

Instrumentum.

Instrumentum à causa secunda differt, quia licet vtrumque dependenter agat, causa secunda habet formam, per quam agit instrumentum vero non sic disp. 6. de sac. in gen. art 2. num. 45.
Instrumenti variis nominis acceptio, ac distinctio ibid. num. 41.
Instrumenta artis non sunt actiua ibid. nu. 44.

Intentio.

Intentio, & attentio quomodo differant disp. 4 de sacr. in gen art. 2. num. 94.
Intentio habitualis, & virtualis quomodo distinguantur, disp. 4. de sacr. in gen. art. 3. n. 111
Intentio actualis non est necessaria, ibid. n. 112
Intentio habitualis est satis ibid.
Intentio virtualis præterita quomodo maneat in ministro ibid num. 113. & 115.
Intentio peruersa ministri in sacram. bap. an suppleri à Deo possit non constat disp. 3. de bap. cap. 1. num. 33.
Intentio ita pertinet ad sacramentum vt sine ea sit nullum ibid num. 35.
Intentio qualis in suscipiente, & conferente bap. disp. 3. de bap. art. 3. num. 155.
Intentionis necessitas in ministris sacramentorum disp. 4. de sac. in gen. art. 2. num. 96.

Ioannes.

Ioannes Baptista à Christo baptizatus, & quando disp. 6. de bap. art. 1. num 63. & 64.
Ioannes Baptista cur baptizatus ibid. num. 63.
Ioannes Baptista Christi baptismate fuit baptizatus non necessitate medij, sed præcepti ibid. num. 64.

Irregularitas.

Irregularitas quibus casibus contrahatur disp. 7. de bap. cap. 1. nu. 32.
Irregularitas orta ex Bigamia cur non tollatur per bap. ibid. num. 33.
Irregularitas orta ex Simonia locum non habet in

bet in nondum baptizato *ibid. num.* 31.
Irregularitas orta ex non criminibus per baptismum non tollitur *ibid. num.* 36. & quæ sit.

Iudas, Iudæi.

Iudas Eucharistiæ sacramentum sumpsit *disp.* 1. *de euchar. cap.* 2. *num.* 19.
Iudæorum insania, neglecto circumcisionis mandato per 40. dies in deserto, *disp.* 1. *de sac. in gen. art.* 1. *num.* 100.

Iudicialia.

Iudicialia quando abrogata *disp.* 1. *de bap. cap.* 2. *num* 50.
Iudicialia, & cæremonialia quomodo maneant *ibid. num.* 51.

Iuppiter.

Iuppiter, Apollo, & iis similes ceciderunt in tempora Patriarcharum *disp.* 1. *de sac. in gen. cap.* 2. *nu.* 57.

L

Latro.

Latro sanctus nullo baptismo obsignatus decessit *disp.* 1. *de bap. cap.* 2. *nu.* 78.

Lex.

Legis vniuersæ partitio *disp.* 1. *de bap. cap.* 3. *num.* 101.
Lex positiua duplex diuina, & humana. *ibid.*
Lex humana duplex, Ecclesiastica, & politica *ibidem.*

Libamen.

Libamina quæ sint *disp.* 1. *de sac. in gen. cap.* 2. *nu.* 21.

Locutio.

Locutio transitiua, & intransitiua quid *disp.* 2. *de bap. cap.* 1. *nu.* 2.

Lolium.

Lolium vnde dictum *disp.* 2. *de euchar. art.* 1. *num.* 58.

Lux.

Lux, & lumen non sunt merè spirituales res *disp.* 5. *de sac. in gen. art.* 4. *num.* 91.

M

Maria Virgo.

Maria Virgo ad generationem Christi actiue se habuit per potentiam naturalem actiuam per quam fuit Mater ex Scoto *disp.* 5. *de sacr. in gener. art.* 5. *nu.* 115.
Maria Virgo à Christo baptizata fuit *disp.* 6. *de bap. ar.* 1. *nu.* 68.
Mariæ potentia ad generandum actiua remota redacta est ad propinquitatem ex Spiritu sancto *ibid. num.* 118.
Maria vt esset mater habuit potentiam actiuam; quia non fuit sterilis *ibidem numero* 120.
Maria circa modum exequendi actum potentiæ actiuæ naturalis miraculosè genuit *ibi. num.* 121.
Mariæ, & Iosephi matrimonium fuit verum *disp.* 1. *de bap. cap.* 2. *nu.* 64.

Magdalena.

Mariæ Magdalenæ in Christum amor *disp.* 1. *de sac. in gen cap.* 4. *art.* 1. *num.* 23.

Materia.

Materia, & forma bifariam spectari potest *disp.* 3. *de sac. in gen cap.* 1. *nu.* 4.
Materia, circa quam, & in qua *ibid.*
Materia, & forma methaphisicè quæ sit *disp.* 3. *de euch. cap.* 1. *nu.* 4.
Materia, & forma sacramentorum nouæ legis à Deo ita determinata sunt, vt pro libito variari non possint *disp.* 3. *de sac. in gen cap.* 3. *num.* 50.
Materia duplex, alia proxima, alia remota *disp.* 4. *de bapt. cap.* 3. *nu m.* 1.
Materia remota baptismatis est aqua pura naturalis, siue elementalis *disp.* 3. *de bap. cap.* 1. *num.* 7.
Materia proxima baptismi est baptizatio passiua, siue ablutio passiua *disp.* 3. *de bap. cap.* 1. *n* 43.
Materia sacramenti Eucharistiæ est panis, & vinum *disp.* 1. *de euchar. cap.* 4. *nu.* 54.
Materia necessaria corporis est panis triticeus *disp.* 2. *de euch. ar.* 1. *num.* 61.
Materia necessaria sanguinis debet esse vinum vitis *disp.* 2. *de euchar. art.* 2. *nu.* 89.
Materia, & forma ordinis quæ *disp.* 3. *de sac. in gen. cap.* 3. *num.* 53.
Materia ordinis quomodo eadem, & non eadem apud Latinos, & Græcos *ibidem num.* 60.
Materia Confir. est chrisma *disp.* 2. *de confi cap.* 2. *nu.* 45.
Materia, & forma matrim. quæ sit *disp.* 3. *de sac. in gen. cap.* 2. *nu.* 25.

Matrimonium.

Matrimonium, vt contractus, & vt sacramentum differt *disp.* 3. *de sacr. in gener. cap.* 1. *num.* 16. & 25.
Matrimonium contractum inter mutos, & surdos sin minus per verba, saltem per signa quomodo valet *ibid. num.* 26. & 28.
Matrimonii sacramenti causa effectrix est Deus, instrumentalis verò ipsi coniuges *ibidem num.* 16.
Matrimonii bona sunt tria, fides, proles, & sacramentum *ibid.*
Matrimonii ministri sunt ipsi contrahentes *disp.* 4. *de sac. in gen. cap.* 3. *nu.* 47.

Mariæ

Maximum.

Maximum, & minimum bifariam sumitur, & quid vtrumque sit *disp.* 1. *de eucbar. cap.* 1. *n.*37. an detur minima magnitudo *ibid. n.*39

Mersio.

Mersio per suffocationem non est baptizatio *disp.*3. *de bap. cap.* 1. *num.* 64.

Millium.

Millium frumenti species vnde dictum *disp.*1. *de euchar. art.*1. *num.*58.

Minister.

Minister in baptismo dupliciter considerari potest, publicus vel priuatus *disp.* 5. *de bap. cap.* 3. *num.* 113.

Ministrans sacramenta in peccato mortali quomodo, & quando peccet *disp.*4. *de sac. in gen. ar.* 1. *nu.* 78.

Ministri ordinarij sacramentorum soli homines à Deo instituti, sed non omnes *disp.*4. *de bap. cap.* 3. *nu* 45. & 49.

Ministri mali distinctio *disp.* 4. *de sacr. in gen. ar.* 1. *num* 78.

Ministri, quibus ex officio incumbit ministrare, quando peccent ministrando *ibidem.*

Ministri non possunt sibi baptismum ministrare *dis.* 5. *de bap. art.* 3. *num.* 121.

Mixtio.

Mixtio quid sit ex Aristotele *disp.* 2. *de Eucharist. art.* 2. *num.* 125.

Mors.

Mors ciuilis, & naturalis quid, & quomodo differat *disput.* 6. *de bap. art.* 2. *num.*87.

Motus.

Motus ad quatuor prædicamenta reducitur *disp.*4. *de bap. cap.*2. *num* 20.

Mustum.

Mustum potest esse materia apta consecrat. sang. *disp.* 2. *de euchar. art.*2. *num.*90.

Mutationes.

Mutationes ad formam, seu in forma quot, & quæ sint *disp.* 3. *de Sacr. in gener. cap.* 3. *num.*76.

Mutatio ad quale non semper sacramentum irritat, *ibid. nu* 84.

Mutatio materiæ, & formæ sacramentorum quomodo sacramentum irritet *ibid. nu.* 96.

Mutus

Muti, & bleti differentia, ac deriuatio *disp.* 3. *de sac. in gen. cap.* 1. *num.*27.

N

Necessitas.

Necessitas duplex medij, & præcepti *disp.* 1. *de bap. Ioan cap* 1. *num.* 1. & *disp.* 1. *de euch. cap* 5. *nu.* 84.

Necessitas vtraque medij scilicet, & præcepti quomodo differat *disp. de bap. ibid.*

Necessitas adhuc duplex absoluta, & secundum quid *disp.* 1. *de bap. Ioan. cap.* 1. *nu.* 1.

Necessitas, alia simpliciter, alia ad bene esse *disp.* 1. *de euch. cap.* 5. *nu.* 84.

Nomen

Nomen Trinitatis, & Christi non est idem cum nomine trium personarum *disp.* 4. *de bap. cap.* 2. *nu.* 32.

Numerus

Numerus sacramentorum ex Scoto, & Conciliis *disp.* 7. *de sacr. in gen. cap.* 2. *nu.* 18.

O

Oblatio.

Oblatio Melchisedech fuit sacrificium nõ sacramentum *disp.* 1. *de sac. in gen. cap.* 3. *num.*64.

Oleum.

Oleum duplex, quoddam verum, quoddã artificiale *disp.*2. *de consf. cap.* 2. *num.* 44.

Oleum generice sumptum balsamo admixtũ non est materia sacramenti *conf. ibid.*

Opus.

Operis operantis, & operati verum significatum *disp.* 5. *de sac in gen. cap* 1. *nu.* 8.

Opus operatum vnde dicatur *ibid. num.* 9.

Opus proximum, & opus remotum quod non *disp.* 4. *de sac. in gen. art.* 2. *num.* 95.

Ordo.

Ordo multiplex *disp.* 7. *de sacr. in gener. cap.* 2. *num* 19.

Ordo necessitatis quid sit *ibid. num.* 20.

Ordo excellentiæ *ibid. num.* 21.

Originale.

Originale peccatum quomodo dimittatur in bap. *disp.* 7. *de bap. cap.* 1. *num.* 31.

P

Pactum.

Pacti nomine quid intelligatur *disp.* 1. *de sac. in gen. cap.* 4. *art.* 1. *nu.* 74.

Pactum inter Deum, & Adamum quod fuit *ibi num.* 76.

Pactum Dei cum Abrahamo duplex, & quod nam vtrumque fuerit fusè declaratur *ibid. num.* 98.

Panis.

Panis nomen vnde deriuatur, *disp.* 2. *de euchar. art.* 1 *num.* 55.

Panis ex frugibus est inepta materia euchar. *ibid. nu.* 61.

Panis triticeus solum est materia sacramenti euchar. *ibid. nu.* 63.

Panis triticeus aqua elementali confectus, nõ arti-

artificiali est idonea materia ad confec. corp. ibid. nu. 65.
Panis triticeus debet esse azimus, vt fit materia euchar. pro vsu Ecclesiæ latinæ, & fermentatus pro Orientali Ecclesia ibid. num. 82. & 83.

Parochus.

Parochus in sua Parochia auctoritatem baptizandi delegare potest disp. 1. de bap. cap. 1. num. 14.
Paroch. extra suam Parochiam baptizare minime queunt ibid. num. 13.

Particula.

Particula ego non est necessaria necessitate sacramenti in forma baptismi disp. 4. de bap. cap. 1. nu 6.
Particula illa formæ baptismi ita necessaria est, vt nec mutari, nec moueri queat, & si in plurali mutetur irritat sacramentum disp. 4. de baptismo cap. 4. nu. 67.
Particula illa in nomine quid sibi velit ibid. num. 70.
Particula illa præpositiua in formæ bap. est de essentia sacramenti ibid. nu. 72.
Particula illa in nomine si iteretur non irritat sacramentum, quia non multiplicat Deitatem, secus si dicatur in nominibus ibid. num 74.
Particula coniunctiua semel omissi, vt si dicatur in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti non irritat sacramentum ibid. nu 71.

Paruuli.

Paruuli in vtero materno decedentes sunt salutis, & exterorum remediorum incapaces disp. 1. de sac. in gen cap. 3. nu. 49.
Paruuli expositi quomodo, & quando baptizari queant, & quid expositorum nomine intelligatur disp. 6. de bap art. 2 nu 50.
Paruulorum duplex conditio ibid. nu. 18.

Pascha.

Paschatis nominis deriuatio, ac significatio disp. 1. de euchar. cap. 1. nu. 11.
Paschæ Parasceue quale fuerit ibidem nu. 33.

Passio.

Passionis nomen latè sumptum tam pro absoluto, quam pro relatiuo disp. 1. de bap. cap. 2. nu 39.

Peccator, & Peccatum.

Peccator publicus peccat ministrans in peccato disp. 4. de sac in gen. art. 1. nu 89.
Peccatum duplex aliud actu aliud origine disp. 7. de bap. cap. 1. nu. 2.

Persona.

Personæ tres cur visæ in Iordane disp. 1. de bap cap. 1. nu. 37.
Persona recipiens necessario exprimenda est in forma bap. ismi, & quomodo disp. 4. de bap. cap. 1. nu. 13.

Petrus.

Petrus à Christo baptizatus fuit disp. 6. de bap. art. 1. num. 68.
Petrus à Paulo correptus quomodo peccauerit, declaratur disp. 1. de bap. cap. 2. nu. 47.

Pœna.

Pœna duplex temporalis, & æterna disp. 1. de bap. cap. 1. nu. 3.
Pœnæ Ecclesiasticæ quæ, & quot sint ibidem num. 35.
Pœnæ ortæ ex non criminibus per baptismum non tolluntur ibid. nu. 16.
Pœnitentiæ diffinitio ex Scoto disp. 3. de sac. in gen. cap. 1. num. 30.

Potentia, & Potestas.

Potentia, alia naturalis, alia violenta, alia neutra disp 5. de sac. in gen. art. 5. nu. 99.
Potentia actiua passiuæ correspondere debet ibid. nu. 102.
Potestas ordinaria, & ordinata quid sit disp. 1. de bap cap. 2. num. 110.
Potestas Dei ordinaria absoluta, & absolutissima quæ disp. 7. de bap. cap. 1. nu. 54.
Potestas Romani Pontificis Regna mundi disp. 6. de bap. art. 3. num. 18.
Potestas animi triplex ibid. art. 3. nu. 124.

Præcepta.

Præcepta legis triplicis generis, iudicialia, moralia, & cæremonialia disp. 1. de bap. c. 1. n. 49
Præceptum affirmatiuum, & negatiuum quomodo differant ibid. nu. 41.

Prædicari.

Prædicari vniuocè quomodo solius substantiæ proprium dis. 2. de sac. in gen. cap. 3. n. 37

Q

Quatuor.

Quatuor Tempora in Circumcisione obseruanda disp. 1 de bap. cap. 1. num. 45

R

Rebaptizatur.

Rebaptizans irregularitatis pœnam non subit disp. 5. de bap. cap. 3. num. 137. & disp. 7. cap. 1. num 39.
Rebaptizatus fit irregularis, & quando disp. 5. de bap. cap. 3. nu. 141.

Relatio.

Relatio signi complens formalitatem sacramenti non est relatio realis, sed rationis disp. 2. de sac. in gen cap. 1. num. 6.
Relatio non habet materiam, ex qua disp. 3. de sac. in gen. cap. 1. num. 7.
Relatio, alia intrinsecus, alia extrinsecus, adueniens, & quæ disp. 6. de sac. in gen. cap. 2. num. 31.
Relatio noteft esse relationis fundamentum ibid. num. 40.
Relatio refert potius, quam refertur ibid. num. 52.

Sacra-

Sacramentum.

S

Sacramentum bifariam sumitur *disp.1.de sacr.in gen.cap.2.nu.15.*
Sacramentum perfectissime diffiniri non potest *disp.2.de sacr.in gen.cap.1.nu.13.*
Sacramentum non rigorose diffiniri potest *disp.2.de sac.in gen.cap.4 nu. 17.*
Sacramentum aliquod verum fuit in statu legis naturæ *disp. 1. de sac. in gen. cap. 5. num.47.*
Sacramentum non est signum naturale *disp. 2. de sac.in gen.cap.2.num.28.& 30.*
Sacramentum iudiciale, & iudicium sacramentale in sacramento pænitentiæ quomodo intelligatur *disp. 3. de sac. in gener. cap.1.nu.14.*
Sacramentum est ad instar entium successiuorum *disp.5.de sacr.in gener. cap. extrem. nu. 147.*
Sacramentum & effectum sacramenti, qui recipiant *disp 6.de bapt. art.3 num. 110.*
Sacramenti forma, & materia quænam sit *disp.2.de sac.in gen.cap.1.nu.5.*
Sacramenta omnia materia, & forma constant *disp. 3. de sac.in gen cap.1.nu. 9.*
Sacramenta rebus tanquam materia perficiuntur *ibidem num. 13.*
Sacramenta sunt formaliter relationes rationis *disp.2.de sac.in gen.cap.1.nu. 5.*
Sacramenta quænam futura fuissent in statu innocentiæ *disp.1. de sac.in gen cap.2.n.27.*
Sacramenta quomodo faciant iustum *ibid. nu. 36*
Sacramenta non potuerunt ab alio, quam à Deo institui *disp.4.de sac.in gen. cap.1.nu. 10.& 11.*
Sacramenta omnia nouæ legis gratiam ex opere operato causant *disp.5.de sac.in gen. cap.1.nu. 2.*
Sacramenta nullam habent in se virtutem internam causandi gratiam *ibid.num.7.*
Sacramenta sunt causa, siue instrumenta moralia ad causandam gratiam *disp. 5 de sac.in gen.art.1. num. 48.*
Sacramenta sunt causa gratiæ non phisicè, sed moraliter *ibid.num. 52.*
Sacramenta non sunt causa sine quibus non *ibid. nu. 54.*
Sacramenta nullam habent actionem phisicam immediatam ad gratiam *disp. 5. de sac. art.4.in gen.nu. 72.& 81.*
Sacramenta veteris legis num characterem imprefferint dubitatur *disp.7. de sac. in gen.cap.vlt.nu. 72.*
Sacramenta omnia per signi rationem comp̄leantur *disp.2.de bap cap.1.nu.2.*
Sacramenta alia multa habent materiam, & formam *disp.1.de bap. cap.2.nu. 15.*

Sacramentorum septenarius numerus ... tuitur *disp.7.de sac.in gen.cap.1.nu.3.*

Sacrificium.

Sacrificium, aliud sacramentum, aliud non sacramentum *disp.1.de sac. in gen. cap.2. num. 15.*
Sacrificij nominis energia *ibid.*
Sacrificij noua diuisio *ibid. num. 21.*

Sempiternum

Sempiterni, & æterni vocabulum quomodo interpretatur *disp. 1. de bapt. cap. 2. nu. 77.*

Signum

Signum triplex, sensibile, practicum, certum, siue efficax *disp. 1.de sacr.in gen. cap. 1. num.3.*
Signi certitudo *ibidem num. 4.*

Siligo.

Siligo, & similago differunt, & vnde dicatur *disp. 2. de euch. art.1.nu. 58.*

Symbolum

Simbolum cur, & quando dicendum sit *disp 6.de bap. cap 2. nu. 71.*

Stilla

Stilla vna non est satis ad abluendum *disp. 3.de bap.cap.1.nu 68.*

Stultus

Stultus vnde dictus *disp. 6. de bap. art. 3. num.109.*

T

Terminus.

Terminus magnitudinis in materia Euchar. non à maximo, sed à præsentia sumendus est *disp. 2. de euchar. cap. 3. num 49.*

Testamentum

Testamentum vnde dictum *disp. 1. de sacr. in gen.art.1.num.77.*

Triticum

Triticum vnde dicatur *disp.2.de euch. art. 1. num.58. & 60.*

V

Variatio.

Variatio formæ baptismatis multiplex *disp. 4.de bap.cap.3. nu. 23.*
Variatio formæ ad quantum potest vertere *ibid. num 21. & 27.*
Variatio minuens quando irritet sacramentum *ibidem num. 28.*
Variatio ad quale *ibid.nu. 26.*
Variatio ad substantiam quando irritat *ibid. num. 29.*
Variatio ad quantum quomodo iudicetur *disp.3. de sac.in gen. cap.3. nu. 82.*

Velum.

Velum templi scissum in Christi morte mi... sacriorum typus *disp.1.de bap.cap.2.nu.17.*

Vinum.

Vini calor duplex *disp. 2. de euchar. art. 2. num. 126.*

Vinum gelatum non est certa materia sanguinis *ibid. num. 97. & 98.*

Vinum vitis est necessarium ad materiam sanguinis consec. *ibid. num. 87.*

Virtus.

Virtus sacramenti est ipsa Dei ordinatio *disp. 5. de sac. in gen. art. 6. num. 133.*

Virtus est vltimum de potentia *ibid.*

Virtutes morales in baptismo non infundantur, nec dantur infusæ *disp. 7. de bapt. cap. 1. num. 24.*

Virtutum diuisio, ac partitio *ibid. nu. 2.*

Vnitas.

Vnitas integritatis quæ sit ex fabro *disp. 1. de euch. cap. 4. nu. 74.*

Vnitatum distinctio *ibidem num. 65.*

Vocum.

Vocum significata ex vsu *disp. 2. de bap. cap. 1. nu. 3.*

Votum baptismi duplex, & quid vtrumque *disp. 1. de bapt. cap. 3. nu. 124.*

Vtile.

Vtile licitum, & necessarium quomodo inter se distent *disp. 1. de bap. cap. 2. nu. 44.*

Vua.

Vua quantumuis matura materia idonea esse non potest consecrationis sanguinis *disp. 2. de euch. art. 2. nu. 91.*

Zea.

Zea frumenti species vnde dicta *disp. 2. de euch. art. 1. nu. 58.*

FINIS.



REGESTVM

§§ † A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu Xx Yy Zz

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii. aaa

Omnes sunt Duerniones, præter † folium, & aaa Terniones.